



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

3 3433 07438291 6















**P. VIRGILII MARONIS**

**OPERA OMNIA.**

**VOL. V.**



**P. VIRGILII MARONIS**

**OPERA OMNIA**

**EX EDITIONE HEYNIANA**

**CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE**

**IN USUM DELPHINI**

**VARIIS LECTIONIBUS**

**NOTIS VARIORUM**

**EXCURSIBUS HEYNIANIS**

**RECENSU EDITIONUM ET CODICUM**

**ET**

**INDICE LOCUPLETISSIMO**

**ACCURATE RECENSITA.**

---

**VOLUMEN QUINTUM.**

**T**

**LONDINI:**

**CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.**

**1819.**





14030.

NEW YORK  
PUBLIC  
LIBRARY

## ÆNEIDOS

## LIBER I.

1 *Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena*] In nobilissima, maximeque celebri Poëmatís Virgiliani parte, non otiose plerique omnes quærant: Sitne inde exordiendum a quatuor illis versibus, quos veterum quorundam censura constat esse detractos: an illis præteritis, ab eo loco incipiendum, *Arma virumque cano*. Sane quantum ad antiqua pertinet exemplaria manu scripta, nullum adhuc inveni, ubi principium Æneidos a quattuor illis versibus desumeretur: verum separatim in codicibus aliquot præscripti habentur. In plerisque vero, iisdemque antiquioribus, ne inveniuntur quidem. Sed fuerint sane Tuccæ Varique censura sublatis; eo tamen consilio fuerunt a Virgilio præpositi, ut legerentur. Id quod in aliis etiam operibus non injuriose factitasse deprehenditur, dum in Bucolicis, Eclogarum, quas prius edidisset, mentionem facit, ut in Daphnide, *Hæc nos Formosum Corydon ardebat Alexin*. Hæc eadem docuit, *Cujum pecus, an Melibati?* Et quum Georgicon libris finem imponeret, Bucolica a se scripta citavit, *Carmina qui lusi pastorum, audaxque juvenla, Tityre, te cecini patula sub tegmine fagi*. Et ne cui de nomine quoque ambigendum esset, id in carmine curavit inserendum, *Illo Virgilium me tempore dulcis*

*alebat Parthenope*. Nam nisi ea fuisset cura, satis erat dixisse, *Illo me tempore dulcis alebat Parthenope*. Pari vero ratione, visum est illi tertium hunc ingenii felicissimi conatum, duobus illis prioribus adnectere: ut unum quasi corpus insolubili vinculo colligatum, cum nominis sui æternitate a furacitatis injuria, quæ tunc nimium impudenter in aliorum labores grassabatur, incoluma servaretur. Visum tamen est posteritati, confirmata jam tanti Poëtæ fides, in Tuccæ Varique sententiam descendere. Bonaque hominum pars vñsum, *Arma virum, Æneidos principium agnoscunt*, eo potissimum argumento, quod citaturus Persius Poëta Virgilianam Æneida dixerit, 'Arma virum, nonne hoc spumoseum.' Quodque Val. Martialis, 'Protinus Italiam concepit, et Arma virumque.' Quod Sex. Propertius, 'Qui nunc Ænæ Trojani suscitât arma.' Multa illi præter hæc ex aliorum Poëtarum tam Græcorum quam Latinorum parodia afferre solent: ut Virgilium in exordiando, non tam Veteres imitatum ostendant, quam alios etiam imitatores habuisse. Sed enim fuerit ea Persii sententia: intellexerit illud Æneidos esse principium, Valerius Martialis: censuerint eos versus quattuor tollendos, Augusti Octaviani temporibus erudit

virī: magis tamen ego unius Virgīlii iudiciam aestimarim, quam Criticorum omnium censuras, quantumlibet acres: quum is præsertim ex eruditorem præceptis, non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitaverit. Adde, quod versus illi a Persio et Martiale citati, non sunt idonei, qui tale esse principium indicent. Sex. vero Propertium quis non videt, dum inscriberet, 'Qui nunc Æneæ Trojani suscitāt arma,' ad conjunctum illud Virgiliannum carmen respexisse: quod iisdem pene verbis est, 'at nunc horrentia Martis Arma, virumque cano.' *Pierius.*

*Ille ego, qui quondam, &c.*] Proponit et dividit, et sese commendat, quod neque ludicra, neque turpia, sed spectata elegerit. *Donatus.*

*Ille ego, qui quondam, &c.*] Videtur et hoc initium ductum ab illo Theocr. Ἀδφνις ἔργον ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὅδε πορεύει et Eurip. in Hipp. "Ὅδ' ὁ σαρπνός ἐργό, καὶ θεοσάντωρ, "Ὅδ' ὁ σωφροσύνη παρὰ τὰς ἀνθρώπων ἡρώδων ἐξ ἄλλης στήλῃς κατέλπει· Ὀλέσας βλοταῖ·. Pari et forma Sophocl. in Ajax. ἔργον δὲ καίνο· et in Tyranno, ἐργον δὲ δὲ δρόσος: hoc est, ille ego, quem patrem interfectorum oracula caneant: et in Colono, δὲ δὲ ἐκείνος ἐργον. *Germanus.*

*Ille ego, qui quondam*] Etsi homines, cætera non indocti, calide disputant, et argumentis ingeniose excogitatis pervicisse existimant, quattuor hosce versus Æneidi quasi anteambulones, a Virgilio neque factos, neque maiestate huius Operis dignos: tamen hand scio, an tanti ea debeant aestimari, ob quæ vel Servii Donatique majorum gentium (ut sic dicam) et veteris ævi Interpretum, vel huius etiam sæculi classicæ notæ Senatorum, iudicia rescindantur. Quicquid sit, certe P. Nannii, J. Parrhasii, Nasc. Nascimbæni, L. Hortensii, Germ. Valent. G. Pimontii, Fabricii, aliorumque Poëtæ nostri Interpretum, et qui

denique Poëticæ candidatis instar omnium fuerit, *Jul. Cæsaris Scaligeri* iudicium, qui (Poët. v. c. ult.) hos versus et genuinos, atque in loco positos, argumentis vincunt; negligere, aut in ordinem redigere, legitimo Eruditorem Senatui probari, opinor, vix poterit. Varus autem et Tucca, quibus Æneida corrigendam dederat Cæsar Augustus, quam recte fecerint, quod versus istos detraxerint, iudicent qui plus Tuccæ et Vari, quam Maronis tribuunt iudicio. Sane Scaliger clare proficitur; eos, qui hæc carmina abstinere, suam facere Æneida, non Maronis. Quem virum ego quidem, vel in Poëtica, audiendum imprimis censeo. Quod enim ille, de Donato dixit, *Virgilii animam esse*; id ego pari fiducia aut etiam majori, de Scaligero dixerim. Observetur autem, quam humili sermonis forma exorsus, cum ipsa rerum, quas tractabit, natura, altius atque altius dicendo adsurgat: ut possis existimare, ipsum Poëtam hac triplici orationis figura innuisse, Georgica Bucolicis, et Æneida Georgicis tantum præstare, quantum secundus versus distat a primo, quartus a secundo. *Taubm.*

*Gracili avena*] Sic et Propert. II. graciles musas vocat: 'Hic me tam graciles vetuit contemnere musas.' *German.*

*Modulatus avena Carmen*] Tibul. I. II. 'Et satur arenti primum est modulatus avena Carmen.' Certe Orpheæ imitatus Maro, qui Argonauticæ principio compendiosa enumeratione opera sua est complexus et professus, brevi anacephalæosi sua quoque distinxit et comprehendit, ne (ut Nannii sequar iudicium) aut plagiarii, a quibus olim vexatus fuerat, sacrilegio versus divinos sublegerent, sibi que ascriberent, aut eos falsarii adulterare auderent. Tucca tamen post Virgilii mortem, nullo discrimine principium hoc recidere est aggressus, quod ab utrisque nihil esse metuen-

dum videret, jam temporibus Angusti integro Poëmæ et opere Maronia, sub germano auctoris nomine divulgato, et recognita. *Idem.*

2 *Vicina cœgi*] Pleraque, quas vidi, editiones post cœgi, distinctionem habent; sed Hear. Stephanus nullam hic interpunctionis notam desiderari in Scholiis Virgilianis monet: conjungenda quippe esse arva vicina. Quod agriculturam tractaverit post Bucolica, asseritur iis verbis: *egressus silvis.* In silvis enim pascebantur pecora, ut ex Turn. i. 5. id notum est satis. *Emmenem.*

3 *Quamvis arido*] Pro *quantumvis.* Læret. ii. 'quia quamvis offera proles Officiis debet molliori victa parentum.' *Germanus.*

*Quamvis arido*] Vel cuique etiam avidissimo: quantumvis cupidissimo; *auctore Parrhasio.* Particula *quamvis*, ita usurpat et a Catullo Carm. xii. 'Quamvis sordida res et invenusta est;' id est, admodum sordida res est. Et a Plauto, Menæch. ii. 2. 'Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest.' Id est, nihil eo magis ridiculum ne optari quidem potest. *Tausman.*

*Arido*] Aristoteles Politic. vi. 4. loquens de agricolis, *μᾶλλον ἀρέσκειν τοῦ κέρδους ἢ τῆς τιμῆς*: *lucrum potius quam honorem appetunt*: subjicit deinde

rationem. *Cerda.*

*Parcerent*] Ita Plinius ii. 63. terram vocat *ancillam*, et *famulam*. Et Cyprianus contra Demetrium, eadem dat obsequium et *arrogantiam*. Senec. de Tranq. c. 15. 'Fertilibus agris non est imperandum.' et epist. 49. 'Vester villicus regnet.' et post pauca: 'Fundus, quod aliquando imperium vocabatur.' *Idem.*

4 *Horrentia*] Horror quoque ad arma, ad bella pertinet: imo ad nullam rem aliam signatam. Inde Horat. Sat. ii. 1. 'horrentia agmina.' et Carm. iii. 3. Romam ipsam *horrentam* vocat, quia videlicet bello dat jura Medis. Ennius Annal. viii. 'Horrentia tela virorum.' Calaber l. i. *ὡδὸν, ῥέω σὺν τροπικῶν καὶ ἑσπέρων*: *Bellum, quod ciri horrent.* *Idem.*

*Horrentia Martis Arma*] Versus quia quartus coheret cum quinto, *Arma virumque, &c.* non spurius esse quatuor qui præcessere concluditur a Roberto Stephano; notulas interjiciendas arbitratur inter quartam et quintam. Non tamen eorum sententiæ subscribitur. Hujus quippe exordii, *Arma virumque cano*, non autem illius, *Ille ego, qui quondam, &c.* meminere veteres, ut paulo post attinquo hanc controversiam. *Emmenem.*

5 *Arma virumque, &c.*] Multi varie disserunt, cur ab armis Virgilius cœperit, omnes tamen in hoc assentire manifestum est. Cum enim constet aliunde eum sumpsisse principium, sicut in premissa narratione monstratum est, intelligamus tamen per arma bellum significasse, et est tropus Metonymia. Nam arma quibus in bello utimur, pro bello posuit. Sic toga, qua in pace utimur, pro pace ponitur: ut Cicero, 'Cedant arma togæ;' id est, bellum paci.

*Arma virumque*] Figura usitata est,

ut non eo ordine respondeamus, quo proposuimus. Nam prius de erroribus Æneæ dixit: post de bello. Hac autem figura etiam in prosa utimur. Sic Cicero in Verrinis, 'Nam sine ullo sumptu nostro, coriis, tunicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestivit, aluit, armavit.' Nonnulli autem hyperbaton putant, ut sit sensus talis, *Arma virumque cano, genus unde Latinum Albanique patres atque alta mania Roma:* mox illa revoces, *Troja, qui primus ab oris.* Sic enim causa operis declara-



tur, cur agentibus fati in Latium venerit.

Alii ideo *Arma* hoc loco proprie dicta accipiunt; primo, quod fuerint victricia; secundo, quod divina; tertio, quod semper armis virum subjungit, ut, *Arma virumque ferens*; et *arma acri facienda viro*; et est poëticum principium professivum, *Arma virumque cano*. Invocativum, *Musa, mihi causas memora*. Narrativum, *Urbs antiqua fuit*; et professivum quatuor modis sumsit, a Duce, *Arma virumque cano*: ab itinere, *Trojæ qui primus ab oris*: a bello, *Multa quoque et bello passus*: a generis successu, *Genus unde Latinum*. Servius.

*Arma*] Scutum et reliqua quæ *Æneæ* fabricavit Vulcanus. *Donatus*.

*Arma virumque, &c.*] Initium hoc *Arma virumque*, adeo auspicatum est, ut qui velint *Æneidem* Maronis signare, signent illam per duo hæc verba. Hi sunt *Martialis* VIII. 46. et XIV. 185. *Ovidius* Trist. III. *Persius* Sat. I. demum *Ausonius* *παροῦσας*. Qui non tam avide arripuissent initium hoc, si quid in illo minus probe dictum adnotassent. *Cerda*.

*Arma virumque cano*] Quod distributæ Propositionis est proprium, id fecit hic Poëta. Cum enim tria sint necessaria Distributioni; Brevitas, Absolutio, Pancitas: *Brevitatem* quidem obtinuit, quando duobus verbis totum Opus in membra totidem partitus est: *Absolutionem*, quando omnia necessaria Distributioni genera, quæ in his duobus verbis intelliguntur, partesque totius Operis sustentant, complexus est: *Pancitatem*, quando partes non expressit; cum genera proposuerit. Habent autem Poëtæ liberam in Propositione ordinandi licentiam; ut et in exsequendi: nec peccat *Virgilius*, quod primum *Rem*, deinde *Personam* posuerit: nec, quod *ὄρρετον πρότερον* secutus, *Arma* quidem primum proposuerit, postremo autem exsecutus sit. Quippe sex

prioribus Libris *Virum*, id est, errores *Æneæ*; posterioribus demum, *Bella* ejusdem descripsit. Atque in illis quidem Vitæ Civilis ac privatæ; in his heroïci Bellatoris exemplum ac speculum exhibuit. *Homerus* vero sic imitatus est, ut eum *Brevitate* et *Gravitate* potissimum superarit. Quam enim ille *ὅλον θεωρηκὸν* in *Ulysse* XXIV. libris expressit, noster sex prioribus; quam ille *πρακτικὸν* in *Achille* totidem libris, noster itidem sex posterioribus. Tradit *Fabius* I. III. Poëtas reddere auditores sibi *Benevolos*, Musarum invocatione; *Attentos*, proposita rerum magnitudine; *Dociles*, summa celeriter comprehensa. Noster fecit. In hac autem Præfatione, præter Musæ invocationem, triplex etiam emergit benevolentiae locus. Primus ex persona Poëtæ: alter a rebus ipsis, quas præclaras elegerit: tertius a persona *Æneæ*, quem *ἐμπατικὸν Virum* appellat: nempe *acrem virum*, ut eundem Vulcanus indigitat, VIII. 441. quo modo et *Homerus* *Ulyssem*, *Ἀνδρα μοι ἔρρεε, μοῖρα*. Primum igitur auditores facit dociles, re breviter comprehensa: deinde, quia summa docilitas ex attentione comparatur, cum proposuisset, *Arma virumque cano*; subdit statim, 'Trojæ qui primus ab oris Italiam fato,' et quæ sequuntur, quæ verba ad attentionem mire efficacia sunt. *Virum*, inquit; non quem vis virum; sed illum e Troja: illum, qui Romani Imperii auctor esse meruerit: illum, qui terra marique jactatus fuerit: illum, qui iram Junonis et reliquorum deum factiones animo forti pertulerit. Nec audiendi sunt, qui *Arma* de scuto illo a Vulcano *Æneæ* fabricato intelligunt: neque illi, qui *Arma virumque*, interpretantur *armatum virum*, ex figura, quæ Græcis *ἐνδυαδὸς* vocatur, quemadmodum de singulis luculenter disputat *Nascimbænius*. *Taubmann*.

*Arma virumque cano*] Genivum

quod a Marone nostro profectum est principium, ad quod alludere videtur Martial. epigr. xiv. 185. 'Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis, Ne nucibus positis, Arma, virumque canas.' Male in quibusdam edit. *nucis*, vel *nugis* legitur pro *nucibus*. Grande est exordium, quod rebus grandibus est conveniens, ut Casaub. ad Pers. Sat. I. 110. *arma virum*. *Virum* appellat, nomen quippe est honorificum: sic Ulyssem indigitat Hor. Art. Poët. vs. 141. 'Dic mihi, musa, virum captæ post tempora Trojæ, Qui mores hominum multorum vidit et urbeis.' est teste Vossio Inst. Poët. III. 4. *ἔν δ' αὖθις ὄντοῦν*, *arma virum* pro *virum armatum*: qua figura usus videtur Ovid. Trist. II. 533. 'Et tamen ille tuæ felix Æneïdos auctor, Contulit in Tyrios arma virumque toros.' In initio præterea carminis sui Poëtæ profiteri solent totius operis argumentum, ut observavit Turneb. Adv. IX. 31. et Torrent. ad Horat. de Art. Poët. p. 783. et universum poëma Virgilianum, et hujus vestibuli suavitatem admiratur et commendat citatus Turneb. XVIII. 32. *Emmeness*.

*Cano arma et virum*] Sed armorum descriptionem primo propositam sequenti disputationi reservavit. *Donat*.

*Virum*] Non dicit quem: sed circumstantiis ostendit Æneam: et bene addit post *arma*, *virum*, quia *arma* possunt et aliarum artium instrumenta dici, ut *Cerealiæque arma*. *Cano* Polysemus sermo est. Tria enim significat. Aliquando laudo; ut, *Regemque canebant*. Aliquando divino; ut, *Ipsa canas oro*. Aliquando canto; ut in hoc loco. Nam proprie canto significat, quia cantanda sunt carmina. *Servius*.

*Virum*] Non sexus, sed excellentiæ. Ergo *virum* qui talia arma, et tam pulchra et habere et gerere potuerit, qui Romani imperii auctor esse me-

ruerit: qui Junonis inimicitias, et reliquorum deorum factiones superaverit: qui tot adversa mari perpessus tolerando transmisit. Nec erravit, si primo rem, deinde personam posuit. Nam Sallustius nulla metri necessitate coactus, primo rem, deinde populo Romano personam posuit. Virgilius in propositione liberam ordinandi habuit licentiam, exequendi vero alium ordinem tenuit. *Donatus*.

*Cano*] Cum paullo ante dixisset: 'gracili modulatus avena;' nunc illi opponit, *Cano*. Est enim hoc verbum longe illo præstantius: iccirco *Caliope* Musarum regina est; quia cæteræ *modulantur*, illa *cantit*: ut docet Scaliger, Poët. III. 26. et IV. 16. Proprium utique Poëtarum est, humanas actiones imitando canere, seu versus ad rithmum seu numerum compositos, cantando pronunciare. Est enim (sententia Scaligeri) Numeri anima sonus; ut corpus dictio. Nec tamen ista lectio sit in canticum dissoluta, nec psalmare effeminata. de qua C. Cæsar dixit; *Si cantas, male cantas: si legis, cantas*. Quippe Numerus est concinnitas orationis, apta rei significatur. atque a *canendo* est *concinnitas*, non a *canno*; auctoribus Prisciano et Scaligero, Poët. IV. 43. Operæ autem pretium fecerit, qui leget, quæ de hoc genere tradiderunt Fabius, I. 8. et præcipue lib. XI. 3. itemque Probus in Vita Maronis: et Scaliger Poët. IV. 47. nuperque adeo Guido Pancirollus, in Tractatu *Rerum nunc olim perditarum*: ubi docet, Actionem sive Pronunciationem, quæ eloquentia quædam corporis est, quasi fundamentum omnis gratiæ, in exilium missam, atque ita proscriptam, ut nemo eam hodie teneat, aut etiam investiget. *Taubmann*.

*Trojæ*] *Troja* regio est Asiæ, Ilium civitas est *Trojæ*. Plerumque tamen usurpant Poëtæ, et pro civitate, vel regionem vel provinciam ponunt.

Juvenalis, 'Et flammis Asiam ferroque cadentem.' Probus ait *Trojam, Grajos, et Ajax*, non debere per unam i scribi. *Servius*.

*Trojæ*] Altera cum propositione divisio, ut ostendat, quid Æneas fatali ratione compulsus, et quid extra fatam perpressus sit. Fati enim fuit, ut, relicta Troja, Italiam peteret. Ergo crimine desertæ patriæ absolvitur. Non potuit enim defendi, quæ fato interitura erat: sed neque pœna fuit, quod sit Asia pulsus, sed gloria. Nam minori detrimento affectus, majus est emolumentum consecutus, scilicet ut Rom. imperium conderet. Non ergo malo fatorum patriam perdidit, sed, ne ab ea detineretur Æneas, qui imperio Rom. constituendo dignus auctor parabatur. *Donatus*.

*Trojæ*] *Troja*, proprie regio est Asia; *Ilium*, civitas Trojæ (ut notant Stephanus De Urbib. et Servius Fuldensis); *Pergamus*, arx Ilii. Sed Poëta hæc indiscriminatim ponunt. Quomodo e Dardania, Illo, et Troja urbs una facta sit, docet Cælius Rhodig. xviii. 34. Jam cur Poëta non dixerit *Phrygiæ*, sed, *Trojæ qui primus ab oris*: nec, *Italiam profugus fato*; sed *Italiam fato profugus*, docet Scaliger Poëtices iv. 48. *Taubmann*.

*Qui primus*] *Primus* non ante quem nemo, sed post quem nullus, vel hic primus princeps, vel optimus. Quærent multi, cur Æneam primum ad Italiam venisse dixerit, cum paulo post dixerit, Antenorem ante adventum Æneæ fundasse civitatem. Constat quidem; sed, habita temporum ratione, peritissime dixit Virgilius. Namque illo tempore quo Æneas ad Italiam venit, finis erat Italiæ usque ad Rubiconem fluvium. Cujus rei meminit Lucanus, 'Et Gallica certus Limes ab Ausoniis disternit arva colonis.' Unde apparet Antenorem non ad Italiam venisse, sed ad Gal-

liam Cisalpinam, in qua Venetia est. Postea vero, promotis usque ad Alpes Italiæ finibus, novitas creavit errorem.

Plerique tamen quæstionem hanc volunt ex sequentibus solvi; ut videatur ob hoc addidisse Virgilius ad *Lavinia littora*, ne significaret Antenorem. Melior tamen est superior expositio. *Primus* ergo non ante quem nemo, sed post quem nullus; ut, 'Tuque o cui prima furentem Fudit equum, magno tellus percussa tridenti': et, 'Hic mihi responsum primus dedit:' vel laudative *primus*; ut, 'Primus qui legibus urbem Fundabit, Caribus parvis.' *Servius*.

*Ab oris*] Species pro genere; nam *oras* terras generaliter debemus accipere: sane præpositionem mutavit, nam *ex oris* melius potuit dicere. *Idem*.

*Trojæ qui primus ab oris*] *Fædo* et ridiculo in errore sunt, qui Virgilium existimant, nomen Æneæ consulto hoc initio tacuisse: quia turpe censeret laudare proditorem patriæ. Quid ergo? de ejus laudibus tot libros facere, enim toto opere cum tantis præconiis nominare honestum fuit? *Æneis* atque ab Ænea defleatur: qui nisi pius ac probus ante fuisset habitus a Romanis et Græcis, potuisset ipse operis index lectorem statim offendere. Hoc itaque statuendum, ornatus, jucundius, et copiosius, cum attentione lectorum, rem cum circumscriptione exprimi, quam si aperte nominaretur. *Modicius*.

*Trojæ qui primus ab oris, &c.*] Promittit hic se Æneam producturum de Trojæ litoribus, sed ad januum narrationis progressus, Æneæ classem non de Troja, sed de Sicilia producit; quod studio fecisse videtur Maro, ut Macrob. Saturn. v. 2. quia Historicorum legibus noluit esse adstrictus. *Emmeness*.

6 *Italiam*] Ars quidem hoc exigit,

ut nominibus provinciarum præpositionem addamus, civitatum nunquam: tamen plerumque hoc per-verso ordine lectum est. Nam ecce hoc loco detraxit provinciæ præpositionem; dicens *Italiam venit*, pro *ad Italiam*. Tullius in Verrinis, *Ea die Verres ad Messaniam venit*, pro *Messaniam venit*. Sed hic schemate utuntur. Sane sciendum est usurpari ab auctoribus, ut vel addant vel detrahant præpositiones. Namque ait Virgilius, *Sicilia te, Tyrrhene, feras*: pro *in silvis*. Ut ergo illic loco detraxit præpositionem, sic hic provinciæ: et est figura. Italia autem pars Europæ est. Italus enim, rex Siculorum, profectus a Sicilia, venit ad loca quæ sunt juxta Tiberim, et ex nomine suo appellavit Italiam. Ibi autem habitasse Siculos, ubi est Lauro-lavinium, manifestum est: sicut ipse alio loco dicit, *Siculi veteresque Sicani*. Item, *Et gentes venere Sicanae Sapius*. Sane Italiam I contra naturam producta est, cum sit natura brevis. In hoc vero nomine I contra naturam producit. *Idem*.

*Fato profugus*] *Fatum* ad utrumque pertinet, et quod fugit, et quod ad Italiam venit. Et bene addidit *Fato*, ne videatur aut causa criminis patriam deseruisse, aut novi imperii cupiditate. *Idem*.

*Profugus*] *Vagus*, id est, porro fugatus ab Illo, qui et extorris dicitur. *Profugus* autem proprie dicitur, qui procul a sedibus suis vagatur, quasi *porro fugatus*. Multi tamen ita definiunt, ut *profugos* eos dicant, qui exclusi necessitate de suis sedibus adhuc vagantur: et simulatque invenerint sedes, non dicantur *profugi*, sed *exules*. Sed utrumque falsum est: nam et *Profugus* lectum est, qui jam sedes locavit: ut in Lucano, 'Profugi, quæ a gente vetusta Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.' Et *exul* qui adhuc vagatur. Ut in Sallustio, 'Qui nullo certo exilio vagabantur:' adeo

exilium est ipsa vagatio. Quidam hic *Profugus* participium volunt. Sane non ociose *fato profugum* dicit Æneam, verum ex disciplina Hetrusco-rum; est enim in libro qui inscribitur, Terræ ruris Hetruriæ scriptum vocibus Tagæ, 'Eum, qui genus a perjuriis duceret, fato extorrem et profugum esse debere.' Porro a Laomedonte perjuro genus ducit Æneas, siquidem alibi ait, 'Jampridem sanguine nostro Laomedontæe linimus perjuriam Trojæ.' *Idem*.

*Fato profugus*] Fama erat, Ænean, patria prodita, fugisse, quem ut suspicione hac liberet, culpam fugæ in fato conjicit, atque adeo *fato* fuit *profugus*, non suo merito. Etenim nisi *fato* adderet, videretur Æneas fugisse, aut causa criminis, prodita patria, aut cupiditate novi imperii. Sic ferme Jul. Scal. et Servius. Homerus aperte Il. xx. *μόριον δὲ οἱ ἔσ' ἀλίσσθαι*: *fatale est illum servari*. Loquitur de Ænea. Æneas ipse Æn. iii. 'Diversa exilia, et desertas quærere terras Auguriis agimur Divum.' Et in iv. arva Italiæ vocat *fatalia*. Habetur id millies in Æneide. Horatius etiam excusans Ænean in Carmine Sæculari: 'Cui per ardentem sine fraude Trojam Castus Æneas patriæ superstes,' &c. De proditione porro, quæ Æneæ adfingitur, vide quæ adducit Dionysius Antiq. ex Menecrate Xanthio. *Cerda*.

*Fato profugus*] De Ænea, patriam fugiente, vel relinquire, Livius i. 1. 'Æneam ab simili clade domo profugum, sed ad majora initia rerum ducentibus fatis,' &c. *Emmeness*.

*Lavinæque venit Litora*] Hæc civitas tria habuit nomina: nam primum Lavinium dicta est a Lavinio, Latini fratre. Postea Laurentum, a lauro, inventa a Latino; dum, adepto imperio, post mortem fratris civitatem auget. Post Lavinium, a Lavinia uxore Æneæ. Ergo *Lavina* legendum est, non *Lavinia*; quia post adventum



*Æneæ* dictum est *Lavinium*. Ergo aut *Lavinium* debuit dicere, sicut dixit, aut *Laurentum*; quamvis quidam superfluo esse *Prolepsim* velint. Sane bene addidit *Lavina*, ut ostenderet, ad quam partem *Italiam* venisset *Æneas*: quia et multi alii eo tempore ad *Italiam* venerant; ut *Capys*, qui *Capuam*: *Polytes*, qui *Polytorium* condiderunt. *Servius*.

*Lavina Litora*] Cum alii ante *Æneam* in *Italiam* venerint, ille tamen primus venit ad eam partem, ubi deinde fuerunt *litora Lavina*: et primus fato venit, cum alii casu venissent, ergo fato perdidit patriam: *Fato excluius*. Fato pervenit in littora *Lavina*. *Donatus*.

*Lavinaque venit litora*] *Anxie* quidem, ac diutissime quæsi, ubinam gentium antiquissimus ille codex delitesceret, in quo *Lavinia venit littora*, perlique non illitterati viri scriptum asseverarunt: citato ex *Vaticana bibliotheca* vetustissimo, qui nusquam invenitur codice: regula etiam adinventâ, qua denominativum ea forma deducere necessarium putent. Sed enim, ut multa præteream, quæ contra oggeri possent, ad ejus regulæ infirmitatem coarguendam, cur *Lavina* dimensione *Bacchii* legendum sit, non contemnendam mihi rationem *Servius* videtur attulisse. Nam quod apud *Dionysium Halicarnasæum* legamus *populos tris Lavinienses, Laurentes, et Laviniatas*, nequaquam ostendit *Virgilium Lavinia*, non *Lavina* formare debuisse. Non enim Græcitatibus usu nostrorum, quæ esse cum decore potest, licentia coarctatur. Quid vero, quod apud *Sex. Propertium*, *Lavinis*, dimensione *Molossi* positum videmus, eo versu, 'Jactaque *Lavinis* mœnia litoribus:' nisi quis factam ibi synæresin dicat, ex *Lavinis*: quod in *Lavina* alterius formæ casu fieri non possit: si vetusti codices ambiguitatem ipsam firmare possunt, nullum ego neque in intima bibliotheca *Vaticana*, neque in ea, quæ omni-

um commodo patescit, neque in aliis, quos alibi viderim, codicem inveni, qui lectionem ejusmodi contineret: in omnibus vero, quotquot enancisci potui, atque etiam in *Ti. Claudii Donati* commentariis antiquis, *Lavinaque venit*, eodem exemplo scriptam inspexi. Addam et illud, *litus* unico *t*, in antiquioribus plerisque codicibus haberi: ut etiam in veterum monumentis inspicitur: de quo lib. vii. plura. *Pierius*.

*Lavina Litora*] Agnosco anticipatlonem (*Græci* vocant, *πρόληψις*) cum videlicet, quod posterius accidit, ante tempus scribitur. Nondum ea litora aut ab *Lavino* *Latini* fratre, aut ab *Lavinia* *Latini* filia nomen acceperant, sed post adventum *Æneæ* in ea loca, quod *Juno* apud *Silium* conqueritur his versibus: 'Intulerit *Latio*, sprete me, *Troius*, inquit, *Exul Dardaniam*, et his numina capta *Penates*, *Sceptraque* fundarit victor *Lavinia Teucris*?' Et tamen *Æneas* dicitur venisse in *Lavina littora*. Multa sunt apud *Poëtas*, et apud *Virgilium* non pauca, quæ, nisi hac figura, salva esse nequeant. Apud *Plaut. Amph.* juratur per *Herculem* nondum natum, sed ne conceptum quidem. *Adi Agellium* x. 16. *Erythræum* in indice, *Delrium* in *Senecæ Medeam*. Sed cur *litora*? Posuit figurate, vel pro universo tractu *Lavinio*: vel proprie accipe, dicente *Fabio Maximo* Ann. i. (citât *Servius*) 'tum *Æneas* ægre patiebatur in eum devenisse agrum macerrimum litorosissimumque.' Ita alii defendi possunt. Ego aliter puto. Amat *Poëta* consonantiam in rebus miram, et artificiosam. Ergo, qui dixerat *Æneam* diacesisse ab oris *Trojæ*, addit, venisse ad *Lavina litora*, quæ sita oppositione verborum inter oras et litora. *Cerda*.

*Venit*] *Priscian* l. viii. *Virgilius*, inquit, ex sua persona ait, *Venit*: quippe *venit* positum est, pro *generat*. Intelligit enim *Æneam* multo ante ve-

nisse ad Italiam. Ita Æneid. viii. 340. *cecnit*, pro *cecnarat*, &c. Taubmann.

7 *Litora*] Laurolavinium constat viii. milibus a mari remotum. Nec nos debet fallere, quia dixit *Lavina litora*. Litus enim dicitur terra quoque mari vicina: sicut ipse Virgilius in quarto, Cui *litus arandum*: quum per naturam litus arari non possit. Ergo sciendum litus et terram dici posse. Fabius Maximus Annalium primo: 'Tum Æneas ægre patiebatur in eum devenisse agrum, macerrimum litorosissimumque.' Ergo scire debemus litus posse terram dici. *Servius*.

*Multum ille*] Collisio est: et *ille* hoc loco abundat. Est enim interposita particula, propter metri necessitatem, ut stet versus; nam si detrahas *ille*, stat sensus. Qui *primus* enim ad omnia possumus trahere. Sic alio loco, 'Nunc dextra ingeminansictus, nunc ille sinistra.' Est autem Archaismos: aut certe *ille*, quia hæc particula more antiquo, aut nobilitati, aut magnitudini dabatur; ut, *Ac velut ille canum*, et, *Saucius ille*. Idem.

*Multum ille et terris jactatus et alto*] Alia cum propositione divisio est. Scribit enim quæ mari, quæ terra sit passus. *Donatus*.

*Multum ille*] Propositionem apte incipit prosopographia Æneæ, a virtute, experientia rerum, et laborum tolerantia terra marique. Cui admisti sunt varii adfectus, a loco, a causis malorum, ab indigno. *Servius*, et *Turneb.* xviii. 32. existimant, τὸ *ille* πλεονάζειν: et huc inculcatum, ut ruinam versas tantum fuleiat: sicut Æn. v. 'Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.' Et Æn. xii. 'Aut ille in saltus,' &c. Ibid. 'Saucius ille gravi venantum.' Et Æn. x. 278. 'aut Sirius ardor: Ille sitim morbosque ferens.' Sed Pimpontins negat ἀκρόθεν quid in Virgil. reperiri. Certe et *Servius* Fuld. notat, hanc particulam (*ille*) more antiquo, aut

Delph. et Var. Clus.

nobilitati, aut magnitudini dari. Observes etiam terræ marisque difficultates syllabarum collisum pedumque tractu representari; ut non immerito Pontanus in Actio disputet, cur solertissimus aurium subblanditor Virgilius hic dixerit, *multum ille et terris, jactatus et alto*, potius quam (cum potuisset, nec inepte quidem) *multumque et terris jactatus*, &c.: cur item, *Multa quoque et bello passus*, maluerit, ne a geminatione quidem conjunctionis deterritus, quam, *Multa etiam bello passus*: cur dixerit, *tot adire labores*, non, *tot obire labores*. De quibus et *Scalig.* iv. 48. Quorum duumvirum in hisce talibus iudicium deinceps potissimum sequemur: posthabitis, qui nimium curiose satagentes, ea nunquam venditant, de quibus μὴδ' ὅραρ, μὴδ' ὅραρ Ποίηται cogitantem non injuria suspiceris. *Taubmann*.

*Et terris jactatus*] Fatigatus est enim apud Thraciam monstro illo, quo de tumulo Polydori sanguis emanavit: apud Cretam pestilentia: apud Strophadas insulas Harpiis: tempestate vero et in primo, et in tertio. Jactamur autem in maris fluctibus, fatigamur in terris: et bene duum elementorum mala uno sermone conclusit. *Servius*.

*Jactatus*] Παλλὰ πλεόγχεθ, ἐπ' αὐτῇ. *Homer.* *Odys.* A. 2. Qui plurimis, in itinere præcipue maritimo, fatigantur molestiis, teste *Non. Marcello* c. 4. dicuntur *jactari*: sic noster hoc libro vs. 33. 'jactatos æquore toto Troas, reliquias Dananm atque imititis Achilli.' Sic *Horat.* od. iv. 4. de gente Trojana, quot quantisque periculis exposita fuerit, cum patria ejecti essent: 'Gens, quæ cremato fortis ab Illo, Jactata Tuscis æquoribus, sacra, Natosque, matrosque patres Pertulit Ausonias ad urbes.' Idem narrat evenisse Trojanorum posteritati, populo Romano, *Florus* in *Præfat.* l. i. 'tot laboribus periculisque jactatus est.' *Homerum* videtur noster imitatus,

Virg.

6 Y

qui similera fere expressit sententiam *Odys.* A. 4. de Ulysse: πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθον ἔλγεα. Nec non Aristoph. in *Vespis*: πολλὰ μὲν γῆ, πολλὰ δ' ἅρ' ὕψος. *Emmeness.*

*Alto*] Mari modo, quia navigans Scyllam et Polyphemum effugit, perditus etiam est Orontes, amissus Palinurus et Misenus. *Altum* tamen sciendum est, quod et superiorem; ut, *Maja genitum demittit ab alto*; et inferiorem altitudinem significat. Namque mensuræ nomen est altitudo. *Servius.*

*Alto*] Id est, mari. Horat. od. II. 10. 'Rectius vives, Licini, neque altum semper urgendo.' Od. III. 1. 'Contracta pisces æquora sentiunt, Jactis in altum molibus.' Sic Maro Georg. IV. 528. plenam habet locutionem: 'Hæc Proteus, et se jactu dedit æquor in altum.' De hac constructione Prisc. de Ellipsi. I. IV. p. 316. *Emmeness.*

8 *Vi superum*] Violentia deorum, secundum Homerum, qui dicit a Junone rogatos esse deos in odium Trojanorum: quod et Virgilius tetigit dicens, 'Vos quoque Pergamæ jam fas est parcere genti, Diûque, Demque omnes.' Latenter autem defendit hæc ratione Trojanos, quod non suo merito eos inæquebantur numina, sed Junonis impulsu. Multi *Vi superum*, posse accipi dicunt Irim, Æolium, Juturnam, Junonem, sed melius judicant, vi quam superi habent. *Servius.*

*Vi superum*] Vis est cum fit aliquid contra leges, id est, contra fatum. Ut autem ostendat nihil tale de superis meruisse Æneam; addit, *Sæva memorem Junonis ob iram*. Ergo non propter culpam Æneæ fecerunt superi, sed ut obsequerentur Junoni, tanquam omnium reginæ. Purgatur igitur Æneas, et deformatur Juno adversaria. *Donatus.*

*Sæva*] Cum a juvendo dicta sit Juno, quærent multi cur eam dixerit sævam: et putant temporale esse epitheton, quasi sævam circa Trojanos:

nescientes quod sævam dicebant veteres magnam, ut Ennius, 'Induta fuit sæva stola,' id est, magna. Item Virgilius, quum ubique pium inducat Æneam, ait, 'Maternis sævus in armis Æneas,' id est, magnus. *Servius.*

*Sæva*] Id est, crudelis, quæ prosequatur innocentem, et qui Deorum omnium, atque ipsius cultor sit. Onerat etiam eam, quod inimicitias, nulla Æneæ culpa susceptas, diutissime tenaciterque retineret: cum ne id quidem, etiam si justæ sunt inimicitie, facere probis conveniat. Hoc latius in Æn. V. 'Innonis gravis ira, nec exaturabile pectus: Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla.' *Donatus.*

*Vi superum, sævæ*] Vulgati plerique codices et particulam inserunt, *vi superum et sævæ*. Antiquiores absque et legunt: quod longe venustius, et gravius videtur. *Pierius.*

*Sæva mem. Junonis ob iram*] Constat multa in auctoribus inveniri, per contrarium significantia: pro activis passiva: ut, 'Pictis bellantur Amazonæ arma,' pro bellant. Pro passivis activa: ut 'Populatque ingentem farris acervum,' pro populatur. Et hæc varietas, vel potius contrarietas, invenitur etiam in aliis partibus orationis; ut sit adversum pro adversio: ut est, 'Hoc tunc ignipotens cælo descendit ab alto,' pro huc. Et in participio: ut, 'Et qua vectas Abas,' pro vehebatur. Et in nomine: ut, 'Memorem Junonis ob iram:' non quod meminerat, sed quod in memoria erat. De his autem hæc tantum, quæ lecta sunt, posita sunt, nec ad eorum exemplum alia formata. Sane *memor* apud veteres non tantum dicebatur ὁ μνημενός, sed et ὁ μνημνός. Et hoc per confusionem verbi et nominis. Nam *memorem* est verbi significatio, cum nunc sit nomen. *Servius.*

*Memorem Junonis ob iram*] *Memorem iram* dixit, ut Æschylus in Agamemna. μῆνιν μνήμονα, his verbis: μῆναι γὰρ φοβερὰ πάντοτε δεινόςμος θάλας, μνή-

πῶς μῆνις ἐκτεταμένης. Nimirum Deos, Heroes, regesque serius iram coquere, canunt Poëtæ. Sophocles *μήμωνα ἔρπον* in Ajace, et Æschylus in Prometheus. *μήμωνα ἔρπον* vocat. Idem quoque Sophocles. *ἰμβί, θυμῷ, αἰτ, οἰδῶν γῆρας* unde dicunt iram tardissime senescere. Hic autem locus, *jactatus et al. mem. Iun. ad iram*, sapit omnino illud Od. Γ. *τῷ σφέων πολλῆς κύνει οἶτον ἐπὶ δόκον μένιος ἔξ ὁλοῆς γλαυκῶντιδος ἰδρυμένοντιρος. Germanus.*

*Memorem iram*] Ovid. Metam. XII. 683. 'Exercet memores, plus quam civiliter, iras.' Sic Horat. od. I. I. dixit 'memorem notam.' od. III. 17. 'memores favos.' et Epist. II. 1. 144. 'Genium memorem brevis ævi:' qui nos memores reddat, vel qui nobis aurem vellat de vita brevi. Petrus Victor. var. lect. xxv. 2. Sensus tributum rei non modo sensu, sed corpore etiam carenti: de acerbissima Junonis ira noster Æn. v. 781. 'Iunonis gravis ira nec exsaturabile peccus.' *Emmenas.*

*Iram*] Continet hanc tota Æneis, tota Ilias. In I. tempestas excitatur Junonis ira: in II. ea diruit portas Trojæ: in IV. vult Ænean continere Carthagine, avertens ab Italia: in V. incenduntur naves: in VII. educitur Furia: in IX. Turno favet, absente Ænea: in X. disceptat contra Venerem: in XII. Turnum eripit Æneæ. Quid Ilias? alia opus Iliade, ad numerandos labores, quos una Juno Trojanis immisit. *Cerda.*

9 *Multa quoque et bello passus*] Hoc ad posteriores VI. pertinet libris. *Servius.*

*Quoque et*] Duas conjunctiones separatas naturaliter nemo conjungit; sed hoc plerunque a Poëtis causa metri fit. Ergo hic una vacat: sicut alio loco, 'Dixitque: et prælia voce diremit.' Salust. 'Tyrannumque et Cinnam.' *Idem.*

*Quoque et*] Veteres sæpe geminabant conjunctiones: ut hic, *quoque*

et: Comici, quoque etiam. Cicero de Amicitia: 'quamvis licet excessum.' Vide Popman. de usu antiq. locut. II. 10. *Tambmann.*

*Bello passus*] Contra Turnum quod gessit. *Servius.*

*Multa quoque et bello passus*] Exaggerat Æneæ incommoda: qui non solum navigando, verum etiam belligando, multa passus est. Occulte etiam commiserationis affectum movere videtur, per locum communem ex falsa spe felicitatis futuræ; nam hoc innuere videtur Poëta doctissimus, Æneam in mari fluctibus agitatam, in terris pestilentia et fame vexatam; postremo cum sedes quietas sibi, sociisque invenire putaret, tunc bello teterrimo, gravissimisque laboribus ac periculis fuisse vexatam. *Nascimben.*

*Dum conderet urbem*] Tres hic sunt significationes. Aut enim Trojam dicit, quam ut primum venit in Italiam, fecit Æneas; de qua ait, 'Castorum in morem pinnis atque aggere cingit.' et alio loco Mercurius, 'Nec te Troja capit.' Trojam autem dici, quam primum fecit Æneas, et Livius in primo, et Cato in Originibus testantur. Dum enim hæc fieret, ab agrestibus ob vulneratum regium cervum, mota sunt bella. Aut Lavinium. Et significat *Dum*, donec: tandiu enim dimicavit, quandiu tempus faciendæ civitatis veniret; id est, donec Turnus occumberet. Ant Romam. Et est sensus: Modo dum conderet urbem: aut Trojam, aut Lavinium, aut Romam. *Servius.*

*Urbem*] Aliqui Albam capiunt: male, nam hanc Ascanius condidit, non Æneas. Sunt qui Romam: pessime. Intelligit certe Lavinium. Hanc enim Æneas condidit, ut auctores sunt Livius, et Dionysius, et Æneas ipse in XII. 'mihī mœnia Teucri Constituent, urbiq; dabit Lavinia nomen.' Et Drances XI. 'Quin et fatales murorum attollere moles,

Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.' *Cerda.*

10 *Inferretque Deos Latio*] Latium duplex est, unum a Tyberi usque ad Fundos: aliud inde, usque ad Vulturnum. Denique ipse dixit, *Veteresque Latini*, ideo, quia scit esse etiam novos, id est, a Fundis usque ad Vulturnum. *Latium* autem dictum est, quod illic Saturnus latuerit. *Saufejus Latium* dictum ait; quod ibi latuerunt incolæ; qui quoniam in cavis montium vel occultis, caventes sibi a feris belluis, vel a valentioribus, vel a tempestatibus habitaverunt, Casci vocati sunt, quos posteri Aborigines nominaverunt, quoniam aliis dītos esse recognoscebant, ex quibus, Latinos etiam dictos. *Servius.*

*Inferretque Deos*] Penates, vel suam genituram. *Idem.*

*Latio*] Hoc est in *Latium*. Et est figura usitata apud Virgil. Quod enim per accusativum cum præpositione dicimus; ille per dativum ponit sine præpositione: sicut alibi: *It clamor calo*, pro *in calum*. Deos vero utrum Penates; ut, *talibus attonitus visis et voce Deorum*: an se et Ascanium et posteros suos de quibus dictum est, 'Dīs genite et geniture Deos.' *Idem.*

*Inferretque Deos Latio*] Expugnata Troja, cum singulis unius rei auferendæ potestatem fecissent Græci, cæteris neglectis, Æneas Deos penates, *παρπόβους θεούς*, exportavit, ut *Ælian.* var. Hist. III. 22. quos post multa rerum discrimina in Latium tandem aliquando perduxit: et, ut Val. Max. I. 8. 'penates Deos Æneas Troja avectos Layinii collocavit,' &c. inde Maro noster *Æn.* VI. 69. sic canit, 'Errantisque Deos agitataque numina Trojæ.' *Emmeness.*

*Genus unde Latinum*] Si jam fuerunt Latini, et jam Latium dicebatur, contrarium est, quod dicit Latinos ab Ænea originem ducere. Prima est jucunda absolutio, ut *Unde* non refe-

ras ad personam, sed ad locum. Namque *Unde* adverbium est de loco, non deductio a persona. Tamen Cato in Originibus dicit hoc, cñjus auctoritatem Salust. sequitur in bello Catilin. 'Primum Italos quosdam, qui appellantur Aborigines; hos postea adventu Æneæ Phrygibus junctos, Latinos uno nomine nuncupatos.' Ergo descendunt Latini non tantum a Trojanis, sed etiam ab Aboriginibus.

Est autem vera expositio hæc. Novimus, quod victi victorum nomen accipiunt: potuit ergo, victore Ænea, perire nomen Latinum: sed volens sibi favorem Latii conciliare, nomen Latinum non solum illis non sustulit, sed etiam Trojanis imposuit.

Merito ergo illi tribuit, quod in ipso fuerat, ut posset perire: unde et ipse inducit in libro XII. regantem Junonem, ne pereat nomen Latinum. Item in execratione Didonis legimus, 'Nec cum se sub leges pacis iniquæ Tradiderit.' Iniqua enim pax est, in qua nomen amittit ille, qui vincit. Sed veteres, unde etiam ad personam applicabant, ita ut omne genus ad omnem numerum jungerent: ut hoc loco, *Genus unde Latinum*, masculino generi et numero singulari junxit; alibi genus fœmininum et numerum pluralem referret: 'Nymphæ Laurentes, Nymphæ genus amnis unde est;' sicut *hinc* particulam sumit loco adverbii Terentius, cum vetuste ad personam transtulerit, 'Sed eccum Syrum incedere video: hinc jam scibo, quid siet.' *Idem.*

*Unde*] Disputat Servius, quo referri debeat *Unde*: an ad Latium, an ad Æneam, qui *Latinos populos*, ut inquit Justinus, *condidit*. Sed Nas-cimb. ad utrumque ait referri posse: cum in Latio conditi sint, et nuncupati *Latini*, qui prius *Aborigines* dicti. Jo. Scoppa: *Unde*, id est, a quo Æneas, ejusque ducibus, *genus*, id est, nobilitas Romanorum, qui *Latini* dicuntur,

venit. Quod Virgilius cum alibi, tum *Æn.* v. testatur; *Max Italus Mnesticus*, &c. Genus autem Nobilitatem significare, docet vel illud Horatii; 'Et genus et formam regina pecunia donat.' Vide ibidem. *Taubmann.*

11 *Albanique patres*] Albam, ab Ascacio conditam, constat: sed a quo incertum, utrum a Creusæ an Lavinie filio: de qua re Livius dubitat. Hanc autem cum evertisset Tullus Hostilius, omnes nobiles familias Romam transtulit. Et sciendum bene hunc ordinem servare Virgilium, ut ante dicat Latium, inde Albam, post Romam; quod et hoc loco fecit: et in *Æn.* v. 'priscos docuit celebrare Latinos:' et deinde, 'Albani docuere suos, nunc maxima porro Accepit Romam, et patrium servavit honorem.' Item in vii. 'Mos erat Hesperio in Latio quem protinus urbæ Albanæ coluere sacrum: nunc maxima rerum Roma colit.' *Servius.*

*Alta moenia Romæ*] Aut propter gloriam, aut propter ædificia ingentia: aut quia in montibus collocata est. *Idem.*

*Alta moenia Romæ*] Nascimb. perpetuum ait urbium epitheton, exemplo Horatii Carm. i. 16. 'et altis urbibus ultimæ Stetere causæ.' Hom. *ἡρώων ἀφειρότων* vocat, et *ἡρώων ἀφειρότων*. Vide N. *Æn.* iv. 265. et *Æn.* x. 737. De enormi ædificiorum altitudine, videantur Admiranda J. Lipsii iii. 4. Claudianus: 'Qua nihil in terris complectitur altius ær, Cnjus nec spacium visus, nec corda decorem, Nec laudem vox ulla capit.' Periti viri est, non dicam describere, sed capere, et credere qualis ea Roma fuit, 'Cui par est nihil, et nihil secundum.' Porro notat Servius, bene hunc ordinem semper servasse Virgilium, ut ante dicat *Latium*, deinde *Albam*, post *Romam*: ut hic, et *Æn.* v. 'priscos docuit celebrare Latinos,' &c. Item vii. 'Mos erat Hesperio,' &c. Cui Flores Maronianos delibare

animus est, consalat Scalig. de re Poët. iv. 47. *Taubmann.*

12 *Musa, mihi causas memora*] *Mihi*, longa hic; alibi brevis; ut 'Mihique hæc edissere vera roganti.' Sane in tres partes Poëtæ dividunt carmen suum, proponunt, invocant, narrant. Plerumque tamen duas res faciunt, et ipsam propositionem miscent invocationi, quod in utroque opere Homerus fecit; namque hoc melius est. Lucanus tamen ipsum ordinem vertit; primo enim proposuit, inde narravit, postea invocavit: ut est, 'Nec si te pectore vates Accipio.' Sane observandum est, ut non in omnibus numen aliquod invocetur, nisi cum aliquid ultra humanam possibilitatem requirimus. Hinc in arte Poëtica Horatius, 'Nec deus interit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.' Bene ergo invocat Virgilius: non enim poterat per se iram numinis nosse. Item in nono libro, nisi adderet, 'Juno vires animumque ministrat.' quis crederet Turnum evasisse de castris? Et hic *Musa* non addidit, *μῦθον ἔλθε δὲ*, sed, *Musa mihi causas memora*, pro adesto et memores. Sane Musas multi ix. multi viii. multi vii. dixerunt. His Numa ædiculam æneam brevem fecerat; quam postea de cælo tactam, et in æde honoris et virtutis conlocatam Fulvius Nobilior in ædem Herculis transtulit, unde ædes Herculis Musarum appellatur. Has alii Virgines perhibent, nam ideo eis et porcam sacrificari ajunt, quod multum pariat: alii eis etiam filios dant Orphenm, Linum, Sirenas. Alii has octo, ut Athenis visuntur; alii quatuor dicunt. Alias Bæotias, alias Atticas, alias Siculas: has Musas Siculus Epicharmus non multas, sed *δυσὺν ναυόβας* dicit. *Servius.*

*Musa*] Ab invocatione Musæ, quod erat scripturus, incipit: quam, cum dea sit, nihil latere oportet. Interrogat ergo, ut cum nulla in *Ænea*

culpa inveniatur, confismet Junonia severitiam. *Donatus.*

*Musa]* Musam cum invocet, quam intelligit: Calliopem. Nam hæc Musarum Regina, dux et princeps heroici carminis. Ausonius: (hujus est enim, si Scaligeri et doctis aliis credimus.) 'Carmina Calliope libris heroica mandat.' Cælius Bassus Lyricorum l. ii. 'Calliope princeps sapienti psallerat ore.' Horatius quoque Od. iii. 4. *Regina Calliope* dixit. Præterea alii aperte nominant. Stesichorus, δὲ δὲ ὕγε Καλλιόπεια. Oppian. Venat. i. Τοῦτό μ' Καλλιόπη κέλεται. Homeri enarrator. H. i. οὐ πρόθετο δὲ οὐδὲ ὄνομα Μούσῃς, πῶτος δὲ τῆς μᾶς καλῶν. λέγει δὲ τὴν Καλλιόπην: Nullius Musæ nomen constituit, sed omnes in una invocet; Calliopem autem intelligit. Philostratus in Heroiis loquens de Poëtis, ait, τὴν Καλλιόπην παρουχὼν αἰτοῦμαι τῇ λόγῃ: Calliopem, ut orationi adsit, invocant. Placuit autem Poëtæ in nominanda Calliope, Odyseam potius imitari, quam Iliada. Nam ibi, ἔνεκε Μοῦσα: in Iliade generalius, θεὰ, et Pindarum, qui Musam invocet, non Deam. Statius Homero hæsit in Achilleide, ait enim, *Divæ refer*, et in Theb. 'Unde jubetis Ire Deæ.' Silius Virgilio, 'da Musa decus memorare laborum Antiquæ Hesperie.' *Cerda.*

*Mihi]* Homerique est, Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα. *Idem.*

*Musa m.]* Græci statim invocant: simul invocationi admiscunt Argumenti propositionem. Latini hanc primo loco: deinde implorant opem; hæc sine magna ratione. Cum enim etiam rerum abditarum, etiam animorum momenta, atque discursus canere instituunt, verisimile est non nisi deorum immortalium spiritu afflatos ea consequi posse. Vide Scælg. Poët. v. 17. et vii. 5. item Aristotel. in Poët. si forte. *Taubmann.*

*Memora]* Præclare Homerus H. hæc. In Odyss. ἔνεκε. Stesichorus,

ὕγε. Pindarus, *μάρτεός.* Oppianus, *Δαδί.* Auctor hymni in Mercurium *ἔμνε:* *cane, dic, age, vaticinare, fave, lauda.* Superat Græcos Virgilius; nam aptius *memora:* sunt enim Musæ filię Memoriz, *Μνημοσύνης.* Ex eadem observatione in ix. 'Et meministis enim Divæ, et memorare potestis.' Poëtæ animum Silius advertit, dixit enim: 'da Musa decus memorare.' In Græcis etiam reperi. Nam auctor hymni in Bacchum *μνήσομαι*, quo etiam verbo usus Apollonius, et Pindarus Nem. Od. i. *Μοῦσα μανῶσθαι φίλῃ:* *Vult Musa meminisse.* *Cerda.*

*Quo numine læso]* Quo, in quo, in qua causa. Est et septimus casus, et communis elocutio. Dicimus enim, quo te læsi. Est et alia expositio: namque Juno multa habet numina: est Curitis, quæ utitur cursu, et hasta: ut, 'Hic illius arma, Hic curus fuit.' Est et Læcina, quæ partibus præest: ut Terentius, 'Iuno Læcina, fer opem.' Est regina: ut, 'Quæ divum incedo regina.' Sunt et alia ejus nomina. Merito ergo dubitat, quod ejus læserit nomen Æneas. Alii tamen dicunt separandum esse; ut de odio Junonis non dubitet, quærat autem quod aliud numen est læsum. *Servius.*

*Quo numine]* Ideo trahitur in ambiguitatem, et requirit in quo Junonis numen læsit Æneas, quia in ipsum certa non erant odia, sed in gentem, propter causas, paulo post dicendas. Alii *numen* voluntatem accipiunt. *Idem.*

*Quo numine]* Pro numine Sciopp. in parad. epist. vii. legendum contendit *nomine*, id est, qua causa, qua re, seu de qua re. Suet. Galba c. 16. 'subinde jactavit legere se militem, non emare consuevisse. Atque eoque quidem nomine omnes, qui ubique erant, militæ exacerbavit.' Plura ille. Cod. vet. tamen agnoscunt *numine*, quam veram esse lectionem ex

Macrobio discas licet, qui hujus loci nomen Saturni. i. 17. *Emmenes*.

*Laeso*] *Laeso* dicendo, ipso verbo ostendit etiam si fuisset, levissimam culpam fuisse. Non enim dixit violato aut injuriam passo. *Servius*.

*Quo numine l.*] *Servius* M. *Feld.* *Numen* voluntatem accipit. *Turneb.* xviii. 32. Veteres, inquit, suorum incommodorum causam diis attribuebant, quos sua aliqua nexa laesos opinabantur. Ex hac opinione hæc dicit. Sic *Tibul.* i. 2. 'Num feros incestus sedes adiisse deorum?' *Statius* *Silvar.* v. 'Quæ vestra sereres Orgia Pieriæ, quas incestavimus aram?' Et ibidem: 'Namquid inaccessu posui vestigia laeo? Num vetito de fonte bibi?' *Taubmann*.

13. *Quidæ dolens*] Bene Philosophice dubitavit. Dicunt enim quidam, ad deos nihil pertinere. *Serv.*

*Tot volvere casus*] Id est, casibus volvi. Et est figura Hypallage: quæ fit quotiescunque per contrarium verba intelliguntur. Sic alibi, 'Dare classibus austros:' cum ventis naves demus, non navibus ventos. Item, 'Animumque labantem Impulit:' hoc est, impellendo fecit labantem. *Idem*.

*Volvere casus*] *Veluti molem quandam* sit H. *Steph.* Neque vero est *ταυτολογία*: nullam enim in *Virgilio* agnosco: nam *volvere casus* ad corpus pertinet, vel a proverbio, ad quod alludit: usurpavit enim *Terentius* hoc *casum* *volvo* cum respectu ad *Sisyphum*: *adire* autem labores ad animum spectat. *Cerda*.

*Tot volvere casus*] Similis locutio occurrit apud *Stat. Thebaid.* i. 12. 'ignota per oppida tristes Eul agit casus:' pro agitur tribus casibus. *Emmenes*.

14. *Insignem pietate virum*] Quia patrem et deos penates de incendio Trojæ liberavit. Et hic ostendit merito se invocasse Musam. Nam si iustus est *Æneas*, cur odio decorum laborat? *Servius*.

*Insignem pietate virum*] Pietatis nomine venit officium, quod inter cunctissimas sit oportet. De pietate *Æneæ* mille scriptores mentionem inferunt, quam Græci summopere admirabantur, cum Deos primum, ut narratum supra, deis patrem exportaret. Vide *Ælian.* var. hist. iii. 23. *Emmenes*.

15. *Impulerit*] In Romano codice, *impulerat*, indicandi modo, et exacta specie legitur. Quasi jam hinc ad conciliationem, quam Jovis precibus subsacuta est, Poëta respexerit. Sed enim codices reliqui, tam veteres quam recentiores, *impulerit* legunt. Hæc tamen forma pleraque alia sine mutata reperiemus. *Pierius*.

*Tantane animis celestibus ira*] Hic jam non de qualitate iracundias querit, sed de quantitate. Nimia etenim ira est, quæ pietatis non habet considerationem: et hoc quidem secundum Stoicos dicit: sed miratur cur tantum. Nam Epicurei dicunt deos humana penitus non curare. *Servius*.

*Tantane*] Quasi exclamatio est mirantis; cum ex ipsa narratione sententiam trahentes, nostram personam interponimus; ut, 'Tantæ placent concurrere motu?' Nonnulli *Tantane* legunt, ut interrogatio sit potius, quam exclamatio. Responsio Musæ vel deæ. *Idem*.

*Animis celestibus*] Dis superis: nam apud inferos esse iram constat, ubi sunt furiæ: animis vero, *τοῖς θυποῖς*. *Idem*.

*Tantane animis celestibus ira*] Admiratur hoc Poëta, cum Dii lenes esse soleant et misericordes, quod reprehendatur in eis, quod in hominibus displicet. Post invocationem autem in adjumentum carminis, et in favorem suscepti sui operis positam, causas enumerat, quibus lector in initio advertat, et Junonem sævam, et deos malo studio Junonis motos, et *Æneam* non sua culpa hæc esse passum. *Danatus*.



*Tantane animis celestibus iræ*] Agnosce emphasisim. Quasi dicat, Cœlesteanne etiam irascuntur? non decet. Enripides in Bacchis, ὀργὰς πρὸς θεοὺς οὐκ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς: *Non decet irasci Deos instar mortalium.* Advertit vero præclare Germ. iras plurali numero signanter dici cum sermo est de Diis. Ovid. Met. 1. 'dignas Jove concipit iras.' In Ge. iv. de Nymphis: 'irasque remittent.' Et alibi: 'Et germana Jovis Saturnique altera proles, Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?' Æsopus in fabella mulieris veneficæ, *ὁλοῦν μὴ πύδρων.* Livius l. viii. 'preces, quæ Deorum iras placent:' et l. iii. 'veniam irarum cœlestium exposcunt.' *Cerda.*

*Tantane animis celestibus iræ*] Petr. Victor. var. lect. xxv. 2. iustam dicit esse exclamationem. Vel nunquam oportere irasci Deos immortales, neque motu hoc turbido animos eorum vexari, aut facile, si forte alicui aliquando irascantur, placari: juxta illud Enripidis: ὀργὰς πρὸς θεοὺς οὐκ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς. In *παβολογία* exclamationes locum habent, docente Scaligero Poët. iii. 39. ut Græci ὀργὰς in plurali sic iras Ge. iv. 536. vide Not. in Ecl. ii. 14. 'Tristis Amaryllidis iras.' *Emmeness.*

16 *Urbs*] Urbs dicitur ab orbe: quod antiquæ civitates in orbem fiebant: vel ab urbo, parte aratri, quo muri designabantur: *Antiqua* autem, et *Fuit* bene dixit: namque et ante lxx. annos urbis Romæ condita erat: et eam deleverat Scipio Æmilianus: quæ autem nunc est, postea a Romanis est condita: unde *Antiquam* accipe et ad comparisonem istius quæ nunc est, et Roma antiquiorem. *Servius.*

*Urbs*] *Conjunctionem tectorum oppidum, vel urbem appellaverunt, delubris distinctam, spatiiisque communibus: populus autem civitatem constituit.* Hanc urbis et civitatis distinctionem apud

Non. Marcell. c. 5. et Cicer. de republ. l. 1. invenias. *Emmeness.*

*Antiqua*] Id est, nobilis. *Servius.*

*Antiqua*] Non magna, ut multi dicunt, sed prolixi temporis: ut annositate corroborata, imperium Rom. nascens, longævus viribus premeret. *Donatus.*

*Fuit*] *Pro erut.* *Servius.*

*Urbs antiqua fuit*] Primam Junonis odiorum causam dicit, quæ Æneam insectatur: quoniam ab eo gens orta erat, quæ imperium, quod ipsa Carthagini servari cupiebat, præruptura esset. Volebat ergo si possit illum extinguere: igitur hæc sola causa satis erat ad odia excitanda. Verum aliæ quoque enumerantur: ut, cum sint procul a culpa Æneæ, et ipse purgetur, et Junonis factio iniquissima cognoscatur. Laudatur multipliciter Carthago: ut ostendatur illam Rom. imperium opprimere potuisse, maxime annitente Junone. *Donatus.*

*Urbs antiqua*] Respondet Musa, et causas odii Junonis memorans, laudat primum Carthaginem ab antiquitate, a conditoribus, a situ, a fortunis, a disciplina militari, a dignitate. Et bene dixit, *Fuit*: nam et ante Romam condita, et a Romanis postea deleta est. *Æn.* ii. 'fulvus Troës: fuit Ilium.' Jam de puritate horum versuum, in genere dicendi altiloquo, vide Scalig. iv. 13. *Taubmann.*

*Tyrii tenuere coloni*] Deest *quem*, vel ut alii volunt, *Hanc.* Amant namque antiqui per Epexegesein dicere, quod nos, interposito pronomine, exprimimus. 'Est locus,' (ut alibi) 'Hesperiam Graji cognomine dicunt: deest quem. Coloni dicuntur cultores advenæ; et hos de Tyro constat venisse, qui Carthaginem condiderunt. Sane veteres Colonias ita definiunt. Colonia est cœtus eorum hominum, qui universi deducti sunt in locum certum, ædificiis munitum, quem certo jure obtinerent. Alii: Colonia est quæ Græce *ταποῦδα* vo-

atur. Dicta autem est a colendo, est autem pars civium, aut sociorum missa, ubi Respub. habeant ex consensu suæ civitatis, aut publico ejus populi, unde profecta est, consilio. Hæ autem coloniæ sunt, quæ ex consensu publico, non ex secessione sunt conditæ. *Servius*.

*Coloni*] Ut præter incolas etiam aucta sit colonia. *Donatus*.

*Tyrrii tenere coloni*] Non tam cultores terrarum intellige quam *ἀρόταις*, id est, deductos in colonias, utique *ἀρούρας*. Tale illud, 'Et tua Dardaniis transcribi sceptræ colonis.' Arist. Polit. II. *ἀρούραι γὰρ οἱ Λάκτιοι τῶν Λακόνων ἦσαν*: *Lyctii Lacorum coloni erant*. Sic ergo Carthaginienses coloni Tyriorum. Isocrates Paneg. ita extulit, *πόλεις τὰς πόλεις κατέφυσαν*. Itaque *coloni* tam Græcis quam Latinis explicandi sæpe pro his, qui ex propriis domiciliis exeuntes, mutant sedes, quas alibi figunt. Causam coloniarum hanc adhibet Plutarchus de Stoicorum repugnantibus: *αἱ πόλεις πλεονέσσωσι εἰς ἀρούρας ἀναλίσκουσι τὰ πλήθη*: *urbes abundante multitudine colonias deducunt, ut se exonerent*. *Cerda*.

*Coloni*] De coloniis disputant erudite inter veteres Gellius XVI. 12. inter recentiores M. Velserus Augustanarum Vindelicarum IV. et V. Hugo Grotius Flor. Spars. ad jus Justinian. p. 270. 271. et Arnisæus v. 30. Carthaginienses Colonos esse Tyriorum docet Justinus XVIII. 3. 4. 5. *Emmenem*.

17 *Italiam contra*] Constat tria latera habere Italiam, superi maris, inferi, et Alpium: unde tollens causam erroris adjecit, *Contra Tiberina ostia*, quæ in infero mari sunt. Ostium vero ideo veteres consecratam esse voluerunt sicut Tiberim, ut si quid bello navali ageretur, id auspicio fieret ex maritima et effata urbe, ut ubique conjunctum Auspici: ut Tiberis cum colonia esset. Aut certe

ideo *Italiam contra*, quasi de æmula dictum accipiamus, ut non tantum situ, quantum et animis contra. *Servius*.

*Italiam contra*] Laus est a situ. *Donatus*.

*Italiam contra*] Sic Cæsar bel. civ. I. 'Hic ad insulam, quæ est contra Masiliam, stationes obtinebat:' *ἀντιπέραν, ἀντιπρόθεν, ἐξ ἐναντίας*. Sic vero et præpositionem postposuit Tacit. Ann. I. III. 'Coreyram advehitur litora Calabriae contra sitam.' *Germanus*.

*Tiberina*] Pro *Tiberis* dixit. Quidam sane ita volunt jungi, non *longe ostia*, sed *longe dives*, valde. *Servius*.

*Longe*] Porro, valde. Salustius, 'Longe alia mihi mens est, patres conscripti,' aut certe maxime, vel præcipue, ut sit Carthago præcipue posita contra Tiberina ostia. Cic. pro Rabirio, 'Et cum universo Pop. Romano, tum vero Equestri ordini longe charissimus.' *Idem*.

*Tiberinaque longe Ostia*] Non temere usus plurali, nam et Plinius *ostia Tiberina* dixit, quia plura. Particula *longe*, nec valde nec præcipue explicanda: primum cum Servio, alterum cum Charisio: tantum dicit respectu ad intervallum illud, quod est a Carthagine ad ostia Tiberis: monuerunt interpretes. *Cerda*.

18 *Dives opum*] Modo tantum *dives* dicimus; antiqui adjungebant cujus rei; ut, *Dives equum, dives pictas vestis et auri*: jungentes tantum genitivo casui. *Servius*.

*Dives*] A fortuna. *Donatus*.

*Dives*] Quando cum Romanis bellum gerebat Carthago, erant in ea LXX. myriades hominum, urbesque CCC. habebat. *Taubmann*.

*Studiisque asperrima belli*] Causam ostendit mirabilem, dicens hos et bellicosos et divites, quum otiosa sit semper opulentia. Jure ergo hanc diligit Juno, et vult orbis regna sortiri. Quæ res odia ejus in Trojanos

exagitat, et bene *studiis* non *studio*, quia tertio rebellavit contra populum Romanum. *Servius*.

*Studiisque*] A natura et a meribus. Ergo omnis erat occasio; Junonis favor, locorum proximitas, substantia rei familiaris, bellatorum numerus, fiducia naturalis, et innatum studium dimicandi. *Donatus*.

19 *Fertur*] Dicitur. Et ingenti arte Virgilius utitur, ne in rebus fabulosis aperte utatur licentia Poëtarum, quasi opinionem sequitur: et per transitum Poëtico utitur more: vel certe *fertur*, creditur; *magis* pro valde. *Servius*.

*Quam Iuno fertur, &c.*] Non est injucundum quod Erythræus observavit Homerum  $\Omega$ . A. nullam Sami mentionem fecisse inter gratas addictasque Junoni civitates sub his versibus: Ἦτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φιλάται εἰσι πόλεις, Ἀργος τε, σπάρτη τε, καὶ εὐρυδῆγυια μικήνη. Solent autem Poëtae, quas Diæ Deæve in tutela urbes, insulasve, aut montes habent, diligenter recensere, Diisque ipsis subjiungere, et in memoriam redigere: ut Callim. in Dīamē Hymno: Νῆσων μὲν δαλίχη, πολλῶν δέ τοι εἵδαε πέργη, Τηθύγετον δ' ὄρνειν. Ut autem hic *magis* *amplius* *unam*, sic Sophocl. τὰν ἐξ ἁπασῶν τιμῆς ὑπερέταυν πόλεων. Et Hom. od. Θ. Ἡ οἱ γαῖαν πολὺ φιλάτῃ ἐστὶν ὁμοίαν. *German*.

*Quam Iuno*] Iuno piangebatur Carthagine leoni insidens, dextra fulmen, sinistra sceptrum gestans. *Cælestis* dicta Pœnis, ut Græcis *οὐρανία*, et *οὐρανοῦ κυρία*. Vide Jos. Scalig. de Emendat. temporum; ubi etiam docet, Punicam linguam tunc pæne fuisse Hebriacam. *Taubmann*.

20 *Posthabita*] Non contempta: sed in secundis habita. Namque in superiore versu dixit *magis*, ut etiam loco originali servetur affectio. *Servius*.

*Posthabita*] Tanta obstinatione contra Romanum imperium nitebatur pro

Carthaginis opibus, ut omnibus terris et ipsi solo genitrici illam præposuerit, et insignia sui numinis, et quicquid potuit, in ea collocaverit. *Donatus*.

*Posthabita*] Sic Terentius pro *postponere* Phorm. III. 7. 15. 'omnes res posthabui.' et noster Ecl. VII. 17. 'Posthabui tamen illorum mea seria indo.' *Emmenesa*.

*Coluisse Samo*] Deest etiam, ut esset *posthabita etiam* Samo. Sic Juvenalis, 'Et Samia genitrix quæ delectatur arena.' *Servius*.

*Coluisse*] Quia veteres colere dicebant, etiam cum major minorem diligeret; ut, 'Ille colit terras.' Plautus in Pænulo, 'Iupiter qui genus colis alisque hominum.' *Idem*.

*Coluisse Samo*] Nobilissima insula vel per unum Pythagoram, ne quid dicam de vasis Samiæ, quæ laudat Plin. xxxv. 12. Variis nominibus antea fuit dicta, quæ Stephanus habet, nempe: Σάμος ἐπιφανής πρὸς τῇ κορίᾳ νήσῳ· ἐκκλήθη δὲ πρότερον παρθενία, καὶ δρῶνσα καὶ ἀθῶνσα καὶ μαλάκφυλλος. Non in Ionia ponit Mela II. 7. Sita est contra Ephesum. Iuno hac in insula religiosissime colebatur, quod ex Cicerone notum Verr. IV. 32. 'Miramur Athenis Minervam, Deli Apollinem, Iunonem Sami, &c. aliosque Deos violatos esse:' inde *Samia* dicitur apud eundem Verr. I. 19. 'fanum Iasonis Samiæ:' imo ipsa insula *Junonia* appellatur. Ovid. Met. VIII. 220. 'et jam Iunonia læva Parte Samos.' Sic Stat. Thebaid. I. Juv. Sat. XVI. 6. 'Et Samia genitrix quæ delectatur arena.' *Emmenesa*.

*Samo. Hic*] Hujusmodi *Complasionis* sive *hiatus* exempla notantur aliquot triginta in Virgilio, summo judicio facta. Vide et Scalig. IV. 48. *Taubm*.

*Hic illius arma*] Figura creberrima, adverbium pro adverbio posuit, præsentia loci pro absentia: debuit enim dicere *illuc arma*. *Servius*.

*Arma*] Instructam armis Junonem

alio loco tentatur ipse: ut, 'Ferro accincta vocat.' *Idem*.

*Hic illius arma*] Hastam intellige: nam hæc Dea veteribus Hastam ferre dicebatur. Inde illam *hastatam*, vel *Curitim* dixere. Festus: 'Matronæ Junonis Curitis in tutela sunt, quæ ita appellatur a ferenda hasta, quæ lingua Sabinorum Curis dicitur.' Plutarch. *de Rom.* "Ἡρᾱ δὲ λεγὸν δόρυ νερόμῃσιν, καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρυτι σφραῖσθαι τὰ πλεῖστα, καὶ Κυρίτις ἡ αὐτὴ ἐκνερόμῃσιν: Ἰουνὸν ἁερὰ εἶναι λέγουσι ἡστία, ἐκ τῆς ἡστίης, καὶ οὐκ ἔστιν ἡστία, ἀλλὰ ἡστίον, καὶ οὐκ ἔστιν ἡστίον, ἀλλὰ ἡστίον." *Idem*. Ad arma etiam Junonis multum conducit illud Poëtæ in *Æn.* II. qui de hac Dea *ferre accincta*, quosane gladius innuitur. Græcis dici illam *δαλσμήτωρ*, ab armis Corradus notat. In Pausan. I. v. invenias mentionem aræ "Ἡρᾱς ἱερίας, Junonis equestris, quem habitum sequi videntur Arma. Hic apparet Junoni non hastam solum, sed alia quoque arma attributa. Quin Valerius Flaccus illi dat *Ægida*; Servius, clypeum. *Cerda*.

*Hic illius arma, Hic curvus fuit*] Quotiescunque nomina singularis et pluralis numeri connectuntur, respondemus viciniori: ut ecce hoc loco, curvi, non armis respondit. Eadem et in diversis generibus est observatio; ut magis vicino sive masculinum sit, sive femininum respondeamus, ut patet vir et mulier magna ad me veniunt. Si autem plurali numero velimus uti, ad masculinum transeamus, necesse est: ut vir et mulier magni ad me venerunt. Sane fuit pro fuerat. *Servius*.

21 *Curvus*] Aut vere currum, quo secundum Homerum in bello utitur: aut thesam significat, qua deorum simulachra portantur. Thensa autem cum aspiratione scribitur, ἀπὸ τοῦ θεοῦ, id est, a re divina. Aut certe illud, *curvus*, quod ait, 'Ductos alta ad donaria curvas.' Habere enim Junonem curvam, certum est. Sic autem

esse etiam in sacris Tiburtibus constat, ubi sic precantur, 'Iuno curulla, tuo curru clypeoque tuere meos curis vernulas sane.' *Idem*.

*Hic curvus fuit*] Quis hic? Non thesa, ut volunt aliqui, nam hæc communis Diis aliis, et hic speciale quiddam insinuat: de militari apparatu, vere militarem currum intelligo, quo usam in bello Junonem Homerus scribit. Hic curvus servabatur Carthagine, quod Poëta hic scribit, et Ovid. *Fast.* VI. apud quem hæc Dea ita loquitur, 'Poeniteat quod non fovi Carthaginis arces, Cum mea sint illo curvus et arma loco.' Indicat Apulejus I. VI. ubi in oratione Psychæ ad Junonem dicit, hanc Deam, cælo solitam commeari leonis vectura, idque juxta Carthaginem. Unde elici potest, eam cum ab ea concursatione quiesceret, currum ad eandem urbem solitam remittere, juxta quam vehebatur. De studio etiam Junonis erga currus et bella Valerius Flaccus I. v. ita ait, 'Cui Iuno, dimitte metus, ne prælia forte Hinc tibi grata negem: jam jam manet ægida sudor, Et nostros jam sudor equos.' Qui hi equi, nisi curvus? Allucet multum ex Servio, qui in sacris Tiburtibus hanc precationem fieri solitam scribit: 'Iuno Curulla, tuo curru clypeoque tuere meos curis vernulas sane.' Hæc omnia satis indicant bellicum apparatus. Sed quid opus multis, ubi extant luculenta Homeri de curru hujus Deæ, deque aurigatione Hebes II. v. *Cerda*.

*Hic curvus fuit*] De vehiculis Deorum, et thesis, videndus Scæfferus de re vehiculari II. 24. Noster hoc libro 675. Carthaginem nominat Junonium hospitium: 'et vereor quo se Iunia vertant Hospitia.' *Emmenas*.

*Hoc regnum, &c.*] Proprie admodum datur Junoni cupiditas regni erigendi, ut quæ regnis atque opibus præsit, ut Pallas bello, Venus amori. Ejus tamen in Carthagine conatus fuit irritus, ideo tendit. Sed in irritum conata non

cessat, ideo *fovet* non tanquam *imbecillam*, ut vult Servius. Nam qui imbecilla, quæ armis potens, quæ dives opum? Sed *fovet* illam blande ac tenere, ut mater filium. Sententiæ Virgillii ita institit Silius l. i. 'Hic Iuno ante Argos (sic credidit alta vetustas) Ante Agamemnoniam, gratissima tecta, Mycenem, Optavit profugis æternam condere gentem.' *Cerda*.

*Gentibus*] Pro *gentium*, dativum pro genitivo. *Servius*.

22 *Si qua fata sinant*] *Qua* vacat, et est ornatus causa positum: ut ubique gentium, locorum, terrarum, et reliqua: ut, 'Dixitque et prælia voce diremit.' *Idem*.

*Si qua fata sinant*] Quod tamen sinebant. Nam Juppiter ad Venerem infra: 'manent immota tuorum Fata tibi.' Est *qua*, qua via, qua ratione, id est, *si fata aliqua ratione sinant*. Integrum versum arripuit Prudentius in Symm. ii. *Cerda*.

*Jam tum*] Ex quo constituta est a Tyriis colonis. *Servius*.

*Tenditque fovetque*] Tanquam imbecillam. Figurate dixit. Non jam regnum fovet, sed tendit, et fovet, ut regnum esse possit. Et bene *tendit*, tanquam contra verum; *fovet* autem tanquam imbecillam, adversus Trojanorum conatus. *Idem*.

23 *Progeniem*] Vel Romanos, vel ut quidam volunt Scipionem, qui Carthaginem diruit. *Idem*.

*Progeniem*] Gentem innuit Æmiliam, ab Æmilio Ascanii filio oriundam: ex qua Scipio Æmilianus fuit, qui Carthaginem excidit. Et notat Plutarch. in Cæsare, familiam Scipionum et victoriam Africæ fatalem fuisse. Vide et Floridum Succisivar. Lect. ii. 22. *Duci* autem pro *ducendam*, vel *ductum iri*: enallage de qua Linac. l. vi. *Taubmann*.

*Duci*] Ductum iri: infinitivi modi verbum a passivo, tempus præsens pro futuro, verbum pro verbo. *Serr*.

*Duci*] Sunt qui repudiant explica-

tionem *duci* pro *ducendam* vel *ductum iri*. Fatale enim illud genus jam tum ab ultimis majoribus ducebatur, nam Anchises vivebat in Ænea, Æneas in Ascanio, et deinceps in Scipione, qui destinatus ad excidium erat Carthaginis. Aliquando tamen præsens hoc, pro futuro usurpatur, docet Sæfferus ad Phædr. F. iii. 11. 'Heredem suffici se proximum,' pro *suffectum iri*. *Emmeness*.

24 *Audierat*] A Jove, aut a Fatis. Non enim omnia habent divinandæ facultatem numina: denique ne ipse quidem Apollo sua sponte divinat: ut est, 'Quæ Phæbe pater omnipotens, mihi Phæbus Apollo Prædixit.' Et perite *Audierat*. In Ennio enim indacitur Juppiter, promittens Romanis excidium Carthaginis. Ergo bene *audierat* quasi de incertis rebus, ut et timeret, et speraret omnia pro sua voluntate posse mutari. *Servius*.

*Tyrias arces*] Carthaginem dicit, quam Tyrii condiderunt. *Arces* dictæ, ab eo, quod est *arceo*, quod inde hostes arcentur, hoc est, prohibentur. Et *arces* genus teli, quod hujus ministerio sagittæ arceant hostem. Sane per confusionem verbi et nominis dictum est, nam *arces* est verbum *arceo*, *arces*, cum non sit nomen. *Idem*.

*Olim*] *Quandoque*. Tria enim tempora significat: Præteritum, ut, 'olim arbos, nunc artificis manus ære decoro Inclusit.' Præsens, ut, 'Tumidis quod fluctibus olim Tunditur.' Futurum, ut, 'Nunc olim quocumque dabunt se tempore vires.' *Idem*.

*Tyrias olim quæ verteret arces*] Antiqui aliquot codices, *everteret* legunt: quod nonnulli ajunt majorem præ se ferre conatum. Sed enim Ti. Donatus *vertere* eam habere intellectus expressam rationem dicit, ut nihil post excidium supersit: huicque illud simile subjungit, 'Quæ te genitor sententia vertit?' hoc est, sic mutavit, ut nihil pietatis remanserit in sensibus Jovis. Additque etiam illud ex alio loco,

'Tum vero Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja.' Quoniam (ait Donatus) constabat nihil ejus remansisse post flammam: ideoque hæc principalis fuerat canassa: quæ etiam si sola existeret, sola posset adversus Trojanos animum Janonis urgere. *Plerius.*

*Verteret]* Eam habet significationem, ut nihil post excidium supersit: unde alibi, 'quæ te genitor sententia vertit,' id est, penitus ita immutavit, ut nihil in illo pietatis relictum sit. Item, et 'ex imo vertit Neptunia Troja.' *Donatus.*

*Verteret]* Ut apud Horat. od. III. 3. 'et mulier peregrina vertit in pulverem,' et od. 36. 'proceras manibus vertere fraxinos.' Frequentius *vertere* componitur: quod apud Phædr. F. III. 11. 'non evertisset scelere funesto domum.' Quare non nulli legunt, 'quæ everteret arces.' *Emmenæus.*

26 *Hinc populum late regem]* Scilicet a Romanis. Laudat autem eorum imperium, dicendo *populum regem*. *Servius.*

*Late regem]* Pro late regnaturum. Nomen pro participio. Quidam hic democratis intelligunt, et 'Hinc populum late regem belloque superbum,' &c. In Probi adjuncta sunt: et adnotandum hi duo si eximantur, nihilominus sensus erit integer. Sed Virgilius amat aliud agens exire in laudes Pop. Romani. *Servius.*

*Late regem]* Homerus Iliad. A. 102. Agamemnona vocat *εὐρυπέλαρα*, id est, late regnantem, vel potius *late tyrannum*, ut Horat. od. III. 17. et noster Æn. VII. 737. 'late jam tum ditio premebat Sarrastis populos.' *Emmenæus.*

*Superbum]* Id est, nobilem; ut, 'Ceciditque superbum Ilium,' eminens, gloriosum. *Servius.*

26 *Venturum excidio]* Ad excidium, *Idem.*

*Venturum excidio]* Nec hæc plane abjicienda explanatio videtur, *excidio* dici, pro *ob excidium*. Carthagine

nempe deleta, late imperitaturum populum Romanum. Dativum poni etiam pro accusativo cum præpositione docet Servius Ge. I. 173. 'Cæditur et Ilium ante jugo levius.' Id est, ad jugum: sic 'hosti stat,' Ge. III. 347. et alibi: 'it clamor cælo.' *Emmenæus.*

*Libyæ]* Carthaginiæ. Et provinciam pro civitate posuit. Dicta autem Libya, quod inde Lybe fiat, hoc est Africa: aut ut Varro ait, quasi *λεῖρα τοῦ θεῶ*, egens pluviam. Sic Salustius, 'Cælo terraque penuria aquarum.' *Servius.*

*Volvere Parcas]* A filo traxit vovere, aut a libro: una enim loquitur, altera scribit, tertia fila deducit. Et dictæ sunt *κατὰ ἀντίφασιν*: quod minime parcant, sicut Iclus a non incendio, bellum a nulla re bella. Nomina Parcarum, Clotho, Lachesis, Atropos. *Idem.*

*Volvere]* Proprie: nam Parcæ volunt, et nent fila. Græci *νήθει*, καὶ *κλώθει*. Philostratus, *κεκλωσμένα*: *fata destinata*, ad verbum, *voluta, glomerata, acta*. Pari indole Poëtæ alii. Ovidius in epist. Sapphus: 'Et data sunt vitæ fila severa mææ.' Statius Theb. VII. de Parciæ *revolvere stamina*, Claudianus Rap. I. de Iisdem: 'Longaque ferratis evolvunt secula pensis.' Quin *κλωθὴ* una Parcarum nomen inde sumit. Cui Plutarchus de sorte lunæ attribuit verbum *σπῆδι* ab *stamine*, quod colligit. Nonnus I. III. *μοιρῶν κλωστήρας fatalis fusi*, Plautus a Parciæ etiam sermonem in Menæchm. 'Quem ego hominem, siquidem viso, vita devolvam sua.' Nam, ut vita convolutione, et glomeratione staminis producitur, et fit longior; ita, fit brevior, cum stamen jam convolutum devolvitur, ut præcidatur. Ita explicat Plantum Simon Blosius. Ad Parcas quoque alludit Paulinus epist. XXXVI. 'Fata simulantur vitas nere de calathis.' De illarum potestate, ita statim: 'In gremio anus' (Plato).

pensum necessitatis exponit, et tres ei filias addit concinnantes et versantes fuma, et per fila ludentes. Hoc scilicet lausificio autumans eas conficere res hominum, et tempora calque signata detexere.' *Cerda*.

*Volere Parcas*]. De origine Parcarum, quod per antiphrasin sic appellatae sint, rejicitur: alii malunt ea appellatione dignas esse, quia prae-parce nobis vitam tribuunt, alii a pariendo: elige, quam velis amplecti, sententiam apud Sanctium in Minerva de antiphrasi IV. p. 440. qui postremæ subscribit. Quod parcant humanæ vitæ, usque dum dies, fato destinatus, venerit, omnium verissima videtur, quam tradit Scalig. III. 89. *Emmenas*.

*Id metuens*]. Archaismos sane: de futuro enim Timor est: Odium, de præteritis: metuebat ergo Carthagini; Odium autem habebat propter causas sequentes. Et est de utroque exemplum, 'Conveniant, quibus aut odium crudele tyranni, aut metus acer erat.' *Servius*.

*Id metuens*] Ut firmet primam fuisse principalem causam, incipit dicere alias. Timet ergo, ne Trojani ab excidio liberati, vel vires adversus Græcos reparent: vel in Italia consistentes, Carthagini officiant. Artificiose deinde aliam causam addit, iudicium Paridis: et unam injuriam facit duplicem, scilicet quod offensa sit in eo iudicio, quod minori sit postposita, et quod sit spreta forma sua, quia in poemate scriptum erat: *Pulchriori detur*. Hoc maxime vexat mulieres. Hanc igitur partem facit Virgil. cum dicit: 'Manet alta mente repostum iudicium Paridis, spreteque injuria formæ,' ut non tantum irascatur quod victa est, quantum quod forma sua sit spreta. *Manet*, ergo, ad omnia pertinet. *Repostum* autem, ad iudicium Paridis. *Iudicium*. Scilicet corruptum, libidinis præmio. *Paridis*, ut convitium sit hominis nomen, scilicet abjecti, ve-

nalis, vulgaris, et inhonesti. Falluntur autem, qui referunt, *injuria formæ* ad Antigonem: unde addit, *Et genus incivem*: ut ad principalem causam gentis, æstus reduceret Ganymedis, qui turpiter amatus est a Iove. Est autem fœdum hoc loco aliquid intelligere de Zodiaco, in quo Ganymedes dicitur collocatus, ne infames inter sancta sydera sint collocati, et sentiamus id, quod poëta non dixit. Getendit omnes has causas esse alienas ab Æneæ, atque ut posterius dietas ostenderet, incidentes ait. *Donatus*.

*Veteris belli*] Quantum ad Virgilium pertinet, antiqui: si ad Iunonem referas, diu, per decennium gesti. Sane tunc ad personam referendum est, quum ipsa loquitur: quod si nulla persona sit, ad poëtam refertur. Nunc ergo *Veteris*, ex persona Poëtæ intelligendum est: sic ipse alibi, 'Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulium, Flagrantisque dei vultus.' Partem ad se retulit, partem ad Tyrios, qui deum esse nesciebant. *Servius*.

*Veterisque*] *Veteris*, ex persona Poëtæ. Hen. Steph. ut et Servius Fald. *Vetus* interpretantur longum: atpote decennale. At Nascimb. et Pomp. Sabinus hic primam bellum intelligunt, quod, duce Hercule, contra Trojanos gestum est: de quo Diôd. Siculus, l. v. *Tausmann*.

*Saturnia*] Antonomasia est, non epitheton: quæ fit, quotiens pro proprio nomine ponitur, quod potest esse cum proprio nomine et epitheton dici. *Saturnia* autem nomea quasi ad crudelitatem aptum posuit. Virgilius enim ubicumque Iovi vel Iunoni Saturni nomen adjungit, causas eis crudelitatis adnectit: ut, 'Nec Saturnius hæc oculis pater aspiciet æquis:' alibi, 'Es germana Iovis Saturnique altera proles: Irarum tantos volvis sub peccatore fluctus?' *Servius*.

*28 Prima*] Atqui Hercules prior contra Trojanos pugnavit: unde modo *Prima* princeps accipienda est.

Nam plerumque Poëta significationem nominis dat participiis; vel e contra: ut, *Volentibus annis*; significat enim volabilibus: hac licentia et in hoc nomine usus est, ut *Prima* pro principe poneret: *Prima* inter primos, alii pro olim; alii *prima* simpliciter, postea enim alii dii interesse cœperunt. Alii *prima* non ordine, sed voluntate: aliter *primusque Machaon*: ibi in primis intelligitur. *Idem*.

*Ad Trojam*] Ad et apud, accusativæ sunt præpositiones. Sed *apud* semper in loco significat; *ad* et in loco, et ad locum. In loco: ut, 'Ad quem tam luno supplex his vocibus usa est.' Et Cicero, 'Decem fivos ad senatorem quendam relictos.' Item, 'Ad Marcum Leccam te habitare velle dixisti.' *Idem*.

*Caris Argis*] Illic enim eam colit annibus notum est. Argos autem in numero singulari generis neutrius est: ut Horatius, 'Aptum dicet equis Argos ditesque Mycenæ.' In plurali vero masculini, ut *hi Argi*. Cæterum derivatio nominis *Argivæ* facit, non *Argos*. *Idem*.

*Caris Argis*] Argos in pl. *Argi*. Noëter Æn. II. 96. 'Si patrios unquam remeassem victor ad Argos.' Civitas est Peloponnesi, de qua Stephanus de urb. 'Ἄργος διασημοτάτη πόλις πελοποννήσου, ἥτις φερονικὸν ἔστυ ἐπὶ ἄλλοισι, καὶ Αἰγυλία, καὶ ἱππόβοτον, &c. (ab equis, de quibus dictum Ge. III. 121.) Heroum temporibus potens et opulenta fuit, teste Pausania VII. in Arcad. ἐς πλείστον ἀφικομένη δούμους, &c. De situ et variis hujus urbis appellationibus Strabo I. VIII. Junoni præ cæteris cara. Quod ex Mela videre est II. 7. 'in Argolide Argos et Mycenæ et templum Junonis vetustate et religione percelebre.' Apposite Stat. Theb. I. 250. 'Taliam Juno refert, &c. scis semper ut arces Cyclopum, magnique Phoroneos incluta fama Sceptra viris opibusque juvenem.' et paulo post: 'Facta luant

Thebæ; cur hostes eligis Argos? Inde Homer. II. Δ. 8. Ἥγη ἄργεῖα. *Juno Argiva*. et recte quidem; eodem enim libro vs. 52. numerat hanc urbem inter loca sibi per dilecta. 'Ἦτοι ἰμὸι τρεῖς μὲν πολλὰ φίλταται εἰσι πόλεις, Ἄργος τε, σπάρτη τε, καὶ ἐρυθρὰ μυκήνη. *Emmeness*.

29 *Nec dum etiam*] Adverbium. Quasi antehac. *Servius*.

*Causa*] Nunc de præteritis loquitur. Nonnulli tamen pro causa et dolore dictum accipiunt. *Idem*.

*Sævi dolores*] Quod sævire faciant. *Idem*.

*Nec dum etiam causas irarum sævique dolores Exciderant animo*] Superfluum videtur veterum monumenta in testimonium afferre, consueisse priscos *cussum* duplicato *ss* passim scriptitare, quum tot Romæ marmora spectemus, quæ dictionem eam per *ss* geminatum notatam ostendent. Scriptionis vero hujusmodi rationem hanc afferri solitam ait Terentius Scaurus, quod *causæ* dicta sit a *cavillationibus*, vel a *cavendo*, *cavissæ*: deinde κατὰ συγκοπήν *causæ*: ita *s* litteram geminandam putaverunt, ut appareret originationis. Aliter tamen ipse sentit, qui dicat, *s* litteram non solere geminari, nisi præcedente vocali correpta: quare *causam* unico *s* scribi mavult. Nos tamen libentius *s* in *causæ* geminamus: quia sic Virgilii et Ciceronis manu scriptum asserit Quintilianus. Ubi vero *sævique dolores* legitur in vulgatis codicibus, Vetera exemplaria quædam cum Longobardico *labores* habent: quos scilicet contra Trojanos antea susceperat, toto eo decennali bello. Nam quod sequitur, *manet alta in mente repositum Judicium Paridis*, et quæ sequuntur, ad exaggerationem posita sunt. Sed neque illud dissimulandum est, emendatiores codices *alta mente* absque in præpositione legere. Quam quidem particulam Virgilius libenter præterire solet. Quod vero ad *dolores* pertinet, in veteribus



plerisque codicibus altera illa sublata lectione dolores superinductum est, non omnino male, si quæ sequuntur inspicias, quæ dolendi causam darent. *Pierius.*

30 *Exciderant animo*] Necdum in oblivionem datæ erant, juxta Non. Marcell. c. 4. Cic. ad Fam. Epist. v. 13. 'quæ cogitatio, cum mihi omnino non excidisset (etenim penitus insederat) &c.' *Emmeness.*

*Alta mente*] Secreta, recondita. *Servius.*

*Repositum*] Syncopa est: unam enim de medio syllabam tulit. Sed cum omnes sermones aut integri sint, aut pathos habeant: hi, qui pathos habent, ita ut lecti sunt, debent poni, quod etiam Maro facit: nam *Repositus et porcite* de Ennio transtulit, integris autem et ipsis utimur, et eorum exemplo alii. *Idem.*

*Manet alta mente repositum*] Est hoc quod Poëta, 'æternum servans sub pectore vulnus.' Sallustius flexu isto: 'Quod verbum in pectus Jugurthæ altius, quam quisquam ratus erat, descendit,' Fabius declamat. 305. 'odia altissime sedent.' Tacitus l. xvi. 'offensio altius penetrabat.' et Annal. i. 'iras retinebant.' Livius l. xlv. 'ingentes jam diu iras in pectore volvere.' Seneca quoque de Benef. i. 1. ait, comparatum esse natura 'ut altius injuriæ, quam merita descendant, et illa cito defluant, has tenax memoria custodiat.' Idem de ira. i. 4. recensens irarum differentias, extremo loco ponit illas, quæ *altæ gravesque sunt, et introrsus versæ*, indicans has esse majores, et difficiliiores. Præclare admodum Plautus Pœnuli. 'Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.' Hujuscemodi ira videtur referenda ad illam, quam Græci dicunt *κότον*. Nam Scholiastes Aristophanis in Ranis, discriminans iras, *περί τοῦ κότου*, ait, *ὀργή ἐπιτηρούσα, ira reposita*. Hoc Poëta indicans ait *manet*. Possis cum Philostrato ita referre, *βεβωιω-*

*μένον τῆς ὀργῆς, iram profundam et submersam*. De judicio Paridis, quid contra Macrobiū scribat Jul. Scal. Poet. v. 8. in promptu est. Auctoribus, quos de hoc judicio alii advocant, adijunge Dionem Chrysost. orat. 20. Philostratum Juniores in Iconibus. *Cerda.*

*Manet*] Id est, inhæret, infixum est, ut Non. Marcellus c. 4. *Emmeness.*

31 *Judicium Paridis*] Nota fabula est, de malo aureo, Paridem pro Venere contra Junonem Minervamque judicasse de forma: et bene *judicium Paridis*, non favor, ne revera videatur offensa. Sic enim agit Poëta, ut et Juno causas irascendi habeat, et tamen in Ænea nulla sit culpa. *Serv.*

*Judicium Paridis*] Quia Macrobi. l. v. negavit namque ab Homero de Paridis judicio factam mentionem, adscribamus ex Il. ultimo vel e tabulis testimonium: 'Εὐθ' ἄλλοις μὲν πᾶσι *ἐνθάδεν, οὐδέ ποθ' ἦρπ, Οὐδέ ποσειδάων, οὐδέ γλαυκῶπιδι κοίρῃ*. Ἄλλ' ἔχον, ὅς σφιν πρῶτον ἀπήχθετο ἱλίου ἱρή, καὶ πρί- *αμος, καὶ λαός, ἀλεξάνδρου ἐνεκ' ἔτης*. 'Ὅς νεῖκεσσε θεάς, ὅτι οἱ μέσσαυλὸς ἱκόντο, τὴν δ' ἦρπ', ἥ οἱ πῶρε μαχλοσύνην ἀλεγυήν. De quo judicio sunt etiam adjiciendi Eurip. in Troad. versus elegantes: 'Ἐκρινε τρισὼν ζεύγους ὁδε τρισῶν θεῶν καὶ πάλλας μὲν ἦν ἀλεξάνδρῳ δόσις, Φρυγὶ στρατηγὸς δ' ἄλλ' ἄδ' ἐξαριστόναι. Ἦρα θ' ὑπέσχετο δαίδαλ' εὐράνης θ' ὕδρους, Τυραννὶδ' ἔξειν, εἰ σφε κρίνειεν πάρις. Κύπρις δέ, τοιμὴν εἶδος ἐκπαλουμένη, Δάσειν ὑπέσχετο', εἰ θεὰς ὑπερδῶμοι Κάλλιν. Meminit et hujus judicii Eurip. sub princip. Helen. ἦλθον τρεῖς θεαὶ κάλλους περί Ἰθαίων εἰς κενυμῶν' ἀλεξάνδρον πάρα, &c. Judicii hujus disceptationem non inducte exequitur Tryphiodorus. *German.*

*Spretæque injuria forma*] Epexegetis est. Hoc enim fuit judicium Paridis. *Que* particula vacat, ut alibi: 'Dixitque, et prælia voce diremit.' Licet nonnulli separent, dicentes aliud esse. Nunquam enim conjunc-

tio ponitur, nisi inter duas res. *Et sprætæ formæ* referunt ad Antigonam Laomedontis filiam, quam a Iunone propter formæ arrogantiam in ceconiā constat esse conversam. *Serv.*

*Judicium Paridis sprætæque injuria formæ*] Paris arbiter constitutus jussu Jovis, inter Junonem, Minervam, et Venerem, de forma contententes, pomum aureum Veneri adjudicavit. Vide Ovid. *Heroid.* v. 34. et *epist.* xvi. 68. 'Arbiter es formæ: certamina siste Dearum; Vincere quæ forma digna sit una duas. Neve recusarem, verbis Jovis imperat,' &c. Et paulo post de Venere, ipsius judicio palmam ferente, 'Dixit: et ex æquo donis formæque probata Victorem cælo rettulit illa pedem.' Ipsam fab. habet Hyginus fab. 92. quæ inscribitur, *Judicium Paridis.* Emm.

32 *Et genus incisum*] Propter Dardanum Electræ pellicis filium, a quo origo Trojana est. *Servius.*

*Rapti*] Stuprati, corrupti, ut est, 'Rapta Garamantide Nympha.' et 'raptas sine more Sabinas.' Vel rapta raptoris mortem vel nuptias optet: vel certe quod ad cælum raptus sit a Jove peraquilam; ut, 'Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.' *Idem.*

*Ganymedis honores*] Trois, regis Trojanorum, filii. *Idem.*

*Honores*] Dixit, vel propter ministerium poculorum, ad quod receptus est, remota Hebe, filia Junonis, quæ Iovi bibere ministrabat: vel ob hoc, quod inter sidera collocatus, Aquarii nomen accepit. Ergo irascitur Juno, quod non ob hoc tantum raptus sit, ut divinos honores consequeretur, ut pocula ministraret, sed quod violatus sit ut divinos honores consequeretur, aut honores propter formam; ut, 'Et lætos oculis afflaret honores.' Sane hic Ganymedes Latine Catamitus dicitur: licet Theodatus, qui Iliacas res perscripsit, hunc fuisse Belim dicat, et Laomedonti prædixisse, tum

*Delph. et Var. Clas.*

perituram et civitatem et regnum Trojanorum, cum de monte Meotio sponte fuisset saxum delapsum, quod cum evenisset postea Ilium est direptam. *Idem.*

*Et rapti Ganymedis honores*] Quod in codicibus aliquot antiquis duo sunt verba *rapti Ganymedis* per lineolas alio atque alio loco ductas distingui videtur, nempe in aliquot ante, et post dictionem *Ganymedis* hoc pacto, *Rapti / Ganymedis / honores*: in aliquot inter particulam copulativam et participium *Rapti*, hoc modo, *et / rapti Ganymedis / honores*, in memoriam suggerit varias itidem hujus hermetichii sententias apud Interpretes esse. Nomen enim Marcellus, *honores*, pro integritate et pudicitia vult hoc loco intelligi: quare, *rapti honores*, legere videtur, hoc est, rapta pudicitia: *honores* alii pro dignatione, qua fuerit Ganymedes honestatus, exponunt: quippe quod Mythologi eum dicunt in zodiaco sedem sortitum esse, quod quidem dictu sædum ait Donatus. *Servius*, qui honores, Ganymedi habitos, interpretatur, *rapti*, hoc est stuprati exponit: ut, 'Rapta Garamantide Nympha.' Cui Ovidii etiam subscribit parodia *Fast.* vi. 'Causa duplex iræ, rapto Ganymede, dolentem, Forma quoque Idæi iudicis victa mea est.' Sed hæc alii viderunt. *Pierius.*

*Rapti Ganymedis honores*] Ganymedes non Trois, sed Erichthonii fuit filius, quem Jupiter amavit, ut Hyginus *Fab.* ccxxxi. et *Pœt. Astron.* ii. 16. et 29. Cujuscunque fuerit, Phrygius fuit: inde Ovid. *Met.* x. 155. 'Phrygil quondam Ganymedis amore.' *Stat. Thebaid.* l. i. 'Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis.' Postquam, assumpta aquilæ figura, rapuerat, & sædus *ἀφρασε*, ut Long. *Pastoral.* l. iv. quo loco, qui *ἀφρασε*, non convenit inter Strabonem et Athenæum: uterque videndus l. xiii. *Exstat de hoc formoso puerō Ditho-*

*Virg.*

6 Z

gus Luciani: qui, remota Hebe, quæ ante ad cyathos steterat, Jovi aliisque diis fuit a poculis. Quod liquidum ex Ovid. dicto loco: 'Abripit Iliadem, qui nunc quoque pocula miscet, Invitaque Jovi nectar Junone ministrat.' idem Juvenalis docet Sat. XIII. 44. *Emmeness.*

**33 His accensa super]** His super, aut super metum, quem de Carthagine habuit, his quoque accensa. *Serv.*

**His accensa super]** Id est, super illam, quæ fuit ob excidium Carthaginis. *Donatus.*

**Jactatos æquore]** Hæc omnia ad exprimendam Junonis iniquitatem pertinent, ut ostendat, excidium Carthaginis solam causam fuisse, ne ipsa miseretur, nec desereret intentionem suam: quæ cognoscens, non posse expugnare fata, capiebat saltem illos arcere, quos ad plenum superare non poterat. Non miserebatur igitur, ut jactatos toto æquore, et eos qui ex infinito numero ad paucos redacti essent, quos e manibus ævissimorum hostium fortuna servaverat, insidiis assiduè obtereret. *Id.*

**34 Troas]** Bona œconomia ostendit totum genus Trojanorum invisum fuisse Junoni, quia illaturus est, Minervam, ob unius hominis delictum, etiam eos quos amaverat perdidisse. *Servius.*

**Reliquias]** Ut stet versus geminavit l. Nam in prosa *reliquis* dicimus. Reliquias autem Danaum dupliciter, et a Trojanis et a Græcis dici possunt, ut, 'Et nostro sequitur de vulnere sanguis.' *Idem.*

**Reliquias Danaum]** Magna crudelitas, quæ nullis cladibus satiari poterat. Laus autem Æneæ magna, quod de solis reliquiis Trojanorum, imperium Romanum condere potuerit. Ergo, ni fata obstitissent, patriam integris opibus defendisset, cum in aliena terra imperium condiderit. *Donatus.*

**Atque inmitis Achilli]** Bene secun-

dum Homerum segregavit ducem a populo. Sic Æneas in secundo post omnium casum, Priami separavit interitum: ut, 'Forsitan et Priami fuerint quæ fata requiras.' Inmitem autem dixit, etiam circa extinctum Hectorem crudelem. Aut ideo intulit Achillem præcipue, quod Æneas cum Achille congressus sit, et ut in Æn. v. ait Neptuni beneficio liberatus. Sane Achilli, propter *δμοιοτέλετον* detraxit litteram, quæ plerumque pro sibilo habetur; non solum necessitatis, sed etiam euphoniæ causa. Nam alibi ipse ait, *Nec equis aspirat Achillis*: ut Salustius, 'A principio urbis, ad bellum Persi Macedonicum' detrahitur autem s, tertiæ declinationis genitivo. Sane apud Sigeum Achillis statua fuisse dicitur, quæ in ima, id est, extrema auris parte elenchum more fæmineo habuerit. Hic apud Cretam insulam Pemptus vocatus est, ut veteres auctores tradunt. *Serv.*

**Achilli]** Sunt qui ex Poëtarum veterum exemplis *reliquis* unico l recte scribi contendant, ut in bona codicum antiquorum parte notatum invenitur. Ajunt enim *re* particulam pro communi habitam a veteribus. Hinc apud Ovid. 'Quod in ipsam recidat orbam,' quam tamen Valerius Probus semper brevem dicit ubique loquelaris sit: ideoque juniores l geminari censere. Quam quidem questionem ita Commianus absolvit: ut in nomine *reliquis* barbarismum esse dicat adjectione litteræ, perinde ac *Italiam fato* temporis adjectione. Nam *Italiam* Probus quoque primam correptam habere contendit, et vitium in eo nomine spatio factum, ait Quintilianus. Quare in altero consonantem geminare, necesse est, alterum vi quodammodo sua crasescit, nulla parenthesi. Ut vero præteream, quod minime placet, atque, ex hoc versu sublatum aliquot in codicibus, ut sine copula legatur *reliquis Danaum inmitis Achilli*, prout

apud Catullum, 'Juppiter ut Calibum omne genus pereat : ' et apud Tibullum, ' Cimmericum etiam obscuras accessit ad oras, ' quo nonnulli offensi, ' Cimmericum obscuras etiam concessit ad oras, ' legendum censuere : alterum vero locum Græce scribendum curavere. Hoc tamen loco, si quis eam conjunctionem, quæ est atque demat, venustatem carminis demere videatur. Est et illud varie tam in veteribus quam in recentioribus exemplaribus positum in *inmitis Achilli*. Nam *Achillei*, in Oblongo habetur codice, quo declinatu usus est Horatius, ' Matronisque Phrygum classis Achillei : ' atque alibi, ' Heu pervicacis ad pedes Achillei, ' sicut etiam *Ulyssæi*. Idem, ' Laboriosa nec coloris Ulyssæi : ' quæ quidem forma Græcanica est, et nominativum habet in *eus*, ACHILLEUS, ODYSSEUS, ORPHEUS. Ut in veterum monumentis. *M. Valerius Achilleus lector*. Inde autem putent *Achilli* factum *παρὰ συναλπεσιν*. Servius detractam s litteram ad *ὁμοιοτέλετον* evitandum putat ; pluraque demum exemplaria ita scriptum ostendunt. Quidam dativum pro genitivo positum ajunt, more veterum. Nomina quædam agnoscit Probus in Arte, quæ in genitivo casu num. sing. in uno vocabulo suo duabus his formis finiuntur *i*, et *is*, ut puta, *hujus Achilli*, et *hujus Achillis*. Carisius inveniri ait apud veteres ex nominibus in *es* rectum efferentibus, quæ sine ratione genitivum faciant per *i*, ut apud Sallust. in prima historia : ' Bellum Persi Macedonicum. ' Item apud Virg. ' Inmitis Achilli, ' et alio loco, ' Fallacis Ulyssi. ' Priscianus veteres ait frequentissime dativum pro genitivo protulisse Aristoteli, Demostheni, Thucydidi, Euripidi, pro Aristotelis, Demosthenis, Thucydidis, Euripidis, desumitque sibi ex Virgilio exempla. Nunc *acris Oronti*, et *inmitis Achilli*, et *miles Ulyssi*. Item ex Terentiano

*Arconidi filiam*, pro *Arconidia*. Ex Cic. in Verr. XI. in *Timarchidi potestate* : qui eadem voce usus est etiam in dativo, ' Neque in præsentia Timarchidi, quid responderet, habuit : ' ne aliam quis esse declinationem putet : et *Achilli* absque *s* sciant omnes præter usum non esse. *Pierius*.

*Achilli*] De genitivo, in *i* terminato, in declinatione tertia, omnia, quæ dici possunt, Dausquius in Orthograph. ex veteribus Grammaticis congestit. Quem vide pag. 96. noster hoc lib. vs. 224. ' nunc acris Oronti. ' III. 87. ' reliquias Dananum atque inmitis Achilli. ' et VI. 839. ' genus arripotentis Achilli. ' Charisius sine ratione hoc pacto finiri hunc casum stomachatur l. i. p. 52. probat Sanctius in Min. p. 288. apud quem *homobona frugi*. Emmanens.

85 *Arcebat*] Prohibebat : aliquando significat, et continet. Eanius, ' Qui fulmine claro Omnia per sonitus arcet. ' id est, continet. *Servius*.

86 *Acti fati*] Si *fatis*, nulla Junonis invidia est, si odio Junonis, quomodo *acti fati*? Sed hoc ipsum Junonis odium fatale est : laborat enim Virgilius, nil Trojanorum meritis, sed omnia *fatis* ascribere. Est et alter sensus : nam *fatum* voluntatem legimus : ut, *fatis Junonis iniqua*, id est, voluntate : ut hic intelligamus, agebantur *fatis* Junonis, id est, voluntate. Vel *fatis* pro malis ; ut, ' Nate Iliacis exercite *fatis*. ' *Idem*.

*Acti fati*] Id est, ipsi qui *fatis* agebantur, in Italia errabant Junonis inimicitiiis. *Donatus*.

*Maria omnia circum*] In fine accentum ponimus contra morem Latinum : sed corruptio hoc facit : namque præpositio postposita, corrupta est sine dubio. *Servius*.

*Maria omnia circum*] Similis anastrophe nostro familiaris. Georg. II. 382. ' pagos et compita circum. ' Georg. III. 537. ' Non lupo insidias explorat ovilia circum. ' l. IV. ' Hæc

circum.' vs. 188. 'Monsantque ora  
et lumina circum.' vs. 436. 'eum cir-  
cum.' et vs. 678. 'quos circum.' *Enn.*

37 *Molis*] Difficultatis. In sequen-  
tibus proprie, 'Miratur molem Æ-  
neas, magna quondam.' *Servius*.

*Tanta molis*] Non sunt sine magno  
labore magna. Laudatur autem Æ-  
neas, qui nullo labore, nulla dūtur-  
mitate erroris, deiebat ab incepto.  
*Donatus*.

*Tanta molis*] Hac voce solent fieri  
acclamationes. *Lucretius*, 'Tantum  
religio potuit suadere maiora.' *En-  
nius* in *Thyeste* in summa quoque  
acclamatione: 'Tanta vis sceleris in  
corpore hæret.' Ita etiam acclamat  
*Plinius* II. 17. et *Cicero* *epist.* II. 8.  
*Homerus* sepe acclamat cum his, ὄρ,  
αἴρας. *Oppianus* interdum cum ἄδα.  
exemplum habes lib. I. *Κύπρις*. Ef-  
fecit autem *Roma* sua magnitudine,  
ut *molis* nomine explicaretur ab aucto-  
ribus, *Calpurnius* *Ecl.* I. 'Romanæ  
pondera molis.' *Cerda*.

*Tanta molis erat, &c.*] Epiphenema  
constans ephomeni, in difficultatem  
eodendi primordia populi *Romani*.  
Vide etiam *Cæli*. *Rhodig.* XXIII. 7.  
*Jam Scalig.* III. 26. notat ejusmodi  
Epiphenemata, aut Prophenemata,  
maximum præ se ferre efficaciam.  
*Tambmann*.

*Romanam condere gentem*] Latenter  
ostendit hinc odium *Junonis* Æneam  
pertulisse, quod *Romanæ* gentis aucto-  
r existebat. *Servius*.

38 *Via*] Hoc loco *mox* et *statim*  
significat. *Idem*.

*E conspectu*] Ut adhuc de *Sicilia*  
possint videri: et ut *Homerus* omisit  
initia belli *Troiani*, sic hic non ab  
initio cepit erroris. *Idem*.

*Vix e conspectu*] A septimo anno  
incipit narrationem: ut priora reser-  
vet ad convivium *Didonis*. *Donatus*.

*Vix e conspectu, &c.*] Narratio, quam  
ducit a catastrophe errorum Æneæ:  
idque exemplo *Homeri*, qui eam le-  
gem primus Poëta tulit: quamque

*Aristoteles* in *Poëtic.* tenendam cense-  
sit. Atque hanc *Æconomiam* huc-  
leniter commendat etiam *Horat.* in  
*Arte*: 'Nec gemino bellum *Trojanum*  
orditur ab ovo: Semper ad eventum  
festinat,' &c. *Macrobius* v. 2. *Obsecu-*  
retur, inquit, cum primo versu pro-  
misisset producturum sese de *Trojæ*  
littoribus Æneam, 'Trojæ qui primus  
ab oris *Italiam*,' &c. ubi ad *Jannæ*  
narrandi venit, Æneam classem non de  
*Troja*, sed de *Sicilia* producit: *Vix e*  
*conspectu, &c.* Quod totum *Homeri-*  
cis fides tenet. Ipse enim vitans in  
*Poëmate* historicorum similitudinem,  
quibus lex est, incipere ab initio re-  
rum, et continuam narrationem ad  
finem usque perducere: ipse, *Poëticæ*  
disciplina, a rerum medio cepit, et ad  
initium post reversus est. A *Sicilia* in  
*Libyam* delatus, in convivio *Didonis*  
narrat ipse Æneas atque ad *Siciliam*  
de *Troja* navigationem suam: et ad-  
didit uno versu, quod jam cepit  
*Poëta* descripsit, *Æn.* III. sub fi-  
nem: 'Hinc me digressum vestris  
Dæus appellit oris,' &c. Vide ibidem  
plura. Inprimis *Scalig.* *Poëtic.* III.  
96. ut et *Jov. Pontani Actium*, ubi  
de *manusum* gravitate, et versuum  
horum magnifico apparatu ingeniosè  
disputatur. Porro vè vix interpretatur  
*Servius* *mox*. *Donatus*, vix *lati*,  
conjungit: quod et deberent *Anchiseæ*  
mortem, et gauderent prope adesse  
*Italiam*. *Servius* ait, eos *lætare*: ut  
sit *Junoni* causæ majoris iracundiæ.  
Sic enim *Æn.* VII. irascitur, ubi 'hæ-  
tum Æneam *Siculo* prospexit ab usque  
*Pachyno*.' Denique notat *Scalig.* IV.  
47. monosyllabum vix admodum fir-  
mum esse in oratione. *Tambmann*.

39 *Lati*] Vel alacres, vel veloces;  
ut, 'Et lætas *Eois* *Enas* equis: vè  
festinantes; ut, 'Et virgæ lætas  
*Pabula*;' et alibi, 'Et amari pabum  
portique moveri *Lætus* in arma jubet,'  
id est, festina cum intentione. Vè  
revera læti: quamquam incongruum  
sit, post *Anchiseæ* mortem: sed et

interitus senum minus doletur, et magis lætos intelligendum est, ut sit Junoni causa majoris iracundiæ: sic enim et in septimo irascitur; ubi 'lætum Æneam Siculo prospexit ab usque Pachyno;' vel læti, πρόθυμοι: ut 'Omnisque juvenus Læta f.' Serv.

*Vela dabant læti*] Utrunque temperat. Nam læti erant, quod essent propinqui Italiæ: sed morte Anchisæ contristati vix erant læti. Donatus.

*Salis*] Maris, secundum Homerum. Salem autem quo utimur, singulari numero tantum dicimus: quum jocos significamus, pluralem numerum tantum ponimus, ut Lucanus: 'Non soliti luserè sales.' Aliquando urbanitatem singulari numero tantum dicimus: ut Terentius, 'Qui habet salem, quod in te est,' id est, quæ res in te est. Masculini enim generis est, non neutrius: et nentra triptota sunt, nec ab hoc accusativo nominativus esse potest hoc sale. Servius.

*Ære*] Intelligit naves illas, quæ æreo rostro in prora armantur, quas idem vates *aratas* vocat l. x. 'Quot prius æratæ steterant ad littora puppes:' et Livius rostratas xxxvi. 42. cum ait 'quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris speculatoriæ erant.' Ita multi Poëtam capiunt. Nunc mihi ante oculos Turnebus xii. 12. et xxvi. 23. et Parrhasius in Claudianum, et Philander in Vitruv. x. 21. Addit postremus sic capiendam *tridem Cypriam* Horatii, nam Tamasum, Cypri oppidum, habuit metalla æris plurima, ut constat ex Strabone l. xiv. Sed certe Horatius non eget hac explicatione: nam ipse tantum loquitur de nave oneraria, et quæ servit mercature, non bello. Redeo. Naves istæ rostratæ aut *arata*, dicuntur Græcis, χαλκήρεis, et χαλκέμβολοι, nisi minus *rostrum*, ipsum *æreum* dici χαλκέμβολον. Vide Liliū de Navigiis c. 11. Aristides in Rhodiaca, ἐμβόλους χαλκοστόμους, vocat *arata* rostra. Cerda.

*Spumas salis ære ruebant*] Id est,

spumans mare æratæ navium rostris socabant. Turneb. xi. 12. et xxvi. 23. et J. Parrhasius. Item G. Fabricius in hoc hemistichio duodecim numerat figuras. In genere, inquit, est περίπλοισι, pro, navigabant: item ἐνέργων, quia evidenter rem nauticam exprimit. In specie posuit, *spumas salis*, pro, mari spumante, κατὰ τὰς ἐκβάσεις, ἐντιμήριαν, συνισχυρίαν. *Ære*, pro, æratæ rostris, κατὰ μεταστροφάν, quia materia ponitur pro re confecta: κατ' ἐναλλαγήν numeri, quia singularis pro plurali: κατὰ συνεισροχάν, quia rostrum pro navi, pars pro toto: κατ' ἑλλειψίν, quia rostrum non nominatur, sed intelligitur: κατ' ἐναλλαγήν qualitatis, quia substantivus pro adjectivo ponitur, æs pro instrumento æreo: ruebant κατ' ἐναλλαγήν generis, neutrum pro activo: item κατ' ἐναλλαγήν figuræ, quia simplex pro composito, ruebant, pro *cruebant*, vel *pertuebant*. Tambwannus.

*40 Sub pectore*] Pro in pectore. Servius.

*Cum Juno æternam sæcenas*] Advertens Juno Trojanos de proximitate Italiæ laborare, recrudescere vulnus. Et exclusa ab inventione nocendi, et a loco et tempore, sic suos dolores intimis sensibus enumerat: *Mene*: componit summa arte, quales habere debnerit cogitationes, carens inventionem ad nocendum: et inducto qualitatis statu per exempla aliena inventa consilia enumerat. Et comparat personam suam cum persona Minervæ, et Trojanorum, et Græcorum, et inimicitiarum causas. Donatus.

*Æternum sub pectore vulnus*] 'Τρόκρδιον ἔλκος Theocr. et Lucret. l. i. 'æterno devinctus vulnere amoris.' Germanus.

*41 Hæc secum*] Subaudimus locuta est, deest enim hoc. Et hoc fictum est, ut superius diximus; unde enim hoc sciret Poëta? Bene autem impatiendam doloris ostendit, detrahendo ei solatia. Quia vehementer affectus

est sine conscio, ut, 'Et casum inson-  
tis mecum indignabar amici:' et:  
'crudelia secum Fata Lyci.' Et in  
quarto solam inducit Didonem, 'En  
quid ago' e contrario: 'Quicum  
partiri curas.' *Servius*.

*Hæc secum*] *Ἡπὸρὶ δὲ μὴ φέρω θυμῶν*.  
Od. x. Supra, 'tacitus mecum ipse  
voluto:' sic autem Hom. eod. Od. lib.  
Neptunum inducit ab Æthiopia re-  
deuntem naviganti Ulyssi tempesta-  
tem immittere. Et Eurip. *αὐτὴν πρὸς*  
*αὐτῶν*. *Germanus*.

*Hæc secum*] Est hoc, quod Ennius  
dixit Annal. iv. 'Tum cum corde suo  
Divum pater atque hominum rex  
Effatur.' Quod Terentius And. 'Ego-  
met continuo mecum.' et Æn. ii.  
'Et casum insonitis mecum indigna-  
bar amici.' Quod Apuleius l. iv. in  
magnis iris Veneris: 'impatiens in-  
dignationis, capite quassanti, fremens  
altius, sic secum disserit.' Græci,  
*παρ' ἑαυτοῦ ποιεῖν, παρ' ἑαυτοῦ λογίζεσθαι*,  
ex observatione H. Stephani. *Cerda*.

*Mene*] Ne, non vacat: significat  
autem ergo, et est conjunctio rationa-  
lis. *Servius*.

*Mene*] Emphasim habet pronomen,  
et magnum dicendi pondus, quod in-  
fra aperuit, cum dicit: 'Ast ego quæ  
divum incedo regina, Jovisque Et so-  
ror et conjunx.' *Donatus*.

*Incepto desistere*] Tolerabilius enim  
non inchoare, quam incepta deserere.  
Ut Terentius: 'Verum si incipias,  
neque pertendas naviter.' Et *mene*  
sic habet Emphasim, ut, 'Ast ego  
quæ divum incedo regina.' *Servius*.

*Victam*] Ut in vii. 'vincor ab Æ-  
nea.' Et victam se pronuntiat, velut  
victam; alii iratam tradunt. *Idem*.

*Incepto desistere victam*] Incepta  
sunt animorum destinatione. Salust.  
'Nam talia incepta non consultorem  
vertissent rerum pestem factura.'  
Dolet igitur intentionem suam sine  
effectu defecisse, nec superesse no-  
cendi consilium, vel tempus. Et quia  
bonorum est, incepta deserere, si aut

prece flectantur, ut sponte ignoscant;  
ostendit utranque occasionem perdi-  
disse, et incidisse in Indibrium; ut  
scilicet superata discederet. *Donat*.

*Mene incepto desistere victam*] Iratis  
propria oratio abrupta. Adde *æquum*,  
vel *dignum est*. Plura Sanctius in  
Minerva p. 354. ubi agit de Aposio-  
pesi. Tale est illud Horatii Sat. ii.  
4. 'Ten' lapides varios lutulenta ra-  
dere palma.' Ubi Lambinium con-  
sule. De hac Junonis indignantis et  
stomachantis locutione Turneb. v. 27.  
Recte *victam*, propter irritos conatus,  
ex voto minus succedentes: *victor*  
enim dicitur, qui, quod intendit, con-  
sequitur, juxta Servium Georg. iii. 9.  
*Emmenes*.

42 *Nec posse Italia Teucrorum aver-  
tere regem*] Et detraxit more suo  
præpositionem provincie. Non enim  
dixit, *de Italia*, sed *Italia*. *Servius*.

*Italia*] Id est, ab Italia. Sic alibi,  
'bellum ingens gerat Italia:' ergo si  
non poterat perdere, saltem disjun-  
gere ab Italia: et si omnes non peri-  
rent, saltem id obtineret juxta unum  
Æneam, cujus stirpi deberi sciebat  
imperium Rom. *Donatus*.

*Teucrorum*] Quia Tencor et Sca-  
mandrus Creta profecti Trojam vene-  
runt, qui a Dardano hospitio accepti  
de advenis cives facti; quia Batiam  
Teucri filiam Dardanus sibi junxit, et  
populares suos socero cognomines fe-  
cit. *Servius*.

*Avertere*] Id est, perpetuum regem,  
hoc est, nihil amisit, rex est, et mife  
Æneam noluit nominare. Honoran-  
tur enim minores a majoribus, si suo  
nomine fuerunt nominati: ut, 'Æole  
namque tibi:' contra contumelia est,  
si majores a minoribus suo nomine  
nominentur; ut, 'Junonis gravis ira.'  
et, 'Pacem te poscimus omnea,  
Turne:' non enim dixit Trojanos, sed  
unum hominem Trojanum. *Idem*.

*Avertere regem*] Id est, si perdere  
non potui, debui superare Teucrorum  
regem. *Donatus*.

43 *Quippe vector fatis*] *Revera*, inquit, fata me prohibent: ergo Juno ignorat vim fatorum. Sed hoc non possumus dicere, quia superius lectum est, 'Si qua fata sinant,' et, 'Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat.' Hoc ergo est, omnes res hominum aut ex nostra voluntate descendunt, ut puta, sedere, surgere: aut ex fati necessitate, ut puta, nasci, mori: aut ex deorum voluntate, ut puta, navigare, vel honoribus frui. Nunc de navigatione agitur: et bene invidiose, quasi etiam hujus rei potestatem ei possint fata detrahare. Est et alter latens sensus, ut speret se reginam contra exulum fata posse aliquid, si Minerva numen inferius valuit contra fata victorum. *Servius.*

*Quippe vector fatis*] Ergo magis debuit vetari Minerva, fatis Græcorum. *Donatus.*

*Pallasse*] Minerva ἀπὸ τοῦ πάλλευ τὸ δάψ, id est, ab hastæ concussione: vel quod Pallantem Giganta occiderit. Sane oportune hic Ajacis naufragium ad exemplum adfert. 'Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit.' Ne autem, conjunctio expletiva videtur an aliter? *Servius.*

*Pallasse*] Quæ non esset tanti meriti, aut potestatis. *Donatus.*

*Exurere*] *Exuri* dicitur, de quo nihil superest, ut, 'quid memorem exustas Erycino in litore classes.' *Servius.*

*Classem*] Ad invidiam posuit, ut pro una navi classem dicat: sic Venus, 'Navibus infandum amissis:' quam Orontes solus periisset: aut vera unam navem significat, ut Horat. 'Me vel extremos Numidarum in agros classe releget.' Classis enim dicta est ἀπὸ τῶν κλάων, id est, a lignis: unde et calones dicuntur milites, qui ligna deportant, et καλοπῳδια. *Idem.*

*Exurere classem*] Comparatio pœnarum. Minerva potuit naves Græ-

corum, et ipsos exurere; ego unam ab Italia arcere non potui. *Donatus.*

*Exurere*] *Urere* est aliquid lædere incendio: *exurere* est penitus abolere incendio. Confirmat autem Poëta soli Ænæ deberi imperium, cum de ipso solo laboret Juno. *Idem.*

44 *Argivum*] Quasi et illud contra fata. Et *Argivum* pro *Argivorum*, videtur accusativi singularis species pro genitivo plurali. Et bene *Argivum*, quos ipsa Juno amat, ut supra, 'Pro charis gesserat Argis.' *Servius.*

*Potuit*] Ad illud refertur, quod superius dixit, 'Nec posse Italia Teucr.' Et invidiosæ potentiam Minervæ exaggerat, quæ uno tempore potuit et exurere et submergere. *Idem.*

45 *Unius ob noxam*] In istis sermonibus *unius*, *illius*, *ipsius*, media syllaba naturaliter producit: sed, cum opus est, corripitur hac excusatione: nam quotiens vocalem longam vocalis sequitur, priori vires detrahit, ut est, 'Insulæ Ionio in magno.' et, 'Sub Ilio alto.' Et ob hoc mutat accentum: in Latino enim sermone cum penultima corripitur, antepenultima habet accentum, ut hoc loco, 'Unius ob noxam.' Et contra, 'Navibus infandum amissis unius ob iram Prodimur.' *Idem.*

*Ob noxam*] Pro *noxiam*. Et hoc interest inter *noxam* et *noxiam*; quod *noxia* culpa est, id est, peccatum: *Noxa* autem pœna. Quidam *noxa* quæ nocuit, *noxia* id quod nocitum, accipiunt. Sane latenter tangit Historiam: dicitur Minerva tantum ob vitiatam Cassandram in templo suo, solius Ajacis pœna non fuisse contenta, ut postea per oraculum de ejus regno quotannis unam nobilem puellam jusserit Ilium sibi ad sacrificium mitti; et quod est *amplius*, de ea tribu, de qua Ajax fuerat; sicut Anneus Placidus refert. *Idem.*

*Ob noxam*] *Noxa* pro damno, culpa, vel pœna, agnoscit Valla, sed *noxia*



nequam inveniri asserit vi. 26. Utramque vocem probat Sanctius in *Minerv.* iv. p. 294. sed noxia esse adjectivum, in quo subauditur culpa. Donati ad Terent. Phorm. i. 4. 48. sententiam amplectuntur non pasci, dicentis, per epenthesein noxam pro noxia usurpari; nunc culpam, alias poenam significare, quamquam si Festum sequamur noxa poena, vel *τιμωρία*, noxia *τιμωρία* culpa est. Sic Ter. Hec. iii. 1. 20. pro *levibus noxiis*, id est, injuriis. H. ii. 3. 57. *extra noxiam*. et Eun. v. 2. 13. *noxam hanc noxam mitte*, &c. pro, hujus mihi delicti gratiam feceris. Jurisconsultorum est locutio, *noxam dedere*, tu vel ad noxam dare, ut l. i. si quadrupes, &c. de qua Jac. Nic. Loens. vi. 11. etiam Quintil. Decl. ix. ubi recte δ *noxam* Gronovius *dedita* non *debita* legendum docet: non raro tamen confundantur hæc duo, sed de his plus quam satis. Secunda in *unius* anceps, ut apud Stat. Thebaid. iii. 'unius hand pudeat,' &c. *Emmenes*.

*Et furias*] Amorem: ut in Bacolicis, 'Seu quicunque furor.' Alii sic accipiunt, quod illum in furore deliquisse dicat, Troianos scientes. *Servius*.

*Furias*] In Oblongo codice sane quam vetusto *furiis* legitur, casu septimo, quod non æque placet: utrumque enim cadit sub præpositivam particulam *ob*. Pierius.

*Oilei*] *Oilei* non vacat. Nam et duo Ajaces fuerunt, et ambo perierunt. Sed ira armorum Telamonius, hic amore, quo Cassandram in templo Minervæ, capto Ilio, stupravit. Et est Græca figura si dicamus *Æneas Auchias*, et subaudiamus *filius*. Hac autem figura utimur circa patres, et maritos tantum: ut Virgilius, 'Deiphobe Glauci,' id est, filia: 'Hectoris Andromache,' id est, uxor. Sane hic Ajax *Oilei filius*: a multis historicis Græcis, tertiam manum dicitur post tergum habuisse; quod ideò est

fictum, quia de caelestibus utebatur in prælio manibus, ut tertiam habere putaretur. *Servius*.

*Ajaces Oilei*] Ajax temerarius, ancilegus, in templo deæ, in templo virginis, ante ipsas aras, in conspectu numinis, regiam sacerdotum, eamque intactam, quam perditæ amabat, stupro violavit. *Æn.* ii. Hoc tamen atrox facinus Juno hic extenuat: quasi Trojanorum graviora essent. Vocat *Noxam*, quod levioris criminis aut culpæ nomen est: et quidem *unius*; quod facilius possit condonari: et *furias*, ut non crimen, sed culpa sit: nam qui mentis imops est, meretur veniam. Quanquam hic furor amoris erat furor: sive furiosus amor. *Noxa* autem hic culpam significat, ut Beroald. contra Serv. docuit. Et notat alicubi Jos. Scaliger, quod hodie in Gallia jurgium vocatur *Noxia*, id a noxia detortum esse, quod aliquando notet jurgium ac dissidium. Petronius: 'In mediam noxam perfertur.' Anonius: 'Sæpe in conjugis fit noxia, si nimia est dos.' *Taubmann*.

*Ajaces Oilei*] Quemadmodum Homerus *Odyss.* A. 500. et seqq. attigit naufragium et interitum Ajacis Oilei, qui ob stupratam in Palladis templo Cassandram in maximam Deæ offensam ceciderat; sic alludit Horat. Epod. x. 'Quietiore nec feratur æquore, Quam Graja victoriam manns; Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio In impiam Ajacis ratem.' Latius autem hanc calamitatem, quæ victricem Græcorum classem afflixit, exponit Ovid. xiv. 467. et seqq. *Emmenes*.

46 *Ipsa*] Bene *ipsa*: dulcis est enim propria manu quæsitæ vindicta. Unde plus dolet Juno alienis se viribus niti, ut *Æoli*: vel inferorum, sicut *ipsa*, 'Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.' *Servius*.

*Rapidum*] Velocem: ut est, 'Quum rapidus Sol Nondum hiemem contin-

git equis, jam præterit ætas.' Item, 'Rapidive potentia Solis.' Sed cum Varro Divinarum v. quatuor Diis fulmina adsignet, inter quos et Minervæ, queritur cur Minerva Jovis fulmen miserit? Antiqui Jovis solius putaverant esse fulmen, nec id unum esse, ut testantur Etrusci libri de fulguribus, in quibus duodecim genera fulminum scripta sunt; ita, ut Jovis, Janonis, Minervæ, sic quoque aliorum: nam de Janonis fulmine Aecius ait, 'Præservido fulgore ardor injectus Janonis dextra ingenti incidit.' Quare non possit Minervam misisse fulmen suum? sed nonnulli dicunt habere quidem Minervam, ut Jovem et Janonem fulmen, sed non tantum valere, ut vindictam suam possit implere, nisi ipsa esset Jovis fulmine: unde merito queritur Iuno, Minervam, cum de numero minorum sit, qui fulmen habeant, usam tamen Jovis fulmine. *Idem.*

*Jaculate*] In libris Etruscorum lectum est, jactus fulminum, manubias dici: et certa esse numina possidentia fulminum jactus, inter quos etiam Minerva, sicut supra dictum est; cavendam ergo ne confusione hoc aliis numinibus demus. Et *jaculata* pro *jaculans*, participium passivum pro activo posuit. *Idem.*

*E nubibus*] Secundum physicos, qui dicunt collisione nubium fulmen creari. Et indignatur Iuno, quod cum nubes suæ sint, pariter eis Minerva, ac Jovis fulmine ipsa sit, cum sibi neutrum possit. *Idem.*

*Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem*] Periphrasis est fulminis. Fulmen Juppiter jaculabatur, alii interdum Dii, quibus peculiare erat ac distinctum fulmen a Jovis fulmine. Sed Pallas non contenta suo, alieno Jovis utebatur, quod atrocius ac sævius. Acron in illud Horat. 'Iam satis terris,' &c. sic scribit: 'omnes manubiae albæ et nigræ Palladis esse dicuntur; Jovis rubræ, et sanguinæ.'

Sic legit verba Acronis Nannius Miscel. III. Est autem manubias Etruscorum lingua, fulmen, seu jactus fulminis. Adi Senecam Nat. Quæst. II. 41. Calaber I. XIV. inducit Jovem præbentem Palladi arma, quæ sibi Cyclopes fabricaverant, videlicet ἄλυν κεραυνόν, βροντὴν στονέσσων, ut Pallas utatur in Græcos armis istis. Euripides etiam in Troadib. sic infert Neptunum loquentem ad Palladem, 'Ἄλλ' εἰς Ὀλύμπου ἔρπε, καὶ κεραυνόεντες Βολὰς λαβοῦσα πατὴρς ἐκ χειρῶν. Ibidem Pallas glorians, 'Ἐμὼ δὲ δόσαν φησὶ πῦρ κεραυνίον, βάλλειν Ἀχαιοὺς. Seneca Agamemni. 'fulmine irati Jovis Armata Pallas.' Fuisse hoc singulare Palladis privilegium, non aliorum numinum, elici potest ex Aristide, qui orat. II. scribit de hac Dea, μόνη δὲ τοῖς τοῦ πατρὸς ὅπλοις κοσμεῖται; sola palernis armis ornatur; quod firmat testimonio Homeri. Quod non de ægide tantum intelligendum, sed de fulmine, cum Æschylus ἐν Εὐμεν. Palladem inducat ita gloriantem, Καὶ κλῆδας οἶδα δομάτων μόνη θεῶν, 'Ἐν ᾧ κεραυνὸς ἐστὶ. et cum dicat idem Aristides: ἔξουσι τὰ τοῦ Διὸς ἔργα κοινὰ τοῦ Διὸς εἶναι φῆσαι, καὶ τῆς Ἀθηνῆς. Quæ dixi, pertinent ad fulmen Jovis, quo tamen Pallas utitur. Sed ipsam quidem suum habere fulmen, tum ex Acrone jam adducto, tum liquidum ex Flacco Argon. I. IV. 'Prima cornescanti signum dedit ægide virgo, Fulmineam jaculata facem:' quo spectat, in nummo Domitiani (vidi in Ant. August. Icon. I. V. in aversa parte excudi Palladem tenentem fulmen. Ut Virgilius autem *jaculor* de fulmine, ita Plinius II. 20. 'Jovem fulmina jaculari.' *Cerda.*

47 *Disjecitque*] Quidam volunt fulminum genera quatuor esse. Unum quod dicitur disjiciens, idemque fragosum; alterum transfigens, tertium corripiens, quartum infigans: quas omnes species more suo in annis fulguris descriptione attigit, dicens pri-

num, *Disiecitque rates*: secundum, *Ilum expirantem*: tertium, *Turbine corripuit*: quartum, *Scopuloque infixit acuto*. Servius.

*Rates*] Abusive, naves: nam proprie rates sunt connexæ invicem trabes. Varro ad Ciceronem, 'Ratis, dicta navis longa propter remos: quod hi supra aquam sublati dextra et sinistra duas rates efficere videntur.' Ratis enim unde hoc translatum, ubi plures mali vel trabes juncti aqua ducuntur. Hinc naviculæ cum remis *ratianæ* dicuntur. *Idem*.

*Disiecitque rates*] Ne si alicui contigisset evadere, haberet navigandi subsidium.

*Evertitque æquora ventis*] Alieno usa est imperio. Nam Jovis fulmen arripuit, et Neptuni imperium. Habuit enim potestatem in ventos, qui alieno subjecti sunt imperio. *Donatus*.

*Disiecitque rates, evertitque æquora ventis*] Rates, id est, *ορχηstra* et compactas invicem trabes disiecit: ne quis enavigandi haberet subsidium. Nec solum Jovis fulmen arripuit, sed et in ventos jubendi potestatem habuit: quibus et *æquora evertit*, id est, mare prius tranquillum ita perturbavit, ut plane eversum videretur. Scalliger iv. 16. 'Maluit, inquit, Poëta *erertit*, quam *subvertit*: quasi extra alveum suum verterit: grandis est.' Atque hæc ab Euripid. Troad. sumpta ait Macrob. v. 22. Porro Gifanius dubitat, num rectius legatur, *evertit*: quia in Lucret. sit, 'verrentes æquora venti.' At ego non dubito quin illud sit rectius, utpote vehementius. *Taubmann*.

48 *Ilum*] Auctorem scilicet criminis. *Servius*.

*Ilum*] Emphasim pronomen habet: quasi temerarium, inconsideratum, sacrilegum, prophanum, qui in templo deæ virginis, ante aras, in conspectu numinis, regiam sacerdotem intactam violavit. *Donatus*.

*Ilum expirantem*] Id est, cum ani-

ma flammam fulminis evomentem. Sic Æn. xi. 'confixi expirant animas.' Notetur soliditas et stabilitas numerorum. *Ilum expirantem*: ut alibi; *Ilum et labentem*. Ex illo enim si detraxeris *ex*, deque hoc *et*, dixerisque, *Ilum spirantem*; *Ilum labentem*; cartum nescio quid aures statim offendit. Hoc autem ideo dicimus, quod non ubique collisiones istæ fiunt necessitate carminis, sed arte potius, atque aurium obsequio, id est, numerorum gratia. Cur vero syllabæ ex vocali *m* compactæ deturbentur ubique nunc e verso, (contra, quam prisci faciebant, ut Ennius; 'et milia militum octo,') videtur causæ illud esse, quod propter *m* terminalem obtusum nescio quid ac subobscurum sonet, quod aures in fine vocum vix patiantur. *Pontanus in Actio*. *Taubmann*.

*Expirantem flammam*] Non animam dicit *flammam*, sed cum anima fulminis flammam vomentem. Et ut superius pleno nomini adjecit *opum*, id est, *dioces opum*: sic hic verbo: cum enim plenum sit *Expirat*, addidit *Flammam*: ut alio loco, *Animas*: ut, 'Confixi expirant animas': alii *expirantem* anhelantem accipiunt. Probas et *tempore* legit, ut ipse 'Liquenfacto tempora plumbo.' Sed qui legunt *pectore*, de Accio translatum affirmant, qui ait in Clytemnestra de Ajace: 'In pectore fulmen inchoatum, flammam ostentabat Iovis.' Qui *tempore* legunt de typica historia tractum dicunt. Nam Ardeæ, in templo Castoris et Pollucis in læva intrantibus post fores Capaneos pictus est, fulmen per utraque tempora trajectus: et singulare nomen pro plurali. Totius autem Italiæ curiosissimum fulsæ Virgilium, multifariam apparet. *Servius*.

*Ilum expirantem*] Illa propter nomen, plurimos perdidit: ego a plurimis offensa, unum ab Italia arcere non possum. Et quod auget dolorem, ostendit Minervam minorem deam Jovis

salvare uti potuisse : et in pœna delicti defendit auctorem. Si ergo ille iniuncto gravissimum pertulit supplicium, multo magis ejus socii. Defendit autem culpam in amorem rejiciens, et utitur veniali statu. Factum enim, quod manifestum est, non pergatur, nisi dicatur, non erat suæ mentis, nec sui comitii Ajax, sed furore amoris trahebatur. Nam quicquid sit per Pathos, non ascribitur homini. *Donatus.*

*Pectore]* Quo vulnus exanimis letale esset. *Idem.*

*49 Turbine]* Vehemilitate ventorum. *Servius.*

*Turbine corripuit]* Nam aliter infigi non poterat, et ostendit vim iræ in tanto impulsu. *Donatus.*

*Scopulo]* Saxo eminenti. *Scopulus* autem a specularando dictus : aut a tegumento navium, *à τοῦ σκεπάζειν*. Contigerunt autem ista circa Caphareum montem Eabonæ. *Servius.*

*Infixit]* Cornutus ait, *infixit*, verius, ut ait vehementius. *Idem.*

*Infixit scopulo]* Ne ad litus deveniens saltem sepulcrum acquireret. *Donatus.*

*Scopuloque infixit acule]* Sicut qui legunt *infixit* ad majorem quandam actionem ostendendam : quod ego nequam in veteribus codicibus observavi. Sane vero Tl. *Donatus* *infixit* agnoscit, dum ait, 'Figi enim non potuit, nisi argente turbine : cum pondere, atque magno ictu saxo fuisset illius.' Et inferius, 'Hic etiam illud intelligi potest, idcirco enim infixum scopulo, ne delatus fortassis ad litus, sepulcrum saltem beneficium reperiret.' Verum hæc et alla ejus scripta in impressis codicibus passim mutilata, laceraque et majori sui parte depravata sunt. *Pierius.*

*Scopuloque infixit]* Hoc quoque ad irascentis animum pertinet : ut, cum in acutum scopulum etiam modesto fluctu actus hære potuisset, a turbine ventorum vis major adderetur,

quo facilius fieret quod volebat offensum. Atque idcirco etiam *scopulo infixit*, ne delatus forte ad litus, sepulcrum saltem beneficium reperiret. Alii, in quis et Lamb. legunt, *infixit*. Hæc autem juxta Caphareum Eubonæ promontorium contingere. *Turneb.*

*50 At ego]* Nunc comparat singula. Et ac leve esset quod dixerat, *Ego*, addidit. *Servius.*

*At ego quæ dicum incedo reg. &c.]* Declarat quid sit illud : *At ego*, scilicet quæ omni genere rerum Minervam supero. Sum enim regina : sum soror et conjunx Jovis. Unde deberem ab eo qui frater est et maritus omnia impetrare. 'Una cum gente tot annos Bella gero,' cum Minerva uno ictu potuerit. *Donatus.*

*At ego, &c.]* *Turneb.* personam addit *Ego* : quam a genere et majestate illustrat. Ita et *Æn. vii.* Iuno queritur : 'Mars perdere gentem Immanem Lapithum potuit,' &c. Proprie autem dixit, *Incedo* : judicabant enim veteres Junonem insigni quadam majestate incessus procedere. Hinc et Athenæus, *ἡμῶν βαδίζει*, id est, *Incedo incessus ambulat*, pro gravitate quadam et magnificentia incessus, dixit : ut et Propert. II. 2. 'incedit vel Iove digna soror.' Vide *Turneb. xiii. 16.* Notat etiam *Servius*, *incedere* proprie esse nobilium personarum. De hac autem divina tum verborum tum pedum compositione, non casu (ut imperiti existimant) sed arte summa et judicio facta copiose disputant, *Trapezantius*, *Pontanus*, *Maranta*, alii. Cur autem Iuno et *Soror* et *Conjux* sit *Iovis*, docet *Cic. de Natura Deorum, ii. et Macrob. i. 17.* In *Somn. Scip. Juppiter* est *æther*, id est, ignis, et *Mundi anima*. Iuno est *aër* ; et dicitur *Soror Iovis*, quia iisdem seminibus, quibus cælum, etiam *aër* est procreatus : *Conjux*, quia *aër* subjectus est cælo. *Varro* et alii aliter. Porro de hac comparatione, qua Iuno non quidem se Mi-

narum, sed Minervam sibi comparat, vide Scalig. m. 49. *Trübmann*.

*Dionæ reginæ*] Sic *Sallust*. *Vas autem*, hoc est, populus Romana. *Dionæ* pro *Diverum*, sicut *Argivum*. *Servius*.

*Reginæ*] Ἀτλῆς pro *Iunone* apud *Iuvenal*. Sat. xii. 3. 'niveam reginæ cædinus agnam.' *Emmenes*.

*Incedo*] *Incedere* propriè est nobili-um personarum. Hoc est cum aliqua dignitate ambulare: ut *Æm.* i. 'Reginæ ad templum forma pulcherrima Dido Inceasit.' et, 'ant jaculo incedit melior.' *Sallustius*, 'Incedunt per ora vestra magnifici.' *Servius*.

*Incedo*] De inceas *Iunonia*, de quo proverbium, *Hesiod.* Theog. va. 18. Καὶ πότνια Ἰφρι, Ἀργείων, χρωστοῖσι τοῦλοις ἐμβαδάνει. *Emmenes*.

*Iovisque Et soror et conjux*] *Phyfici* Jovem ætherem, id est, ignem volunt intelligi; *Iunonem* vero æ-rem, et quoniam temeritate hæc elementa paria sunt, dixerunt esse germana. Sed quoniam *Juno*, hoc est, ær, subjectus est igni, id est, *Jovi*, jure superposito elemento mariti nomen traditum est. *Jovem* autem a juvando dixerunt: nulla enim res sic fovet omnia quomodo calor. *Servius*.

*Jovis Et soror et conjux*] Ita *Homerus* Il. xvi. de *Iunone* καὶ γυνήτην, ἑλοχίῳ τε. Ideo *Iuno* Il. iv. ἐμφορέρον usurpat, de eadem re loquens. *Nazianzenus* contra *Iulianum*, orat. i. Ἦρα τοῦ μεγάλου Διὸς ἀδελφὴ, καὶ ἀμύγυες: *Iuno magni Iovis soror et conjux*. *Seneca Agam.* 'ades o magni Soror et conjux comors sceptri Regia *Iuno*.' *Apulejus* l. vi. 'Magni Iovis germana, et conjuga.' *Cicero* etiam *Natur. D.* ii. loquens de *Iunone*, 'soror et conjux Iovis.' Est hoc quod *Minutius* reprehendit: 'Deos colitis incestos, eum matre, cum filia, cum sorore conjunctos.' *Cædæ*.

*Jovis Et soror et conjux*] Sic, ubi

stomachum erumpit *Juno*, apud *Horat.* od. iii. 3. 'Troja renascens alite lagabri *Fortuna*, tristi clade itonabit, Ducente victricis catervas *Conjuge* me *Jovis* et sorore.' *Emmenes*.

51 *Et soror et conjux*] In plerisque veteribus exemplaribus *conjux* abaque a litera in ultima syllaba legitur: sicuti *Scaurus* melius putat dici, et scribi: et a *Sosipatre Cariso* *conjux* inter ea nomina recensetur, quæ us litteris finiuntur: ut *nax*, *Pellæx*. Neque vero hic veterum inscriptiones recensebo: quum in nulla pene dictione variata magis scribendi ratio, quam in hoc nomine reperitur. *Pierius*.

*Tot annos*] Pro *tot annis*. Licenter in istis locutionibus, et accusativo utimur et ablativo. Dicimus easim et tota nocte legi: et totam noctem legi. Honeatior tamen elocutio est per accusativum. Sane *tot annos* continuationem significat, *tot annis* interval- lam. *Servius*.

52 *Et quisquam*] Non *Trojanorum*, sed omnium generaliter. *Idem*.

*Et quisquam numen Junonis adorat*] In codice *Longobardico*, et aliquot aliis antiquioribus aut *quisquam* legitur: quam lectionem *Servius* agnoscit. Est autem *Græcorum* imitatio, qui τὸ ἃ disjunctivam, et interrogativam particulam usurpant. In aliquot aliis, *ecquisquam*. In aliis aut *quis jam*. Quæ lectio sit ex his easior judican- da, aliorum judicio relinquamus. Id- que potius dicemus *adorat* præsentî tempore indicativi modi tam in *Romano*, quam in codicibus aliquot anti- quis haberi: et quod subsequitur, aut *supplex aris inponat honorem*, in eodem *Romano* codice, inponet futuri temporis esse. Alii quidam codices non contemnendi inponit legunt, ead- em synchronia, qua lectum est *adorat*. Utriusque verbi lectio eodem tempore *Donato* agnita, qui totum hoc de *Trojanis* dictum putat, eos scilicet *Junonis* numen non adorare,

ad tria ejus non imponere sacrificia: quod se sperarent cum resistendo superaturos. Neque tamen contemnenda est vulgata lectio, *aderet* et *imponat*, figura loquendi Græcæ et elegant: magis enim indignationem exaggerat, si ad nationes reliquas referatur: quippe, nisi supplicium de Trojanis sumat, nisi eos perdat, aut ulciscatur, futuram, ut nuncæ eorum apud omnes gentes et nationes despiciatissimam habeatur. *Pierius.*

*Et quisquam nomen Iunonis adorat]* De Junone et Eurip. *τῶνδ' ὅπ' ἔρ' τοῦ ἀπαρξέω*; Hæc locum est imitatus Naso Am. l. III. 'Et quisquam pia thura focis imponere curet?' et Metam. II. 'Et vovo cur quis Junonem hædere nolit Offensumque tremat quæ prosum sola nocendo?' *Germ.*

*Quisquam nomen Iunonis adorat]* Quisquam interrogationem cum indignatione quadam complectitur: exempla habet Hadr. Cardinal. de Serm. Latine. idem fere expressit Homerus *ὄδυσ. v. 128. Ζεὺ πάρος, εὐχέτ' Ἰουναί, &c. Emmonius.*

*Iunonis]* Pro meum, nomen pro pronomine. *Servius.*

*53 Præterea]* Postea: at, 'Præterea vidit: nec partitor arci Amplius obiectam passus transire paludem.' *Idem.*

*Præterea]* In medio posuit, et hic est repetendum. *Donatus.*

*Supplex aris imponit]* Breviter utramque dixit, aut enim suscipiuntur vota precibus, aut honore redduntur, et ostendere vult, non solum non sibi supplicandum, sed nec simplici veneratione dignam futuram. *Servius.*

*Aut supplex aris imponit honorem]* Par locus Ovid. eleg. l. III. 'Et quisquam pia thura focis imponere curet?' *Cerda.*

*Honorem]* Hæc voce frequenter usus esse Maronem ad augendam dictionis majestatem notat Scalig. Poët. sv. 16. ut, 'Divum templis

inducit honorem?' ibi plura. *Eum.*

*54 Talla flammato]* Quod superius intermiserat, nunc reddit: nam dixerat superius, *Mæs æcum*: et modo, *æcum volutans*. *Servius.*

*Flammato]* Superius dicit accensa: sed plus est flammato pectore, ut ostendat quantum accreverit ira, et comparatione Minervæ. Nocendi autem consilium de Minervæ exemplo cepit; præsertim cum Trojanos videret navigantes. *Donatus.*

*Talla flammato corde]* Grande vocabum est, ut Scaliger Poët. iv. 16. Quo usus Scatius Theb. l. 249. 'aut illi saucia dictis Flammato versans inopinum corde dolorem.' Tacito familiare, pro composito *inflammare*. Histor. II. 74. 'namque omnes exercitus flammaverat arrogantia militum:' idem iv. 24. 'his inter se verbis instinctos flammavere insuper ablatæ a Vespasiano literæ.' *Eum.*

*Volutans]* Id est, cogitans. Multi sane *talla volutans*, *tallu revolutans* accipiunt. *Servius.*

*55 Nimborum]* Nimbi enim ventos significant: plerumque nubes vel pluvias: ergo prout locus fuerit, intelligamus. Proprie tamen nimbi dicuntur repentine et precipites pluvie; nam pluvias vocamus lentas et jugas. Et figurate *Patriam*, *loco*, *usum* enim varietas ipsa significat. *Idem.*

*Nimborum in patriam]* Habet rationem personæ, non reginæ, sed iratæ, quæ occasionem nolit omittere loci et temporis. Nam si rationem reginæ haberet, mitteret aliquem, qui Æolo juberet. Sed quia mandata, nisi ipsa adesset, poterant aut negligenter agi, aut diffidri, et sic prætariret nocendi occasio, omisit personam reginæ. Et sic monet Poëta per nos ipsos agendum, quod rectius curari volumus, et inferiori personæ exhibendum honorem, si illa indigemus. Nam gratatur sibi a petiore esse delatam. Cætera significant ventos cavis terræ oriri. *Donatus.*

*Nimborum in patriam*] Homerus Odyss. K. in principio. Ovid. l. xi. et xiv. *Hart.*

*Loca facta*] Nunc plena, veluti est, 'Fœta armis.' Sciendum est etiam *factam* dici et gravidam, et partu liberatam: ut, 'Fecerat et viridi factam Mavortis in antro.' Enixam eam fuisse, lac quod pueris præbatur; ostendit. Item *factam*, gravidam; ut est, 'Non insueta graveis tentabant pabula factas.' Ergo quia *facta* medius sermo est, hene hoc loco epitheta duo discrevit; dicens, *Graveis factas*: ut *bonum facinus*, et *malum facinus* dicimus, et *bonum venenum* et *malum venenum*. Servius.

*Austriis*] Figura est celebrata apud Virgilium: et est species pro genere. Legerat apud Ennium, *Furentibus ventis*: sed quasi asperum fugit, et posuit *Austriis*, pro ventis. *Idem.*

*Austriis*] Sunt qui cum spiritu locum *hauster*, quasi ab hauriendo. alii ab *abornops* derivare malunt, quia nocet vehementer, pro qua stat sententia Dausq. Orthogr. p. 50. *Emm.*

56 *Æoliam venit*] Ut *Italiam fato*, Pro in *Æoliam*. Novem autem insulæ, quæ sunt circa fretum Siciliæ, vocantur *Æollæ* ab *Æolo* rege Siciliæ, licet propria nomina habeant: unde Virgilius ait, '*Æoliam* Liparem.' Poëtæ quidem fingunt hunc regem esse ventorum, Ippotæ sive Iovis sive Neptuni filium, qui cum immineret bellum, quo Tyrronus Lypari frater, Peloponessum vastare proposuisset; missus ab Agamemnone, ut freta tueretur, pervenit ad Lyparum, qui supra dictas insulas regebat imperio; factaque amicitia, Cyanam filiam ejus in matrimonium sumpsit, et Strongulam insulam, in qua maneret, accepit. Varro autem dicit hunc insularum regem fuisse, ex quarum nebulis et fumo Vulcaniæ insulæ, prædicens futura flabra ventorum, ab imperitis visus est ventos sua potestate retinere. *Servius.*

*Æoliam venit*] De insulis *Æollis*, et imperio *Æoli*, vide si placet: Dionysium in descript. orbis. Etiam Diodor. v. 3. et Strabo. l. vi. et Gyraldum Syntagm. v. *Pontemus.*

*Æoliam venit*] Quæ ventorum insularumque patria est, ut ex Ovidi Met. l. 261. et seqq. Tales insulas Mela ii. 7. numerat septem: sed Turneb. xxi. 10. hic designari Strongylem (hodie *Stromboli*) testatur, quia, Solino l. xii. et Plin. iii. 9. testantibus, *domus Æoli* vocatur. *Emm.*

*Hic*] Illic, ut superius, 'Hic illius arma, hic currus fuit.' *Servius.*

*Vasto antro*] Physica ratione hoc fingit poëta: naturale enim est, ut loca concava plena sint ventis. Sane *vasto* pro desolato veteres ponebant. Ennius Ifigenia: 'Quæ nunc abs te viduæ et vastæ virgines sunt.' Ponebant et pro magno. Clodius commentariorum: *vasta; inania, magnus.* Id.

*Vasto antro*] Id est, ingenti, ut Non. Marcel. c. 4. passim, sic noëter: etiam Phædr. fab. i. 6. 'cepissent cervum vasti corporis.' *Emmense.*

*Rex Æolus*] Scribit Diodorus l. v. *Æolum* Vulcani insulis imperasse (quæ ab eodem postea *Æollæ* sunt nominatæ) *plum* fuisse, ac justum regem, et perhumanam erga hospites, ac nautas, docuisse velis uti; præterea ex diligenti ignis observatione prædicere solitum, qui venti futuri essent, atque inde locum datum fabulæ, ut ventorum Rex fingeretur. Eadem fere Strabo l. i. Dionysius affert de illo βασιλῆος φιλοφρον, propter illam in hospitibus humanitatem. Homerus Odyss. l. x. illum vocat *ταμὴν ἀνέμων, promum condantque ventorum*. Plutarchus de exilio, *τὸν θεοφιλέτατον Αἰόλον, Diis charissimum Æolum*. Horatius, 'ventorum pater.' Fuisse hunc Regem Thuscorum Sosstratus scribit l. ii. rerum Thuscanicarum, et Plutarchus in parallel. Ovidius Met. l. xiv. '*Æolon* ille refert Thusco regnare profundo.' Queda

ignis observatione dixit Diodorus, capiendum fortasse de fumo, ex mente Plinii, II. 9. et Solini, qui scribunt, Æolum, cum regnaret in Strongyle, ex ejus insulæ fumo, quinam flaturi essent venti, in triduum prædicere solitum: inde existimatum ventos Æolo paruisse. *Cerda.*

*Antro*] Antrum hoc et cavernam ventorum ita late describit Valerius Flaccus Arg. I. 'Continuo Æoliam Tyrrhenaque littora tendit. Stat rupes horrenda fretis; quot in æthera surgunt Molibus, infernas totidem demissa sub undas. Has Nymphæ ventique domos, et naufraga servat Tempestas.' *Idem.*

57 *Luctantis*] Elaborantes egredi, vel inter se sævientes. *Servius.*

*Luctantis ventos, &c.*] Huic sermoni affinis sermo Aristophanis, qui in Vespis de Borea ἐπεστρατεύσατο. Potestatem Æoli in ventos atque imperium Virgilius expressit, Poëtis omnibus grandius, sublimius, magnificentius. Quis conferendus cum duobus versibus, in quibus nunc sum? quis cum illis, 'celsa sedet Æolus arce, Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras?' Quid cum andies? 'Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.' Quid illa? 'Æole, namque tibi Divum pater, atque hominum rex, Et mulcere dedit fluctus, et tollere vento.' Quid demum? 'Nimborumque facis tempestatumque parentem.' Audisti Poëtam, veris Poëtarum omnium magistrum. *Cerda.*

*Sonoras*] Graves sonis. Et est tempestatis epitheton. Ordo autem talis est, Æolus ventos et tempestates sonoras vasto antro premit. Quidam *sonoras* semper strepentes tradunt; ut, 'fluminibusque sonoris': nam *sonorum* est quidquid sine intermissione sonum servat; *sonans* vero quod ad tempus auditur. Male autem quidam accipiunt *sonoras* pro *sonantes*, cum sit proprium *sonoras*, ut θάλασσά τε

ἔχουσιν. Aliud enim est ἔχουσιν, sonana. *Servius.*

*Sonorus*] Nescio quæ major dignitas in hac voce, quam si diceret *sonantes*. Ita Val. Arg. I. 'Dii quibus undarum, tempestatisque sonora Imperiam.' *Cerda.*

58 *Ac vinclis, &c.*] Translatio est per poeticam licentiam facta. Carcer autem est undecunque prohibemur exire, dictus quasi *erorr* ab arcendo. Locum autem, in quo servantur noxii, carcerem dicimus numero tantum singulari: unde vero erumpunt quadrigræ, carceres dicimus numero tantum plurali: licet plerumque usurpet Poëta, ut est, 'Ruuntque effusi carcere currus': alii vinclis carceris tradunt: ut, 'Quam ferro excisam crebrisque bipennibus instant.' *Serv.*

*Imperio premit*] Homerus Odyss. K. ἃ μὲν παύμεναι, ἃ δ' ἐπρόκειν ἐν αἰθέρι. *Hartung.*

*Carcere*] De ventis quoque carcerem dixit Lucan. I. v. 'Æolii jacuisse Notum sub carcere saxi:' et Valer. Arg. I. 'fundunt se carcere læti Thraces equi:' et Ovidius Met. XIV. 'Æolon Hippotadem cohibentem carcere ventos.' Silius I. IV. 'Et pater Æolio qui frangit carcere ventos.' *Cerda.*

*Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat*] Sub sua potestate habet ventos Æolus in carcere, qui cum exeuundi veniam concedit, dicitur janua carceris patere, ut Ovid. Fast. II. 455. 'Et sex reserata diebus Carceris Æolii janua laxa patet.' Eleganter alludit Juvenal. Sat. x. 180. cum de Xerxe agit: 'In corum, atque eorum solitus sævire flagellis Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos.' *Emmeness.*

59 *Illi indignantes*] Hic aperte ostendit, quid sit luciantes. *Servius.*

*Illi indignantes*] Hos impetus ventorum, hæc murmura indignantium in cavernis expressit Calaber I. XIV. 'Ενθ' ἄνεμοι κελαδωνὴ δυσυχῆες πύλιντο



*Ἐν νεφέῃ κενθῶνται. πρὸς τὴν δ' αὖτ' ἰατρίαν, Βρονχομένη ἀλγυστά:* Ubi venti magnos strepentes murmure stationem habent. In vacua spelunca: perpetuoque sonus circumfremit Horrendum rugiens. Sed et Lucretius l. vi. ita: 'Speiuncasque velut saxis pendentibus stractas Cernere quot venti cum tempestate coorta Complerunt, magno indignantur murmure clausi Nubibus, in caveisque ferarum more mimantur.' Valerius Flaccus Arg. i. 'at cuncti frenare intus,' sequitur de ventis clausis. *Cerda.*

*Magno cum murmure]* Non circum montis claustra, sed cum magno montis murmure fremebant: et est major sonus; sic fremebant, ut etiam antea possent sonare. Sic dixit Pacuvius *Murmur maris*, quia ventos murmur sequitur, ut ipse alibi, 'Magno misceri murmure Pontum.' *Servius.*

*Cum murmure]* Fremebant, quod ventos murmur sequitur, nam et murmur (maris) dicitur. *Idem.*

60 *Circum fremunt]* Quidam hoc loco *fremunt*, id est, imperia recusant, intelligunt, ut a Cos. in *Ananiam Secundo*, &c. 'Ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia cepisset,' id est, recusare. Ita et hic ostendit ventos imperia recusantes. Nonnunquam *fremere*, velle significat, ut: *arma amens fremis.* *Servius.*

*Claustra]* Hac voce usus quoque Statius Theb. i. 'iam claustra rigentis Æolæ perculsa sonant.' Inde eundem explicabis, Theb. iii. 'Tum fragor hiberni subitus Iovis; omnia mundi claustra tonant.' Quæ hæc claustra, nisi unde venti infremunt a quatuor orbis partibus? Ita et Claudianus Rap. i. 'si forte adversus ahenos Æolus objecit postes, vane cit inanis Impetus, et fractæ redeunt in claustra procellæ.' *Cerda.*

*Celsa arce]* Secundum quod superius diximus. Venti enim melius deprehenduntur ex alto. *Servius.*

*Sedet]* Non ostiatur, sed curat. *Sedet* enim apud antiquos, *consideret* significabat: ut, 'ipse Turnas sacra ta valle sedebat.' *Idem.*

*Celsa sedes]* Sedet Æolus in solio, quod est in celsa arce. *Celsum* est solium: quia hic habitus conciliat majestatem: et inferiora melius ex alto observantur, ut hic venti. *Sedere* autem non est ostiari, sed curare et considerare, teste Servio. Et notat Turnebus, *sedere* magistratum esse, exemplis Cic. in Vatini. 'De quibus duos prætextatos accedentes vides.' Et pro Rab. 'Modo vos in Gabinium iudices sedistis.' Ita Catellus: 'Consule Pompeio primam duo, Clana, sedebant Mœchii,' &c. Ubi Gifan. annotat, *sedebant*, senatorium esse. *Traubmann.*

61 *Mollisque animos]* Id est, Ventos, *ἀνδρ' τὰν δαίμων:* veluti est, 'Quantum ignes animæque valent,' et Horatius, 'Impellant animæ linthea Thraciæ.' *Sertius.*

*Mollis?]* Ideo dixit, ut per transitum ostenderet, et vitia naturæ nolle ratione mutari, sed mitigari aliquatenus posse. *Idem.*

62 *Maria de terras oculumque profundum]* Atqui quatuor elementa sunt: terra, aqua, aer, æther. Sed hoc loco rite prætermisit ætherem: quia venti non turbant superiora, ut ait Lucretius, 'Pacem summam tenent': sed aut terras, aut maria, aut aërem. Nam cælum hoc loco pro aëre posuit: ut Lucretius, 'In hoc cælo qui dicitur Aër.' *profundum* autem et *sublimis* dicitur, ut *supremum*, *altum*: *Pro supreme Jupiter:* potestatem potest et ad maria et ad terras referri; quidam *profundum*, in profundum accipiunt; alii pro funditus: et sicut hic *profundum* in altitudinem, sic alibi fastigia de infima parte: 'Forstær et scrobibus quæ sint fastigia quæras.' *Idem.*

*Ni faciat, maria, &c.]* Assignat rationem, cur ventis fuerit Rex dandus:

quippe omnia confunderent, nullaque cœset maris terrarumque distinctio, quod factum esse, cum carebant rege, Valerius scribit Argon. i. 'hinc olim soliti miscere polumque Infelixque fretum; neque enim tunc Æolus illis Rector erat; Libya cum rumperet advena Calpen Oceanna, cum flens Siculos Cœnotria fines Perderet, et mediis intrarent montibus undæ. Intonnit donec pavidis ex æthere ventis Omnipotens, regemque dedit, quem jussa vereri Sæva cohors.' *Cerda*.

*Cælum*] An ærē intelligit? fortassis. Lucretius, 'in hoc cælo qui dicitur ær.' An proprie cælum? Possis hoc quoque; nam in præmissis versibus Valerius, 'soliti miscere polumque.' An ærē, et ignem? Sustineri et hoc posset. Sic enim quatuor elementa enumerabit. *Cælum*, quippe sumitur et pro ærē, et pro æthere, qui est ignis. Itaque elegit vocem mediam, qua duplex elementum signaret. Vide quæ ego ad illud *Æn.* vi. 'Principio cælum, ac terras, camposque liquentes.' Ubi *cælum* et pro igne et pro ærē sumi, Servius ait. Notetur obiter cæli significatio alia. Oris partem ad palatum *ὀφθαλμῶν* vocat Pollux l. ii. *Idem*.

63 *Ferant*] Auferant. Et est aphæreasis. *Servius*.

*Rapidi*] Veloces, ut supra. *Idem*.

*Verrantque*] *Verrere* est trahere: a rete, quod *verriculum* dicitur. Est autem principalitas verbi, *verro*, *verris*, præteritum *verri*: unde est participium *verrans*; hinc alibi, 'et versa pulvis inscribitur hasta,' id est, tracta. Sed archaismos; nam nostra omnis vis in animo et corpore sita est. *Idem*.

64 *Speluncis atris*] Vel tenebrosis, vel magnis. *Idem*.

65 *Hoc metuens*] Providens, cavens, ant timens. Ergo Juppiter timet: non sibi, sed elementis; ne turbentur eruptione ventorum: ut si bellorum

tempore dicas, virum fortem timere, non sibi, sed liberis suis. *Idem*.

*Hoc metuens*] Explicui, providens, et cavens, *Metuere* enim; ut vulgo accipitur, non esset e dignitate Jovis, qui omnipotens. Nequeo negare *timorem*, *metum* ab auctoribus sæpe confundi, tamen sæpe ita discriminantur, ut *timor* teste Tullio Tusc. iv. sit de malo jam appropinquante: sed *metus* de periculo remotiore. Inde est, ut *metuo* sæpe capiatur, pro provideo; nam tum locus est providentiæ, cum remotiores a malo sumus, quod de verbo *timeo* dici nequit. Itaque apud Horatium 'penna famæ metuens solvi,' est, cavens solvi: et apud Virg. Ge. i. 'Arctos metuentes æquore tingi,' est *φύλαττομένης*. Ennius apud Festum: 'Vivam an moriar: nulla in me est metus,' id est, cura: et nota olim fœmineo genere enuntiari: id enim agit Festus Enniana auctoritate. Et de loco, in quo sum, Servius ex fragmento Danielis ita: *Metuens, providens, cavens*. *Cerda*.

*Molemque et montes*] Id est, molem montis. Et est figura endyadis, cum una res in duas dividitur, metri causa, interposita conjunctione: ut alio loco, 'Pateris libamus et auro:' id est, pateris aureis. *Servius*.

66 *Federe*] Modo lege: alias pace, quæ fit inter dimicantes. *Fœdus* autem dictum vel a fœcialibus, qui olim fœdales dicebantur, id est, sacerdotes, per quos fiunt fœdera: vel a porca fœde lacerata, hoc est, lapidibus cæsa: ut ipse: 'Et cæsa jungebant fœdera porca.' *Idem*.

*Federe certo*] Inter Deos gentilium ita res erant constitutæ, ita distributa imperia, ut prius Juppiter jussisset certo quodam pacto, quod cuique esset administrandum; quo facto, jam illo inconsulto, quisque poterat munus suum administrare. Hinc postea Juno ad Æolum, 'Æole, namque tibi Divum pater atque hominum rex Et mulcere dedit fluctus, et tollere ven-

jos.' Ex hujus fœderis violatione procedunt, quæ apud Senecam queritur Juno: 'fœdus umbrarum perit: Vidi ipsa, vidi nocte Diis iusta inferum Et Dite domito, spolia jactantem patri Fraterna.' Dolet quippe Juno eductum Cerberum contra fœdus. Inde procedunt illa Claudiani Rap. l. i. ore Lachesis ad Plutonium, 'Ne pete firmatas pacis dissolvere leges Quas dedimus, nevitque colus: ne fœdera fratrum Civili converte tuba: cur impia tollis Signa? quid infestis aperis Titanibus auras?' *Cerda.*

67 *Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas*] Permansit in translatione: ut, 'vinclis et carcere frenat: jussus autem ob hoc posuit, quia suo nihil facit imperio. Nam tolle hoc, et major est omnibus diis: si ad ejus voluntatem possint elementa confundi, ut ipse Æolus, 'Mihî jussa capescere fas est.' Simul ventorum ostenditur vis, quibus parum fuit superponi montem, nisi et regem acciperent, qui ipse quoque alieno pareret imperio. Alii *jussus* ita intelligunt, non cum juberetur, tunc hoc faceret, alioquin Junoni obsequi non posset; sed ita administrare, ut etiam jussus erat secundum desiderium temporum. *Servius.*

*Habenas*] Ab equis ad ventos crebræ metaphoræ. Sic supra de Æolo *frenat*. Horatius Od. iv. 4. 'Eurus Per Siculas equitavit undas.' Valerius concitans tempestatem, Boream periphrastice ita describit, 'Fundunt se carcere læti Thraces equi.' Eurip. Phœniss. Ζεφύρου πνοαῖς ἰκτείναντες ἐν ὄρεσσι: *Zephyro flatibus equitante in cælo*. Oppianus Hal. v. de ventis, Αἰεὶ δυσκελεύουσιν συνεπιπλέοντες ἀέλας: *Semper gravissonis coëquitantes procellis*. Ut vero Poëta *dare habenas*, ita Enripid. metaphora alia, δοῦναι χαλινούς γυναικί: ut et Livius, 'date frænos impotenti naturæ, indomitoque animali.' Hominem, qui aliquid jus-

sus facit, Græci vocant ἐνέλευστρον. *Cerda.*

*Laxas dare habenas*] De hac locutione Sœfferus de re vehicular. i. 18. qui plus dicit esse *immittere*, quam *dare*, quoniam qui dat, non tenet frenâ adstricta, nec tamen libera patitur esse, qui vero immittit, sinit quoque esse libera. Sed cum Poëta *laxas habenas* dicit, cum Non. Marcell. c. 4. *remissa, libera frenâ* intelligenda esse arbitror, ut G. ii. 364. 'Laxis per purum immissus habenis.' *Emm.*

68 *Ad quem*] Apud quem. *Servius.*

*Supplex*] Non quia supplicantis verba sit locuta, sed quia venit. *Donatus.*

*Supplex his vocibus*] Putant interpretes hic corpus supplex exprimi: nequit credi: non enim Iuno accederet ad Æolum inclinato et supplicabundo corpore, hoc non ex ejus dignitate. Sed *supplex vocibus*, id est, supplicans. Sic Venus infra ad natum Cupidinem: 'Ad te confugio, et supplex tua numina posco:' id est, supplicabunda voce. Non enim credibile Venerem accidisse ad natum. Clare Tacitus Annal. i. 'Neque victa in lacrymas, neque voce supplex.' Græci etiam dicunt ἱκέσιον λόγον: *supplicem sermonem*, vel *supplicantem*. Virgilius Æn. viii. 'Supplicibus suppera votis.' *Cerda.*

69 *Æole*] Rhetoricum est in omni petitione hoc observare: ut possit præstare qui petitur; ut sit petitio justa, nec plus aut minus quam debeat petat; ut sit possibilitas; ut res justa sit quæ petitur: ut habeat modum petitio; ut sequatur remuneratio. Et sciendum, secundum hunc ordinem omnes petitiones formare Virgilium, ut in hoc loco possibilitas est, 'Et mulcere dedit fluctus, et tollere vento.' Justa petitio est, 'Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor:' omne enim quod contra inimicos petimus, justum est. Modus est petitionis, 'Incute vim ventis, et

disjice corpora ponto.' Remuneratio : 'Sunt mihi bis septem præstanti,' &c. Ordo ipse est : Æole, incute vim ventis : et est figura parenthesis. Inter parenthesis et eclipsim hoc interest ; quod parenthesis est, quotiens remota de medio sententia, integer perdurat sermo. Plenum namque est : 'Æole, incute vim ventis.' Item, 'Æneas rapidum ad naves præmittit Achatem.' Eclipsis autem est, quotiens, remotis interpositis, deest aliquid, ἀπὸ τοῦ ἐκλείπειν ; ut est, 'Quos ego ?' deest enim, affligam.

Sane Antiqui quotiens a minoribus beneficium petebant, a nomine incipiebant ; et erat honoratus, si nomen ipsius ante præferrent. *Servius*.

[*Æole*] Omnia in hac oratione sociata sunt summo artificio. Incipit a nomine, quod nec Junonem humilem facit, et Æolo gratum est. Ostendit enim se illi benevolam cum norit nomen. Et ipse lætatur se potiori notum, perindeque acceptum atque charum. Ergo captat benevolentiam Juno : facit item attentum, cum idem conjiciat Æolus officium suum Junoni esse necessarium, cum subtiliter intellexisset, habere in ventos plenissimam potestatem. *Donatus*.

[*Divum pater*] Jupiter, et est periphrasis, id est, circumlocutio. *Pater* autem Virgilio ad eminentiam ponitur ; ut, 'pater Æneas,' et 'pater Apenninus.' *Servius*.

[*Divum pater*] Ne arrogantem faceret Junonem, si dixisset maritus et frater, ut supra, cum locuta est secum : ergo hic satius fuit, id intelligi posse, quam dici. Ne autem prolixior esset futura oratio ; ipsa occulte sibi præponit, quam excusationis causam potuisset Æolus opponere, et illis respondet, ne ulterius accedat possit, et ne negaret Æolus ventos esse in potestate sua, prævenit, ostendens plenam illum a Jove in eos habere potestatem. *Donatus*.

[*Æole, namque tibi dicum pater*] Sic et

Hom. Od. K. δῖος γὰρ ἐν ἡμῖν. Et Epig. III. ἀλλὰ θεὰ, δῖνασαι γὰρ, ἢ ἡβητήρα μετεῖξον, &c. Item Eurip. in Oreste : ἰκνούμαι—τοῖς θεομένοισιν ἀφολαδ, οἷός τε δ' εἰ. Ut autem *Divum pater*, Græcis sæpe βασιλεὺς θεῶν. et Hom. πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Patriam potestatem Aristot. de morib. Θ. regiæ æquiparat ex Homero, et divitiæ, his verbis : ἡ μὲν γὰρ πατὴρ πρὸς οὐκ κοινῶν βασιλείας ἔχει σχῆμα τῶν τέκνων γὰρ τῷ πατρὶ μέλει, ἀπεῖσθαι δὲ καὶ ὁμηρος τὸν Δία πατέρα προσγορεύει, πατρική γὰρ ἀρχὴ βούλεται ἡ βασιλεία εἶναι. *Germanus*.

[70 Et mulcere dedit fluctus et tollere vento] Aliud pendet ex alio : nam qui potest mulcere, potest et tollere, id est, erigere in tempestatem : mulcere autem delinire. Hinc mulsam, quod dulcedine animos nostros permulceat ; alii mulcere, mitigare, mollire, vel fovere. *Servius*.

[Et mulcere dedit fluctus et tollere vento] Macrobius v. 4. ex Homero desumptum hoc testatur Odys. K. 21. Κεῖθεν γὰρ ταμίην ἀνέμων ποιεῖται κρονίαν, ἥ μὲν πανήμεναι, ἥ δ' ὀνήμεναι ἐν κ' ἐθέλῃσι. Æolum patrem ventorum appellat Horat. od. I. 3. *Emmenesse*.

[Tollere vento] Recte legitur, vento : non ventos, iudicio quidem H. Steph. Erythræi, Pimpont. Hortens. Nas. cimb. Scaligeri, ipsius Servii, aliorumque : ut intelligatur, eodem fluctus attollere atque inflare, ventum immittendo. Sitque singularis pro plurali. Quidam exponunt : vel uno vento. *Taubmann*.

[71 Gens] Sermo hic, et nationem significat, et familiam ; sed nunc ad utrumque potest referri : nam aut ad familiam Æneæ, aut ad Trojanam gentem refertur. *Servius*.

[*Gens inimica*] Hic non nominavit Æneam, ne responderet Æolus, non audio in nepotem Iovis, a quo imperium sumpsi. Speciale igitur subtraxit, generale posuit. *Donatus*.

[*Inimica*] Non dicit se genti inimici-

cam, sed gentem sibi, quasi inferiores potiorum provocent: quæ res etiam Æolo indignationem movet, ut Iunoni auxilietur. *Idem.*

*Tyrrhenum*] Tyrrhenum mare dictum est, vel quod Tusciam alluit, id est, Tyrrheniam. Tyrrhenus enim cum fratre Lydo regnum ea indulgentia tenuit, ut ingens frequentia populi his contingeret, quæ causa summam rerum fecit inopiam, nullo patriam relinquirente, aut volente peregrinari, quia tanta bonitas erat in regibus; consilium igitur habuerunt, ut partiti turbam, quam alere non poterant, alternis diebus abstinere a cibis, lusiisque vacarent, atque hac lascivia excogitaverunt, talorum tesserarumque jactus, pilæque lusum, et tibiarum modulationem, et concentum symphoniæ tubarumque, quibus advocati cives, facilius tolerarent jejunium. Novissime tamen quia vincebat necessitas, nec ulla consilia famem relevarent: sortiti sunt uter ex fratribus cum parte populi abiret, in quas sors terras dedisset: cum Tyrrhenus sorte jussus discederet, in mari, quod Tyrrhenum ab eo vocatur, periit. Cujus filius Tuscus cum populo evasit in regionem Tusciam, quæ ab eo nomen accepit; vel certe a Tyrrhenis nautis, qui se in hoc mare præcipitaverunt. Namque hoc habet fabula: Dormientem in litore Liberum Patrem puerum nautas abstulisse Tyrrhenos, qui quum esset expectatus in navi, quo duceretur interrogavit; responderunt illi, quo vellet. Liber ait, Ad Naxum insulam, sibi sacratam. At illi cœperunt alio vela deflectere, quamobrem iratum numen Tigres sibi sacratas jussit videri, quo terrore se illi præcipientes dantes, mari nomen dederunt. Alii dicunt, quod stuprum Libero Patri inferre temptaverunt, ac propterea hoc pertulerint. *Servius.*

*Tyrrhenum*] Quod facilius concitatur et Italiæ vicinior est. *Donatus.*

*Mihi*] Reginæ et Jovis sorori et conjugum, quod, ne arrogans videretur, subtrahit. *Idem.*

*Mihi navigat*] Id est, in meum dolorem. *Servius.*

*Navigat æquor*] Figura Græca est. Nos enim dicimus, *per æquor navigat*. Similiter etiam alio loco, 'Terram, mare, sydera juro:' cum Latinitas exigat, ut addatur præpositio *per*. Et non vacat, quod *Tyrrhenum* addidit; videtur enim dicere jam eis Italiam esse vicinam. *Idem.*

*Navigat æquor*] Sic et πλέων την θάλατταν Demostheni: et Hom. ἐπὶ πλεον ὕγρὰ κέλευθα. Ulpianus autem l. 1. §. Qui sint igitur. Π. Nautæ, caup. stab. passive extulit. Nautam accipere debemus eum, qui navim exercet: quamvis nautæ appellantur omnes, qui navis navigandæ causa in navi sunt. *Germanus.*

*Navigat æquor*] De verbis falso neutris consule Sanct. Minerv. iii. p. 173. Cic. de fin. ii. 'terram navigasset.' *Emmenes.*

*72 Ilium in Italiam portans*] Id est, res Ilienses. Et invidiose dicit *Ilium*, quasi ipsam cernat civitatem, quum Trojanos aspexerit. Et bene *Ilium*, hoc est, quam fata stare noluerint. *Servius.*

*Ilium in Ital. portans*] Res et homines Ilienses: vel, ex Illo victo Penates portans in Italiam. Imitatur Euripidem in Oreste: Πάριν, ὃς ἀγαγ' ἑλλὰδ' εἰς Ἰλιον. Strigelius μεταληπτικῶς significari ait reliquias, signa, ornamenta, et regalia (ut vocant), et privilegia Ilii. Nascimbænius, ἐμφατικῶς, inquit, nec absque invidia, *Ilium portans*, dicit Juno, quasi Trojanos et urbem oculis cernat, quam sua opera destructam sciebat. Ita hyperbolikῶς et invidiose dixit, Ἄν. ii. 'alii rapiunt incensa feruntque Pergama.' *Taubmann.*

*Victosque penates*] A Græcis. Tacite occurrit quæstioni: portat quidem et deos, sed *victos*, id est, contem-

nendos, ne facere contra invictos noleret. *Servius*.

*Victosque penates*] Ovid. Met. III. 539. 'Profugos posuistis sede penates.' Stat. Silv. II. Epicced. in Glauc. 67. 'desolatique penates:' noster Ge. II. 505. *miseros* appellat. Hos per Æneam in Italiam delatos esse, docet Ovid. Fast. IV. 77. 'Serus ab Iliacis, et post Antenora flammis Attulit Æneas in loca nostra Deos.' et vs. 251. 'Cum Trojam Æneas Italos portaret in agros; Est Dea sacriferas pæne secuta rates.' Macrob. Saturn. III. 4. ubi de origine etiam agit: *penates*, quippe dici, *per quos spiramus penitus*, &c. Cic. a *penu*, vel a *penitus insidendo*: utriusque notationis rationem habes de nat. Deor. II. 27. Sitne nominativus sing. qui in usu non est, *penas*, an *penatis*, disputat Festus. Juxta Isiod. VIII. 11. Gentiles omnes Deos nominabant penates, quos domi colebant. Et penates dicti, quod essent in penetralibus, id est, in secretis. Hinc Florus III. 19. 'in penatibus domorum suarum trucidantur.' *Emm*.

73 *Incute vim ventis*] Duplex sensus est: *Incute* enim, si *injice* significat, et *ventis*, dativus est casus: hoc est, parva est eorum; etiam tu eis da magnam vim: sin autem, fac, septimus casus est: et erit sensus, Fac vim Trojanis per ventos: hoc est, per ventos vim in Trojanos incute. Ennius, 'Dictis Romanis incutit iram.' *Servius*.

*Incute vim ventis*] Expressit pathos, propter quod non explicat rem ordine. Dixit ergo quæ cupiebat, sed propter perturbationem sine ordine. *Donatus*.

*Submersasque obrue puppes*] Ordo est in sensu confusus: ante enim est ut obruantur fluctibus, et sic submergantur; id est, obrue ut submergas. Tota autem Junonis petitio in sequentibus explanatur. *Servius*.

*Submersasque*] Sunt qui *subversas* legendum autem, ne ordo in sensu

sit confusus: obrui enim prius accidit, quam immergi. Mihi tamen displicere non potest, quod in antiquis omnibus exemplaribus, quæ versavimus, legitur, tum *summersas*, tum *submersas*: quod etiam si non accipiamus pro *submergendas*, ut Grammatici nonnulli interpretantur, certe Poëtarum mos est, hæc de industria sæpe confundere. *Pierius*.

*Submersasque*] Sic leg. non *summersas*, ut recte monet Dausq. quod pro *submergendas* dici vult Sanctius in Min. p. 55. *Emmness*.

74 *Aut age diversas*] Hoc est, disperge illos per diversa, ne ad Italiam veniant: duobus enim generibus deletur exercitus, aut internecone, aut dispersione. *Servius*.

*Aut age diversas*] Ut si non possit provenire primum, proveniat secundum; quoniam sparsi nec quicquam audere, nec ad Italiam pervenire poterunt. *Donatus*.

*Diversas*] In antiquis omnibus exemplaribus de meliore nota *diversos* legitur, virili genere, ut de Trojanis intelligatur: quam lectionem aperte Donatus etiam agnoscit, ubi super ordine hoc plurima disputat, quæ in vulgaris codicibus non habentur. Ideo vero ait cupere Junonem, Trojanos diversos agi, quoniam sparsi nihil audere posterius poterunt, nec ad Italiam pervenire. Et inferius, 'Aut age diversos,' impleri non posset nisi venti, ut supra dictum est, impugnantes sese, discretos Trojanos per diversa distraherent. *Pierius*.

*Et disjice corpora*] Hic mutavit conjunctionem; nam dicendum erat, *Aut disjice corpora*. *Servius*.

*Disjice*] Est hoc, quod Hesiod. Theog. loquens de ventis dixit, *διασπιδνῶσι τὴν νῆας*: *dissipant naves*. Lege Isidorum etym. XVIII. 2. ubi versus hujus affert explicationem quandam. *Cerda*.

*Corpora ponto*] Tam virorum, quam navium: ut ipse alio loco, quum de

navibus loqueretur, 'et toto descendit corpore pestis.' Sciendum sane est, artem hanc esse petitionis, ut minora impetrare cupientes, majora poscamus: quod etiam nunc Juno facit: scit namque se fatis obstare non posse, sed hoc agit, ut eos arceat ab Italia. *Servius*.

75 *Sunt mihi bis septem*] Non sine ratione dicitur Juno Nymphas sua potestate retinere, ipsa est enim aër: de quo nubes creantur: ut est, 'Atque in nubem cogitur aër:' ex nubibus aquæ: quas Nymphas esse, non est dubium. Ideo autem Nympham Æolo pollicetur, quia ventorum rex est, qui aquæ motu creantur. Bene ergo ei jungitur origo ventorum. Sane notant Virgilium Critici, quia marito promittit uxorem: quod excusat regia licentia, ut Sallust. 'Denas alii, alii plures habent, sed reges eo amplius.' Vel certe quod ex priore conjuge improbos filios Æolus habuerit; vel quod hæc, quam promittit, immortalis est. Alii volunt Junonem per iram oblitam Æolum uxorem et filios habere; quod exinde asserunt, quia Æolus ad hæc nihil ei responderit; et bene Juno sic pollicetur, quasi Æolo beneficium ante non concesserit. E contra Æolus, non ad præsens, sed ad præteritum respondit, 'Tu mihi quodcumque hoc regni est.' *Idem*.

*Sunt mihi*] Addidit munus, ut explicetur ardor cupiditatis ejus. Et ex obliquo pulsat Veneris munus in Paridem, quæ dedit mulierem, quæ non erat in potestate sua. Unde contra Juno hic dicit, *Sunt mihi*: nec poterat Helena esse propria uxor, nec inde creari legitima soboles: ergo acute dixit: *Sunt mihi*, et, *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo, &c.* quarum rerum nulla fuit in Helena. Non erat Veneris, ergo non potuit dare stabilem, nec legitime collocare. *Donatus*.

*Sunt mihi bis septem, &c.*] Hæc ne

quatuordecim Nymphæ filię sunt Junonis? Non puto. Sed tantum Nymphæ, quæ hanc Deam comitarentur, essentque in ejus potestate. Sane Diis omnibus veterum Nymphæ quædam erant attributæ ad ministerium. Habuit Juppiter apud Ovid. Met. 1. 'Sunt mihi semidei, sunt rustica numina Fauni, Et Nymphæ, Satyrique, et monticolæ Sylvani.' Habuit Neptunus, quem *Nυμφατέρης* appellat Cornutus, et illi Hesiodus quinquaginta dat, sicuti Pindarus in Isthmiis. Habuit Phœbus Aganippidas suas et Aonias. Habuit Bacchus ita multas, ut vix recenseas nomina Baccharum, Bassaridum, Eleidum, Thyadum. Habuere etiam Deæ; ut Diana, venatrices; Thetis, Nereidas; Venus, Gratias. Sic ergo Iano suas. *Cerda*.

*Præstanti corpore*] Bene etiam laudat istas, ut major sit in Deiopeja pulchritudinis gloria. Laudabilius est enim superare laudatos, ut ipse ad majorem Æneæ gloriam laudat et Turnum. Harum autem quatuordecim nomina, ut quidam volunt, in Georgicis invenimus. *Præstanti autem corpore*, pro *præstantis corporis*; ablativum pro genitivo. *Servius*.

76 *Quarum, quæ forma*] Dicimus et per se, *quarum quæ pulcherrima*: et plus ornavit inferendo *forma pulcherrima*. *Idem*.

*Deiopeam*] In Romano codice, in Oblongo, in Mediceo, et aliquot aliis antiquis, *Deiopea* nominandi casu scriptum est, pulcherrima elocutionis figura. Nam alibi etiam Virgilius utitur antiptosi. *Pierius*.

77 *Connubio jungam stabili, &c.*] Deest *eam*, et connubium est jus legitimi matrimonii. Et bene *Connubio jungam* dicit, ut hanc ab aliis segregaret, quæ a regibus sine lege habentur: solent enim reges inter plures uni præcipuam dare nomen uxoris. Et *connubio*, Nū brevem posuit cum naturaliter longa sit. *Nube enim*,

unde habet originem, longa est. Sed est tropus Systole; qui fit quotiens longa corripitur syllaba metri causa. Ipse alio loco longam posuit, ut est, 'Hectoris Andromache Pyrrhin connubia servas?' Item, 'Cuique loci leges dedimus, connubia nostra Repulit.' Et, 'Per connubia nostra.' Et, 'Nomadumque petam connubia supplex.' Sciendum tamen est, quia plerumque in compositione vel derivatione principalitatis corrumpitur natura. *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.* Multa in unum contulit versum, quæ Juno promittit. Dicendo enim *Connubio*, ostendit legitimum. Dicendo *Stabili*, longam promittit concordiam, id est, quæ divortio careat. Dicendo *Propriam*, adulterii removet suspicionem. Quod autem adjecit *Dicabo*, obsequentem eam fore demonstrat. In usu enim est ut dicamus, *sacerdos dicatus est nūmi*, hoc est, ad obsequium datus est. Alii *dicabo*, dabo accipiunt. Terent. 'Jam hanc operam tibi dico.' Id est, do, sicuti ab eo, quod est *dico*, participium a passivo *dictus* facit; ut est, 'Junoni infernæ dictus sacer'; quamvis alibi lectum sit, *templis sibi ferre dicatis*. *Propriam dicabo* autem deest, tibi, eam. *Propriam* autem possumus, vel firmam, vel perpetuam accipere, ut: 'si proprium hoc fuerit.' Terentius, 'Nihilne esse cuiquam proprium.' Et alibi, 'quod voluptates eorum propriæ sunt.' Et, 'Da propriam Thymbræe domum.' *Serv.*

*Jungam*] Apte, loquitur enim Iuno, 'cui vincla jugalia curæ,' ut habetur Æn. iv. Adi. *Cerda.*

*Stabili*] Proprie, quod alii jam observarunt. Videtur enim hæc vox usurpata in matrimoniis, quæ dirimi non poterant. Cicero in Anton. veluti rem explicans, dixit, 'in matrimonio stabili et certo collocavi.' ubi vox posterior priorem explicat. Virgilianam sententiam Propertius ita extulit eleg. ii. 6. 'Semper amica

mibi, semper et uxor eria.' et Plautus Aulul. 'Quod tibi sempiternum salutare sit procreandis liberis.' *Idem.*

*Propriamque*] Quod divortio caret. Huc illud Apul. Met. i. vi. 'Nec unquam digredietur, a tuo nexu cupido, sed istæ vobis erunt perpetuum nuptiæ:' *proprium* dicitur, teste Serv. Ecl. vii. 31. idem quod perpetuum: noster vi. 871. 'propria hæc si donâ fuissent.' Cic. Orat. post red. in Sen. c. 4. 'quod si illud perenne, ac proprium manere potuisset.' Corn. Nep. viii. 4. 'parva munera diutina: locupletia, non propria esse consueverunt.' Horat. Sat. ii. 6. 4. 'nil amplius oro, Maja nate, nisi ut propria hæc mihi munera faxis.' *Emmenas.*

*Dicabo*] Id est, dabo, explicante Mureto. Nam veteribus verbum *dico*, *dicas*, usurpatur, pro, *do*, *das*, quod etiam Servius admonet. Sic et Catull. 'Quos junctos Cameri mihi dicaris,' id est, dederis. Quin *dico* unum e tribus verbis Prætoris, Muretus a dicando ducit, non a dicendo. Quod ille favente literarum genio. Nam, cum tria illa verba *Do*, *Dico*, *Addico*, darentur Prætori, quibus ille uteretur ad dandum cuique, quod suum esset, ad quem usum verbum *dico*, *dicis*? Adjuncto explicationem Mureti verbis Livii i. v. ex oratione Licinii Calvi ad Quirites: 'En vobis, juvenem filium tenens, effugiem, atque imaginem ejus, quem vos antea tribunum militum ex plebe primum fecistis: hunc ego institutum disciplina mea vicarium pro me Reip. do dicoque:' agnosce hic *dico*, *dicas*; ut sit sententia, *do et consecro*. *Cerda.*

*Connubio jungam, &c.*] Hi tres versus pulchre describunt conjugium. Promittit autem Juno conjugium: quia ipsa *pronuba* est, et *cui vincla jugalia curæ*, ut est in Æn. iv. Et bene, *Connubio jungam*, dicit, ut hanc ab aliis segregaret, quæ a Regibus sine lege habentur. *Stabili* vero dixit, de firmo certoque conjugio, nec divortio



ullo unquam dirimendo. Sic Cic. in Anton. 11. 'Curio te in matrimonio stabili ac certo locavit:' ut notat Turneb. xii. 12. *Taubmann.*

*Connubio jungam stabili propriamque dicabo*] Spes luculentæ conditionis et matrimonii exoptati quid valeat, non est, quod hic explanem. Iisdem promissis, quod jam monuit Turneb. xviii. 32. aggreditur Somnum Juno Iliad. E. 267. 'Ἄλλ' ἴθ', ἐγὼ δὲ κέ τοι χαρίτων μίαν ὑπλοτεράων δάσω ὀνυίμεναι, καὶ σὴν κεκληῆσθαι ἔκοισιν, Πασιθέην, ἥς αἰὲν ἱμεῖραι ἡμᾶτα πάντα. Nilul notius, quam eo præmio Venerem pellexisse Paridem, de quo præter Ovid. in Her. epist. etiam Apulejus Met. l. x. 'si fuisset Deabus ceteris antelata, daturam se nuptam Paridi forma præcipuam, suique consimilem,' &c. *Emmeness.*

78 *Omnis annos*] Bene quia Dea est, non enim usque ad senectutem. *Servius.*

*Meritis*] Præstitis: ut alibi, 'Nec te regina negabo Promeritam,' id est, præstitisse. Et alterum pendet ex altero: meritum enim non nisi ex præstantis beneficio descendit. *Idem.*

79 *Pulchra prole*] Bene postremum addidit, propter quod matrimonium contrahitur, pulcherrimos filios. Et mire hoc Juno Lucina promittit, quasi non ob libidinem offerat. Notanda tamen figura: frequenter enim hac utitur: nam quod nos per genitivum singularem dicimus, antiqui per septimum dicebant: ut hoc loco, *parentem pulchra prole*, id est, *pulchræ prolis*. Et simpliciter intelligendum est: errant namque qui dicunt ideo *Pulchra* dixisse, propter Canacem et Macareum in se invicem turpissimos fratres; illi enim alterius Æoli filii fuerunt. *Servius.*

*Pulchra faciat te prole*] Nam ex legitimo et stabili connubio hæc proles speranda. Extollit etiam munus, primum a numero bis septem, deinde a qualitate. *Donatus.*

*Pulchra te prole parentem*] Quanto hæc melius (inquit Scalig. iv. 16.) quam si dicat, 'Pariat tibi liberos. Idem, 'Non solum,' inquit, 'pollicetur oblectationem, quod bestiarum est: sed et prolem, cujus gratia matrimonium est institutum:' v. 3. Atque ut in priori versu perpetuitatem matrimonii pollicetur, ita in hoc felicitatem: nimirum prolem, et quidem pulchram. Nam (ut est apud Platon. Dialog. vi. de Leg. et Legumlat.) cogitare omnino Sponsus et Sponsa debent, quo pacto quam pulcherrimos et optimos civitati liberos possint procreare. Donatus hic *Pulchram prolem*, non corporis, sed generis honestate decoratam interpretatur: ut cum inferius Poëta originem Cæsaris adsereret a Trojanis descendere, et hanc partem inter landes ejus poneret; 'Nascetur,' inquit, 'pulchra Trojanus origine Cæsar:' scilicet, *Pulchra* non corpore, sed natalium honestate: ἀρχαῖκός autem et more suo, *pulchra prole parentem*, dixit in casu septimo, pro, *pulchræ prolis*. *Taubm.*

*Pulchra faciat te prole parentem*] Sic Apulejus Met. l. vi. 'unde me præclara sobole aviam beatam scilicet faciat.' Pro *facere* Lucret. l. v. *procreare prolem*. Vide Gifanium. *Emm.*

80 *Æolus hæc*] Deest dixit: quod ex posterioribus intelligitur, ut supra notavimus. *Servius.*

*Æolus hæc contra*] Non contra voluntatem Junonis, sed contra verba: non enim ad præmia respondet, ne videatur moveri libidine, ut Paris. Reddit benevolam, cum dicit discerendo officia: Tuum est jubere, meum complere jussa. *Donatus.*

*Æolus hæc contra*] Brevi Orationi opponit pro re nata brevius responsum Æolus, et beneficiis Junonis erga se exaggeratis omnem ipsi operam pollicetur, atque etiam præstat. *Æolus* est imago aulicorum parasitorum (inquit Victorius) colludentium cum dominis. Non enim dia-

putat hic *Æolus* de Jure: an juste faciat, an secus, turbando alterius regnum, et piam gentem atque exulem vexando: sed statim ad Regiæ affectus infectit et conformat suus. *Taubmann.*

*Regina!* Inferioris personæ reverentia est, majorem meritis appellare, non nomine. Contra, majoris est minorem nomine tantum vocare: qui ordo non nisi per indignationem corrumpitur: ut in duodecimo, Sages in extremis rebus, Turnum, non regem vocat: ut, 'Ruitque implorans nomine Turnum.' Et alibi de Aristæo, 'Et te crudelem nomine dicit.' *Serv.*

*Tuus, o regina, quid optes*] Et si placet quid indefinitum, in plerisque tamen codicibus vetustis quod habetur: idque alicubi per *t* finale, non ut numerum significet, sed quia *t* et *d* indifferenter poni tam in tabulis æneis, quam in marmorum monumentis, apud veteres observatum. *Pierius.*

*O regina*] Vide N. Ge. iv. 321. et ad Amph. Planti act. i. 3. Est responsam hic aulicum, *Gnedige Frauw: Was Ewer Gnad will.* *Taubmann.*

*Optes*] *Optare* non tantum eligere significat; ut alibi, *Optavitque locum regno*; sed etiam *velle*, ut hoc loco, *quid optes*, quid velis. Lucilius in vi. *Quid ipsum facere optes?* id est, velis: alii, *quid optes*, quid petas. Sane servavit ordinem. Nam qui promittit statim a primo polliceri debet, post si qua vult addat; ut auditor expectatione non pendat. *Servius.*

81 *Explorare*] Deliberare. Superius namque multa poposceraat Juno. Hoc ergo dicit: Tuum est deliberare quid velis, aut certe aperire vel pensare, quale sit desiderium: alii explorare Jovis animum; aut certe explorare, explanare; aut certe statuere an æquum sit, quod petis: tuus enim hic labor est. *Idem.*

*Quod optas Explorare*] Orditur ab

utriusque officio. Tui, inquit, laboris et curæ est, deliberare, *σκεπτεσθαι*, quodnam ex iis, quæ modo poscebas, potissimum velis jubeasque; sollicitudinis autem meæ est, id graviter dare effectum. *Taubmann.*

*Mihi jussa capessere fas est*] *Capessere*, est *serpe capere*: figura est lipototes, quod fit quotiescunque minus dicimus et plus significamus, per contrarium intelligentes: ut hoc loco: nam cum dicit, non se posse implere quæ Juno præcipiat, nefas tamen putat non implere præcepta. Item alibi, 'Munera nec sperno,' id est, libenter accipio. E contrario autem nefas mihi facere non jussa. Hoc secundum ea, quæ aliter dicuntur, aliter audiuntur, dictum est. *Servius.*

*Mihi*] Sane ultima syllaba produci debet; quia hoc casu omnia vel nomina, vel pronomina, vel participia, in ultima syllaba produci debent. *Idem.*

*Jussa capessere*] *Taubmann* legit *facecere*. Sed Non. Marc. c. 4. et ipso *Servius* agnoscunt *capessere* pro *perficere*: cum eo faciunt omnes, quos vidi, codices. *Emmeness.*

*Fas est*] Licebit facere, etiam si illicita jusseris. Respondet contra, veluti si dicat: etiam si victi non sint Penates, licebit facere: nam cum, qui potestatem habet, jubet, illicita fiunt licita inferiori. Vel dixit contra, quia Juno dixit illum habere imperium a Jove, hic respondet habere ab ipsa Junone: et ut videatur memor beneficiorum addidit, 'Tu sceptrum Jovemque.' *Donatus.*

*Fas est*] Proprie dictum. Quia (ut ait Scaliger) *Jus* est hominum; *Fas* deorum, quorum numen fata condit. Tria enim jussa sunt fata. Et notetur quanta elegantia, qua majestate extulerit illa simplicia; *Tuum jubere est, meum parere*: v. 3. Porro hunc versum refert P. Victorius xxix. 4. ad illum Eurip. in Ione: τοῦ, καὶ τὴ θεάσας; σὸν λέγειν, ταλμῶν δ' ἐμῶν. Id est,

*Ubi, et quid faciens? Tuum est imperare, meum vero obsequi.* Taubmann.

82 *Tu mihi q. h. regni*] Hoc ad illud respondet, 'Namque tibi divum pater atque hominum rex.' Redit ad physicam rationem: nam motus aëris, id est, Junonis, ventos creat, quibus Æolus præest. Dicendo autem, *Quodcumque*, aut verecunde ait, ne videatur arrogans: aut quia ipse rex sub alieno imperio est: aut latenter pene joculariter Poëta: quis enim potest ventos, id est, rem inanem tenere. *Quodcumque* ergo, quod *clauso regnorum carcere regno*, nec in mea manu est, nisi jussu ventos emittere. *Servius.*

*Tu mihi quodc.]* Vult esse Junonis, quod Juno illum a Jove accepisse memoravit. *Donatus.*

*Tu mihi quodcumque]* Donat. in Hec. Terent. iv. 4. notat, apud Virgil. *hoc regni*, cum contemptu dici. *Taub.*

*Sceptra]* Insigne regium, βασιλική ῥάβδος, ut Suidas, quod hastam appellat Justin. xliii. 3. 'per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci *sceptra* dixere:' ad quem locum consule Turneb. xxi. 12. ab hoc reges Iliad. B. 86. σκηπτῶν βασιλῆες, id est, σκηπτοφόροι βασιλεῖς, ut Scholiast. Anreum gestabant reges Persarum, quod testatur Briss. de regn. Pers. i. p. 43. et 146. *Emmenes.*

*Jovemque Conciliat]* Hysteroproteron in sensu: non enim Juppiter conciliatur Æolo: sed Æolus Jovi, quasi superiori. Conciliantur autem novi, reconciliantur antiqui. *Servius.*

*Jovemque Conciliat]* Impetras mihi regnum a Jove conciliato. Donat. in Phorm. Ter. et Prisc. de Construct. l. i. Attingit autem rem Physicam verbo *Conciliare*: nam *Juno* est aër, ex cujus motu venti generantur: *Juppiter* vero ignis est, qui aërem temperat. *Taubmann.*

83 *Tu das epulis accumbere divum]* Hoc est, deum me facis: duplici enim ratione divinos honores mereris,

dearum conjugio, et convivio deorum: unde in Bucolicis legitur, 'Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.' Sane *epulis accumbere*, secundum temporis consuetudinem dixit, nam olim sedentes vescebantur, sicut ipse meminit, 'gramineoque viros locat ipse sedili,' et, 'Perpetuis soliti patres considerare mensis:' et apud Homerum sedentes Dii epulantur. *Servius.*

*Das epulis]* Superius beneficium humanitatis accumulatur, si convivium cum potiore misceatur, si cum potioribus plurimis, inferior persona non sedeat, ut fieri solet, sed accumbat: posuit in fine hoc, quod desideras tuum est. Personarum igitur in utraque oratione rationem habuit, scilicet Junonis, Æoli, Trojanorum, Penatium victorum: Veneris, Helenæ, Paridis, et Deïopejæ. Item loci, propter mobilitatem Tyrrheni maris et proximitatem Italiæ. Item temporis: nam Juno breviter oravit, et Æolus brevius respondit, ne longitudine tempus nocendi subtraheretur. *Donatus.*

*Das accumbere]* Facis me accumbere, hoc tibi debeo: ideoque me totum tui beneficii esse lubens profiteor. Non. Marcell. citat nostram Æn. iii. 77. 'Immotamque coli dedit, et contemnere ventos.' Quod veteres accubuerint, ex-appendice F. Ursini ad Ciacc. de Triclin. p. 247. 248. Il-quidam satis: antiquissimis tamen temporibus prisci Romani sederant epulantes: post cibum sumentes accubuerunt viri, feminae autem sederunt: dein accubuit uterque sexus. Idem p. 244. 246. *Emmenes.*

84 *Nimborumque]* Nubium: ut, 'Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.' *Servius.*

*Tempestatumque potentem]* Id est, dominum. Horat. od. i. 3. 'Sic te diva potens Cypri.' Multa congescit exempla Lambinus. Violentissime tempestatis fit mentio apud Ovid. xv. 480. 'Cum mare sub noctem tamedis

albescere cœpit Fluctibus; et præceps spirare valentius Eurus. Ardua, jamdodum, demitte cornua, rector Clamat; et antennis totum subnectite velum, &c. horridarum aliquot tempestatum exempla habet Farnab. vs. 499. *Emmenesa.*

85 *Hæc ubi dicta*] Et ab Junone et ab Æolo. Et, dicta, si nomen est, dedit; si participium, deest sunt: vel, *hæc ubi dicta*, pro *postquam*, adverbium locale pro temporali. *Servius.*

*Hæc ubi*] Post utriusque orationem, cœpit Æolus jussa complere. Emisit plurimos ac contrarios ventos: ut configentibus inter se fluctibus, regendis navibus consilium non suppeteret, et deficiente industria, facilius mergerentur, et mersis navibus corpora disjicerentur: et ut complerentur jussa Junonis, accessit ad violentiam maris, aliorum quoque elementorum perturbatio; nam nox eripuit caelum ac lucem, ut esset eadem facies maris et terre, ne contra mala consilium suscipi posset; neve scirent gubernatores, in quam partem niterentur. Mittebantur tonitrua et fulgura, ut multiplici metu Trojani desperantes, nihil aliud quam mortem expectarent. *Donatus.*

*Cavum*] Ordo est, Conversa cupido cavum montem in latus impulit. Et alibi, 'In latus inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.' At in latus pro latus accipiunt. Ennius, 'Nam me gravis impetus Orci Perentit in latus:' et bene in latus quasi rem quæ facile cedit ictui. *Serv.*

*Hæc ubi dicta, cavum, &c.*] Judicium summorum virorum est, neminem Poëtarum conferri posse cum Virgilio in hac tempestatis descriptione. Nam Homerus Odys. v. illam tantum inchoavit, non perfecit, ubi multa sunt indigna Homeri ingenio. Lucanus l. v. furit, et multa interdum ridicula. Ovidius Trist. i. et Met. xi. negatur in re satis luctuosa. Papinius Theb. v. et Flaccus Arg. i. sui semper

sunt similes. Seneca in Agamem. multis redundat. Apollonius plebejus est multorum judicio. *Cerda.*

*Hæc ubi dicta, cavum, &c.*] Macrob. Saturn. v. 4. hunc locum Homero deberi affirmat. Ex hisce antecedentibus judicandum monet Quintil. viii. 4. de magnitudine tempestatis. *Emmenesa.*

*Montem*] Statius Theb. x. saxum dat, quod claudat portas Æoli, 'Portam iterum saxo premit imperiosus, et omne Claudat iter.' Virgilius ex Calabro, ut apparet, qui l. xrv. incipiens tempestatem, *Χερσὶν ὅτ' ἀκαμάτοισιν ὕπος μέγα τέχε τριπλοῖ:* *validis manibus sceptru montem percussit.* Loquitur de Æolo: et postea: *βίᾳ δ' ἔβρηξε κολάων:* *vi dirupit collem.* *Cerda.*

86 *Impulit in latus*] Corradus et Germanus referunt hoc ad ventos, qui oblique aspirant et in latus. Græci dicunt *πνεύματα πλάγια*: hi sunt præsertim Notus et Boreas, quorum *φωρὸν ὄντι λαγῇ*, ait Arist. Meteor. ii. Ex Virgilio Flaccus Argon. i. 'tam valido contortam turbine portam Impulit Hippotades.' *Idem.*

*Agmine*] Vel impetu, vel multitudine: nam *Agmen* polysemus sermo est: nam impetum significat: ut, 'Illi agmine certo Laocoonta petunt.' Multitudinem, ut hoc; 'Vocat agmina sæva sororum:' sed mirum cur *agmina* dixerit, cum tres sint, nisi forte etiam impetum voluit simul designare. Et jam exercitum incendentem *agmen* vocamus. *Servius.*

*Ac venti, velut agmine facto*] Exitum ventorum e carcere, et comatus primos ad pugnam ita expressit Homerus Odys. xii. *ἤλθε Κεκληγὸς Ζέφυρος:* *venit stridens Zephyrus.* Languidum hoc, et nihil ad verba *agmen, turbinem, perflant, ruunt.* Æque frigide Il. ix. loquens de Borea et Zephyro inchoantibus tempestatem, *ἐλθόντ' ἄετολως:* *venientes repente.* Homericus interpretes, ut medeantur

tanto languori, reddunt *ruentes*. Aliquanto dignius Odys. iv. *λεγών δ' ἀνέμων ἐπ' ἀνέμενα χεῖρε*: *Stridulorum ventorum flatum effudit*. Sed neque hic caret reprehensione. Nam vox prima potius ad concentum pertinet, et canoros sonitus, quam ad impetus, qui excitandi in tempestatibus. Ab Calabro l. xiv. ita educuntur venti, *οἱ δ' ἄραρ ἐξεχέοντο*. Sumpsit ab Homero, qui *ἐπ' ἔλχευε*. Addit Calaber duo alia verba, *ἔρουντο, φέροντο*. Aratus in Phænomen. sic inchoat exprimens impetum, *ὕραρε χεῖμών*. Ovid. Met. xi. ita incipit: 'Cum mare sub noctem tumidis albescere cœpit Fluctibus, et præceps spirare valentius Enrus.' In quibus *nulla efficacia*, ait Jul. Scaliger. Aliquanto dignius Valerius, 'fundunt se carcere læti Thracæ equi.' Dignissime Horatius, et cum majestate, Epod. x. 'Insurgat aquilo quantus altis montibus Frangit trementes ilices.' Varro in Marcipore ita præclare: 'Ventique frigido se ab axe eruperant Phrenetici, septentrionum filii, Secum ferentes tegulas, ramos.' *Cerda*.

87 *Qua data*] Et in xi. 'Coëant in fœdera dextræ Qua datur.' *Qua* ergo, quoniam: vel *qua data*, ad votum ventorum videtur retulisse. *Servius*.

*Porta*] Omnis exitus *porta* dicitur, qua potest vel importari vel exportari aliquid; aut ideo *porta* quia agmine dixerat. Nam *porta* proprie aut urbis, aut castrorum est. *Idem*.

*Porta*] Vasis genus describit Vitruvius l. 6. ipse vocat *Æolipilam*, id est, portam Æoli. Qui legat, quæ ibi Vitruvius, facile intelliget huic vasi nomen inditum a portis Æoli. Peritiam Maronis Turnebus colligit xxv. 12. *Cerda*.

*Ruunt*] Pro, *irruunt*: vel, cum impetu erumpunt. At paulo post active, et signatissime dixit, 'venti ruunt mare;' quasi, eruant, evertunt: ut *βῆμν*. Scalig. iv. 16. Lucret. l. i. 'tuit qua quicquid fluctibus obstat.'

Euripid. *ἀνδροῖεν βάρους ἐπὶ κάρει στρέψασα*. *Taubmann*.

*Turbine*] Vi ventorum. Et sciendum est, quod quando appellativum est, *turbis* facit: si autem sit nomen proprium, *turbonis* facit: Horatius, 'Turbonis in armis.' *Servius*.

88 *Incubere mari*] Tria dicit 'elementa turbata, Terras turbine perflant. *Incubere mari*, et rursus, *Intonuerē poli*. His ergo enumeratis recte adjecit, *Intendant omnia mortem*. *Idem*.

*Incubere mari*] Homerus, de ventis singulis *πέρα*. Illum imitans Hesiodus in Theog. *πίπτουσαι ἐς ἠεροειδέα πόντον* ait, auras incidisse in nigrum pontum. Latini ex ductu Virgilii *incubere*. Nam Ovidius in epist. Laodam. 'Incubuit Boreas, arreptaque vela tetendit.' Seneca in sua tempestate: 'venti undique incumbunt simul.' Dio Chrys. orat. 75. ita extulit, *κατερείσαντος ἀνέμου*. Cedrenus ita, *λαλῶντος καὶ θυέλλης θύειν ἐνέσκηψεν*. *Cerda*.

89 *Una Euræque Notæque et Africus*] Bene hos modo tres ventos inferiores tantum nominavit, qui a sedibus mare jure commovent; Zephyrum et Aquilonem tacuit: Zephyrum qui ad Italiam ducit, Aquilonem qui desuper flat: ideo Homerus de eo *καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κύμα κυλινδων*. *Servius*.

*Una Euræque Notæque, &c.*] Panlo aliter hanc sententiam et procellam extulit Musæus: *Μαγναμένων ἀνέμων, ζεφύρου δ' ἀντίπνεον εὖρος, καὶ νότος ἐς βορέην μεγάλας ἐφέπκεν ἀπαιλὰς*. Hic autem Africum a Virgilio pro Zephyro dici notat Turnebus, ut ab Homero superiore loco non pro Favonio, sed Africo, ut quem *δισαῖ* dicat Hom. *Germanus*.

*Ruunt*] Modo *eruant*. *Servius*.

*Procellis*] *Procella* est vis ventorum cum pluvia, dicta *procella* quod omnia percellat, hoc est, moveat. *Idem*.

*Una Euræque Notæque ruunt creberque procellis Africus*] R, et S, opti-

me exprimunt ventorum violentiam, præsertim si cæsurae juvent, teste Vossio Instit. Poëtic. l. 8. Noster Æn. II. 625. 'Nunc ruit ad terras scopulosque superjacet undam Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam: Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta resorbens Saxa.' De Africo luctante fluctibus Icaris Horat. od. l. 1. ex Homero desumptus locus Odys. E. 295. *Emmensus*.

91 *Insequitur clamorque virum*] Sequitur, quia præcesserat ventorum sonus, quem et ipsum clamorem possumus dicere. *Servius*.

*Stridorque rudentium*] Proprie enim in fonibus stridor est. Pacuvius in Teucro, 'Armamentum stridor et rudentium sibilus.' *Idem*.

*Stridorque rudentium*] Fanes sunt nautici ad navium ministerium: pro his accipi a Plinio, quibus naves ad terram religantur, Baysius admonet. His Poëta dat stridorem, ut Ovid. in sua tempestate: 'Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes.' Omnes ad esymon aspirant, quippe rudentes a rudendo. *Cerda*.

*Stridorque rudentium*] Sic Silina l. XVII. 'stridorque immitte rudentum Sibilat.' Horat. Epod. x. 'Niger rudentes eurus differat.' *Emmensus*.

92 *Eripiant subito*] Accius in Clytemnestra, 'Deum regnator nocte cæca cælum e conspectu abstulit.' *Servius*.

*Diem*] Id est, solem (notatore Parrhas.) nam postea: 'Collectasque nubes, Solemque reducit.' Apertius Claudianus, et Lucretius. Hic, 'lucida tela diei,' id est, solis: ille, in Raptu: 'Merserat unda diem,' id est, solem: hic contra soles pro diebus accipi, clarum. Quid si vere diem ad ἀστρον; ita ego accipio Senecam cont. Rhetorem XVI. 'Emicabant densis undique nubibus fulmina, et terribili fragore horridæ tempestates absconderant diem.' *Cerda*.

93 *Teucrorum ex oculis*] Bene Teu-

crorum, quibus tempestas immissa erat. Nunquam enim totum cælum tegitur nubibus, sed illa pars, contra quam flaverint venti. Diem autem eripi, ad videntum oculos retulit, non ad natorum. *Servius*.

*Nox incubat*] Nox dicta, quia oculis noceat. *Idem*.

*Incubat*] Ideo dixit, quod alienum tempus invasit. Nam *incubare* proprie dicitur per vim rem alienam tenere. Aut certe *nox incubat*, ut nihil intervalli esset inter tenebras et mare, aut tempestates, ut in Ge. l. 'Ipse pater media nimborum in nocte corusca Fulmina molitur dextra.' *Idem*.

*Ponto nox incubat atra*] Melius quam Homericum ὀπάει νύξ: ruit nox. Ab nostro Curtius l. IX. 'caliginem, ac tenebras, ac perpetuam noctem profundo incubantem.' Hoc enim verbo molestissimum quiddam indicatur. Tale illud Horatii Od. l. 3. 'macies, et nova febrium Terris incubuit cohors.' *Cerda*.

*Nox atra*] Tempestatis indicium, cum nempe, ut Horat. epod. x. si-dus amicum nullum apparet; cum 'atra nubes condidit lunam, neque certa fulgent sidera nautis:' eodem canente od. II. 16. Ut Maro hic in describenda atroci est tempestate, sic Juvenal. Sat. XII. 18. 'Nam præter pelagi casus, et fulguris ictum Evasi, densæ cælum abscondere tenebræ Nube una,' &c. Similem descriptionem tempestatis narrat Apollon. Arg. II. 1105. et seqq. *Emmensus*.

94 *Poli*] Axes, id est, extremæ partes cæli. Duo enim sunt Notios et Borios, a quibus totum cælum contonnisse significat. *Servius*.

*Æther*] Ætherem hic pro aëre posuit: nubes enim, unde et fulmina, aëris sunt, non ætheris; et frequenter Virgilius duo ista confundit. *Idem*.

95 *Intentant*] Minantur, ingerunt. *Idem*.

*Intentant*] *Intentare mortem, vim,*

manus, elegantissimæ locutiones, de quibus exemplorum copiam expromit ex Cicerone aliisque optimis scriptoribus Hadr. Card. de Sermon. Lat. *Emmenes*.

*Omnia*] Ad superiora retulit. *Serv.* 96 *Extemplo*] Illico, statim. Et est augurum sermo. *Templum* enim dicitur locus manu designatus in aëre, post quem factum illico captantur auguria. *Idem*.

*Extemplo*] *Extemplo* est continuo inquit Varro de Ling. lat. l. vi. Est autem verbum sacrorum, sicut *Illicet* iudiciorum. Ut enim hoc dimissio senatus; sic et illud sacrificio patrato a præcone pronuntiabatur: quo significabatur, ut exirent ex templo. Quod quia cito fiebat, inde pro cito, et propere sumi ceptum est. *Scalig.*

*Æneæ*] Servavit τὸ πρότερον, ut *Æneam* ultimum territum dicat. *Serv.*

*Extemplo Æneæ*] Exprimit quale et animi et corporis senserit pathos. *Donatus*.

*Frigore*] Timore. Et est reciproca translatio. Nam et *timor* pro frigore, et *frigus* pro timore ponitur: ut in Terentio, 'Uxorem tuam pavitare ajunt: non timere, sed laborare frigoribus: utrumque enim in unum exitum cadit, sicut et de calore et frigore, *vere* dicimus: ut est, 'Aut Boreæ penetrabile frigus adurat.' Nam et Græci φρικτὰ dicunt quæ sunt timenda, ut *Homerus* δῶρα μὲν οὐκ ἐπ' ὀνοστά. *Livius* in *Odyssia*: 'Igitur demum Ulixi cor frixit præ pavore.' Reprehenditur sane hoc loco *Virgilius*, quod improprie hos versus Homeri transtulerit: Καὶ τότ' Ὀδυσσεύς ἄτρο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ Ὀχρίσας δ' ἄρα εἴπε πρὸς δὲν μεγάλην θυμὸν. Nam *frigore soluta membra* longe aliud est, quam *ἀτρο γούνατα*. Et *duplices tendens a. s. p.* molle, cum illud magis altum, et heroicæ personæ πρὸς δὲν μεγάλην θυμὸν. Præterea quis interdiu manus ad sidera tollit; aut quis ad cælum manum tendens, non aliud precatur

potius quam dicit. O terque quaterque beati. Et ille intra se, ne exaudiant socii, et timidiore despondeant animo: hic vero vociferatur. *Servius*.

*Frigore*] Non pro timore posuit: nam derogaretur ejus virtuti, ergo *frigus* dixit proprie quod oriebatur; non ex casu evidentissimæ mortis, sed ex tot adversis, quæ corporis calorem extinxerant: quia cruciabatur animus viri fortis, qui maluisset gloriosius in campo occumbere, quam ignobiliter in fluctibus interire. *Don.*

*Extemplo Æneæ*] *Odyss.* Ε. ἄτρο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ. Vide *Floridum* succis. lectionum II. 10. *Hartung*.

*Extemplo Æneæ solvantur frigore membra*] *Locus* apud nostrum haic persimilis *Æn.* III. 29. 'mihi frigidus horror Membra quatit, gelidasque coit formidine sanguis.' *Frigus* solet præcordia metuentium invadere: unde *Ter. Phorm.* v. 8. 5. 'Abi: tange: si non totus friget, me eneca.' sic *Oppian.* ἄλειν. v. 564. Δεῖματι καὶ καμῆν θυμολγέτι γούνα λείωνται. ubi præcipue genua officio defungi non posse, quando stupor obsedit animum, erudite notat *Rittershusius*. Quod accidit *Phaëonti* imperito paterni cursus aurigæ, de quo *Ovid.* *Metam.* II. 180. 'Et subito genua intremuere timore.' *Emmenes*.

97 *Ingemit*] Non propter mortem: sequitur enim, O terque quaterque beati: sed propter mortis genus: grave est enim, secundum *Homerum*, perire naufragio, quia anima ignea est: et extingui videtur in mari, id est, elemento contrario: ut, 'igneus est ollis vigor.' *Servius*.

*Duplicis*] *Duas*, secundum antiquum morem: nam *duplices*, duas dicebant, ut hoc loco, et *binos*, duos: et *utrosque* pro utrumque: ut *Cicero*, 'Binus habebam, jubeo proni utrosque.' Item *Sallustius* cum de nobis loqueretur: 'Hi utrique ad urbem imperatores erant.' *Idem*.

*Duplicis*] *Ambas* tollit manus; et

*tollet alto:* quod indicium est calidi affectus: vel, tollit ad sidera, ad indicandam eorum beatitatem, qui pro patria perierunt: quibus in cœlo decretas esse sedes existimat, e Platonia epitaphio. Nec gestu tantum affectus declarat, sed et verbis expressis, *O terque q.* Huic orationi affinis est illa Æn. III. 'O felix una ante alias,' &c. *Taubmann.*

*Palmas*] Manus explicitas. *Serv.*

*Duplicis tendens ad sidera palmas*] Precatur manus ad cœlum tollebant. Horat. od. III. 23. 'Cœlo supinas si tuleris manus.' Quod fusius Lambinus ex Marone et aliis illustrat. *Emmeness.*

98 *Talia voce refert*] Profert, *Re* abundat; alibi *refert*, respondet, ut initio Æneid. IV. *Anna refert*: in consuetudine, sic dicimus, 'ille mihi retulit.' *Servius.*

*O terque quaterque*] Hoc est sæpius. Finitus numerus pro infinito: et sic erupit in vocem cum dolore *Τῆς μὲν κῆρυξ δαυαὶ καὶ τετράκις ὁ τὸν ἔλυντο.* Et hoc principium quidam acephalon dicunt, cum intelligi debeat multa enim intra se cogitasse, postremo in hæc erupisse. *Idem.*

*O terque quaterque*] Id est, multifariam. *Donatus.*

*O terque quaterque b.]* Id est, omnibus modis beati. Græci una voce *τρισκακῶπλος* dicunt. Sic Tib. I. III. 'O mihi felicem terque quaterque diem!' id est, septies, ut doctis placeat, qui conjunctim accipiunt, ob numeri septenarii efficaciam. De quo numero videatur Macrobius, Agell. III. 10. alii. Ita Homerus: *Τῆς μὲν κῆρυξ δαυαὶ καὶ τετράκις*, &c. Ab Aristophane, in Pluto, opponitur *Terque quaterque beatis τρισκακοδαίμων, καὶ τετράκις καὶ πεντάκις.* Est autem hæc oratio densissima adfectibus; et habet primum *πῶσος* a persona et loco. *Taubmannus.*

*O terque quaterque beati*] Id est, plene et per omnia beati, ut Macro-

bi Somn. Scip. I. 6. ubi, nescio quid, de numero septenario somniat: *terque quaterque* pro indefinito numero, ut Æn. XII. 155. 'Terque quaterque manu pectus percussit honestum.' Horat. Sat. II. 7. 176. 'Quem ter vindicta quaterque Imposita haud nunquam misera formidine privet.' De hac locutione Brodæus Misc. II. 1. Maluisset cadere in bello fortissimos heros, quam aquis extingui, a quo genere mortis vii streani vehementer abhorrebant: quare Hesiod. *ἔργα δαυδὺν δ' ἐστὶ θανάτῳ μὲν κῆρυξ.* Vide hunc Virg. locum explicatum a Fr. Luino Par. II. 28. et Gæther. de jure m. I. p. 52. *Emmeness.*

99 *Quis*] *Quis* et *quibus* unum significant: secundum artem enim sic dicimus: ab eo quod est a *Qui*, *bus* mittit; ab eo quod est a *Quo*, *is* mittit: sed a tertia declinatione in usu sunt dativus et ablativus plurales; licet antiqui omnibus usi sint casibus. Cato in Originibus ait, 'Si ques sunt populi.' Et declinavit *ques*, *quium*: ut *puppis*, *puppium*. *Servius.*

*Quis ante ora*] De Polyte, ex iis quæ in II. dicuntur, intelligamus: qui cæde Pyrrhi in conspectu patris occubuit. *Donatus.*

*Quis ante*] Valerius Probus veram hanc citans *queis* jambum esse dicit, passimque dativo et ablativo casu pro jambo accipi debere. Quare non alienus sum ab eorum opinione, qui *queis* per ei scribendum censent, ut aliquot habent *marinora*: sed hoc loco cadit in unam syllabam: *κατὰ συνήθειαν.* *Pierius.*

*Manibus altis*] Propter Pergamæ, quæ altissima fuerunt: ex quibus omnia alta ædificia, *Pergamæ* vocantur, aicut Æschylus dicit. *Servius.*

*Altis*] Id est, integra adhuc civitate. Ipæ enim Æneas non Trojam altam, sed campos, ubi Troja fuit, reliquit, et in fluctibus periclitatus est. *Donatus.*

100 *Oppetere*] Ore terram petere, id



est, mori, expirare, vel occumbere. Possumus autem sic uti hoc sermone, ut et per se plenus sit, et recipiat adjectionem. Ergo dicimus et *oppetit*, et *mortem oppetit*, sicut et *expirat*, et *animam expirat*. Servius.

*Oppetere*] Subaudi *mortem*, cum Sanctio in Min. p. 319. noster Æn. XII. 543. 'Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi Oppetere.' Plena locutio apud Ciceronem de divinat. I. 18. 'æquius esse censuit, se maturam oppetere mortem.' Non. Marcell. *mori* interpretatur, sed plus esse volunt alti, quia bellicosi heroës, cum confossi vulneribus in prælio cadunt, terram ore petere dicuntur, juxta illud Maronis, prædicantis, sub persona Turni, felicitatem eorum, quibus perire contigisset ante maximas miseras. Verba hæc sunt, XI. 415. 'Ille mihi ante alios, fortunatusque laborum, Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret, Procuibuit moriens, et humum semel ore momordit.' Pro patria autem oppetere mortem decorum est, teste Horatio od. III. 2. *Emmeness*.

*Fortissime gentis*] Atqui in artibus legimus superlativum gradum non nisi genitivo plurali juncti: constat quidem: sed gens nomen est enuntiatione singulare, intellectu plurale. Bene ergo junxit: in gente enim plures sunt: ut alibi, 'Ipse ditissimus agri Phœnicum:' non enim unus est ager Phœnicum. Item Salustius, 'Romani generis disertissimus:' aut superlativo pro comparativo usus videtur, quasi fortissimis comparandus: non, ut vulgo creditur, præferendus. Sane queritur cur Diomedem fortissimum dixerit, cum post Achillem et Ajacem ipse sit tertius: unde etiam Salustius ait, 'Primum Græcorum Achillem.' Multi dicunt ideo *fortissimum*, quia, juxta Homerum, et Venerem vulneravit et Martem. Alii ad gentem referunt, quod Achilles Thesalus fuit, Ajax Græcus, Diomedes

Danaus. Multi ad excusationem Ænææ volunt fortissimum dictum: a quo constat esse superatum, ut, Juvenalis: 'vel quod Tydides percussit pondere coxam Ænææ.' Servius.

*O Danaum fortissime gent.*] Ex illo, ad aliud raptus est: existimans se infelicem, qui et hunc exitum vitæ sortiatur, et ignobili morte periturus sit. *Donatus*.

*O Danaum fortissime*] Scilicet Homerus Diomedem *καρριστον ἀχαιῶν* vocat. Et hic locus illum sapere videtur Il. 6. quo Achillem Scamandri fatigatum assultibus pœnitet non occubuisse sub Hectore: 'Ὀς μ' ὄφελ' ἔκτωρ κτεῖναι, ὃς ἐνθάδε τέτραφ' ἕριστος, τῷ κ' ἀγᾶθον μὲν ἔκρεφ', ἀγαθὸς δέ κεν ἐξείδικε. *Germ.*

101 *Tydidē*] Vocativus Græcus, si enim Latine diceret, *Tydidā* debuit ponere. Omnia enim patronymica quæ in *des* exeunt, apud Latinos primæ declinationis sunt; ut, 'Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector.' Tydides Diomedes Tydei et Deiphyles Adrasti filiæ filius, qui post captum Ilium ad Italiam venit, quod plenius in lib. XI. habes. Eo tempore statua cum in templo Apollinis Delphici staret, vi quadam divina ad Corcyram migravit, visa est muros Corcyræorum defendere: nam ejus comminatione, hostibus fugatis, Corcyra bello exempta est. *Servius*.

*Mene Iliacis*] Ex his se infelicem existimans, qui hunc exitum vitæ non habuerit, sed vir fortis in pelago esset moriturus. Non potuit autem explere orationem, interveniente fluctu. Esset autem vitium poetæ, si, finitis querelis, fluctus intervenisset: semper ergo imperfectas reliquit querelas, ut 'Hæc dum Dardanio Ænææ miranda videntur.' Et alibi: 'Talīa fundebat lachrymans.' *Donatus*.

102 *Non potuisse*] Quasi semper voluerit. *Servius*.

*Animam hanc*] Quasi cum dolore *hanc animam* dixit; ac si diceret, infe-

licem, quæ ad labores nata est. *Idem.*

*Hanc animam*] Affectus non vulgaris, quem Ovidius arripuit Trist. i. 2. in tempestate quam passus: 'Opprimet hanc animam fluctus,' et in Ibin: 'hanc animam nimium tibi sæpe petitam.' Statius quoque, in sua tempestate, *hanc animam* dixit pari emphasi: versus postea adducam. Donatus in verba Terentii *hanc ego vitam*, ait, interpretans, *quæ nos perturbat*: et addit ita hic capiendum Virgilium. Pari emphasi Æneid. iii. 'Vos animam hanc potius quocunque absumite letho.' et Æneid. iv. 'Accipite hanc animam.' Terentius Hecyr. 'Hancine hanc animam parsi perdere?' et Propertius eleg. i. 6. 'Me sine, quem semper voluit fortuna jacere, Hanc animam extremæ reddere nequitia.' Omnia hæc cum contemptu efferenda. *Cerda.*

*Effundere*] Secundum eos qui dicunt sanguinem esse animam: ut ipse, 'Purpuream vomit ille animam.' Nam alio loco aliorum opinionem sequitur, qui dicunt spiritum esse animam: ut est, 'Atque in ventos vita recessit.' *Servius.*

103 *Sævus*] Magnus, vel fortis, vel bellicosus; ut est, 'Et sævum Æneam agnovit Turnus in armis.' Vel adversus hostes *sævus*, et est epitheton ad tempus. Nam incongruum erat ab Ænea *sævum* Hectorem dici: aut *sævus*, quod adversum Antenorem et Æneam et Helenum sentiens, Elenam non permisit reddi. Ideo *Sævus Hector*, quia Æneas pius. *Servius.*

*Æacida telo*] Vult ostendere feliciorē Hectorem, cui contigerit ab Achille perire, quod ipse optaverit ei congressus, sicut in v. Neptunus Veneri loquitur. Et bene legit cum quibus periisse debuerit, ipse enim et fortis est et numinum proles: certe ergo his jungitur, in quibus talia fuerunt. *Idem.*

*Sævus ubi Æacida telo jacet Hector, ubi ingens Sarpedon: ubi tot Simois Delph. et Var. Clas.*

*corrupta sub undis*] Ut præteream *sævos* per o, et *corrupta* præpositione incolumi, veteribus in aliquot exemplaribus notata, quæ Scaurus ferre non potest: id attingam, quod in antiquiori quodam codice legere est, *Hector et ingens*, pro *ubi ingens*. Nempe quod satis illis visum sit repetere bis tantum adverbium *ubi*, ne si ter prolatum sit, oratio loco tam mœsto lascivire videatur. Mihi vero per placet ea triplicata repetitio, quippe quæ majorem quandam vim ad excitandum pathos habeat. Et bona antiquorum codicum pars *ubi* ter ponit: et in antiquis Prisciani codicibus ita citatos versus inveni, dicente eo *ubi* relativum gravari debere, ut hoc loco est, *ubi Æacida, ubi ingens, ubi tot Simois*. *Pierius.*

*Ingens Sarpedon*] *Ingens* statura et virtute bellica. Alii putant ad significatum vocis alludi: cum *σαρπηδόνιος* Gr. *μέγας* dicant, &c. et *Sarpedonium litus*, Proverbium sit, de Clamosia. Fuit autem *Sarpedon* Jovis et Europæ (alii *Laodamiæ*) filius, frater Minois et Rhadamanti; rex Lyciæ: qui Trojanis suppetias ferens, a Patroclo interfectus est: cum quo omnis spes præsidii Trojanis cecidisse credebatur. Declinatur autem *Sarpedon*, *Sarpedonis* et *Sarpedontis*: de quo Servius. Denique placet quibusdam doctis, quod legitur in vet. l. *Hector et ingens*, pro *Ubi*: nempe quod satis illis visum sit bis tantum repetere adverbium *Ubi*: ne oratio loco tam mœsto lascivire videatur. Gifan. l. ut, pro *Ubi*, &c. quod usitatum esse, etiam Scaliger ad Varr. notat. Catullus: 'Ut convenerat esse delicatos.' *Taubmann.*

104 *Sarpedon*] Et in ultima syllaba, et in penultima possumus accentum ponere. Nam Homerus et *Sarpedonis* declinavit et *Sarpedontis*: unde et varius accentus est. Nam si *Sarpedonis* dicas, antepenultima habet accentum; si *Sarpedontis* penultima.

7 B

Virg.

Sed *Sarpedontis* usurpavit. Naturalis autem declinatio est, *Sarpedonis*, ut *Memnon Memnonia*, *Sinon Sinonia*. Si autem genitivum in *dontis* miserit, a circumflexo venit, qui est in ultima syllaba nominativi, ut *Demophan*, *Demophantis*, *Lycaon*, *Lycaontis*: sic ergo et *Sarpedontis*. Est autem Sarpedon, Jovis et Laodamiæ filius, ut alio, 'Quin occidit una Sarpedon mea progenies,' occisus a Patroclo Menæcii filio, armis Achillis induto; hujus interitum Juppiter prosequens dicitur imbre sanguineo. *Servius*.

*Simois*] Nomen hoc integrum ad nos transiit, unde suo accentu profertur. Nam si esset Latinum in antepenultima haberet accentum, quia secunda a fine brevis. Sane bene fecisse videtur Simois mentionem, ut ibi videatur pati se optavisse, ubi genitus est, ut ibi: 'Tunc ille Æneas quem Dardanio Anchisæ Alma Venus Phrygiæ genuit Simoëntis ad undam?' Hic flumen Trojæ est, *Servius*.

*Corrupta*] Rapta. *Idem*.

*Sub undis*] Et *sub undis* legimus, et *sub undas*. Sed si *sub undas*, *corrupta* intellige: si *sub undis*, *voluit*: varia ergo distinctio est. *Idem*.

105 *Fortia corpora*] Id est, viro-  
rum fortium, nulla enim est in mor-  
tuis fortitudo. *Idem*.

*Scuta virum, galeasque et fortia corpora voluit*] De flumine repleto cada-  
veribus et armis noster Æn. viii. 538.  
'Quam multa sub undas Scuta virum,  
galeasque et corpora fortia volves,  
Tybri pater.' Sil. Ital. l. iv. 'Cor-  
poribus, clypeisque simul, galeisque  
cadentum Contegitur Trebia, et vix  
cernere linquitur undis.' Locus au-  
tem hic Virgilii desumptus ex Home-  
ro Il. M. 22. ut monet Turneb. ad-  
vers. xviii. 32. καὶ σιμύεις, ὅθι πολλὰ  
βοάγρια καὶ τρυφάλαια κάππεσον ἐν κο-  
νίῃσι, καὶ ἡμῶων γένος ἀνδρῶν. Em-  
mentess.

106 *Tabia jactanti*] Inaniter loquen-

ti: ut alibi, 'Atque irrita jurgis  
jactat.' et, 'Voces dum jactat in-  
anes.' *Servius*.

*Jactanti*] Adhuc loquenti interve-  
nit vis fluctus, nec permisit explicare  
felices, qui in Troja perierunt: se in-  
felicem, qui in fluctibus sit periturus.  
*Donatus*.

*Jactanti*] Viderunt jam alii supera-  
tum hic Homerum, qui *εὐδέρρα* dixit.  
Jactare proprie dicit querelas sine  
fructu, quod Æneæ accidit: nam lo-  
quentem illum sævior adhuc procella  
invasit. An in tanto tumultu exau-  
diri Vlysses posset? Transfer in hunc  
locum, quæ ego Eclog. ii. ad illud:  
'Montibus et sylvis studio jactabat  
inani.' Idem est enim jactare que-  
relas suas ad montes, quod ibi facit  
Corydon; atque ad ventos, quod hic  
Æneas. Sed et Lucanus frustra an-  
helat (ait Scaliger) ad Virgilium, ne-  
que enim assequitur, cum ait: 'Non  
plura locuto Avulsit laceros percussa  
puppe rudentes Turbo rapax.' *Corda*.

*Aquilone*] Ab Aquilone. Ecce hic  
reddit ventum quem transierat, et a  
generali tempestate ad speciem trans-  
it, *Servius*.

*Aquilone proc.*] Ventis Austrinis  
opponit Septentrionalem. Nec ab-  
ré est, ut Aquilo reliquis ventis im-  
petuosior velum Principis feriat.  
Hujus autem venti propeopœia ele-  
gantiss. est apud Ovid. Met. vi. Fab.  
ult. 'Apta mihi vis est, qua tristia  
nubila pello, Et freta concutio, no-  
dosaque robora verto:' et quæ se-  
quuntur. *Taubmann*.

107 *Adversa*] Contraria: quia ad  
Italiam navigantibus Aquilo contra-  
rius est. *Servius*.

108 *Franguntur remi*] Vel gubernacu-  
la: vel, quod verius est, remi. An-  
tiqui enim velis remisque navigabant.  
Et hoc de navi Æneæ, an de omni-  
bus dixit? Tum *proram avertit*. Alii  
*Prora* legi tradunt, ut sit, *Avertit*,  
pro *avertitur*. Est figura creberrima:  
potest namque pro activi verbi signi-

ficatione passivum poni: ut est, 'Et pictis bellantur Amazones armis,' pro *bellant*. Nec nos debet movere quod *beller* non facit, natura enim hoc prohibuit verbum componere. Et invenitur ubi activum ponitur, ut est *avertit* pro *avertitur*; et *Insinuat pavor*, pro *insinuatur*; et, *Nox humida celo Præcipitat*, pro *præcipitatur*. Sed hæc verba tantummodo pro se invicem ponuntur, quæ et activa esse possunt et passiva; ut est *averto* et *avertor*, *præcipito* et *præcipitor*. Ergo non possumus dicere, quod quidam artigraphus, declinationes activi verbi et passivi pro se invicem poni. Nam et neutralis verbi declinatio activa est, et communis deponentisve passiva: et aliud est esse activum verbum, et aliud habere activi verbi declinationem. *Idem*.

*Franguntur*] Classem tempestatibus agitatam tanto artificio descripsit, ut neque evidentius, neque expressius oculis corporis e littore, quam animo ex his versibus spectari possit. Quæ describendi ratio (semel ut dicam) Quintiliano *credibilis rerum imago*, aliis *Evidentia*, aliis *Informatio* dicitur. Aphthonius *ἔμφασις*, Rutilius Lupus *χαρακτηρισμὸν*, Aquila Rom. *διατύπωσις*, vulgo *ὑποτύπωσις* vocant. *Taubmann*.

*Tum prora avertit*] Pro *proram*: alii *proram* legi tradunt, ut sit *avertit* pro *avertitur*. *Servius*.

*Tum prora avertit*] In Rom. codice, *proram* legitur, accusativo casu: ejus suppositum erit procella. Quamquam Servius longa disputatione *avertit*, pro *avertitur* legendum censet. Quare itidem *prora* casu recto ponendam: quæ quidem magis Poëtica elocutio est. *Pierius*.

*Prora avertit*] Pro *avertitur*, id est, incipit circummagi in gymru, ut Victorius explicat. Est et elegans orationis figura: de qua Agell. xviii. 12. 'Morem, inquit, istum veteribus fuisse, verba *Patiendi* mutare in *Agendi*

*modum*.' Ita inferius, *avertens rocas cervice*. alibi; *Insinuat pavor*: *agglomerant*, pro *agglomerantur*: *turbant*, pro *turbantur*: *Nox humida celo Præcipitat*, pro *præcipitatur*: *Venti ponant*: *volventibus annis*; ut, *anno vertente*, apud omnes fere. Ita Cicero pro Sextio, 'qui non modo præcipitanti patriæ non subvenirent,' &c. *Idem* pro C. Rabirio Posth. et alibi. Livius: 'Mores pop. Rom. quantum mutaverint.' *Idem*: 'tempestas sedet.' Plautus, 'Rugat pallium,' Casina: 'iræ leniant,' Milit. ii. 6. ubi *Notas nostras vide*: vel etiam *Servium ad hunc locum*. *Taubmann*.

*Prora avertit*] *Vertere sæpenumero absolute inveniri monet Torrent. ad Horat. od. iv. 10. Gell. iv. 18. 'id cum dixisset, avertit, et ire in Capitolium cæpit.'* Congessit plura exempla *Vechner. Hellenol. i. 12. Emmenass*.

109 *Dut latus*] *Inclinatur. Serv.* *Cumulo*] *Exuberante fluctu*, id est, altitudine, cum *cumulo*. *Idem*.

*Præruptus*] *In altum levatus. Idem.* *Cumulo præruptus aquæ mons*] *Laudat Scaliger Poëtam*, qui non palam profiteatur eruditionem, ut alii. Nam cum *decumanum*, aut *decimum fluctum* intelligat, *montem aquæ* maluit dicere. Est vero *decumanus fluctus*, maximus fluctus. Perfectio enim hujus numeri facit, ut quæ sunt magna, efferrantur per illum. Sic *oca decumana*, quæ maxima: *decumana scuta*, quæ amplissima: *pyxa decumana*, vel *decimana*, apud Plinium. De *porta decumana* castrorum, lege Lipsium ad Ann. Taciti l. i. Redeo. *Decumani fluctus*, multi meminere. Ovidius Met. xi. nominat *undam decimam*. Silius l. xiv. *volumen decimum*. Valerius, *tumorem arduum undæ decimæ*. Omitto Senecam, Lucanum, alios. Vide, uti Ovidius in Tristibus circumscribat hunc fluctum. Græci hunc fluctum appellant *τρικυπλάς*. Homerus Odys. iii. *κύματα ἴσα ὕπασσιν*,

*fluctus æquales montibus.* Calaber l. xiv. *λοικότε κῦμα' ὕρσσειν, fluctus similes montibus.* Homeri locum representat Dio Chrysost. orat. lxxv. Ovidius Trist. i. 2. 'montes volvuntur aquarum.' et Met. xv. 'Cumulusque inmanis aquarum In montis specie.' Paulinus natali Felicis ix. 'Et tremula compage minax pendebat aquæ mons.' Hieronymus contra Jovinianum, l. ii. *montes gurgitum.* Aristides orat. 2. sacror. serm. et Græci alii simpliciter, *κῦμα ὄψηλόν.* Sed quoniam incidi in Aristidem, adde auctorem hunc reliquis advocatis a Junio Cent. 6. Adag. 77. Nam illo quoque firmabitur adagium illud: *Decumani malorum fluctus.* Verba Aristidis sunt in Platon. ii. *Θεμιστοκλέα δὲ τὰ δευτέρα ἀεὶ τῶν προτέρων μέλζονα ἐξεδίχετο· καὶ τὸ τῆς παροιμίας αὐτῷ περιεσθίκει. Τὸ μὲν γὰρ εἶπεν αὐτὸν κῦμα, τὸ δ' ἐγκατελάβανεν, ἕως διεβήλθε διὰ τῶν τρικυμιῶν νικῶν: Themistoclem vero posteriora semper prioribus excipiebant majora, et, ut est in proverbio, alius eum relinquebat fluctus, alius comprehendebat, donec per undas decumanas victor evasit.* Cerda.

*Præruptus aquæ mons]* Moles aquæ prærupta, sive in altum elevata. J. C. Scalig. iv. 48. Poëta cum incomparabilem versum illum fecisset Æn. v. 'Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.' impudenter Servius; 'Pessimus, versus in monosyllabam desinens.' Utrum enim malis; huncne, an; 'Sternitur, exanimisque tremens bos corrui ictu.' Quis igitur illum quoque Grammaticorum interpolabit nobis, ne sit monosyllabum? 'Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ mons.' Quem versum quare non appellavit pessimum, sicut et cougenerem illum alterum? Atque potuerat sic, 'Dat latus, insequitur tumidis mons incitus undis.' Verum ut corrui taurus; ut confluit in unum montem mare; ita corrui versus in monosyllabum; copia mul-

tarum syllabarum in unam coacta. Sicut et in illo Æn. ii. 'ruit Oceano nox.' Quid illo acrius? Æneid. vi. 'en hæc promissa fides est?' Nihil enim aptius indignationi, quam oratio desinens in monosyllabum. Vel evolve Demosthen. Orationes: quoniam ejusmodi periodos invenies? Inverte modo, nihil frigidius. Itaque omnibus locis adeo studiosus fuit collocationis, ut si quid tantillum mntes, deterius facias. Horatius quoque cum e magnis cœptis futile Poëma exiturum stomacharetur, ex prolixis vocibus eduxit finem monosyllabum, 'Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.' Sic Poëta valido monosyllabo sustentavit procedentem ac mobilem versum, Æn. iv. 'Mnasyllique ruunt equites, et odora canum vis.' Quam vocem si transmittas alio, totus pereat decor. In illo quoque Æn. ii. avertit deæ mentem, ut postea figat in pertinacia, 'aversa deæ mens.' Quæ semel huc annotasse e re visum est. *Taubmann.*

*Præruptus aquæ mons]* Aqua in altum sublata, *μέγα κῦμα* nempe, cum *ὑπερθε πολλὸν ἄλδς κορβύεται ὕδωρ*: ut Apoll. Argon. ii. 322. montis nomine venuste venit: sic noster Ge. iv. 361. 'Curvata in montis faciem circumstetit unda.' Huc pertinet emendatio lectio, quæ nobilis. Heinio debetur Met. xi. 538. *Emmeness.*

110 Hi] Pro illi, vel alii; et bene dicticæ, his pro illis, vel aliis. *Serr.*

*Hi summo in fluctu]* Fluctibus vario motu venientibus: aliæ erigebantur tumore fluctuum, aliæ deprimebantur. *Donatus.*

*Hi summo in fluctu pendent]* Virgilius hic nihil tale cogitat: describit enim navem uno in loco hærentem, tantum ad latus inversam, et ideo sublatam a puppi, depressam a prora, utique pendentem, qualem ferme descripsit Lucanus l. ix. 'Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.' *Cerda.*

*Pendent*] Sic Leandri per vim maris jactati corpus pependerit aqua: ut de eo Ovid. *Epist. Heroid. xviii. 52.* 'quod dubia saepe pependit aqua.' *Emmerson.*

*Dehiacens*] Valde hiscens. De enim argentiis est, ut in Terentio, 'Dehinc te Syre.' *Servius.*

111 *Aperit*] Ostendit: ut Sallustius, 'Caput aperire solitus,' id est, nudare, ostendere: sic alibi, 'Visa aperire procal montes:' sane aliter hic aperit, aliter ostium aperit. *Idem.*

*Terram inter fluctus aperit*] Est hoc, quod dixit Tibullus l. iv. 'Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.' *Cerda.*

*Arenis*] Et ab arenis et cum arenis: id est, vel ab imo movebatur mare, vel cum ipsis arenis, ut in tempestate solet. *Servius.*

*Furit æstu arenis*] Est hoc, quod vetus Poëta apud Tullium de Divina *ferret æstu pelagus.* Ab hoc æstu et fervore dixit Nazianzenus in Apologetico loquens de tempestate, *ῥέθυρ ἔσθρ.* *Cerda.*

112 *Tris*] Latium est. Genitivus enim pluralis quotiens in iam exit, accusativum pluralem in is mittit, ut *puppium, puppis.* Quotiens in um exit, in es mittit, ut *patrum, patres.* *Servius.*

*Saxa latentia*] Modo propter tempestatem; vel, ut quidam tradunt, tranquillo mari: nam quemadmodum latent, quæ nomen habent. Hæc autem sunt saxa inter Africam, Siciliam, et Sardiniam, et Italiam, quæ saxa ideo Itali *æras* vocant, quod ibi Afri et Romani fœdus inierunt, et finis imperii sui illic esse voluerunt; unde etiam Dido, 'Litora litoribus contraria, fluctibus undas Imprecor.' Quæ *æræ*, a Sisenna, *prepitæ* vocantur: alii dicunt Græcos hæc saxa *βυμβῶν* appellare. Quidam insulam fuisse hunc locum tradunt, quæ subito peassumerit, in cujus reliquias saxa hæc extare, in quibus ajunt Pœnorum Sacerdotes rem divinam facere

solitas. Hæc *æras* alii Neptunius vocant, sicut Claudius Quadrigarius Annalium l. 'Apud æras, quæ vocabantur Neptuniarum.' Varro de ora maritima l. i. 'Ut faciunt æ, qui ab Sardinia Siciliam, aut contra petunt. Nam si utramque ex conspectu amiserunt, sciunt periculose se navigare, ac verentur in pelago latente insulam, quæm locum vocant æras.' *Idem.*

*Torquet*] Jacit, immittit, ut 'Torquet aqueam hiemem.' Inde et *torquet*, jacit dicimus. Alibi *Torquet, deflectit*; ut, 'Torquet medius non humida curvas.' Alibi *regit et frenat*: ut, 'Cuncta tua, qui bella pater sub numine torques.' Alibi *astinat et fort*, 'Axem humero torquet stellis fulgentibus aptum.' *Idem.*

113 *Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus æras*] Ordo est, Quæ saxa latentia in mediis fluctibus, Itali æras vocant: pro quibus hunc ordinem esse ait, *Tris Notus obrepas mediis fluctibus in saxa latentia torquet*: Alii *mediis fluctibus æras* legunt, ut sit ordo, *Saxa vocant Itali æras, quæ mediis fluctibus, ut deit Sunt.* Italos autem aliqui non qui in Italia nati sunt, sed qui Latine loquantur, accipiunt. *Idem.*

*Æras*] *Æra*, dorsum immane, appositio est, conjuncta cum metaphora; ut exponit Hortensius. Notat Turnebus xvi. 23. earum fuisse novem: probatque e Lucano, l. viii. saxa illa magna religione et veneratione fuisse culta. Nascimbænius Ægates insulas esse ait. Porro Jos. Scalig. *Auson. Lect. ii. 23.* *Æra*, inquit, sunt margines seu crepidines prominentes earum molium, quibus flumina (ut loquitur Lucret.) *oppidentur*, quæ et *moles* dicuntur, et *χαλαί*: vulgo *Franciæ* vocant, quæ vox satis antiqua. *Cajere* enim apud veteres erat, *cohibere, compescere, &c.* Omnes igitur crepidines et eminentias veteres illi *Æras* vocabant: ut hic saxa in mare eminentia Virgilius. Tertullian. lib. de Pallio: 'Soleo de qualibet margi-

ne vel ara medicinas moribus dicere.' Ubi manifesto *Ara* est ἔφοχη, ut et *margo*. Varro de R. R. 1. 54. 'Alia (*ura*) in amphoram picatam descendat: alia in aram, ut in carnarium adacendat,' &c. *Taubmann*.

*Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras*] *Aras* fuisse novem propitias admonet Turnebus inter Sardiniam et Africam celebres icto ibi inter Afros et Romanos fœdere, de quibus Lucanus, 'angustius aris Victoris Libyco pulsatur in æquore saxum Tarpejis.' *Germanus*.

*Aras*] Apud Suidam Ἐρμαῖος est τετράγωνος λίθος. Quales lapides sunt ἔρματα ὄφθαλα: *scopuli marini*: sic appellantur a Dionys. Halicarn. antiq. Rom. 1. p. 42. quo loco testatur Æneam in hæc saxa quoque latentia incidisse. Plinii locus videtur corruptus v. 7. 'Ægimori a re, scopuli verius, quam insulæ:' ubi Scottus Observ. Philosph. v. 19. pro *a re*, legit, *aræ*: misturam esse verborum in hoc versu contendit Quintilian. viii. 2. Quæ tanti haud videtur esse, ut Maroni verti possit vitio. *Emmeness*.

114 *Dorsum inmane*] Eminens, vel altum, secundum Homerum, vel certe eminens planities, aut superficies durior: aut sic ait hic Poëta *dorsum* de saxo, sicut Hom. Νῆαυ θαλάσσης: sicut alibi ipse: 'Dorso dum pendet iniquo.' Quidam *inmane* pro malo accipiant positum, propter naufragia, quæ ibi solent fieri: nam *manum* bonum dicunt, ergo quod bono contrarium *inmane*. Non enim potest pro magno accipi. Alibi, 'Posuit quæ inmania templa,' quia non facile apparent hæc saxa, nisi cum mare ventis movetur. *Dorsum* autem hoc loco non absurde ait, quia Græce aræ ipsæ ἱερῶν νῆαυ dicuntur, ut Sinnius Capito tradidit, secundum Homerum. *Servius*.

*Mari summo*] Vel in summo, vel in placido. *Idem*.

*Dorsum inmane mari summo*] Sic *tergum* Ge. iii. 361. Scottus Observ.

Histor. iii. 28. *dorsum* nominat *eminentiam*: in ea notione apud nostram Æn. x. 227. 'ipsaque dorso Eminent.' et vs. 303. 'dorso dum pendet iniquo.' Isid. xi. 1. *dorsum superficiem*, vocat, *corporis, instar saxi*: ita hoc loco pro maris superficie, quam Græci, ut ex Oppiano de Piscat. 1. 60. νῶτον ἁλὸς, et Suidas τὴν ἐπιφάνειαν τῆς θαλάσσης. *Emmeness*.

115 *In brevia et Syrtis*] Id est, in brevia Syrtium: quo modo, 'Molemque et montes.' *Servius*.

*Brevia*] Dicit vadosa, per quæ possumus vadere. *Idem*.

*In brevia et Syrtis urget*] In antiquis plerisque codicibus, *urget* est, et post *g* addita: Attiano more. Et hoc loco *Syrtis* in accusativo plurali tantum fieri docet Priscianus, sicut et *Alpis*, propterea quod Græce declinata ei diphthongum habeant: ejus vero sonum apud Latinos esse per *i* longum. Est et Vellii Longi sententia, ut *Syrtis* per *i* scribatur citato versu, *Et vastas aperit Syrtis*. Nostra autem ætate litterati pene omnes diphthongum Græcam recepere: atque ita dictionis hujus casum *Syrtis* per *ei*, ut pleraque alia scriptitant: quod in codicibus antiquis inventu rarissimum: quodque supervacuum esse, quod *i* tam longæ quam brevis naturam habet, tum incommodum aliquando judicat Quintilianus. Sed de hoc genere plura alibi recitantur. *Pierius*.

*Brevia*] Dicuntur Syrtis, Latinis *Brevia*, ut Græcis βραχέα, vadosa videlicet, et arenosa loca: oportet enim ibi brevius sit et contractius mare, ubi sunt ingentes cumuli arenarum: non latum, et spaciosum. Duæ sunt in sinu Africo Syrtis, ἡ μὲν μείζων, ἡ δὲ μικρὰ, Zetzel in Cass. Lycophron. Dicuntur ἀπὸ τοῦ σύρω, traho: vento enim in mare arena trahitur cogiturque. Pomponius Sabinus Poëtam accipit de majore, nam hæc proxima Carthagini. Vide uti Modicius cap. 12. defendat Virgilium a nonnullorum

calumniam: uti Sallustius describat Syrtas, in promptu est. *Cerda*.

*In brevibus*] Quæ Latini breviter nominant, vadosa quedam in mari spatia, ex Græcæ *ῥαπαῖα*. Ocellus iv. 15. *Pontem*.

*In brevibus*] Sanctius in Minerva subaudit vada. Hunc quoque Maronis locum attingit Robert. Tit. contrav. ix. 20. et accurate, quid breviter sint, edocet ex Græcis scriptoribus Brodæus Miscell. vi. 24. *Emmeness*.

116 *Vadis*] Vada, τὰ *ῥαπαῖα*. Varro de ora maritima l. 1. 'Si ab aqua summa non alte est terra, dicitur vadus:' et multi sic legunt: 'Inliduntque vadis atque aggere cingit harenæ.' Et *Syrtes*. Syrtium sinus duo sunt pares natura, impares magnitudine, ut Sallustius dicit. *Servius*.

117 *Lycias*] Hi Trojæ ad auxilium venerant, qui, mortuo rege Pandaro, Æneam secuti sunt; unde et in secundo ait, 'Comitum affluxisse novorum.' *Idem*.

*Lycias*] Signate. Et militum et ducis nomen ponit, itemque magistrum, et navim submersam scribit. Lycii autem, interfecto Sarpedone, adhæserunt Æneæ, ductore Oronte. Unde Æn. ii. 'comitum turbam adfluxisse novorum Invenio.' Navis magister erat Leucaspis, ut Æn. vi. 'Leucaspim, et Lyciæ ductorem classis Orontem.' *Taubmann*.

*Fidum*] Fidelem: utrumque nomen idem significat, quamvis quidam velint *fidum* amicum, *fidelem* servum dici: et sic pronuntiandum, ut dolorem afferat talis socii amissio. *Serv.*

118 *Ipsius ante oculos*] Ad majorem dolorem: unde alibi, 'Quæque ipse miserrima vidi.' Item, 'Qui nati coram me cernere lethum Fecisti.' *Id.*

*Ingens pontus*] Unda. Et est tropus Synecdoche. *Idem*.

*A vertice*] Aut a puppi, quæ vertex navis est: aut ab Aquilone vento, qui fiat a mundi vertice, a septentrione: ut ipse alibi, 'Hic vertex

nobis semper sublimis.' Quidam verticem hic procellam accipiunt. *Idem*.

*A vertice*] Κατ' ἄκρας. Recurre ad illum Ge. locum: 'ventus a vertice sylvis Incubuit.' Nannius vir acerrimi ingenii non injuria mihi Servium hic notasse videtur, ut ex ejus Nannii contextu, qui ita habet, liquebit. Describit Virgilius mirabilem subversionem navis, et quæ vix anquam, nisi in sævissimis tempestatibus, contingere solet: undas scilicet, sublatâ in altum prora, navem in puppim statuissæ, adeo ut gubernator, cum pedes illi in altum tollerentur, pronus in caput necessario excideret, quam sententiam firmat Livii auctoritate de bel. Pun. l. iv. 'Ferreâ manus firmæ carenæ illicata, cum injecta proræ esset, gravi libramento plumbi revelleret ad solum, suspensa prora navim in puppim statuebat.' Tale quid forsân apud Calab. ξ. φορέοντ' ἐπικάρσαι εἰν ἄλ νῆες, ἄλλαι ἀναστρέψασαι ἐνὺ τρέπιν. *Germanus*.

119 *In puppim*] Pro *puppim*, addidit præpositionem. *Servius*.

*In puppim ferit*] Hos specialiter cum eorum nominibus ponit, qui in iis potiores navigabant, et uno casu ferebantur. *Donatus*.

*In puppim ferit*] Imitatione Homeri, qui de Ulysæ, τῆλε δ' ἀπὸ σχεδῆς πέσε: longe autem a navi cecidit. Deinde Petronii, qui in Satyr, 'illum quidem vociferantem in mare ventus excussit, repetitumque infesto gurgite procella circumegit, atque hausit.' Inveni etiam locum Aristidis orat. ii. sacrorum sermonum, simillimum Virgiliano: sic enim de nave loquitur: καὶ τὸ πλοῖον ἐκ πρῶρας ἀρθὼν, ἐπὶ πρύμνῳ ἐκλάσε. *Cerda*.

*Pronus*] Πρηνής: nonnulli sane pronus adverbialiter legunt. *Servius*.

*Magister*] Leucaspis: ut in sexto libro, 'Leucaspim, et Lyciæ ductorem classis Orontem.' *Idem*.

*Magister*] Sic Horat. od. iii. 6. 'navis Hispanæ magister:' vide Tor-



rentium. Noster *Æn.* vi. 358. 'Quam tua ne spoliata armis, excussa magistro.' *Emmeness.*

120 *Voluitur in caput*] Sic et Il. Z. *πρηνὴς ἐν κορήσιν ἐπὶ στόμα·* et Il. E. *ἔκπεσε δὶ φρου, Κύμβαχος ἐν κορήσιν, ἐπὶ βρεχμὸν τε καὶ ὄμους. Διὸ δ' ἀλλ' ἐστῆκε.* Ut autem *pronus magister voluitur*, sic et illi *προκάρηνος κυβιστῶν.* *German.*

*Voluitur in caput*] *Præceps inegit* inquit Apulejus *Met.* l. iv. id est, in caput, et juxta Glossas *ἐπὶ κεφαλῇ.* Græci habent verbum *κυβητίζειν*, quod teste Hesychio, est *βλεπεῖν ἐπὶ κεφαλῇ.* *Emmeness.*

*Ter*] Sæpius: finitus numerus pro infinito: *crebro* enim fluctus facit Aquilo, ut Sallustius, 'Crebritate fluctuum ut Aquilo solet:' vel certe quod Græci *τρικυμῶν* appellant: ut Sallustius, 'triplici fluctu.' *Servius.*

*Ibidem*] *Ibidem* et ubinam multi dubitant ubi debeat esse accentus, quia ubi et ibi naturaliter breves sunt: sed ratione finalitatis plerumque producuntur in versu: nescientes hanc esse rationem, quia pronuntiationis causa contra usum Latinum syllabis ultimis, quibus particulæ adjunguntur, accentus tribuitur: ut *Musaque, illene, hujusce*: sic ergo et *ibidem.* *Idem.*

121 *Torquet agens circum*] In gyrum circumagit. *Idem.*

*Vortex*] *Vortex* dicitur circumacta in se unda, et quæ quasi sorbere videatur: quod de Charybdi legitur, 'atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus:' de quo ait Sallust. 'Charybdis mare verticilosum.' *Idem.*

*Vorat*] De aquis: ita Aristot. in *Problem.* sect. 23. q. 5. interrogat, cur interdum navigia, dum cursum agant in mari quieto, repente *καταπίνονται, decorantur.* H. Stephanus in illo Virgillii *A* n. xi. 'æstus resorbens,' dicit, hoc verbum respondere Græco *ἀναπίνων*, quasi *rebibens.* Græci fere omnes *ἀμπαντιν*, id est, *aquarum recipro-*

*cationem*, ducunt ab *ἀναπίνω, rebibo, et resorbeo.* Ex Aristotele quoque adducitur, *δῖος καταπίνει, gurgis decorat.* Plinius vi. 1. dat aquis verba *deoro, absorbeo, satietas, aviditas.* Horum alterum habet Cassiodorus *epist.* viii. 10. 'navigium tumens fluctus absorbit:' et ultimum Lucretius l. i. 'avidum mare.' Seneca ad Marciam, c. 20. 'mare devorasset.' *Cerda.*

*Æquore vortex*] Mirum est quam sæpe invenias *vortex*, et *vortex* indifferenter scribi in antiquis codicibus, quod idem esse vult Arusianus Messus; Capro tamen non temere *Vorticem* per o vocalem quartam in prima syllaba, a *Vertice* per e vocalem secundam distinguente. Præterea Sos. Carisius *vertex* a vertendo, *vortex* a vorando dicta putat. Vult autem Plinius *Vorticem* immanem vim impetus habere: ut, 'Ingens a vertice Pontus:' *Vorticem* vero circunactionem undæ esse: ut, 'Rapidus vorat æquore vortex.' *Pierius.*

122 *Apparent*] Aliud est *parere*, et aliud *apparere.* *Parere* enim est *obedire*; ut, 'Paret amor dictis.' *Apparere* autem, *videri*: ut, 'Apparet liquido sublimis in aëre Nisus.' Et hæc observatio diligenter custodiri debet; licet eam auctores metri causa, vel clausulæ plerumque corrumperant. *Servius.*

*Rari*] Vel propter maris magnitudinem, vel quia una perierat navis: vel rari de multis, ut ostendat statim alios plures periisse; et quomodo apparent, si *ponto nox incubat atra?* aut quia, *crebris micat ignibus æther*, aut quia ante ipsius oculos hoc evenit. *Idem.*

*Nantes*] Prima verbi positio, *no, nas, nat*: unde est, 'Nare per æstatem liquidam:' prima syllaba naturaliter longa est: licet *Natate*, na brevis in eadem significatione. *Idem.*

*Apparent rari nantes*] Ut compleatur id: *Submersæque obrue puppes*: perit ergo amicus, et fidus, et in ejus con-

spectu. Excusatur igitur Orontes, qui non imprudentia, sed vi tempestatis perierit. *Donatus.*

*Apparent rari nantes*] Observavit Corradus ab Aristot. καὶ οἱ ἀναλίσκουσι. Ut autem *gurgitem* hic *vastum*, Hom. ὁδλασσὴν ἐπὶ ῥοτόν. *Germanus.*

*In gurgite vasto*] Tapinosis est, rei magnæ humilis expositio. Prudentior tamen Virgilius humilitatem sermonis epitheto subleuat, ut hoc loco, nam addidit *Vasto*. Item cum de equo loqueretur, ait, 'Cavernas ingentes.' *Servius.*

123 *Arma virum*] Bene addidit *virum*, id est, virorum. *Arma* enim dicuntur cunctarum artium instrumenta: ut 'Cerealiaque arma.' Item, 'Colligere arma jubet.' Item et alio loco: 'Dicendum et quæ sint duris agrestibus arma.' *Idem.*

*Arma virum tabulaeque*] Sic et πύκνες Græcis in re nautica usurpantur, ut ex illo: 'Ἀλλὰ δὲ μοῦ πύκνης τε νῆον, καὶ σέματα φωνῶν Κύμαθ' ἄλδς πορεύουσι, κερδὸς τ' ὁλοοῖο θέλλαι. *Germanus.*

*Troja*] Differentia in hoc sermone est, et in sensu, et in syllabis. Nam cum provinciam dicimus (nam Troja provincia, illum ipsa civitas) et principale nomen est, brevis est *Tro*: quando autem non est principale et derivatio est, longa est *Tro*: ut, 'Trois *Æneas*.' *Servius.*

*Gaza*] Persicus sermo est, et significat *divitias*, unde Gaza urbs in Palestina dicitur, quod in ea Cambyses rex Persarum, cum Ægyptiis bellum inferret, divitias suas condidit. Est autem generis fœminini: ut, 'Gaza lætus agresti.' Quæritur tamen a multis, quemadmodum potuit aurum natare, nescientibus Gaza, id est, opes, dici omne quod possidemus; aut certe hyperbole tempestatis, ut etiam ponderosa ferri potuerint. *Idem.*

*Gaza*] Hac voce significatur regia omnis suppellex, atque (ut ait Hes-

chius) etiam tributa, et redditus. Suidas ait esse *θήσαυρον*, id est, res omnes pretiosas, quas recondimus. Pomponius Mela ait, illa signari *ærarium*: inde est, ut Persarum Reges (nam Persica hæc fuit vox) beatissimi olim judicarentur. Horat. Carm. III. 'Persarum vigui Rege beator.' *Cerda.*

*Per undas*] *Per* quidam nolunt, Et Troia possessivum. *Servius.*

124 *Jam validam, &c.*] Zeugma est ab inferioribus. *Idem.*

*Ilionei*] Antiptosis est, pro genitivo enim dativum posuit: nam constat hujusmodi nomina Græca dativum singularem in *ei* mittere, ut *Orphei*: nam illa solutio est, cum *Orphei* separatim dicimus: nec modo *Ilionei* possumus dicere strictum esse genitivum, ut ipse sit qui et dativus: quod etsi forte contingat, non regula mutatur, sed Antiptosis fit, qua plerumque utuntur Poëtæ, ut, 'urbem quam statuo vestra est,' pro urbs: item 'Hæret pede pes,' pro *pedi*. *Idem.*

*Ilionei*] Oratoris *Æneæ*: erudite ducto vocabulo ab *Ilio* et *Ilo*. Hom. Iliad. X. Phorbantis facit filium, et a Mercurio unice amatum. *Taubmann.*

125 *Vectus*] Qua vehebatur significat. Et pro præsentis participio, quod non habemus, præteritum posuit. In Latino enim sermone a passivo verbo præsens participium non est, neque ab activo præteritum: sed quod uno sermone non possumus explicare, aut circumlocatione ostendimus: aut participium pro participio ponimus, sed usurpative; ut hoc loco factum est. *Servius.*

*Abas*] Abantes aliquot tradunt: hic unus, *Æneæ* comes; alter quem in Troja Diomedes occidit; tertius est Argivus, cujus tertio lib. clypeum Apollini consecrasse dicit *Æneam*. *Idem.*

126 *Vicit hiems*] Quod fit et a superioribus et a medio, plerumque et ad utrumque respondet: ut, 'Troju-gena interpret divum qui numina

Phœbi, Qui tripodas Clarii Ianros, qui sidera sentis.' Ecce hoc loco sentis, et ante dicta et sequentia concludit. *Idem.*

*Vicit hiems*] *Hiems* duas res significat: aut tempus, aut vim venti, per quam oritur tempestas. Ergo pro loco intelligendum. Accius: 'Unde estis nautæ huc hieme delati.' Sic et Varro. *Idem.*

*Hiems*] *Χεῖμας ἱβιδωρο.* Pro aquarum fervore paulo post vs. 129. 'Emissam hiemem.' Ovid. epist. Heroid. xviii. 184. 'Ex me felicem nulla videbit hiems.' et Epist. xix. 80. 'Meque tibi amplexo nulla noceret hiems.' Sil. Italicus l. xii. 'Ventis debebis nimirum, hiemisque procellis.' Ovid. Met. xi. 521. 'Cæcæque nox premitur tenebris hiemisque suisque.' inde *Hiberno ponto* pro tempestate concitata Stat. Theb. l. i. *Emmenes.*

*Laxis*] *Pro laxatis*, nomen pro participio. *Servius.*

*Laxis laterum compagibus*] *Lucret.* l. vi. 'cæcisque in eo compagibus hæsit.' *Germanus.*

*Laxis laterum compagibus*] Est hoc, quod *Lucanus* l. v. 'sonnit victis compagibus alaus.' Quod *Sen. de ir.* ii. 10. 'Navigium multam undique laxatis compagibus aquam trahit.' Quod *Paulin.* ep. 42. 'Laterumque laxis solvitur compagibus Undasque rimis accipit.' Et omnes de navibus *compages.* Illis prior *Pacuvius*: 'Nec ulla subæcus cohibet compagem.' Ut et *Seneca Rhetor.* Cont. 16. 'Resolutis compagibus infelix omen navigationis.' *Cerda.*

127 *Accipiunt imbrem*] *Imber* dicitur humor omnis, veteres enim omnem aquam *imbrem* dicebant: ut *Lucretius*, 'Ex igni, terra, atque anima nascuntur et imbri,' id est, humore. *Ennius imbrem* pro aqua marina, 'Ratibusque fremebat Imber Neptuni.' *Servius.*

*Omnes Accipiunt*] Id est, una omnium causa ac similis fortuna fuit.

Sed *Neptuni* datur occasio, ne penitus *Junonis* jussa implerentur. *Donatus.*

*Imbrem*] Quamvis *imber* sit agmen aquarum irruentium e cælo, hic tamen necessario sumitur pro aqua maris. Nam, solutis compagibus, et rimis factis, navis imbrem sorbet: hic ergo a mari. Nonius etiam scribit, quamcunque aquam dici posse *imbrem.* Et *Ennius* pro aqua maris posuit, citante *Servio*: 'ratibusque fremebat Imber Neptuni.' *Lucretius* numerans quatuor elementa: 'Ex igni, terra, atque anima nascuntur, et imbri.' Adde, sic *Poëtam* declarari ab his, qui illum imitantur, *Valerius Arg.* i. 'protinus albus solvitur, et vasto puppis mare sorbet hiatu.' *Ovidius* Met. xi. 'Rima patet, præbetque viam lethallibus undis.' Itaque prior, *mare*, posterior, *undas* dixit, quod *Virgilius imbrem.* Adjunge *Ovidium* adhuc, qui *Nostrum* æmulans *Trist.* iv. 5. 'Fert bene præcipientes navis modo facta procellas, Quamlibet exiguo solvitur imbre vetus.' Quid si sequaris lectionem *Scaligeri*, qui *Catullianum* verum ita legit: 'Nimirum Oceanus se ostendit noctifer imbre.' ut sit *imber Oceanus*, sicut *mare Oceanum.* *Cerda.*

*Laxis laterum compagibus omnes Accipiunt, &c.*] Sic in sna tempestate *Ovid.* Met. xi. 514. 'Jamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ Rima patet: præbetque viam lethallibus undis. Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres.' *Emmenes.*

*Fatiscunt*] Abundanter aperiantur. *Fatim* enim abundanter dicimus, unde et *adfalim.* *Hiacere* autem aperire, verbum frequentativum ab *hiare.* *Servius.*

*Fatiscunt*] Observetur hoc verbum veteribus finisse in (*or*,) nam *Actius fatiscar* dixit, et *Varro fatiscuntur.* Notarunt alii. *Cerda.*

128 *Misceri murmure pontum*] *For-*

te ex Laetio, qui l. i. 'sævitque minaci Marmore pontus.' Maris murmur Græci vocant, *μικρὴν ὕδραρον*, *καὶ ἀπλοῦς*. *Idem*.

129 *Emissam hiemem*] Hic apertius tempestatem declarat ex Græco: nam et illi *χειμῶνα* tempestatem dicunt, et bene veteres nostri *hiemem* anni dicebant, ne tempestas posset intelligi. *Servius*.

*Emissamque hiemem*] Locutio tracta ab Circo: ut enim equi emissi a carceribus, sic venti e suo carcere. Horat. Sat. i. 1. 'Ut cum carceribus missos rapit ungula currus.' Græci, *ἀπλοῦς* eis *δρόμους*. *Cerda*.

*Sensit Nept.*] Alludit forte ad illud Cic. de Nat. deorum iii. qui ait, 'Neptunum esse animum cum intelligentia per mare vagantem.' *Taub.*

*Imis*] Bene in imo voluit esse Neptunum, ut jam factam cognosceret tempestatem, non incipientem videret. *Servius*.

130 *Stagna*] *Stagnum* dicitur aqua stans: sed nunc profunda maris significat, ab eo, quod non nisi nimia tempestate turbantur. Ergo *Stagna* et *Imis vadis refusa*, aliud pendet ex alio: quia immobilis aqua in imo maris tantummodo est, quam tunc ab imo motu dicit esse turbatam. *Idem*.

*Imis Stagna refusa* v.] Valet, in imis profundisque undis refusam aquam et agitatam: quasi in imis gurgitibus et vadis, ubi deorum domicilia sunt, aqua sit refusa et turbata, et mare totum ab imo eversum. Turneb. xii. 12. et xviii. 32. *Stagna* (ait Serv.) id est, aqua stans; et, *imis vadis refusa*, inter se dependent: quia aqua immobilis tantummodo est in imo maris. *Taubmann*.

*Stagna refusa*] Id est, commota: sic Stat. Thebaid. l. i. 'stagnoque refusa est funditus.' *stagnum* pro mari, ut apud Oppian. Halieut. i. 47. *λίμνη*. vide Rittershusium. *Emmeness*.

*Graciter commotus*] Oportune Neptunum ait commotum, cum maria

turbantur, quia plerumque Poëtae Neptunum pro mari ponunt. *Servius*.

*Et alto Prospiciens*] Aut e mari erigens caput, aut mari providens. Quidam alto caelo accipiuat, quia ait, *Jam caelum terramque*. *Idem*.

131 *Prospiciens*] Ab Philostrato in Icon. l. ii. vocatur Neptunus *Πρόσπρων*, quod omnia speculetur. *Cerda*.

*Placidum caput*] Querunt multi quemadmodum *placidum caput*, si graviter commotus? quasi non potuerit fieri, ut irasceretur ventis, propitius esset Trojanis: epitheta enim alia naturalia sunt, alia ad tempus: et *placidum*, ut naturale Neptuni est, ita *graviter* ad tempus, ob factam tempestatem. Uno autem epitheto habitum futuræ orationis ostendit: ut alibi uno sermone, 'Tunc quassans caput.' *Servius*.

132 *Disiectam Æneæ toto v. æ. c.*] Hic ostendit Æolum omnia Junonis præcepta complisse. Nam *submersaque obrue puppes*, in Orontis sociorumque ejus interitu: *Aut age diversas, et dijice corpora Ponto*. *Disiectam Æneæ toto videt æquore classem*. *Idem*.

133 *Cælique ruina*] Id est, tonitribus, quorum sonus similis est ruinis. *Idem*.

*Cælique ruina*] In Romano quidem codice, *ruinam* legitur per *M* finalem litteram: ut sit, *Videt Neptunus oppressos Troas, cælique ruinam*. *Servius* tamen *ruina* Latino casu uha cum fluctibus agnoscit: et ita veterum codicum bona pars legit. Nam et imbres, et tempestas ea, vento, tonitru, et crebris ignibus horrenda cælitus incubuerant. *Pierius*.

*Cælique ruina*] Illastravi Ge. i. ad illud: 'ruit arduus æther.' *Cerda*.

134 *Nec latuere doli fratrem Junonis, et iræ*] Aut doli Junonis: aut fratrem Junonis: gemina ergo distinctio est, quod et ipsa Saturni est filia. *Servius*.

*Nec latuere*] Fratrem sororis. *sta-*

dia non latebant. Ergo, vocatis ventis, orationem habuit patheticam, utpote commoti animi, abscissam, id est, nec continuam nec compositam: fuit brevis, quia subvenientis in hoc casu non erat multa loqui. *Donatus.*

*Fratrem]* Neptunum. Tres erant Saturni ex Ope filii. Hinc epigramma: 'Juppiter astra; fretum Neptunus; Tartara Pluto; Regna paternae tenent: tres tria; quisque suum.' *Taubmann.*

*Nec latuere doli fratrem]* Rectius dativo jungi contendit Sciopp. in prolegomenis: *latet mihi dici, ut patet mihi.* Quem vide. *Emmenes.*

135 *Eurum ad se Zephyrumque vocat]* Per hos, omnes intelligendi sunt. Isti enim sunt cardinales. *Servius.*

*Ad se]* Et hic ait. Cur tamen Zephyrus, qui ad Italiam ducit, quem Poëta supra tacuit nunc vocatur? Ira in hoc Neptuni exprimitur, si etiam eum objurgat, qui non adfuerit. *Idem.*

*Eurum Zephyrumque]* Zephyrum hic pro Africo sumi docet Turneb. adv. xviii. 32. *Emmenes.*

136 *Tantane]* Hoc genus invectio- nis non habet principium, et crimen exaggerat: ostendens illos non tantum suam, sed hereditariam sectari temeritatem: quod vitium, quia naturale est, non potest emendari. Sunt enim venti a gigantibus, qui bellum diis inferre ausi sunt, sed poenas dedere. Ostendit igitur eorum esse crimen, quod admiserant: esse etiam originale sanguinis. *Donatus.*

*Generis fiducia vestri]* Ascræus unus de Titanibus, qui contra deos arma sumpserunt, cum Aurora concubuit: unde nati sunt venti secundum Hesiodum. Et hoc loco fiduciam pro confidentia posuit; quum fiducia in bonis rebus, confidentia in malis sit. *Servius.*

*Generis]* Non maculant filios paternae scelera: polluantur tamen si illa sectantur. *Donatus.*

*Tantane eos generis tenuit fiducia vestri]* Abruptum exordium iratis convenit, in quibus ingens residet *πῶρος*, Talia collegit Macrobi. iv. 2. Cic. Catil. c. 1. 'Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?' *Emm.*

137 *Jam cælum terramque]* Aut ordo est: Ausi estis sine meo numine tantas moles tollere, et cælum terrasque turbare? Aut certe illud est, quod tria hæc numina, licet divisa imperia teneant, videntur tamen invicem regni totius habere potestatem: sicut et ipsa elementa, quæ retinent, physica inter se quadam ratione junguntur. Sic in Georg. 'Temporibusque parem diversis quattuor annum.' Ipsorum etiam numinum sceptras significant. Juppiter enim trifido utitur fulmine: Pluton, cerbero: Neptunus, tridente. Multi enim quærent, cur modo Neptunus de alienis conqueratur elementis. Aut certe *terram* pro mari posuit, ab eo quod continet, id quod continetur; quia ipse dicitur *ἑρωςχθονος* et *ἑρωςχαιρος*, id est, movens terram: et *cælum* pro aëre. Constat enim terram cum aqua in aëre libratam. *Servius.*

*Jam cælum]* Obscura brevisque oratio, et quia iratus erat et ad succurrendum properabat. Denique transit ab aliorum elementorum injuria, a quibus erat alienum, et venit ad propriam. *Donatus.*

*Cælum terramque, &c.]* Sapit proverbium. Cum præsertim dicat Livius l. iv. 'Quid tandem est, cur cælum ac terras misceant?' Cælum hic capio pro aëre. Lege Plinium ii. 38. *Cerda.*

*Meo sine num.]* Hoc est, 'et laxas sciret dare jussus habenas.' *Servius.*

*Meo]* Quasi dicat, me contempto. *Donatus.*

*Numine, venti]* Distingue Numine, ut Venti, convitium sit. *Servius.*

*Venti]* Abjecte pronunciandum, ut convitium sit, non nomen. *Donatus.*

138 *Tantas moles]* Mira probatio

criminis, ut non solum asserat verbis, sed et ipsis aspectibus subdet. *Idem.*

139 *Quos ego*] Deficit hoc loco sermo. Et congrue; nam qui irascitur perturbatæ mentis est. Subanditur *quos ego ulciscar*; ergo ἀποσιώπησις est; hoc est, ut ad alium sensum transeat, ideo abruptum et pendentem reliquit: et necessario post tale schema, *Sed*, conjunctionem sequi, ut, 'Quamquam o, sed: Terent. 'Quem ego si sensero. Sed quid opus est verbis?' *Servius.*

*Quos ego*] Duo pronomina cum pondere maximo. *Donatus.*

*Quos*] Scilicet sceleratos et ex pessimis ortos: et quæ similiter intelligi possunt. *Idem.*

*Sed motos præstat componere fluctus*] Pradenter agit, plus est enim innocentibus succurrere, quam nocentium delicta punire. *Servius.*

*Præstat*] Melius est: ut, 'Præstat Trimacrii metas lustrare Pachyni.' Et notandus sermo: nam et per se plenus est, et tam accusativo jungitur, quam septimo. Dicimus enim et *præstat illum*, et *præstat illo*. *Commissa* autem hic, pro peccatis. *Idem.*

*Sed motos præstat*] Addit causam dilatae pœnæ. *Donatus.*

*Quos ego. Sed motos præstat componere fluctus*] Verba iratis desunt. Ἀποσιώπησις, de cuius schematis usu Scaliger Poët. iv. 27. Exemplorum abunde est. Stat. Thebaid. l. i. 'nobis sociare cubilia terræ.' (Subandi non licuit iracundiæ ergo.) 'Sed quid ego?' et l. iii. 'Tu, sed scopulos,' &c. observanda particula *sed* in hac figura: idem l. viii. 'genus huic, sed mitto agnoscere,' &c. habet et locum, qui huc facit Scottus in Observ. Poët. ii. 54. ex Valer. Flacc. Arg. i. bene *motos*: ut Ovid. Met. ix. 96. 'motæque residant, Opperiuntur, aquæ:' ubi nobiliss. consule Heinsium. *Emmeness.*

140 *Post mihi non simili pœna commissæ luctis*] Aut non simili pœna, id est, et non ea, qua Trojanos affecistis: aut certe *mihi non simili*, id est, ve-

hementer irato: aut pro non impune posthac: nunc enim nullam pœnam sentiunt, nisi forte objurgationis. *Servius.*

*Post mihi*] Si quid deinceps ausi fueritis, re, non verbis puniam. *Don.*

*Luctis*] Persolvētis. Et hic sermo a pecunia descendit: antiquorum enim pœnæ omnes pecuniariæ fuerunt. *Servius.*

*Post mihi non simili, &c.*] Sapienter hoc: indicat enim iras altius insedis in animo, cum in tempus aliud punitionem differat. Nam implacabilis iræ esse proprium, ut verba omittat, tempus et occasionem spectet gravius lædendi; Aristoteles scripsit Rhet. ii. Quam sententiam firmant verba hæc Taciti Annal. i. 'In Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio transmisit.' Non abeunt Homericus versus Il. i. Κρίσσων γὰρ βασιλεὺς θεὸς χάσεται ἀνδρὶ χερσὶ Ἐπερ γὰρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπύρ, Ἀλλὰ γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὅφρα τελέσῃ, Ἐν στήθεσσι τοῖσι. *Cerda.*

141 *Maturate fugam*] Cum maturitate, id est, cum tranquillitate discedite. Quo modo dicimus, *Matura iracundiam tuam*, id est, mitiga; perniciosum enim Trojanis est, si maturerent fugam, hoc est, si accelerent. Ergo *fugam* hic tantum *discessum* accipiendum. *Servius.*

*Maturate*] Celerius remeate. *Don.*

*Maturate f.*] *Maturum* est, quod neque citius est, neque serius, sed medium quiddam et temperatum. Vereatur enim, ne in ipso discessu classi noceant, dum raptu nimio redeunt. Idem Virgilius, *Maturare* et *Properare* scitissime separavit, Ge. i. 260. 'Multa, forent quæ mox cælo properanda sereno, Maturare datur.' De quo accurate Agellius x. 11. Macrob. vi. 8. Nonius, Beroaldus, Floridus, alii. At vero Turnebus non agnoscit illam Grammaticorum subtilitatem; atque *Maturare*, esse *festinate discedere* atque

*properare*: ut dicere soliti sint, *Maturat* ab urbe *proficisci*. Et Cic. pro Cluent. dixerit, 'Maturare mortem,' eodem modo XII. 12. cum quo facit etiam Donatus. *Taubmann*.

*Regi*] Mittit et regi convitia, deformans regni ipsius potestatem, et personam: asserens non habere regnum, sed saxa: non aulam, sed esse custodem carceris. *Donatus*.

*Regique hæc dicite vestro*: Non illi imperium pelagi] Neptunus sibi imperium assumit, Æolo dat regnum. Contra in aliis Poëtis videas. De Æolo Ovidius in Canace, 'Ille Noto Zephyroque, et Sithonio Aquiloni Imperat, et pennis, Eure proterve, tuis.' Et in Leand. 'Parce, precor, facilemque move moderantius auram: Imperet Hippotades sic tibi triste nihil.' De Neptuno contra Idem Ovidius: 'Mulcet aquas rector pelagi.' *Cerda*.

*Regique hæc dicite*] Ita Livius l. i. 'Ad hæc Tullius: Nunciate, inquit, Regi vestro, vel qui vos regere deberet:' vel sic: qui sit Rex ventorum, quibus nihil inanius, ut sit *χλευαρός*, et cavillatio, risusque simulatus, et oris habitu facta illusio. *Taub.*

142 *Sævum*] Vel magnum et potentem, ut superius: vel vere sævum in ventos, quia minatur. *Servius*.

*Sævum*] Id est, magnum: in laudem, teste Non. Marc. sumitur aliquando, ut noster supra vs. 99. 'Sævus Hector.' et XII. 107. de Ænea: 'Nec minus interea maternis sævus in armis.' De hoc epitheto Scaliger Poët. IV. 16. Reveriti veteres sunt hoc sceptrum tanquam, *κάρτερον ἔγχος*: nam per tridentem, sive fuscinam Neptuni, juravere. Juvenal. Sat. XIII. 81. 'Perque tuum, pater Ægei, Neptune, tridentem.' Adjectivum est, de quo agit Sauctius in Minerva p. 334. *Emmenes*.

*Tridentem*] Ideo *Tridens* Neptuno assignatur, quia mare a quibusdam dicitur tertia pars mundi; vel quia

tria genera aquarum sunt, maria, fluminum, fluviorum: quibus omnibus Neptunum præesse nonnulli dicunt. *Idem*.

*Tridentem*] Fuit quippe Neptunus pari dignitate cum Jove et Plutone. Nam si illi trisalcum fulmen, huic triplex Cerberus, ita Neptuno tridens. Inde hic Deus dictus ab Ovidio Met. XI. *tridentiger*, a Græcis, *τριανούχος*. Pindarus illum vocat *ἀγλαοπλάων*; alii *ὀροσπλάων*, et *τριοκράτορα*. Pindarus item *ἐβρπλαων*. Aristides in gratulatione Smyrnæ meminit Neptuni, *τριάτρη κυρσάντος*. Insigne hoc Neptuni: alii *fuscinam* appellant. Arnobius l. VI. *irridens*, 'cum fuscina Rex maris, tanquam illi pugna sit gladiatorii obeunda certaminis.' *Cerda*.

143 *Sed mihi sorte datum*] Sorte ideo ait, quia Iuppiter et Neptunus et Dis pater, Saturni et Opis filii, cum de mundi possessione certamen inissent, placuit, ut imperium sorte dividerent; ita effectum est, ut cælum Iuppiter; maria Neptunus; Dis pater inferis sortirentur. *Servius*.

*Sorte*] Ac si diceret, potuisse se etiam cælum tenere; nec sine suo arbitrio posse quemquam in suo regno habere potestatem: Æolum vero beneficio etiam carceris regna meruisse. *Idem*.

*Sorte*] Ac si diceret, potuisse eum cælum in divisione illa Saturnia tenere: (de qua Homer. II. xv. V. et N. Æn. x. 40.) Æolum vero beneficio etiam carceris regna meruisse, nec ea tamen audere, nisi iussus sit, aperire: supra, 'dare iussus habenas.' Facit autem hic utriusque dominii collationem, Æolique regnum nunc *domum*, nunc *aulam*, nunc *carcerem* per contemptum appellat. *Taubmann*.

*Ille*] Donat. in Eun. Ter. auctor est, pronomina cum maximo pondere hic usurpari: quod et supra notavimus. *Idem*.

*Inmania*] Aspera: *Manum* enim an-

tique bonum dicebant: unde et *manes* dicitur. Quid enim melius? unde per Antiphrasim *manes* vocati, quod non sint boni. Servius.

144 *Vestras, Eure, domos*] Irascentium est uti proprio nomine, ut Terentius, 'Ego te in pistrinum, Dave, dedam.' Aut quasi contra principem tempestatis irascitur: quem primum constat egressum: quia supra, *Una Eurusque Notusque ruunt*. Quod autem dicit *Sara immania, vestras domos*; de Pseudolo Plauti translatum est, ubi ait, 'Nisi forte carcerem tu aliquando effregisti, vestram domum.' Et figurate *sara domos*: vario enim significatu idem ostenditur. Idem.

*Jactet*] Pro gloriatur: veluti, 'Nullo tantum se Messia cultu lætet,' et hoc ex accidenti sumptum: quoniam qui sunt in aliqua re gloriosissima, motu quodam et incessu corpus suum jactant. Idem.

*Ille se jactet*] Tale quidpiam irrisorie Agamemnon ad Achillem, Il. 1. *Ὀλέως ἰδὼν ὅν τι κέρδιος ἔστι, καὶ οὐκ ἐνδύοισι, Μυρμιδόνεσσιν ἑταίροισι: Abiens tuum in domum cum navibus ac sociis tuis, Myrmidonibus impera.* Cerda.

*Aula*] Irrisio est: quia sequitur, *Carcere*: et nihil tam contrarium, si simpliciter intelligamus. Servius.

*Aula*] Proprie, nam vox ista ad flatum pertinet. Notationi Cælii Ant. lxx. xii. 15. et Josephi Scaligeri in Festum, adde a me Athenæi verba l. v. *ὁ γὰρ διαπρέβμενος τόπος ἀλλή λέγεται, καὶ διαυλοῖσιν φάμεν τὸ δυχόμενον ἐξ ὑπερῶν πνεῦμα χυλόν: Aula dicitur perflatus apertiusque locus, et διαυλοῖσιν locum dicimus, qui ex utraque parte ventum admittit.* Addit ex Menandro et Diphilo, regias quoque *aulas* vocari, et rationem, quæ ad rem, de qua agimus, quod videlicet *aulæ* regum habeant ante ædificia *ὑπαυθρίους τόπους, subdiales locos.* Inde est, ut Homerus sæpe (ait idem Athen.) soleat vocare *aulam* locum omnem patentem, *perambibilem, subdialem.* Hæc ergo ratio,

cum regis Æoli ventorum presidio dicatur *aula*. Non dubium tamen, quin de aliis quoque dicatur: nam Statius de domo Martis: 'Innumeris strepuit aula minis.' Cerda.

*Se jactet in aula*] C. Rhodig. xii. 5. *Aulam* nuncupari animadverto locum, qui perflatus habeat. Unde *διαυλοῖσιν* dicimus, cum utrinque perflatur regio aliqua: ex quo de Æolo, 'illa se jactat,' &c. Taubm.

145 *Clauso*] Quia ventos emittere non ipsius potestatis est, sed jubentis: et hoc est *facere certo*, et, *Dare jusus habenas.* Servius.

*Ventorum*] Non otiose, sed per exprobrationem, poterat enim dicere vestro; sed ut supra, *Meo sine numine venti.* Idem.

*Carcere regnet*] Licet carcer, tamen regnum est Æoli: hæc enim pro affectu possidentis intelligenda sunt: ut alibi quom de rure loqueretur, 'Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.' Et bene regnum Æoli custodiam carceris dixit. Idem.

146 *Dicto citius*] Non antequam diceret; dixit enim, *Sic ait*: sed citius quam dici potest. Idem.

*Dicto citius*] Effectus statim apparet objurcationis et dilatae pœnæ; ut dicto citius placidum fiat mare, et omnium elementorum remonet injuriam. Donatus.

*Dicto citius*] Est hoc, quod Græci, *ἄμ' ἔπος, ἄμ' ἔργον.* Quod iisdem *αὐτοβοεῖ*: de qua voce vide Erasmus; item, *λεχθὲν, καὶ πραχθὲν.* Præterea illi, *ἔμπατεῖν, et ἔμπατέως*, quasi *ἅμα τῷ εἶπει, vel ἅμα τῷ εἶπειν.* Quod Hesychius explicat, *ταχέως, ἐσπουδαμένως, προθύμως.* Homerus ita exiit: *Ἀντίκ' ἔπειθ' ἅμα μῖθος ἦν, τέρελεστο δὲ ἔργον.* Ab Nostro Sedulius l. iii. 'Imperat, et dicto citius tumida sequora placat.' Hunc tantum volui: producere possem multos, qui usi eadem locutione. Cerda.

*Placat*] Sub poetica licentia physicam quoque tangit rationem. Mare



enim dicitur esse Neptunus: quem superius dixit graviter commotum, quia tempestas erat: nunc ait *Placat*, quia jam sedari cœperant maria. *Servius*.

147 *Collectas*] Aut nunc collegit ac fugavit; aut ante a ventis collectas fugavit, id est, resolvit. Colligere enim nubes dicitur cælum; ut, 'Aut, si nox pluviam ne colligat ante veremur.' *Idem*.

*Collectas nubes*] Est hoc, quod Homerus *Odyss. v. σῶσαι γενεφάλας. Cerdæ*.

*Solemque reducit*] Per *Solem* serenitas intelligenda, quod superius dixit, 'Eripiunt subito nubes cælumque diemque.' Quis enim ignorat diem constare per *Solem*? et consequens erat, ut, fugatis nubibus, *Sol* rediret. *Servius*.

148 *Cymothoë*] Nomina deorum marinorum plerumque de causis sunt ficta ab elementis, quæ numina dici voluere majores: ut, *Cymothoë*, id est, cursus fluctuum, ἀνδρὸς τοῦ θέειν τὸ κῆμα. *Idem*.

*Cymothoë*] *Ino*, Nerei quinquaginta filiarum una: quam Homerus mergi similem in navi præsentem fingit. Dicta, ἀνδρὸς τοῦ κῆματος θέειν. q. d. cursus fluctuum: *Triton* vero deus marinus, Neptuni et *Salatiæ*, vel Oceani et *Tethyos* F. Neptuni tubicen. Faciem refert hominis usque ad inguina, inde in piscem desinit. Et videre est e *Plinio*, hæc non plane fabulosa esse: nam *Tiberio Principi* nunciasset *Ulisponensis* legatos, visum auditumque quodam in specu concha canentem *Tritonem*. V. N. *Æn. x. 209. Taubmann*.

*Triton*] Similis Deus marinus, Neptuni et *Salatiæ* filius deæ marinæ, ab aqua salsa dictæ. *Servius*.

*Triton*] De hoc vide *Theoc. in Europa*, *Hesiodum Theogonia*, *Ovid. Met. i. Hartung*.

*Adnixus*] Antiquum est, ut *con-*  
*nixus*, quibus hodie non utimur. *Di-*

cimus enim *adnixus* et *connixus*: sed multa alia usus contra antiquitatem vindicavit. Illi enim *parsi* dicebant, nos *peperci*. Item nos dicimus *succipi*; illi dicebant *succēpi*; ut 'Succipitque ignem foliis.' *Servius*.

*Adnixus*] Zengma est, *adniri* enim debuit dicere; ut paulo post, 'Hand aliter, puppesque tuæ pubesque tuorum, Ant portum tenet.' Ergo *adnixus* ad *Tritonem* tantum pertinet, qui *Cymothoë* juvat; aliis non videtur zengma esse, quod *adnixus* non *connixus*. Ordo tamen est: *Cymothoë* simul ac *Triton* acuto detrudent naves scopulo, ab aris, in quas *tris Notus abreptas in saxa latentia torquet*. *Idem*.

*Adnixus*] Hoc verbo quasi gestum detrudentis expressit. Ita *Æn. iv.* 'pars grandia trudent Obnixæ fragmenta humeris.' Et bene ait, *detrudent*: κόντρος enim Græci *trudes* vocant, quibus navis saxo inherens extrahitur. Tac. l. iii. 'Quidam tridibus aut furcis inertem molem prosternere.' *Taubmann*.

149 *Levat*] Leves ac navigabiles facit: ut, 'Nostrumque leves quæcunque laborem.' Alii *levat*, laxat; ut, 'atque arta levare Vincla jubet Priamus.' *Servius*.

*Tridenti*] Pro *Tridente*, dativum pro ablativo. *Idem*.

150 *Aperit*] Ideo, quia arenarum congerie impediēte, præclusæ ad navigandum erant. Cæterum bis idem. Ergo immisso in eas mari aptas ad navigandum fecit. Sic *Salust.* 'Sed ubi tempore anni, mare classibus patefactum est.' *Servius*.

*Aperit*] Ostendit. *Idem*.

*Aperit Syrt.*] Ita ut naves ex his exire possint. *Taubmann*.

*Temperat*] Tranquillum facit. Tranquillat, serenat. *Servius*.

151 *Atque rotis*] Bene non moratur in descriptione currus, ut citius liberetur *Æneas*. At in l. v. ubi nullum periculum est, plenius et latius de-

scribit placentem maria Neptunum. Sic etiam in orationibus facit, quas pro causis vel extendit vel contrahit, ut in secundo libro, quoniam imminet periculum, uno versu ait, 'Quo res summa loco, Panthū? quam prendimus arcem?' *Servius*.

*Atque rotis*] Alias Neptunus vitulis marinis inequitat: hic currū, ut majestas ipsius appareat augustior. De currū Nept. videatur Homerus et Plato in Critia. *Taubmann*.

*Perlabitur undas*] Figura est. Quod enim nos modo dicimus per præpositionem nomini copulatam sequente verbo; antiqui, verso ordine, præpositionem detractam nomini, jungebant verbo, ita tamen ut esset una pars orationis; et faciebant honestam elocutionem. Nos dicimus *Per undas labitur*: illi dicebant *Perlabitur undas*. Item, *per forum curro*, et *percurro forum*. Notandum plane quod plerunque suum regit casum, plerunque ad ablativum transit. *Servius*.

*Perlabitur*] Non temere *pellabitur* in codicibus aliquot antiquis legitur: siquidem ex Veli Longi sententia per præpositio, omnibus integra præponitur; nisi quum incidit in *l* litteram. Malle enim elegantioris sermonis viros in præpositione *per*, geminare *l* litteram, ait ille, quam *r*, exprimere: ut quum *pellabor* malunt dicere, quam *perlabor*: ita enim in emendatis ejus auctoris codicibus habetur. *Pierius*.

152 *Ac, veluti magno in populo*] Virgilius tempestati populi motum comparat: Tullius populo tempestatem, pro Milone, 'Equidem cæteras tempestates et procellas in illis duntaxat fluctibus concionum.' Ita et Homerus seditiōni tempestatem: κίνηθ' ὁ ἀγὼρ, ὅς κρύματα μακρὰ θαλάσσης: ideo aptem *Magno* addidit, quia ubi frequens est populus, ibi et crebra seditio: ut quidam *populum* totam civitatem, *vulgum* vero plebem significari putant. *Servius*.

*Delph. et Var. Clas.*

*Ac veluti*] Hac comparatione datur occasio, ut ostendat, cujus meriti et gravitatis debet esse, qui in civitate sua princeps est. Nam cum ventum est ad furem, et virum præstantem meritis audiant, ejus dictis acquiescunt. *Donatus*.

*Ac veluti*] Eleganti hypotyposi naturam seditionis, itemque vim Eloquentiæ exponit, de qua Cic. de Orat. I. atque ubi: et Aristot. in Rhetor. Sunt qui existiment, Poëtam more suo alluisse ad seditionem pop. Rom. theatralem, cujus auctor T. Roscius Otho, quem Cicero defendit: et *virum gravem* intelligant Ciceronem. Porro Gifanius huic loco affinem ait illum Lucilli, in Floridis Apul. I. II. 'Immo tum, cum equo per viam concito pervolant: si quem interea conspiciant ex principalibus viris nobilem hominem, bene consultum, bene cognitum, quamquam oppido festinent, illico in pedes deiliunt, adeunt, auscultant.' Denique judicium Poëtæ in hoc loco commendat et Scalig. III. 12. *Taubmann*.

*Ac, veluti, &c.*] Totus est in elegantissima comparatione Corn. Nepos V. XXV. 6. 'neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quam qui maritimis jactarentur.' *Emmense*.

*Cum sæpe*] Id est, ut sæpe fit: ita Nannius, qui *ad sæpe* inclusit parenthesis, miscell. I. VII. ubi et hos versus Ennianum quid, aut Lucillianum sapere, probare conatur. *Taubmann*.

*Coorta est*] *Coortum*, et *Collucens* grandiora verba esse, notatum est, post Quintil. a Scaligero IV. 16. *Idem*.

153 *Seditio*] *Seditio* est, sicut Cic. ait in I. de R. P. 'publica dissensio civium.' Quod seorsim eunt alii ad alios, *seditio* dicitur. *Servius*.

*Seditio*] Ut populus furens motus gravitate viri quiescit, sic mare auctoritate rectoris quievit. *Donatus*.

*Virg.*

7 C

*Animis ignobile vulgus*] Id est, stultum : ut contra *nobilem*, animum prudentium dicimus. ideo autem paulo post ait, *Arrectis auribus*. Sumsit translationem ab animalibus, quæ utique stultiora sunt. *Servius*.

*Vulgus*] Masculi et neutrius invenitur, sed generis neutrius hoc loco ; alibi masculini, ut, *In vulgum ambigus*. Et hoc est artis, ut masculino utamur ; quia omnia nomina Latina in *us* exeuntia, si neutrius generis fuerint, tertiæ declinationis sunt, ut *pecus pecoris* : si secundæ autem fuerint declinationis, masculina sunt : *vulgi* ergo facit, non *vulgeris*, ut *docti, clari, boni* : usurpatum tamen est, ut neutrum genus sit propter unum Græcum nomen, id est, *pelagus*. Cum enim *pelagi* faciat, neutrius tamen est generis. *Idem*.

*Sæviturque animis ignobile vulgus*] Reprimi concitata raro potest multitudo, cui pro disciplina est, vel, ut verbis utar Curtii vii. 2. quæ, cum infesta est, vix inhiberi potest, quia protinus *suo more saxa jaciât*. Apulejus Met. ii. ‘Sævire vulgus, et facti verisimilitudine ad criminis crudelitatem impelli, conclamant ignem, requirunt saxa,’ &c. *κλῆδὸν βάλλειν* Græcis est lapides jacere. *Emmeness*.

154 *Jamque faces et saxa volant*] Multi non volant, sed volunt invenisse se dicunt. Sed Cornutus verendum ait, ne præposterum sit faces velle, et sic saxa, cum alibi maturius, et ex ordine dictum sit : ‘Arma velit poscatque simul, rapiatque juvenus.’ *Servius*.

*Jamque faces et saxa volant*] Vides ut a seditione animorum vulgus veniat ad arma. Tacitus Hist. iii. ‘Ubi crudescere seditio, et a convitiis et probris ad tela et manus transibant,’ &c. Sed signatissime Poëta dat turbæ duo armorum genera, *faces* et *saxa*. Tacitus Annal. xiv. ‘multitudine saxa ac faces minitante.’ Lu-

canus l. vii. ‘Inde sagittæ, Inde faces et saxa volant.’ *Cerda*.

*Furor arma ministrat*] Sic alibi, ‘Rimanti telum ira facit.’ Sane summa velocitate sensus explicitus. *Servius*.

*Furor arma m.*] Ita Græci, *ἐν ἑξέθροισ θυμὸς δὴλῆσι χέρεα*. P. Victorius viii. 14. Ita Æn. vii. ‘Rimanti telum ira facit.’ *Tudmann*.

*Furor arma ministrat*] Ovid. Epist. Heroïd. vi. 140. ‘Quælibet iratis ipse dat arma dolor.’ Claudianus epig. xxviii. de iracundo : ‘In jaculum quodcunque gerit dementiæ mutatur, Omnibus armatur rabies pro cuspidē ferri. Cuncta volant, dum dextra ferrox in vulnera sævit. Pro telo geritur quicquid angesserit ira.’ Elegantissime Ovid. Met. xii. 242. ‘et prima pocula pugna Missa volant, fragilesque cadi, curvique lebetes : Res epulis quondam, nunc bello et cædibus aptæ.’ *Emmeness*.

155 *Gravem*] Venerabilem : unde et contemptibiles, *leves* dicimus : vel *pietate gravem*, cujus illis auctoritas ob pietatem est gravis : et bene servat circa hunc rhetoricam diffinitionem, cui dat et justitiam et peritiam dicendi : ut, *Tum pietate gravem* ; et, *Ille regit dictis animos*. Orator enim ita diffinitur, ‘Vir bonus, dicendi peritus.’ *Servius*.

*Tum, pietate gravem et meritis si forte virum*] Ex Quintiliani sententia xii. 1. oratorem oportet esse virum bonum, dicendi peritum. Qualis fuit Menenius Agrippa, cujus facunda oratio efficax satis fuit ad concordiam, ut Flor. i. 23. et Liv. ii. 32. *Emmeness*.

156 *Arrectisque auribus*] Translatio a mutis animalibus, quibus aures mobiles sunt. An *aures* pro audiendi sensu posuit, secutus Terentium, qui ait, ‘Arrige aures, Pamphile.’ *Servius*.

*Arrectisque auribus*] Est hoc, quod Græci *ἄνω ἐστῶσι* : quod Apollonius

Argon. I. 1. ἡρόδωτος ὁδωτος: quod Philostratus in Heroicis, ἡρα ἡρα: iterum, ἡρα ἡρα: et Icon. I. II. loquens de lepore flexu alio, ἡρα ἡρα: et Aristoteles de histor. animal. IX. 5. ἡρα ἡρα: et Plinius VIII. 32. 'aures erigere:' et Terentius And. 'Aures arrigere:' et Propertius I. III. 'Suspensis auribus.' Sed de hac re ego jam ante dixi satis in Georgicorum I. III. Contraria sunt, aures arrigere, ex Plinio, καταβαλεῖν, ex Aristotele, ex Horatio, demittere. Consentiant omnes, Poëtam capientem cum respectu ad feras, quæ statim, ubi, quid accidit, solent aures arrigere. *Cerda.*

157 *Ille regit*] Bene, *regit*: ἡγεῖται, qui effectus est Eloquentiam. Nam et Aristoteles, Eloquentiam Sapientie junctam *humanæ vitæ* rectricem nominat. Euripides *reginam, Ennius Alexanimum*. Vide Val. Max. VIII. 8. et Herculem *tyrannum* apud Lucianum. *Taubmann.*

*Ille regit dictis animos*] Sapiens vir eloquentia sedare qui novit seditio- nes, ille vere regit, id est, suæ sententiam accommodat furentem populum. Hanc locutionem illustrat Scottus Nod. Ciceronian. I. 20. *Emmeness.*

158 *Sic cunctus*] Coaptatio comparationis. Verbo *cunctus* (inquit Scallig. IV. 16.) sæpe utitur Cicero: quod et Poëta hic maluit, quam *Omnis*: tum, quia plenior sonus: tum, quod omnis populus potest mihi ire obviam, etiamsi sigillatim exeant: *Cunctus* autem et *omnis* significat, et *simul*. Tametsi puto injuriam factam alteri: est enim *omnis* *ad* *rois* *duis* ortum; sicut et *homo*: quippe qui sit animal sociale: ἁπλόος *cunctum* Græci dicunt. *Taubmann.*

*Sic cunctus pelagi cecidit fragor*] Pro quo Æn. V. 821. 'Sternitur æquor aquis.' quod mare Stat. Thebaid. I. V. *Thetis plana* dicitur. *Emmeness.*

159 *Genitor*] Venerabilis: ut, 'Tybri pater.' Ergo hoc nomen et ad

verum patrem pertinet, et ad honorem refertur. Sane veteres omnes Deos patres dicebant. *Servius.*

*Cæloque innectus aperto*] Non per cælum vectus, sed, cælo jam sereno, vectus per maria. *Idem.*

*Cælo aperto*] Qua dixerat, 'eripiant subito nubes cælum:' liberavit igitur a tempestate Trojanos Neptunus, sed eventus aliud attulit. Nam illos in Lybiam, terram Junonis inimicæ, detulit. Ergo in casum deteriore de- vecti sunt. *Donatus.*

*Cæloque innectus aperto*] Est hoc, quod Claudianus flexu alio dixit Rap. II. 'Medioque patent convexa sereno.' Nam latere cælum in tempestate dicitur. Ovidius Met. XI. 'Omne latet cælum, duplicataque noctis imago est.' Aperitur itaque cælum, cum abit tempestas. Est hæc etiam phrasis Plinii II. 47. 'ver aperit navigantibus maria,' quæ videlicet tempestatibus interclusa. Et Livii I. XXVI. 'depulsa sole nebula aperuit diem.' *Cerda.*

160 *Flectit*] Quidam *flectit*, pro *regit* accipiunt, ut interdum *torquet* in eodem significato ponit: 'qui numine torques.' *Servius.*

*Curru*] Non, ut quidam putant, pro *curru* posuit, nec est Apocope: sed ratio artis antiquæ, quia omnis nominativus pluralis *regit* genitivum singularem; et isosyllabus esse debet, ut *hæ musæ*; *hujus musæ* *hi docti*, *hujus docti*. Item a genitivo singulari dativus regitur singularis, ut isosyllabus sit: ut *hujus docti*, *hæc docto*. Inde ergo est: 'Curruque abscissa duorum Suspensit capita.' Et, 'Libra die.' ne si *diei* fecisset, major esset nominativo plurali. *Idem.*

*Curruque volans*] In Romano codice et aliquot aliis legere est, *fluctuque volans*: ut sit, fluctu secundo. Sed *curru* magis placet eruditorum auri- bus, ut figuratum magis. *Pierius.*

*Secundo*] Trojanis obsequenti: et tractus est sermo a sequentibus ser-

vis, id est, pedisequis. Unde et *secundam fortunam* dicimus, quod secundum nos est, id est, prope nos, a sequendo. *Servius*.

*Fleclit equos, curruque volans dat lora secundo*] *Lorum* Græce *lûas*, de quo Sceffer. i. 13. a frenis differt. *Phædr.* fab. iiii. 7. 'et lora frenis continet spumantibus:' per *currum secundum* intelligo cum *Turneb.* xii. 12. celerrime volantem et protractum ab equis Neptuni, qui dicitur a Platone in Critia *ὑποκρίσαντα τὸν ἵπλον*. Huc facit locus Maronis. v. 817. 'Jungit equos curru genitor, spumantiaque addit Frena feris, manibusque omnis effundit habenas. Cernleo per summa levis volat æquora curru.' Loca consule e Sceffero citata *Georg.* iv. 389. Equos Neptuni alii cete esse, alii vitulos marinos, alii hippocampos volunt. Accuratissime describit *Turneb.* xxvi. 23. priores pedes habent, posterioribus carent, pontum legunt et nataut. Quod ex *Statio* *Achill.* l. i. 'et triplici telo jubet ire jugales: Illi spumiferos glomerant e pectore fluctus. Pone natant, delentque pedum vestigia cauda.' *Emmeness.*

161 *Defessi Æneadæ*] Nunc Trojanum, aliquando Romani: ut, 'Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.' *Servius*.

*Defessi*] Licet fessi, nitebantur tamen proximam terram attingere, ne interea aliquis casus emergeret. *Donatus*.

*Proxima litora*] Quia post periculum non eligitur litus, sed, quodeunque occurrerit, occupatur. *Servius*.

*Cursu*] Aut secundum quod superius diximus, *Proxima cursu*, id est, cursui. Aut contendunt cursu petere. Et est septimus casus: ut hic *cursu* de navibus, ita alibi iter: 'Unde iter Italiam;' et in v. 'Certus iter.' Saltationes etiam navium dicebant, quod est animalibus proprium. *Idem*.

162 *Contendant potere*] Est hoc

quod *Homerus* dixit *Odys.* xiii. *ἔσθ' ὄγ' εὐρίκτατον*. Latini sæpe, contentis itineribus, cursibus, navigatione. *Cerda*.

*Contendant*] Id est, festinant, inquit *Nonius*: vel, certatim laborant: *Metaph.* ab arcu ducta. *Taubmann*.

*Vertuntur*] Scilicet a proposito itinere: hoc est, ab Italia. *Servius*.

163 *Est in secessu longo*] *Topothesia* est, i. e. fictus secundum poeti- cam licentiam locus. Ne autem videatur penitus a veritate discedere, Hispaniensis Carthaginiis portum putatur descripsisse. Cæterum hunc locum nusquam in Africa esse constat, nec incongrue propter nominis similitudinem posuit. Nam *Topographia* est rei veræ descriptio. *Servius*.

*Secessu*] Sinu secreto. *Servius*.

*Est in secessu*] Loci hæc descriptio negotio necessaria est. Placiditas enim fuerat pelagi procuranda, propter corruptas naves: hanc vero præbebat objectus laterum: secretum vero proficiebat, quia cavendum erat propter regiones incognitas, et hoc dabat longitudo secessus: *Nympharum* domus, aquarum copiam præstabat. Sunt et defensacula adversus Solem, antrum et nemus. Tantaque erat opportunitas loci, ut naves anchoris non essent tenendæ. *Donatus*.

*Est in secessu*] *Τοποθεσία*, id est, loci ficti descriptio. (*τοπογραφία* rei veræ descriptio est.) Neque enim in ea Africa talis reperitur, sed in Hispania, ad novam Carthaginem. Sunt et qui Poëtam ad portum *Anconensem* putent respexisse. Ad *Homeri* tamen imitationem (ut *Turnebo* placuit xviii. 32.) fecisse hoc probabilius, qui portum Ithacæ (*Odys.* xiii.) ad quem *Ulysses* delatus est, ad hanc faciem descripsit. Vide et *Macrob.* iiii. 6. Hic autem portus in hypotyposi describitur a situ et forma, quam miro splendore et copia exornat: inde ab amœnitate, usque, commoditate, et religione. *Secessus* autem est sinus ap-

*cretus.* Accuratas porro locorum descriptiones examinat Scallger Poët. III. 6. Hunc denique portum e Maronis archetypo imitatus est Lucanus l. II. 'Hanc latus angustum,' &c. *Turnmann.*

*Locus*] Subandis quem; ut superius, 'Urbs antiqua fuit.' Et sciendum est, quotiens præmittimus nomen cuiuslibet generis, et interposito pronomine, sequitur nomen alterius generis, melius illud pronomen proprii nominis genus sequitur, ut Sallustius, 'Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur.' Ecce proprio junxit, non appellativo. *Tullianum* enim proprium nomen est: *carcer*, appellativum. Si autem utraque nomina appellativa fuerint, licenter cui volumus respondeamus. *Servius.*

*Insula portum Efficit*] Hoc enim sollemnmodo portus, quod illi insula anteposita est. *Quem locum subaudimus, vel in quo insula portum efficit.* Idem.

*Insula portum Efficit*] Tale quiddam Cæsar Civil. III. 'Hæc insula, obiecta Alexandriæ, portum efficit.' Liviæ jam dedi Poëtæ simillimum, et adjicio alterum Plinium epist. VI. adhuc similiorem: 'in ore portus insula assurgit, quæ illatum vento mare adjacens frangat, utrumque ab utroque latere decursum navibus præstat.' *Cerda.*

164 *Objectu laterum*] Quia duo latera loci in portum vergentia mari obiecta sunt, ejusque impetum frangunt, itaque portus ab undis tutus efficitur: quamobrem sequitur, 'quibus omnis ab alto Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.' Rem oculis subiecit: nam fluctus a pelago veniens, si in scopulum impingit, scinditur, et retrocedit, iterumque iterumque ad scopulum redit: ut quidem Nascimb. hæc explicat. *Servius*, et alii *sinus reductos* interpretantur replicabiles, qui recolliguntur et replicantur: at Turnebus XXVI. 23. *recedentes*; sive, in recessum

remotos: ut apud Horat. Epod. II. 'in reducta valle,' id est, recedente. Pimponius existimat Græcum *ῥαγμῶ* Poëtam exprimere, quæ Lucret. I. 1. dixit, 'fluctifragum litus,' ad quod alii fluctus franguntur. V. N. Georg. IV. 420. *Turnmann.*

*Ab alto*] A mari: mira igitur brevis, quæ contineat omnia necessaria: cum autem locus contineatur quatuor partibus, ponit duo latera, et ingressum; quartam deinde partem posuit. *Donatus.*

165 *Inque sinus scindit sese unda reductos*] Dividit se unda in sinus reductos, id est, replicabiles. *Inque sinus* autem antiqua est locutio. Sic ipse alibi, 'Inque salutata linquo.' Cælius Memmius de Triumpho Lucell. 1111. 'Inque luxuriosissimis Asiæ opidis consedissee.' et mox, 'Inque Gallogræciam redierunt.' *Servius.*

*Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos*] *ῥαγμῶ* exprimere videtur Poëta: quem circuitu *fluctifragum litus* dixit Lucret. I. 1. *Germ.*

166 *Gemini*] Pares, similes: aliqui et duos significat. *Servius.*

*Geminique*] *Servius* exponit *geminis* pares. Sed cur non *duos*? quum præsertim in hac descriptione Virgilinus Homerum sequatur, apud quem legere est, *ἄλο δὲ προβλήτης ἐν αἰνῶ* 'Atræa. *Pierius.*

*Minantur*] Eminent: ut, 'Minæque Murorum ingentes.' Item, 'Illa usque minatur.' Et ita est, ut quæ eminent, minari videantur. *Servius.*

*Geminique m. In cælum*] *ἦ δίο, ἦ διδυμοί.* Et est expositio: non enim hic præcipue *rupes* et *scopulos* distinguit; sed *rupes* intelligit, quæ in cælum usque minaces (ut ait Turneb.) videntur attolli et eminere. Et censet Nascimb. *Hinc atque hinc rupes* has, nihil esse aliud, nisi *latera*, de quibus proxime dixerat, *objectu laterum.* Quintilianus hanc eminentiam geminorum scopulorum hyperbolicam vocat. Notant tamen eruditi, tales

esse portus Brundisinos, quos Cæsar et Lucanus *Cornua* vocent: atque hinc esse, quod Strabo l. vi. scribat, lingua Messapiorum Brundisium *cervi caput* appellari. *Taubmann.*

167 *Sub vertice*] Circa radices montis, quæ ad rectam lineam suspiciunt cacumen, id est, verticem. *Servius.*

168 *Æquora tuta silent*] Tempestate defensa, ideo silent. *Idem.*

*Silent*] Ita in viii. de Tibri: 'tacita unda,' et Horatius de Liri, Od. iii. 31. 'taciturnus amnis.' *Cerda.*

*Tum silvis æcena coruscis*] *Silvis coruscis*: hoc est, silvarum coruscarum, id est, crispantium: ut, Juvenalis, 'Longa coruscat Sarraco veniente abies.' Et posuit septimum pro genitivo, ut superius: 'Pulcra prole.' *Servius.*

*Scena*] Inumbratio. Et dicta *scena* ἀπὸ τῆς σκιάς: apud antiquos enim theatri scena parietem non habuit: sed de frondibus umbracula quærebant. Scena autem pars theatri adversa spectantibus, in qua sunt regia. *Idem.*

*Scena*] Comœdias dicunt natas in agris, educatas in urbibus. Nam, cum se rustici oblectabant, theatra tunc non habentes, ex frondibus arborum spacium locumque adornabant, qui locus *scena* dictus, ab umbra, ἀπὸ τῆς σκιάς. Mox, illatis in urbes comœdiis, idem nomen remansit. Placuit itaque Poëtæ ad veterem morem respicere, et nemus illud, horrore inumbratum, vocare *Scenam*. *Cerda.*

*Coruscis*] Tremulis, vel umbrantibus accipiunt. *Servius.*

169 *Desuper*] Pro *supra*, præpositione contra rationem adjecta. *Idem.*

*Horrenti*] Horror plerunque ad odium pertinet: plerunque ad venerationem, ut hoc loco: sic Lucanus, 'Arboribus suis horror inest.' *Idem.*

*Horrentique*] Horrorem incutiente, fortasse ob frondium densitatem. *Horrorem* pro reverentia hic sumi,

docet Turneb. xxix. 34. *Lucret.* l. i. 'Hic ubi me rebus quædam divina voluptas Percipit atque horror.' (Idem et *horrifce* usus est in rebus sacris, pro venerande.) Ita *Æn.* vi. 'horrendæque procul secreta Sibyllæ:' atque alibi. Catullus: 'Dii magni, horribilem et sacrum libellum!' Lucanus: 'Arboribus suis horror inest.' *Taubmann.*

*Horrentique*] Sic Stat. *Achill.* l. i. 'ubi ignotis horrenda piacula divis:' id est, veneranda. Sic φρασίδης Græce: φλόσσει etiam apud Hesychium idem quod τὸ φοβεῖται: et φλόη, τρόμος. *Emmeness.*

*Atrum nemus*] Tropus est; per atrum enim nigrum ostendit, per nigrum umbrosum, per umbrosum densum, id est, frondibus plenum. *Serv.*

170 *Fronte sub adversa*] Semper autem loca sic Poëta describit: ut ingrediens. Sic facit Sallust. quæ omnia mutabuntur, si ut recedens scribat. Addit autem descriptioni duos altos scopulos, ut sit: unde latus prospectus in pelagus appareat, ad inquirendas naves, ab Enea separatas. Opacitas autem, ut minus ab externis conspiciatur, facit. *Donatus.*

*Fronte sub adversa*] Id est, ex opposito. *Lucret.* l. vi. 'non tam concurrere nubes Frontibus adversis.' *Taubmann.*

*Scopulis pendentibus*] Tale quid *Lucretius* l. vi. 'Speluncasque velat saxis pendentibus structas.' *Cerda.*

*Scopulis pendentibus antrum*] Antri descriptionem habet *Homerus Odyss.* v. 95. et seqq. Longus Pastoral. l. i. Homero præferendum Maronem, in describenda Nympharum domo, propter brevitate monet *Scottus* observ. *Histor.* iii. 22. et ut noster sic *Ovid.* Met. i. 575. 'facto de cantibus antro.' *Emmeness.*

171 *Vivo*] Naturali: ut, 'Vivo prætervehor ostia saxo.' *Servius.*

*Vivo sedilia saxo*] Viva saxa dicuntur diversa, vel opposita pene illis,

quæ in ædificiis rediviva dicuntur, quæ ex vetere materia et diruta rursum ad novum opus applicantur. Plutarch. in lib. de virt. Alex. ζῶσαν ἔλκω etiam dixit de Stasicrate architecto ad Alexan. ἐγὼ δὲ εἰς ὑφάρκην, ὃ βασιλεῦ, καὶ ζῶσαν ἔλκω, καὶ μέγας ἔχουσαν αἰβίους καὶ βέρος ἀκρίτητος καὶ ἀσάλευτον ἔργον καὶ σου τῇ δροσύνῃ κατὰθεσθαι σάματος. Germanicus.

[*Sedilia*] Adverti hanc vocem dari sedibus, factis natura, non arte. Sic hic, sic Georg. iv. ubi amnes locantur *οἰστροῖς sedilibus*. Et Horatius epist. ad Pisones: 'Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.' Est enim sermo de comædiis veterum in pagis rusticorum, nondum formatis theatris. *Cerda*.

[*Vivoque sedilia saxo*] Longus cum depingit antrum, Nympharum domum, meminit fontis, semper scaturientia, Pastor. l. i. ἐκ δὲ τῆς πηγῆς ὕδωρ ἀνὰ βλάζον, ρεῖσθον ἐτολεῖ χεόμενον, &c. de vivo saxo canit Ovid. Met. v. 317. 'Factaque de vivo pressere sedilia saxo.' pro quo Sil. Ital. l. viii. 'vivo purgor in antro.' Quæ aqua ducenda dulcis notat Lambinus Epist. l. 15. ad illa Horatii: 'puteosne percaneis Dulcis aquæ.' *Emmeness*.

[172 *Nympharum domus*] Aut verum dicit, et est historia: aut ad laudem pertinet loci. Talis inquit locus est, ut domus credatur esse Nympharum. *Servius*.

[*Nympharum domus*] Hæc addit, ut summam locum commendet, tum a religione, tum incredibili amœnitate: nec tantum animi, sed et corporis refectioni facit commodum: dum *aquas dulces*, dum *sedilia* memorat: qui etiam dearum sit habitatio. *Taubmann*.

[*Hic*] Pro illic, more suo. *Serv*.

[173 *Anchora morsu*] *Anchora* dens ferreus est, ex Græca etymologia, quod quasi hominis manus comprehendat scopulos vel arenas. Nam manus Græce χεῖρ dicitur. Hoc no-

men cum in Græco, unde originem ducit, aspirationem non habeat, in Latino aspiratur: quod est contrarium: nam magis Græcorum est aspiratio. Sed hoc in paucis nominibus invenitur. *Idem*.

[*Morsu*] De anchoris bene dixit: cum alio loco inveniamus, 'tam dente tenaci Anchora fundabat naves.' *Idem*.

[*Unco non alligat anchora morsu*] Sic omnes legunt; sed Jul. Scal. *ullo*, non *vaco*: notatque quæsitum splendorem ex geminatione *ulla, ullo*: ut hic *morsu* de anchora, ita in l. vi. *dentem* consentaneæ. Et Sidonius 'mordaces anchoras.' Nonnus quoque in re nautica l. iii. ἀγκυλόδοτες, *curciles dentium*. Symposius Poëta, 'Mucro mihi geminus ferro conjungitur unco, Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo, Scrutor aquas medias, ipsas quoque mordeo terras.' *Cerda*.

[174 *Huc septem Æneas collectis navibus omni*] Quidam volunt hoc loco quæstionem nasci; si favet Neptunus Trojanis, cur cum omnibus navibus ad Africam non pervenit Æneas? Sed Neptunus postquam sensit tempestatem commotam, potuit de periculo liberare Trojanos: ante facta vero mutare non potuit. Nam et Orontis navem cum omnibus sociis ejus constat periisse, et simul libri œconomia perisset, si Æneas cum omnibus navibus pervenisset. Volunt autem septem naves ita interim colligi, ut una Æneas, ut tres de saxis a Cymothoë et Tritone, tres de Syrtibus, Neptuno Syrtis navigabiles faciente, liberatæ sint: reliquæ tantum dispersæ sunt, quas paulo post legimus ad Africæ litus adpulsas. Novam tamen rem Nævius bello Punico dicit, unam navem habuisse Æneam, quam Mercurius fecerit. *Serv*.

[*Septem*] Una, in qua ipse erat, tres de saxis, tres de Syrtibus ereptæ. *Donatus*.

[*Omni Ex numero*] E viginti navibus.



Sic enim inferius, 'His denis Phrygi-  
um consendi navibus æquior,' &c.  
*Tibullian.*

175 *Telluris amore*] Cuiusconque  
terre post pericula: unde et superius  
dixit, 'Quæ proxima littora cursu  
Contendunt.' Et patio post infert;  
'Optata potiuntur Troës arena.'  
Nam fœvera hæc optata non erat eis,  
qui ad Italiam festinant. Et *Arena*  
aut pro terra posita est; aut et arena  
grata potuit esse post mare. *Tellu-  
rem* autem pro terra posuit, quàm  
*Tellurem* ipsam deam dicamus: ter-  
ram elementum; ut plerumque *Vul-  
canum* pro igne ponimus; *Cerem* pro  
frumento; *Liberam* pro vino. *Servius.*

*Telluris amore*] Hoc voluit; non  
terre. Tellus enim Dea est ter-  
ræ: quo, credo, insinuat affectum  
illum, quo, qui e mari egrediebantur,  
præcipue tempestate jactati ad ter-  
ram se inclinabant, illamque ut Deam  
adorabant, amplectebantur, exoscu-  
labantur. Ulysses tempestate erep-  
tus *Odyss. v. δ δ' ἄρ' ἔμπερ γούνα' ἔκα-  
ψε, κείπας τε οὐρίσθας*: Ille vero utrum-  
que genu flexit, manusque fortes, et  
statim, κότε δὲ ζείδωρον ἔρπουρας: oscu-  
latus est alium tellurem. *Cerda.*

176 *Egressi*] Donatus in ea verba  
Hecyræ, 'O fortunate, nescis quid  
nulli præterieris, qui nunquam es  
egressus mare,' notat, eos, qui jam  
navigarunt, dici egressos. *Idem.*

*Optata*] Quia contrariam pertur-  
batione pelagi viderant, cum navigia  
ad innum usque deprimerentur. *Do-  
natus.*

*Arena*] Queritur, habeat necne  
nomen hoc aspirationem: et Varro  
sic diffinit, 'Si ab ariditate dicitur,  
non habet: si ab hærendo, ut in fa-  
bricis videmus, habet:' melior tamen  
est superior etymologia. *Servius.*

177 *Sale tabentis*] Id est, aut multa  
madefactus aspergine, aut qui apud  
sentinam laboraverint. Nam supra  
ait: 'Omnes accipiunt inimicum im-  
brem.' Sane marina aqua dicitur

exesse et extenuare ut cætesis, ali-  
quod corpus humanum. *Idem.*

*Sale tabentis*] A contrario: sal  
enim conservat. Sed inventus est  
casus, ut tabescat sale, quod sæpius  
convenit. Aqua enim maris, quavis  
salis, admittit corruptionem. *Do-  
natus.*

*In more*] Pro in litore: ut *Æneid.*  
viii. 'Arma sub adversa posuit radi-  
antia quercu,' pro sub adversam quæ-  
dam. *Servius.*

178 *Ac primum silici acintillam excu-  
dit Achilles*] Bene adjecit speciem,  
quia in lapidibus certis invenitur ig-  
nis. *Idem.*

*Excudit*] Feriendo elicit: quia cu-  
dere est ferire: unde et incus dicitur;  
quod illic aliquid cudamus, id est,  
feriamus. *Idem.*

*Ac primum silici acintillam excudit  
Achates*] Arusianus Messus in Virgi-  
lianarum elocutionum exemplis, *Ex-  
cudit hæc*, dativo casu eleganter dicti,  
carmine hoc ex Virg. citato, contem-  
dit approbare: et *silici* a Poëta  
scriptum agnoscit: et ita habetur in  
eo codice, ubi integra Ti. Donati  
commentaria leguntur. Sed et excu-  
dit præterito tempore positum est, ut  
cum altero *suscepit* quadret in syn-  
chroniam. Ea vero dictio *suscepit*,  
in veteribus aliquot codicibus *suscepit*  
geminato cc scripta est, ut *succumbo*,  
*succedo*. *Sed* enim omnino ex *sub* et  
*cipio*, *succipio* prius fuit: inde alte-  
rum *c* in *s* abiit, consuetudine pro-  
nuntiationem huiusmodi magis ad-  
probante. *Pierius.*

*Silici acintill. excudit*] Non *silicis*;  
sed *silici*, quod vetustiss. Codd. agnos-  
cunt: id est, e silice elicit feriendo:  
ut Turnebus explicat: qui *silicis* gignendi  
casu (ut et Prisc.) nec ipse  
probat: xii. 12. Sic Ge. i. 'Et sili-  
cis venis abstrusum excuderet ig-  
nem.' Et *Æn. vi.* 'querit pars æ-  
mina flammæ Abstrusa in venis  
silicis.' In igniaris autem, quæ  
*σπία* Græcis, pars, quæ atteritur,

δρῆται; quæ atterit, τρῖσσοις dicitur. Sæpius autem dicit, ipsam Achatem excussisse ignem: allusitque ad nomen Achatis. Quæ de re Servius et alii, et nos superius. *Taubmann.*

*Achates]* Allusit ad nomen. Nam *achates* lapidis species est. Bene ipsam dicit ignem excussisse: unde etiam Achatem ejus comitem dixit. Lectum est in naturali historia Plinii, quod si quis hunc lapidem in annulo habuerit, ad custodiam ejus proficit, et gravior esse videatur. *Servius.*

179 *Suocipit]* Pro *suocipit*: ut supra dictum est. *Idem.*

*Suocipitque]* Servius legit *suocipit*: et docet J. C. Scaliger iv. 16. Poëtam de industria *suocipit* potius quam *suocipit* dixisse. Vide Not. Æn. vi. 248. Expressit autem hic τρυφή. *Taubmann.*

*Arida circum Nutrim. dedit]* Ovid. 'foliisque et cortice sicco Nutrit, et ad flammam anima perducit anili.' Apoll. III. ἄρ' δὲ γυῖν μαλαρῆ πρὸς κέρφει χεῖροσ δαλῆ, &c. *German.*

*Arida circum Nutrimenta d.]* Nutrimenta (ait Scalig. iv. 16.) videtur vox hamilis: sonus tamen gravis: ut alibi, *Rudimenta* et *Tentamenta*. Intellegit autem *nutrimenta*, quæ Aristoteles vocat *βρεχέματα*. Ovidius, Fast. II. 'Tum sicco primas irritat cortice flammæ.' *Idem*: 'foliis et cortice sicco Nutrit, et ad flammam anima producit anili.' *Taubmann.*

180 *Nutrimenta]* Cic. de Oratore: 'Et qui deducta hujus nutrimenta eloquentia ipsa se postea coloravit.' *Servius.*

*Rapuitque in fomite flammam]* Pene soleceophaus est: nam cum mutationem verbi significet, ablativo usus est: sed hoc solvit, antiqua circa communes præpositiones licentia, ut est: 'Conditus in nubem:' et contra, 'nota conduntur in alvo.' Item, 'Sæva sedens super arma:' et, 'gemina super arbore audent.' Cicero,

'Quo ille in capite ab hostium ducem acceperat.' Item, 'Et si fortes fueritis in eo, quævis nemo sit ausus defendere.' Aut *Rapuit*, raptum fecit flammam in fomite, i. e. celeriter. Et mire *Rapuit*, opus est enim velocitate ad tale ministerium. Sane *fomites* sunt assulae, quæ ab arboribus cadunt, quando inciduntur, quod foveant ignem. Clodius scribit, Commentariorum 1111. 'se fomenta tales exerisæ ex arboribus'. Item alio loco, 'Assulae ambustæ, ligna excavata a fungis nomine accepto.' *Idem.*

*Rapuitque in fomite]* Id est, ignem accendit. Servius, Diomed. I. II. et alii quidam putant, hanc esse speciem solecismi, cum dicendum esset, *rapuit in fomitem*. Solvi tamen hoc autumant antiqua circa Præpositiones communes licentia: aut, *rapuit*, id est, raptum fecit flammam in fomite, id est, celeriter. *Turnebus* XII. 12. Hic, *inquit*, attribuitur Achates, quod fomiti nutrimentoque ignis tribuendum fuit: fomes enim flammam corripuit: sed cum eam in fomite excitasset Achates, merito in eo dictus est ipsam rapuisse, quam in eo quærebat, eleganti figura orationis. *Taubmann.*

181 *Cererem]* Metonymia pro frumento. *Servius.*

*Corruptam undis]* Undis emollitam. *Idem.*

*Cerere corruptam]* Petron. satyr. 'cibisque naufragio corrupta.' *Cerda.*

*Cerealiaque arma]* Fugiens vilia, ad generalitatem transit. *Arma* enim generaliter omnium rerum instrumenta dicuntur; ubi reponuntur, *armaria* dicta sunt: ergo hic propter carminis dignitatem refugiens villa, rem vilem quæ ad omnia instrumenta pertinet, id est, arma, auxit honestate sermonis: ut alibi, ne lucernam diceret, ait, 'Testa cum ardente videret Scintillare oleum.' Et sciendum est iudice Euphonia dici *Ce-*

*nealia*, vel *Cerialia*: *Typhæa*, vel *Typhoia*: *Casareanus* vel *Casarianus*. In his ergo licentia derivationis est. *Servius*.

*Cerealiaque arma*] Quemadmodum hic intelligenda pistoria supellex, sic apud Plautum *coquineria arma*, sunt lebetes, ollæ, patinæ, et quæ hujus generis sunt in usum culinæ instrumenta. Quemadmodum *arma cuiuslibet rei instrumenta* appellat Serv. *Æn.* II. 99. 'et quærere conscius arma:' sic et Ge. I. 160, 'et quæ sint duris agrestibus arma,' et *Æn.* v. 15. 'Colligere arma jubet,' id est, vela: et VI. 353. pro gubernaculo navis: 'Quam tua, ne spoliata armis.' Ovid. de Pont. epist. IV. 16. 'Aptaque venandi Gratius arma daret.' et ipse Gratius in *Cyneg.* vs. 23. 24. 'Carminæ et arma dabo venandi et persequar artem Armorum.' Cicero de Senect. cap. 3. *artes et exercitationes virtutum* vocat *arma senectutis*: et alio loco *arma prudentiæ*. Apulejus Met. IX. 'Tum Saga illa, et divini-potens primis adhuc armis facinorosæ disciplinæ suæ velitatur.' Sic *ἄπλα* Græce, vel ex Homero et Apollonio Rhod. liquidum: sed et Paulus in Epist. ad Rom. VI. 13. *ἄπλα ἀδύκτας*, et *δικαιοσύνης*. *Cerealibus* rectius quam *Cerialibus* legi monet Dausquius in Orthogr. *Emmeness*.

. 182 *Expediunt*] Nigidius de hominum naturalibus IIII. 'Omnis enim ars materia inventa, circa quam versetur, ferramenta, vasa, instrumentum, armamenta qua s. q. primum comparat, per quæ opera sua efficere possit.' *Servius*.

*Fessis r.*] Hoc est penuria fatigati, id est, esurientes, quod fere labores fames subsequitur. Et *fessus* generale est: dicimus enim *fessus animo*: incertus consilii: ut, 'Ter fessus valle resedit.' et *fessus corpore*, quod magis est proprium. Et *fessus rerum* a fortuna venientium, ut hoc loco. Epitheta enim nunquam vacant: sed

aut ad augmentum, aut diminutionem, aut ad discretionem poni solent. *Idem*.

*Fessi rerum*] Scilicet a fortuna venientium; ut notat Servius. Et multum, inquit Scaliger, habet momenti ad orationis magnitudinem hæc forma: sicut in *Æn.* XII. *trepida rerum*: Poët. IV. 16. Ita Catullum *fessos curarum* dixisse, Pimont. observat. Turnebus, *Fessi rerum*, inquit, sunt fatigati naufragii calamitate et tempestatis jactatione: sic inferius, 'sunt lacrimæ rerum,' id est, calamitatum et rerum adversarum: itaque paulo post dicet, 'Tum victu revocant vires.' *Taubmann*.

*Fessi rerum*] Horat. od. II. 6. 'Sit modus lasso maris et viarum Militiæque.' Sic *fatigatus spei* apud Apulejum: de his locutionibus consule Vechner. Hellenolexias I. 3. *Emmeness*.

*Fruges*] Generaliter omnes *fruges* dicuntur: et errant qui discernunt *frumenta* a *frugibus*. Nam Cic. ait, 'Olei et frugum minutarum,' quum de leguminibus diceret, ut ostenderet etiam *frumenta fruges* vocari. *Frugum* autem nomen tractum est a *frumine*, id est, eminente sub mento gutturis parte. *Servius*.

*Receptas*] Liberatas de periculo: ut, 'Medioque ex hoste recepit,' id est, liberavit. *Idem*.

. 183 *Et torrere parant flammis et frangere saxo*] Multi Hysteron proteron putant, non respicientes superiora: quia dixit undis Cererem esse corruptam, quam necesse fuerat ante siccari. Qui tamen contra hoc, illo utuntur exemplo, 'Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.' Et voluit etiam hic Hysteron proteron esse, quod falsum est. Nam et hodie siccari ante fruges, et sic frangi videmus. Et quia apud majores nostros molarum usus non erat; frumenta torrebant, et ea in pilas missa pinsebant: et hoc erat genus molendi:

unde, et pinusv dicti sunt, qui nunc pinus vocantur. Pinusv autem dici Persius probat, ut, 'a tergo quem nulla ciconia pinisit.' Quidam ne *terrepv vptrepv* sit, alios torrere, alios frangere accipiunt. Accius Troadibus: 'Nocturna saxo fruges franges torridas.' Sane his versibus, 'Tum Cerecem corruptam undis, Et torrere parant flammis et frangere saxo,' juxta Pontificum intersecrattingit. Flamines autem farinam fermentatum contingere non licebat. Cum autem dicit, 'Cerecem corruptam undis, Et torrere parant flammis, et frangere saxo,' quid aliud ostendit, quam mox eos sine fermento panem cocturos, qui omnes fruges corruptas protulerant: non autem expectasse eos fermentum, docet illo versu: 'Tum victa revocant vires.' Servius.

*Et torrere*] Fruges e mari liberatas ad ignem exsiccant prius, quem molant. Neque in his ulla est hystereologia: ut docent Servius et Donatus. *Torrere* enim cum dixerit, non *asperere*; recte posuit *torrere* prius, et post *frangere*. Cum quibus facit et J. C. Scalig. III. 18. 'Cerecem enim, (inquit) corruptam undis, prius siccitatem oportuit quam molitiam. Quæ fuit causa, ut opus inceperit ab igni excludendo.' Turneb. v. 24. ad vers. Lucretii l. 1. 'fruges quoque sæpe minacis Robore cum saxi franguntur,' &c. Hic puto, inquit, duas rationes molendi indicari: unam, cum suspensa mola fruges frangimus, ut in faba fressa, et in polenta crassiuscula, quam *κρίσιν* vocant: et ex eo Aristophan. *κρίμαδι* appellat, quæ crassa sunt: et Maro dixit, 'Et torrere parant flammis et frangere saxo:' quod est, utcumque molere, atque adeo molere. Alteram, cum non suspenduntur mola, sed lapis lapidem terit, id est, mola molam, cum tenuior farina et minatio elicitur, &c. Taub.

*Et torrere parant flammis et frangere*

*saxo*] Veteres tam far quam hordeum prius torrebant, deinde malebant. Vide Salmas. ad hunc locum Plin. cunctis. p. 325. qui et semper pro fermento dixi auerit p. 204. *Emmum*.

*Emmum*] Merito penitus villis officiis interesse non debent: quod bene observat atque Virgil. ut in hoc loco. Item in secundo, cum diversis officiis Trojani discurrere occupati sit, 'At pater Enas auro quibus alius Apollo Praesidet.' Nisi cum causis pietatis interveniat, ut ad speculandum sociis miscendo se operi alius hortetur: 'Nec non Enas opera inter tanta prius Hortatur sociis, paribusque accingitur armis.' Servius.

*Scopulum*] Id est, speculum. Et quando speculacionem significamus, generis est feminini: ut, 'Specula Mierum ab alta.' *Speculum* autem, in quo nos intuemur, generis est neutrius, ut Juvonialis, 'Speculum civile sarcina belli.' *Idem*.

*Scopulum accendit*] Bene Jul. Scal. *occulum* significativum reperi videri. Etiam qui ibat ad speculandum, scopulum accendit, qui dictus ab aspiciendo. Adnecto verba Hesychii: *οὐραὶς δὲ τοῖς ὁπλοῖς ῥέουσι, ἢ τέρψι, ἢ ἀσπίδι, ἀπ' ἧς ἐστὶν οὐραὶς τὰ κίχλερ*: est scopulus locus altus, aut petra, aut vertex, unde fit speculatio in loco omnia. Est hoc, quod dixit Philostratus Icon. II. de quopiam insula, *ἀκρωτὺς ἢ ἑλπίου ῥαδὲρ* *Προεδόν*: verticem attollens speculanti omnia Neptuno. Cerda.

185 *Late petit*] In quantum potest. Servius.

*Pelago*] In pelagus, ut, 'Inferretque deos Latio.' *Idem*.

*Prospectum late pelago petit*] Sumpsit phrasin e Catullo, qui de nuptiis: 'Atque pater summa prospectum ex arce petebat.' Idem sic variat, 'Unde aciem in pelagi vastos protenderet sestus.' Pacuvius apud Nonium ita:

'Incipio saxi tentans scandere verticem summi, inde in omnes partes prospectum aucupo.' Seneca ep. 89. 'in vastum terrarum, marisque prospectum.' *Cerda*.

*Anthea si quem*] Ordo est: ascendit scopulum requisiturus *Anthea*, *Capyn*, *Caicum*, si quem videat. Et est usus hoc genere locutionis, quo etiam Terentius, qui dixit, 'Quod plerique omnes.' Atque nihil tam contrarium: *Omnes* enim generale est; *Plerique* speciale. Ordo ergo est: *Quod omnes faciant adolescentuli, ut animam ad aliquod studium adjungant, plerique equos alere, plerique cunes*. Aut certe *quem* vacat, ut superius diximus, istas frequenter vacare particulas: ut ipse Virg. 'Rhebe diu, res si qua diu mortalibus ulla est:' nemo dicit *siqua ulla*, sed *si ulla*. Vacat ergo *qua*. Item in Lucillio, 'Ecquem Pamphilum queris?' *quem* vacat; nam de uno loquebatur. Ergo *si quem videat*, pro *si videat*, posuit; cui contrarium ponebant veteres *nulum*: *Si quem vidisti, nullum vidi*, pro non vidi. Sane legitur et *siqua*, ut ait et quæ ratione. *Servius*.

*Anthea si quem*] In Longobardico, in Mediceo, et aliquot aliis antiquis exemplaribus, *siquem* legimus. Quod elocutionis genus aliorum etiam Poëtarum testimonio Servius agnoscit. Sed et *siqua* in veteribus codicibus aliquot scriptum animadverti: eamque lectionem a veteribus grammaticis defendi. Aitque Sosipater quoddam ita legere, *Anthea siqua*, quemadmodum legitur, *siqua fata sinant*, pro si quo, aliquo modo. Aliud autem esse in illo: '*siqua fata aspera rumpas*, Tu Marcellus eris:' quanquam et ibi, si quo modo, sit audiendum. *Pierius*.

186 *Phrygiæ*] Trojanas: Troja enim Phrygiæ provincia est. Et verisimile est, Æneam de omni illa provincia socios habere potuisse. Se-

cundo enim ait, 'undique convenire, animis opibusque parati.' dicta autem ab Æsopi filia Phrygia nomine. *Servius*.

*Biremis*] Naves habentes remorum ordinem geminum: ut alibi, 'Tripliei pubes quam Dardana versu Impulit.' Quidam tamen biremes ad suum tempus volunt dixisse Virgilium, negantes Trojæ temporibus biremes fuisse. Varro enim ait, post aliquot annos inventas biremes. *Id*.

*Biremis*] Vult Servius Poëtam ad suum tempus respexisse, cum dicat Varro, inventas biremes post Trojanæ tempora. Dicuntur ita a duplici remorum ordine, ut etiam Græcis *διππες*, qui tamen frequentius *διππορα* appellant. qua voce interdum Latini usi. Cicero ad Att. l. v. '*διππορα* Rhodiorum, et dicrotum Mitylenæorum, et aliud cata scopium.' *Cerda*.

187 *Aut Capyn*] *Capys*, a quo postea *Capuam* volunt conditam, unus e ducibus Trojanorum, ut et *Antheus* et *Caicus*. *Celsis* autem *puppibus* dicit; quia pars ea navis altior est. Et mos erat militum navigantium *puppibus* arma religare: ut Æn. x. 'præfigere *puppibus* arma.' Græci hæc *arma* vocabant *πρόρρημα ῥήγματος*, *insignia navis*. De quibus dicendi locus erit Æn. v. ad illud, 'Centauro invehitur magna.' Videatur Bayfias de re navali. *Taubmann*.

*In puppibus a. C.*] Quia navigantium militum est in *puppibus* arma religare. Fiebatque signi gratia: aut *Arma* pro navalibus armamentis; ut 'Colligere arma jubet:' et alibi, 'Pacem orare manu, præfigere *puppibus* arma.' *Servius*.

188 *Cervos*] *Cervi* dicti sunt ἀνδρῶν κεφάλαιον, id est, a cornibus. Sciendum etiam Latina nomina, Græcam plerumque etymologiam recipere. Sed *cervi* non sunt in ea parte Africae, id est, in provincia nunc proconsulari, ad quam venit Æneas. Aut

factus ergo est secundum poeticum morem: aut ob hoc dictum, quia heroicis temporibus ubique omnia nascebantur: ut ipse, 'Omnia feret omnia tellus:' aut possunt tunc finire; sed, ut multis aliis locis varietates faceret; licet quidam cervos pro quacunque fera dictos accipiunt: quia post ait, 'Impleantur veteris Bacchi pinguisque ferinae.' Nam male quidam eos de vicinis insulis transfretasse tradunt, et ideo errantes, quod in ignotis locis essent. *Idem.*

*Cervos*] In Africa multos cervorum greges esse Jac. Dalechamp. Medicus, in Notis ad Plin. viii. 23. et Loinus, qui testem landat Oppianum Cyneg. l. ii. testantur. Videatur et Corradus, qui hunc locum accurate expendit. *Errantes* autem significat oberrando pascentes. Traditque Plinius, cervis natura inditum, ut gregatim pascantur: itaque hic dicitur, 'hos tota armenta sequuntur.' *Tota* autem hic *omnia* significant, auctore Servio, qui prolixè differentiam inter *Totum* et *Omne* persequitur, ut et Nonius: cum quibus potest conferri Aristotelis distinctio Metaphys. v. inter τὸ πᾶν et ἅπαν. Taubmann.

189 *Prospicit*] Bis accipe: ut naven nullam prospicit, sed tamen prospicit cervos. *Donatus.*

*Errantis*] Pascentes: ut, 'Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ:' re vera enim dum pascantur, vagantur. *Servius.*

*Tota*] Inter *totum* et *omne* hoc interest; quod *totum* dicimus unius corporis plenitudinem: *omne* de universalis dicimus; ut puta, *Totum auditorium habet scholasticos*, hoc est, plenum est auditorium scholasticis: *omne auditorium habet scholasticos*, id est, omnia auditoria. Usurpant tamen poëtae et illa confundunt; ut hoc loco *Tota* pro omnibus posuit: et contra pro *toto*, *omnem* posuit: ut est, 'Om-

nemque reverti per Trojam.' Statius, 'Et totos in pœnam ordine nepotes,' id est, omnes. Plerique derivationem ducunt ab eo quod est *totus*, *totus*: ut ab eo quod est *quot*, *quotus*. Sed illud notandum, quod in derivatione mutat plerumque naturam: nam cum *totus* producitur, *quotus* vero secundum originem suam brevis permanet. *Idem.*

*Tota*] Sic Stat. Thebaid. l. i. 'totos in pœnam ordine nepotes,' id est, omnes. et omnis pro *totus*, ut Cæsar in princ. l. i. de Bello Gallico, 'omnis Gallia.' *Emmenas.*

*Armenta*] Videtur nove de cervis dixisse, cum *armenta* proprie boum sint, vel cæterorum, quibus in armis utimur. *Servius.*

*Tota armenta sequuntur*] Dicit aptius, quam *greges*: quamvis et hoc potuisset. Itaque male hic a sciollis damnatur Virgilius. Verum est, frequentius *gregem* sumi pro minore pecore, ut sunt oves, capreae, cervi: *armentum* pro majore, ut sunt tauri, equi. Sed liceat interdum discedere ab oraculis grammaticorum (ait Michaël Brutus, hac de re loquens, in explicationibus Horat.) Nam Græci ἀγέλη, id est, *gregem*, dicunt de bobus. Apud Homerum saepe ἀγέλη βοῶν leges, et notum verbum tauro-rum ἀγίμαγελαῖν. Plinius viii. 8. bis aut ter dicit *gregem* de Elephantis; et c. 15. 'equorum greges.' Has voces, ut alii commutarunt, ita princeps carminum Maro. Nam de bobus Ecl. vi. 'Aut aliquam in magno sequitur grege.' et Æn. vi. 'grege de intacto septem juvencos,' quem emulans Horatius epod. ii. *greges mugientium* dixit. Et quidem Varro Rust. ii. 5. hoc discrimen nihil curans scripsit, 'qui gregem armentorum emere vult,' &c. Sed adhuc in Virgilio quiddam considero non illo indignum. *Gregem* capit de minore; *armentum* de majore: cum commutat, aliquid addit. Nam de bobus, non

*gregem simpliciter, sed magnum gregem* dicit Ecl. vi. de cervis hic, ut illorum magnitudinem signaret, *armentum* maluit; dicturus enim de illis postea, *ingentia corpora*. Cerda.

*Hos tota armenta sequuntur A tergo, et longum*] Vetera aliquot exemplaria, quos *tota* legunt: a nemine tamen, quod sciam, adhuc recepta lectio: perinde ac illud etiam quod antiqui codices nonnulli, *tot armenta* scriptum habent: sive ea olim fuerit apostrophe, qua Latinos etiam aliquando usos monumenta plurima declarant: sive *tot* numerale nomen ratione communis loci producatur. Sed *tota*, passim agnoscitur a grammaticis. Pier.

190 *A tergo*] Quidam dispungunt post *ro* sequuntur: quod, qui sequitur, necessario *a tergo* sequatur. Sed hic pleonasmus frequens est: ita l. viii. 'geminos a tergo respicit angues.' Cic. Tusc. i. 'Adolescentes in cursu a tergo insequens, nec opinantes adsecuta est senectus.' Teubmann.

*A tergo, et longum, &c.*] Errare eos Ti. Donatus ait, qui comma statuunt, *sequuntur a tergo*. Quum absque ullo interjecto puncto legendum sit uno eodemque membro: *A tergo et totum per vallis pascitur agmen*: ut ait, *longum agmen a tergo pascitur per vallis*: cujus elocutionis exempla ponit, 'Thestylis et rapido fessis messoribus æstu.' Item, 'Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.' Item, 'Subito cum tabida membris:' hoc est, cum subito. Pierius.

*Agmen*] *Agmen* proprie dicitur ordinata multitudo, ut est ambulantis exercitus: neque enim in uno loco stans, *agmen* vocatur: aut si inventum fuerit, usurpatum est: unde bene adjecit *longum*, ut incedentium ostenderet significationem. Serrius.

191 *Constitit*] *Con* secundum naturam brevis est semper, excepto, quum *f* littera, vel *s* sequitur: tunc enim tantum producitur, sicut in *syllaba*, *insula*, *infula*. Idem.

*Hic*] Pro *Tunc*, aut pro *Ibi*. Idem.

192 *Corripuit*] Aut de pharetra *Corripuit*: ut est, 'Corripit hic subita trepidus formidine ferrum.' Aut corripit ab Achate, et quomodo ab Achate, quem apud ignem occupatum dixit? sed eum secutum esse per silentium intelligamus: ut illo loco, 'Ni jam præmissus Archates afforet.' Item, 'Nunc repeto, Anchises fatu- rum arcana reliquit.' Idem.

*Gerebat*] Aut tunc: aut quæ gerere consueverat. Idem.

*Gerebat*] Vel tunc præsens: vel portabat Eneas tela, quæ Achates, intentus igni excitando, reliquerat. Non vidit naves, sed eventus ostendit cervos, quæ res non ad venandi voluptatem, sed ad victus necessitatem recepta est. Septem ergo majores stravit, in quibus alimonie major esset copia; multos deinde parvos interemit. Reprehendunt autem temerarii, quod Poëta dixit: *A tergo sequuntur*. Error est interpretantur. Nam tres cervos errantes in littore sequebantur, alii per valles a tergo pascebantur. Ita ergo legitur: prospicit treis cervos et hos sequuntur tota armenta, a tergo vero totum agmen pascitur. Ergo illi errabant, hi pascebantur. Neque enim omnes errabant, aut omnes pascebantur, sed alii erant subjecti oculis ejus, alii fuerunt post ipsum. Similis autem versus est, 'Thestylis et rapido fessis messoribus æstu,' hoc est, et Thestylis. Item, 'Puppibus et læti nautæ imposuere coronas,' id est, et puppibus. Ipsi quoque numeri, gregum diversitatem significant. De errantibus enim pluraliter dixit, de pascentibus vero ait, *A tergo, et longum per valles pascitur agmen*. Ergo in littore positos, pluraliter dixit: in vallibus vero pascitur agmen. Huc accedit, quod qui pascitur non errat, et qui errat non pascitur. Donatus.

193 *Ductoresque*] Miram habent Venerem hæ metaphoræ, *ductores*, ar-

*horis, vulgus, turbam.* Taubmann.

*Capita alta ferentia]* Infra quoque 'surgentem in cornua cervum:' et item Ovid. *surgentem in cornua cervum, spūcipara, et spūcipar* equos *spūciparas* Apoll. vocat. *Germanus.*

194 *Cornibus arborcis]* Aut subandi cum, ut illo loco, 'Atque Ixionei vento rota constitit orbis,' id est, cum vento. Aut certe secundum supradictam figuram, *Cornibus arborcis*, pro *Cornuum arborcorum*. Melius tamen est, ut Cum subandiat. *Servius.*

*Cornibus arborcis]* Ea vide, quæ dicta Ecl. vii. 30. his adde quæ Faber ad fab. Phædri i. 13. *Emmenes.*

*Tum vulgus]* Bene *Vulgus*, ductoribus interemptis. Ennius, 'Avium vulgus et hastarum,' id est, multitudinem et hastarum et avium. *Servius.*

195 *Miscet]* Perturbat, circumagit, inaequitur. *Idem.*

*Miscet]* Sic Juvenal. Sat. x. 163. 'Quæ res humanas miscuit olim.' Id est, perturbavit. Gestuosum esse verbum, et Maroni familiare monet Scal. Poët. iv. 16. *Emmenes.*

*Frondes]* Pro *frondosus* posuit. Sæpe enim dam varietati declinationis student poëtæ, mutant proprietatem: nam *frondosus* est totum de frondibus, ut torus. *Frondosus* vero est locus, qui frondes habet: licet enim locus, qui frondes habet, abundet frondibus; non tamen est de frondibus totus, ut *caerous, caereus*. *Servius.*

*Turbam]* Multitudinem. Cicero in Verrinis: 'Videt in turba Verrem.' Plantus in Amphitruone, 'Deinde utrique Imperatores in medium exeunt extra turbam ordinum.' *Idem.*

196 *Quem septem]* Bene definivit numerum: necessitatis enim est hæc venatio, non volaptatis, in qua plura requiruntur. Nec enim conveniebat sociis diversis modis laborantibus, voluptati operam dare. *Idem.*

*Victor]* Hoc loco propositi effector: ut est, 'Atque rotis insistere victor.' *Idem.*

197 *Fundat humi]* Per humum. Et est adverbialiter positum: ut, 'Humi nitens,' id est, per humum. *Idem.*

*Humi]* In Romano codice, in Ob- longo, et aliquot aliis minime *malis*, *humo* legitur, dandi causa. Sed *humi* adverbialiter positum maxis placet nostri temporis eruditis viris: veluti etiam in quinto, *Fumus humi*. Quamquam et ibi quoque variam esse lectionem apud veteres ostendimus. *Pier.*

*Cum navius]* Cæphaton in sermone: quod fit si particulam Cum, a littera sequatur. Notandum sane est quod non omnia persequitur, neque enim indicat, quo delati sint cervi. *Servius.*

198 *Hinc]* Pro *inde* vel *post*. Abutitur enim adverbii, more suo. *Serv.*

*Hinc portum petis]* Peracta cervorum strage, qua Trojanis satis sit, remeat ad naves. *Donatus.*

*Partitur]* Sallustius ait, 'Provincias inter se partiverant.' Nam et *partio* et *partior* dicimus. *Servius.*

199 *Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes]* Ordo est: deinde vina heros dividit, quæ bonus Acestes Trinacrio litore cadis oneravit, et abeuntibus dederat. *Idem.*

*Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes Litore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros, Dividit]* Sunt qui magis approbent lectionem illam, *deinde bonus quæ vina cadis onerarat*: cuius quidem appositi verbum est *dividit*, non *partitur*, ut *Servius* putat. Sed enim illam adverbii transpositionem in primum locum nusquam in codicibus antiquis observavi. Agnitam vero Donato lectionem eam, quæ vulgo habetur, inde patet, quod in ordinando sensu ita scribit: deinde dividit vina, quæ bonus Acestes onerarat cadis litore Trinacrio, atque abeuntibus dederat. Est præterea in codice Mediceo pro *heros* positum *hospes*. *Dederatque abeuntibus hospes*, ut muneri conditio accrescat, quod hospitale fuerit. *Pierius.*



**Bonus]** Hic largus, vel liberalis. Sane etiam Æneam *bonum* pro laude appellat, ut in v. 'Quos bonus Æneas dictis solatur amicis.' *Bonum* etiam pro *forti* dicit Sallust. 'Sane bonus ea tempestate contra pericula et ambitionem.' Item Catilin. 'Sed libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit.' *Servius*.

**Bonus]** Bonus civis, et bonus largitor. *Donatus*.

**Deinde]** Una syllaba tollitur metri causa. *Servius*.

**Cadis]** Prætermisso cadorum numero, ostenditur vini copia. *Donatus*.

**Cadis]** Inter vasa vinaria est cadus, ut videre est in Horat. od. ii. 7. et od. iii. 14. 15. 19. et od. iv. 12. Columell. xii. 28. Martial. &c. *Cerda*.

**Onerarat]** Ostenditur non quantum vulnerit largitor datum, sed quantum Trojanis ferre potuerint. *Donatus*.

**Onerarat]** Merces onerari dicuntur, inquit Turneb. xxvii. 30. cum illis navis aut jumentum operatur: ubi etiam quid vetus illud sit, ἐπιβάλλειν vel ἐπιτιθέναι ζήτημα, onerare zamiam, discas. *Emmeness*.

200 **Trinacrio]** Græcum est, quod tria ἄκρα habeat, id est, promontoria, Lilybæum, Pachynum, Pelorum. Latine autem *Triquetra* dicitur. Sane Philostephanus περὶ τῶν νήσων, sine r litera *Trinaciam* appellat, διὰ τὸ τρινακὸς αὐτῆς πρῶτος ἐβασίλευσεν. *Servius*.

**Abeuntibus]** Præter id, quod manentibus dederat. *Donatus*.

**Dederatque abeuntibus heros]** Attin- git Poëta morem veterum, heroïcis adhuc illis temporibus in honore habitum, ut, qui a se amicum dimitteret, illum viatico cibario adornaret; imo hoc proprie fuit viaticum, non pecunia. Nam Eustathius *Odyss.* ii. ita definit viaticum, βρώματα εἰς ὁδὸν ἐπιθήδεια παρὰ τὸ λέναι: Eutyclea *Odyss.* ii. Tel-macho ad viam dat ὄλον, ἄλφιστα, et Ulysses l. vii. accipit a Calypsode, σῖτον, καὶ μέθυ ἡδύ: et l. ix. a Marone, Δίγειον ἁπλὸν ἔχον μέλανος

ὄλονο ἡδύος. Apud Orpheum Cyclops solventes Minyas ornat donis, dante ὄλον et σῖτον ἄρβρον: vinum, et cor- piam frumenti. Herodotus quoque in Calliope: τοὺτους λυσάμενοι πάνας ἀποπέμπουσι ἐφοδισάσας εἰς τὰς Ἀθή- ρας: Hos omnes dimittentes et cum ho- nore prosecuti viatico exornaverunt ad Athenas. In Thucydid. l. iii. ita leges, παρασκευασάντων δὲ τῶν Μινυλησίων πρεσβέων τῇ νηϊ ὄλον, καὶ ἄλφιστα: in- structa est navis, a legatis *Mitylenasia*, vino et farina *hordeacea*. Xenoph. Ἑλλ. l. i. aperte discriminat pecunias a cibis, et de cibis ait ἐφοδισάμενος: verba ejus: λαβὼν δὲ ταῦτα (χρήματα) ἑκείνος, καὶ ἐκ Χίου πέντε δραχμῶν ἐκά- στη τῶν ναυτῶν ἐφοδισάμενος: acceptis pecuniis, et præterea quinque drachma- rum viatico e Chio in singulos navitas coacto. Alter Plinius epist. l. iii. hac una re studium suum aperit erga Martialem: 'Prosecutus eram viatico secedentem, dederam etiam versiculis, quos de me composuit.' Ex hoc more lucem do Livio xlii. ubi ait: 'Regulus, Carthaginiensesque dimisi. Munera ex instituto data utrisque, aliaque hospitalia comiter con- servata.' *Cerda*.

**Dederatque abeuntibus heros]** Ad hæc Maronis alludit illud Juvenalis Sat. vii. 235. 'dicat quot Acestes vixerit annos, Quot Siculis Phrygiæque vini donaverit urnas.' de Aceste, filio Crinisi et Egestæ, *Servius* ad *Æn.* v. 38. *Emmeness*.

**Heros]** Vir fortis, semideus, plus ab homine habens, ut ait *Hesiodus*. *Servius*.

201 **Dictis mærentia]** Bene autem epulas et hortatur socios et solatur. *Idem*.

**Dictis]** Non poterant in maximo mærore cibum capere, ergo adhibenda consolatio erat, verum a persona aliena a mærore, sed hæc in solitudine non reperiebatur: hæc igitur subit Æneas, qui animi præstantia mærorem vincere poterat. Hic ita

se gerit, ut neque se satis tristem ostenderet, ne a consolatione illos dejiceret, neque omnino a doloribus immunem, ne in sua causa omnino alienus videretur. *Donatus.*

[*Mulcet*] Nam gravissime inflictus mæror, penitus removeri non poterat; sumpto aut cibo et vino, more humani ingenii, speratur animorum vestura relaxatio. Si autem hæc consolatio ab alieno sit, possit responderi Terentianum illud: 'Tu si hic sis, aliter sentias.' Cum autem a socio malorum, potest attente audiri. *Id.*

[*O socii*] Ordo est: O socii, revocate animos. Bene autem *socios* dixit, ne se eis exæquaret. Quidam *socios* pro remiges accipiunt, sed illi *socii navales* appellantur. *Servius.*

[*O socii*] Scilicet laborum. Mira arte loquitur. Norat enim odiosum illud esse laborantibus, utpote cujus causa universi trahebantur per tot et tam diuturnas calamitates. Ponit ergo præmium, *o socii laborum*, qui nil sine me passi estis: ergo debetis audire, quæ dicam. *Donatus.*

[*Ignari*] Immemores. Et est Acyrologia. *Ignarus* enim est, qui ignorat: *immemor* vero, qui oblitus est. *Servius.*

[*Ignari*] Mira consolatio. Nam cum odiosa sit infortuniorum dura commemoratio, exulcerans eorum corda, qui passi sunt, adjungit poëta commemorationi comparisonem, ut dicta ipsa potius medicinæ sint, quam exulcerationi. Nam enumeratio præteritorum malorum ac graviorum, ostendit ferenda esse præsentia. Addit et sustinendi consuetudinem nutritivæ patientiam. *Donatus.*

[*Ante malorum*] *Ἐφ'* id est, antiquorum malorum: ut alibi, 'Cæli subterlabentia signa.' Et totus hic locus de Nævio belli Punici lib. translatus est. *Servius.*

[*Neque enim ignari sumus ante malorum*] In veteribus omnibus exemplaribus distinctas inveni dictiones, in

*Delph. et Var. Clas.*

nonnullis puncto etiam interjecto: *ante-malorum*, quæ quidem Græca est figura τῶν πρὶν κακῶν: ut illud, τῶν νῦν ἀνθρώπων. Subintelligitur quidem in hoc, *quæ passi sumus ante*: in illo, *ὅρων*, qui nunc sunt: cujusmodi sexcenta in singulis Græcorum libris invenias. Quod siquis subunionem magis admet, ut apud Catullum, *Post-phæsius*, et in Pandectis, *Postdomus*, non laboro. Non enim institutum est nostrum aliorum improbare sententias, nisi error manifestus occurrat, sed varias codicum veterum lectiones recitare. Cujusmodi ea etiam est, quæ, *neque enim immemores sumus*, scriptum ostendit in codice Mediceo: nimirum ex Paraphrasi Serviana desumpta, ac aliena etiam manu inculcata lectio. *Pierius.*

[*Neque enim ignari sumus*] Causam parenthesi includit, ante Propositionem. *Ignari* autem hic valet *immemores*: et *ante-malorum*, τῶν πρὶν κακῶν: τῶν ὑμῶσθεν κακῶν, id est, præteritorum malorum. Ita dixit Tibullus: *ante-comas*, τὰς πρὶν κόμας. Ita noster Ecl. i. *Semper-Deus*. Terent. *heri semper-lenitas*. Plautus *Persa*, act. III. 1. *nunc-hominum mores*, ἀνθρώπων τῶν νῦν ὅρων. Turnebus XVIII. 32. Ergo illud, *ante malorum*, inquit, interpretor, velut desiderato articulo, aut subaudito: etsi articulorum supplementa Latinus sermo recusat. Sed profecto dictum est, ut si Græce diceret, οὐκ ἀμνημονες ἐσμὲν τῶν πρὸ τοῦ κακῶν. Id igitur valet, *malorum quæ ante perpassi sumus*. Simile est illud Ovidii Met. i. 'Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.' id est, βάρος ἔχοντα τοῖς ἀνευβάρος. Hæc ille. J. C. Scaliger, hanc conjunctionem sive compositionem verborum, cujusmodi hic *ante-malorum*, et *semper-florentis*, apud Lucret. ac multa Dithyrambica, σύνθεσιν vocat: facitque huic contrariam *sejunctionem* sive τμήσιν, id est, sectionem: ut, 'Quæ me cunque vocant terræ:' IV. 40.

*Virg.*

7 D

VII. 6. *Taubmann.*

*O socii (neque enim ignari sumus ante malorum) O passi]* Non dissimile est illud Homeri *odys.* M. 208. ὦ φίλοι, οὐ γὰρ πᾶσι κακῶν ἀδάμνοτες εἰμὲν, &c. Totum locum enarrat Macrobi. Saturn. v. 11. Horat. od. i. 7. 'O fortes pejoraque passi Mecum sæpe viri.' Consolatoria talis occurrit apud Stat. Thebaid. l. iii. 'ibi grandior ævo Concilium infaustum dictis mulcebat Alethes: Sæpe quidem infelix, varioque exercita ludo Fatorum gens nostra ruit,' &c. Huc pertinent illa Lucani i. 299. 'Bellorum o socii, qui mille pericula Martis Mecum, ait, experti,' &c. ut hic *Socii* sic Græce ἄνδρες φίλοι, σύμμαχοι, συστρατεύονται ἑταῖροι, et sexcenta alia. Duo illa vocabula *ante-malorum* (quod idem ac præteritorum malorum) in unam vocem esse conglutinata docet Turneb. xxv. 1. Schottus recenset exempla bene multa de vinctis per ὄφειν vocibus, *Observ. Poët.* ii. 54. et *Nod. Ciceron.* i. 16. et 17. notas nostras consule *Ecl.* i. 7. 'Namque erit ille mihi semper Deus.' *Emm.*

203 *O passi gravi]* Arte magna utitur: vult enim eos meminisse gravissimorum, ut præsentia facilius tolerant. Et bene *graviora* dicit esse transacta, ut de præsentia eos naufragio consoletur, et ut futura ostendat esse leviora. *Servius.*

*Graviora]* Ut incommodorum novitas gravius pervertit, sic ferendi consuetudo, quicquid acciderit, facilius tolerat. *Donatus.*

*O passi graviora]* Tale argumentum Octaviæ in ejus trægédia: 'non hoc primum Pectora vulnus mea senserunt, Graviora tuli. Dabit hic nostris Finem curis vel morte dies.' Homeri *Odys.* xx. Τέλαθι δὴ κραδίη, καὶ κόντερον ἄλλο ποτ' ἔλγης: *Obdures anime, et quondam graviora tulisti.* Ita Xenoph. *ἀναβ.* l. iii. milites exhortatur, revocans in memoriam majorum pericula, ut ipsi sint bello acres, et

prompti ad perferenda mala. *Cerda.*

*His quoque]* Scilicet sicut et gravioribus. *Servius.*

*Dabit Deus finem]* Ultro respondit, si quærent: quando hæc mala invenient finem? et post comparationem gravat præterita, et levat præsentia: et a generali ad specialem rationem venit. *Donatus.*

204 *Vos]* Vos certe estis. *Servius.* *Scyllæam]* Exempla pro negotiorum, qualitate sumere debemus: ut hoc loco, in marinis periculis ponit peractæ tempestatis exempla. *Rabiam* autem secundum antiquos dictam, nonnulli adserunt; nam *rabiam* dici adfirmant. *Idem.*

*Scyllæam]* In mari Siculo est locus, horrendis saxis obsessus, non autem mulier usque ad pubem humani corporis, inferius vero canibus armata. *Donatus.*

*Penitusque sonantis A. sco.]* Id est, valde sonantes, aut valde accessivis: id est, juxta. Et bene ait, *accessivis*: non enim passi sunt hæc pericula, sed his fuere vicini. *Servius.*

*Penitusque sonantis]* Hac quidem Syncopa duriuscula studiose usus est, ut litterarum ac syllabarum collisus, asperitatem scopulorum evidentius exprimeret. Per *Cyclopia* vero *saxa*, aut illa intelligamus, quæ Cyclops in Ulyssem jecit: aut ipsam Siciliam, quam (de sententia quorundam) Cyclopes incolebant: aut denique *Ætnam*. Quæ omnia nobis clariora erunt *Æn.* iii. Videatur Turnebus xxiv. 10. ubi prolixè docet, Cyclopas non Siciliæ, sed continentis incolas fuisse. Porro notant Interpretes, in libris vet. omnibus legi *Cyclopeja*: ut pes sit Ionicus. Sed Turneb. xx. 33. notat, Latinos η in α sæpe commutasse, et ei in ε breve: ut γήπειον, γανειον, et γυναικειον, penultima brevi, apud Terentium: *conopeum*, apud Horat. epod. ix. quod est *κωνόπειον*: et hic *Cyclopeus, κυκλώπειος.* *Taubmann.*

205 *Accessis]* Pro *accessivis*, dic-

tam per syncopen, quæ fit, cum de media parte verbi syllaba subducitur. *Servius.*

*Accessis] Ostendit, fortunæ suffragio, ex intima saxorum parte liberatos. Donatus.*

*Accentis scopulos*] Proverbialiter dixit Demosthenes in Phil. orat. iii. ἄλλὰ ἀπάγη, τοῖτοισι ὥστε πρὸς βλάταις, προσπιπνύσας: sed necesse est, eos impingere in hos, tanquam in scopulos. Cerda.

*Cyclopa*] Aut quæ Cyclops in Ulyssæm jecit: aut etiam Siciliam dicit, quæ plurimis locis saxosa promontoria habet, ibique Cyclopes habitaverunt, ut ipse: 'Centum alii curvæ hæc habitant ad littora vulgo.' Aut Ætiam accipit, quæ propria Cycloperum fuit: nam et ipse in tertio ait, 'Nocte illa tecti silvis inmania monstra Perferimus.' Quidam tamen hæc saxa inter Catanam et Tauromenium, in modum metarum situ naturali dicunt esse, quæ *Cyclopa* appellantur, quorum medium, et eminentissimum *Galete* dicitur. *Servius.*

*Cyclopia sara*] Antiqui plerique codices *Cyclopeia*, pentasyllabum legunt: sed, repugnante syllaba, quæ non tantum *ω μέγα* est, sed etiam ex altera vocali coalita in crasin, quæ non nisi in longum fieri potest. Quod si quis etiam Syncopen malit, *κυκλω-σες, κύκλωσες*, *ο* itidem parvum, utpote minus validum, elidetur: *ὁφ* vero *ὄνδς* Grammatici notant per *ω μέγα*, pro facie, et oculo, *ὄνδς* vero per *ο* parvum, si vocem significant. Sunt tamen qui nomen originationi reddi posse putant: *ὁφ* enim *παρὰ τὸ ὄντω*, enjiti futurum *ὄψω*, unde *ὁφ ἀποβολή* τοῦ *ω*. Alterum vero *ἰλud ὁφ*, *κατ' αἰθέριον* factum. Vel *ὁ μέγα* in *ο μικρὸν* secundum Dores, quos Latini bona sermonis parte sunt imitati, mutari posse dicant: eademque proportionem, quæ penultimam in *ἀλβια*, et *αἰθια* *ὄλον* corripimus ex eodem fonte haustis, ita licere etiam

in *Cyclopus feri*, dictione maxime in denominativum, exescente. In hoc autem ad exempla confugiendum dixerim: quorum nullum hactenus ex antiquis auctoribus reperi, qui *Cyclopus* penultima longa non posset. Quidam tamen ex recentioribus, magni omnino viri, quorum auctoritas pro ratione sufficiat, indifferentem protulere: rationes nimirum, quas supra memoravimus, secuti. *Pierius.*

206 *Revocate animos*] Quos remissis resumite; hoc est, animo presenti estote. *Servius*.

*Mentumque timerem] Quod meritos  
et sollicitos faciant: ut, mors pallida,  
et tristis annexus. Idem.*

**207 Mittite]** Pro Omittite. Et bene, qui præmiserat *revoke*, addit *mittite*. Est autem tropus Aphæresis, quomodo *tenere* pro *contemnere*. Idem.

**Forsan** Forsis, forsitan, forte, fortasse, fors; ut, 'Fors et vota facit' et, 'Forsitan et Priami fuerint quæ fata requiras.' Sed omnia hæc unum significant: et varie pro metri ratione ponuntur. Diciter tamen et **fortasse**, ut Terent. 'Tu fortasse, quæ hic facta sunt, nescis.' *Idem.*

*Foram et hæc] Delectabit nos, cum ad prospera venerimus, etiam hæc inter mala enumerare. Donatus.*

**Olim] Temporis futuri modo. Sere.**

**Olum]** Tria tempora significat: præteritum, præsens, et futurum. *Don-*  
*fug.*

*Meminisse*] *Memini* et genitivum regit et accusativum. Dicimus enim et *memini malorum*, et *memini mala*, et iusta ratione : nam memoriae oblivio contraria est. Et *obliviscor* similiter et genitivum regit et accusativum ut Tullius Cicero, 'Obliviscere cædis, atque incendiorum.' et 'Obliviscor in injurias tuas, o Clodi.' *Servius*.

*Jurabit* Sicut, 'Nam priorum me  
minisse juvat,' et multi *jurabit*, non  
delectabit, sed usus erit, tradunt; est  
autem futuri temporis. Sane hujus  
verbi præteritum perfectum anoma-

lum est: nam cum primæ conjugationis verba tempore perfecto, aut in *ari* exeant, ut *armari*: aut in *ui* solutam, ut *tonui*: hoc verbum *juvit*, neque *juvavi*, neque *juvui*, sed *juvi*, ut Lucanus, 'Iovit sumpta ducem, juvit dimissa potestas.' *Idem*.

*Olim meminisse juvabit*] Cicero Epist. Fam. v. 'Habet præteriti doloris secunda recordatio delectationem.' *Idem* de Finib. II. 'Jucunda est malorum præteritorum memoria.' Ita Seneca Hercule Fur. act. III. 'Quod fuit durum pati, Meminisse dulce est. Et Euripides, ὥς ἡδύ τοι σωθέντα μνησθαι πόνων. *Taubmann*.

*Meminisse juvabit*] Macrobi. v. 11. citat verba Homeri, quæ ex od. M. supra monstrare memini, καὶ πού τόνδε μνησέσθαι δὲ: sed plus solatii Maronem adhibuisse asserit, qui suos non tantum exemplo evadendi, sed spe futuræ felicitatis animavit, regni post exantlatos labores possessionem promittens. *Emmeness*.

208 *Per varios casus*] Argumentum per comparisonem, et bene dicendo *casus*, et discrimina præterita attenuat, neque enim ait *pericula*. *Servius*.

*Per varios*] Exclamatio, ducta a natura virtutis et præmii pro exantlatis periculis. Qua illustratur, quod Horatius celebrat, 'Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus.' Et Epicharmus, τῶν πόνων Πωλοῦσιν ἡμῶν πάντα τὰ γὰρ οἱ θεοί. Et Pindarus, ἄπονον δ' ἔλαβον χάσμα παῦροί τιμες, id est, *Laetitiam sine labore pauci ceperunt*. *Taubmann*.

*Rerum*] Potest salvo sensu omitti. *Servius*.

*Discrimina rerum*] Productio Poëtica. Nam hic *rerum* est, laborum, ut in hoc lib. 'fessi rerum.' Itaque δὲ τὸ αὐτὸ, ait Passeratus, ut Catullus epigram. 32. 'casus periculorum': ut Cicero, *casum incommodorum*, *venia excusationis*, *culpa delicti*. Hac observatione pleni Poëtæ. *Cerda*.

209 *Sedes ubi*] Non vacat quod ad-

jecit *quietas*, habuit enim *sedes* in Thracia, sed portentosas: et in Crota, sed pestilentes; et ideo non *quietas*. *Servius*.

*Fata*] Quidam hic Deorum responsa accipiunt. *Idem*.

*Fata*] Ergo parendum est. Nam illis obisti non potest. *Donatus*.

*Sedes ubi fata quietas*] In perveteri codice legere est, *quietas*, quippe nobis. Nam *sedes*, per se plenam est ad otium indicandum, etiam sine alio epitheto. Sed enim grammatici plurimum codicum veterum consensu, *Sedes quietas* agnoscunt: et Poëtarum est, ita res epithetis exornare. Sunt etiam codices, qui legant, *sedes ibi fata quietas* *Ostendunt*. Veluti etiam sequitur, *illic*, indicative. Sed enim magis receptum ab omnibus est, ut relative positum sit *ubi*. *Pierius*.

210 *Illic fas regna resurgere Trojæ*] Figura est etiam ante dicta, qua per contrarium aliquid intelligimus. Dicendo enim *illic fas*, ostendit alibi nefas, ut occurreret cogitationi sociorum, ne fatigati tot malis quascunque requirerent *sedes*; quod etiam in quinto factum est, navibus incensis. Bene autem *regna Trojæ* dixit, non *Trojam*, quam amiserant. *Servius*.

*Illic fas regna resurgere Trojæ*] Est hoc, quod Ennius dixit Annal. I. 'in Roma Troja revixit.' Quod Propertius eleg. IV. 1. 'Dicam, Troja cades, et Troja Roma resurges.' Non abeunt verba Senecæ ep. 91. 'Multa ceciderunt, et altius surgerent, et in majus.' *Cerda*.

211 *Durate*] Duri estote ad sustinendos labores. Sic Horat. 'Vix durare possunt imperosius equor.' *Servius*.

*Durate*] Quando per mala ad bona transeundum est, spe bonorum toleranda sunt adversa: præsertim ubi spondetur per brevissimum tempus ocium sempiternum. *Donatus*.

*Vosmet*] *Met*, *πάρεχον* est. Sciedum autem has particulas *met*, *pian*, *te*, ut, *egomet*, *quispian*, *tute*, et similia,

omnes casus poni. Sunt autem adverbia: quicquid enim ab illis verbum recesserit partibus, adverbium sit, necesse est. Item quendammodum probemus adverbia esse, quoniam dicimus *docte facio, docte feci, docte facio*: et mutato verbo remanet adverbium: ergo sic et in istis particulis invenimus, ut *egomet, sonnet, ut mutatis casibus, vel personis, eadem permanant, adverbia sunt dubio sunt. Nulla enim alia pars orationis hac admittit. Notandum sane quod hae particulae plerumque naturam suam habent non syllabarum. Nam cum *te* et *mal* longe sint, *intemet* dactylus invenitur, nec possumus harum partium naturam discatere, quia sub regalis non sunt. *Servius.**

[*Durate, et sonnet, &c.*] Habuit ante oculos illud Homericum Il. II. Τίθρε φίλος, καὶ πέποις ἐπὶ χυλῶν: *Tolerate, amici, et percontare in tempus.* Ad rem est Plautinum illud *Asin.* 'fortiter malum qui patitur, idem post positum bonum.' et Captiv. 'et in re mala animo si bono utare, adiuvat.' Suet. in Cajo: 'Sicut erant, loricates manent, et discumbent, illo notissimo versu Virgilii, ut durarent et secundo se servarent rebus.' Ceterum de verbo *durare* notanda verba Donati in illud *Adelph. Act. IV. Sc. 2.* 'Non Hercule hic quisquam durare potest,' ita ait: 'Plus est quam permanere: et hoc verbum perferendis malis convenit.' Ex hac notione Ovidius *Amor. eleg. III. 10.* 'His, et quae taceo, durabo saepe ferendis.' Ubi absolute *durabo*: ut et Virgilius *durate*. Non abit nota Laevini in illud Horatii *od. I. 14.* 'Vix durare carissae Possint.' Lege illum. Seneca etiam *Rhetor. Controv. XI.* dixit, 'Anime, dura, heri fortior eras.' *Cerda.*

212 *Voce refert*] Pleonasmos est, qui sit quotiens adduntur superflua: ut alibi, 'Vocemque his auribus hausit.' Terentius, 'His oculis egomet vidit.' *Servius.*

[*Corv.*] *Corv.* dicitur quod ait ait. *Semper quia post ait.* 'Pronit aliam corvæ aurem.' *Isa.*

[*Egr.*] *Egr.* est et *tristis*, et male valens: *apertus* autem est *apertus*, tantum male valens. *Isa.*

[*Corvæ speculatus egr.*] *Permanens* erat, ut *mentis dimissio*, cum speciem percontare tentaret: et *regis* erat, adferre consilium: utrumque ergo praesentat: neque oportebat aliam, in sua causa sine cura esse. *Donatus.*

213 *Spem*] *Lentum*: ut, *speciem fronte accendit*, ab eo, quod praecedat, id quod sequitur. Nam *speciem* *lentum* sequitur: *speciem* in vultu non videtur, sed *lentum*. Hae autem figura et vena vice fit: ut intelligamus ab eo, quod sequitur, id quod praecedat: ut, 'Meritaque expectent praemia palmae.' *Palmam* pro virtute posuit, quae primum meretur, et palmam post accipit. *Servius.*

[*Fronte altis corde dolorem*] In Ob longo codice perveteri, et aliquot aliis manu scriptis, *premit* alto corde legitur: quae quidem lectio non admodum aliena est ab *Donatiana* paraphrasi. Nam agebatur, inquit, dolore quam maximo: et hanc altis sensibus retinebat abstrusam. *Pierius.*

[*Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem*] Est hoc, quod Tacitus dixit *Annal. I. XV.* 'metu abstruso, mitiora obtendens': quod Noster alibi, 'speciem fronte serenat.' Quod *Caelius*, 'Fronte hilare (sic legendum) corde tristi.' Quod *Ammianus I. XXI.* 'ad serenitatis speciem fiducia vultu formato.' Quod *Pindarus Olymp. od. VI.* ἐν θυμῷ πείρας χέλων: *comprimens iram in animo.* Quod idem *Pyth. od. IV.* Κλέπτων θυμῷ δαΐνα: *occultans animo metum.* Quod *Homerus* de *Iunone II. XV.* ἡ δ' ὀγλάσσει Χείλασιν, οὐδὲ μέτρον ἐπ' ὀφρύσι κνάρησιν ἰδούη: *Illa quidem risit labiis, non tamen frens in superciliis nigris exhilarata est.* Quod *Theocritus eid. I. de Venere*,

γελῶσα, *ridens*, βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχουσα: *sed gravem habens, et maestum animum.* Ad eundem affectum explicandum utitur Cicero ad Attic. vii. verbo φαῖνονποσωρεύς, quod est vultu ac fronte hilaritatem præfero, cum aliud in animo habeam. Livius quoque l. xlii. dixit: 'in adversis vultum secundæ fortunæ gerere.' Justinus loquens de Didone reprimente iras conceptas in fratrem Pygmalionem 'dissimulato odio, mitigatoque vultu.' Quintilian. Declam. 268. 'fictam frontem.' *Cerda.*

*Spem vultu simulat, premit altum cor de dolore]* Sic Stat. Achill. i. 'hic ficto risit Thetis anxia vultu:' quod in imperatore nunquam non laudari satis potest. Vide Senecam ad Polyb. c. 24. 'Quod duces magni faciunt, rebus affectis, ut hilaritatem de industria simulent, et adversas res adumbrata lætitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderunt, et ipsi collabantur.' *Emmenes.*

214 *Ille]* Ostenditur quid potuerit consolatio. Nam nisi mœror sublatus fuisset, refectionem aliquam non quæsisent. *Donatus.*

*Prædæ]* Ad prædam. ut, 'Inferretque deos Latio.' *Servius.*

*Accingunt]* Studiose parant: ut alibi, 'Accingunt operi.' *Accinctos* autem industrios dicimus. ut Horatius, 'Altius ac nos præcincti sumus.' Sic ut contra negligentes, *disinctos* vocamus; ut, 'Disinctos Mulciber Afros.' *Idem.*

*Prædæ accingunt]* Sic Æn. ii. 235. 'accingunt omnes operi:' et *accingere se ad aliquam rem*, locutio optimis probata: de eadem consule Magnum Bochartum, erudite de hujus verbi significato disputantem, hist. de Animal. Sacr. ii. 50. ubi εἰς τὸν ἀνὴρ, id est, *accinctus et simul industrius in negotiis gerendis.* Hunc locum attingit Scalig. Poët. iii. 12. Notas adi nostras Ge. iii. 46. *Emmenes.*

*Dapibusque futuris]* Ambitiose dixit, quod sint cervi, dapes futuræ. *Servo.*

215 *Tergora]* *Tergus, tergoris.* Unde et *tergora* corium significat: *tergum* vero tergi, ut *templum, templi*: et significat *dorsum*: ut Sallustius, 'Scilicet quia tergis abstinetur.' Sed hoc a veteribus confundebatur; ut, 'Taurino quantum possent circumdare tergo.' Item in ix. '*Ingerit hastas in tergum.*' Quidam mox detracta coria *pelles*, diu subacta autem et jam medicata coria appellanda tradunt. *Idem.*

*Tergora deripiunt]* Dividitur per officia procuratio epularum: neque deliciosæ dapes, aut irritamenta gulæ erant iis paranda, qui naufragio et inedia laboraverant. *Donatus.*

*Tergora]* Eodem tempore alii detrahebant coria, alii antequam tota corpora apparerent, resecabant partes: et ut plenam proparationem ostendat, addit: 'Veribusque tremantia figunt:' hoc est, in quibus adhuc aliquid spiritus teneretur. *Idem.*

*Deripiunt]* Sic legit Turneb. xii. 12. et Gifaninus in Lucret. probat auctoritate Tibulli, Statii, Lucretii. Adumbrat Poëta in hoc apparatu locum Homeri Il. i. Vide uti Scaliger expendat Poëtam, et comparet. Ommitto, quia jam alii. Non abeunt descriptiones Plautinæ in Captiv. 'Adveniens deturbavit totum cum carne carnarium. Arripuit gladium, prætruncavit tribus tergoribus glandia, Aulas calicesque omnes confregit.' Paulo ante Parasitus loquens bellissimam descriptionem inferit, ab eo loco, *Dii immortales, &c.* quam nemo dubitet præferre Homericæ: estque Euthydemo Platonis similis, etiamsi brevis, hypotyposis. *Cerda.*

*Deripiunt]* Vide Lambinum ad Horat. od. i. 9. 'Pignusque direptum lacertia.' *Emmenes.*

*Viscera nudant]* Viscera non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio est: ut, 'In Albano Latinis viscera dabantur,' id est, caro. *Est*

antem nominativus hoc viscus, hujus visceris: ut Lucretius, 'Viscus gigni sanguenque creari.' Sanguen autem ideo dixit, quia sanguinis facit, ut carmen, carminis. Si enim sanguis diceret, par esset nominativus genitivo, ut *anguis, pinguis*. Servius.

*Viscera nudant]* Homer. ἔειπεν: firmat hanc Servii expositionem Borchart. Hist. anim. II. 33. apud Ovid. in Ibide vs. 280. 'Viscera diversa scissa ferantur equis.' membra, necdum excoriata, hoc veniunt nomine. *Emmeness.*

216 *Pars in frusta secant*] Figurative;  
ut 'pars grandia tridunt.' *Servius*.

*Veribus*] Nomen de his, quæ numero singulari indeclinabilia sunt; ut *veru*, *cornu*, *genu*. *Trementia*, palpitantia adhuc. *Idem*.

*Veribusque]* Est ubi *veribus*, neque uno quidem codice per *u* in penultima legitur: neque desunt litterati, qui lectionem ejusmodi probent: quam tamen per *i* vocalem tertiam scribi debere, tam vetustiorum grammaticorum auctoritas, quam inscriptio quædam in termino *Areæ illius*, quam Domitianus post Neronianum incendium dedicavit, in D. Petri Basilica paucis ante annis, oculis nostris innoximus: ita enim incipit, *HEC AREA INTRA HANC DEFINITIONE*

NEM CIPPORUM CLANSA VERIBUS.  
et quæ sequuntur. Grammatici sane de hujus nominis penultima solliciti fuere, quum nollet *terubus*, ex quorundam abusu per u admittere. Nam quum veteres omnino *teru, omu*, et *genu* dicerent, in numero multitudinis, *terua* et *omua* proferebant, ut *genua*. Neque desunt veterum monumenta, in quibus adhuc *omua* scriptum legatur: quod ab *omni* agnoscit Asper: inde *terubus*, *genubus* faciebant. Sed enim Fl. Sospater, *teru* dicendum, non *terus*, et *teranu*, et *teribus* contendit: citata etiam Plinii sententia ex dubii sermonis libro sexto, dicentis manifestum esse *teru*

bus, genibus, ossibus dici per t, in penultima. *Pierius*.

*Veribus* Aptē Poëta, et ex militia Romana verna dat militibus *Ænææ*. In Romana enim militia serum mentionem inveniri duplici testimoniis Lipsius astruit l. v. de Milit. Romana Appiani, et Polyæni. Uterque enim loquens de Scipione, dat militibus ollam, verna, porcinum. A Pollice l. i. in apparatu sacrorum numerantur *spæra*. *Cerda*.

*Veribugue tremunt* | *Adhuc palpi-*  
*tantia.* Omnia autem faciebant eo-  
dem tempore. Alii corvum detrahe-  
bant, et nudabant carnem: alii, an-  
tequam omne corpus appareret, as-  
sectabant partes, et virgo lactea adhi-  
gebat, cum adhuc aliquid de spiritum  
vitali in intus teneretur. Tuncmum.

217 *Lalove*, *Pis m. lalove*, *Hermina*,  
*Arca lalove*, *Quincho stehentes non*  
*ad elizandam carnem, sed ad se lavandos*. *Heterocia* enim *longipinnis* *carnem*  
*non venientes eliza*. *Hinc autem*  
*nomini, majorem* *apertissimam* *debent*,  
*nam eliza* *deshunt*. *Hinc* *arca* *tho-*  
*losate* *eliza*, *non* *Cyrena* *pharea*; *et*,  
*'Coetis* *inductis* *arca*, *et*, *'arca* *non*  
*habita* *flamma*: *quidem* *autem* *ar-*  
*cam* *opertam* *vano*; *non* *aliqua* *arces*  
*trahant*: *et*, *Devino*; *arcano*, *plum-*  
*bico*. *Idem*.

*Arns. Aquam impetientem igni, ut  
clavam faciant carmen. Hanc co-  
quendo visceribus celestium pre-  
sentat. Denique opus parat, vias  
habere et lumen parat, restant.  
Domine.*

*Aena* her. Quibus nichilominus (et  
Sertio et doctissimis quibundam pro-  
hibetur, non ad edendas carnes, sed  
ad se torquenda. Heroicum enim tem-  
porum carnis illius in castris non  
versabantur, sed tantum assa: et  
scilicet paratus et promptus cena  
expectatur. Quod patet ex Home-  
ro: et docuit Plautus de Rep. III. et  
Athen. I. IV. Quamvis postea etiam  
factum Ovidius testetur, qui ait:



'Atque ita semineces partim ferventibus artus Mollit aquis, partim subiecto torruit igni.' Jam totum hunc locum J. C. Scalig. Poët. iv. 16. ita illustrat: 'Complura,' inquit, 'verba, quæ vel sordida, vel humilia sunt, refugit casta grandiloqui generis magnitudo: veluti cum dicit Æn. viii. *et corpora curant*: sordidum enim quiddam subintelligitur. Ad hæc in mensa ponit heroës: culinæ nullam facit mentionem. In primo enim quam verecunde, qua maiestate dixit, 'Illi se prædæ accingunt?' Jam *prædæ* vox militaris est. Ne tamen audeas præterea cum Grammaticis ineptire: ut putes subjecisse, *dapisque futuris*, propterea quod, ut ajunt, *dapes* non nisi regia vox sit. Cyclopi enim *dapes* vocat in Æn. iii. quæ tamen essent immanes. Neque illis favet origo vocis: quippe de feris dicunt Græci *δαπναι* et *δαρδαπναι*. Posthæc lectissimis utitur verbis in re nihili, 'Tergora deripiunt costis;' non dixit, *pellem* aut *corium*, sicut in Ge. iii. 'Nam neque erat coriis usus.' Et verbum lectum, *deripiunt*, non dixit, *deglutiant*, ut Catullus, 'Glabit magnanimos Remi nepotes.' Non dixit, *concidunt*; sed *in frustra secant*. Et cum operam illam explicaret torrendi, addidit aliquid ad efficaciam; *trenentia*, inquit. Neque elixationem, nisi Circumscriptione et Omissione, quam *παράληψιν*, *ἀποσιωπήσεως* partem diximus, 'Litore æœna locant, flammæque ministrant.' Hæc ille. Idem l. v. c. 3. 'Plane,' inquit, 'divino iudicio, inter illa minuta, *Tergora derip. costis*, urbanam interserit orationem illam: *Tum victu revocant vires*.' Taubmannus.

218 *Tum victu*] *Tum*, id est, vel postquam se laverunt; vel postquam cibum paraverunt. *Serrius*.

*Victu*] *Cibo*: unde et *convictores* dicimus: ut Horatius, 'Non quia sum tibi Mæcenas convictor.' Nam

*convivæ*, a *convivio* dicuntur. *Idem*.

*Revocant vires*] Bene cibo dixit vires reductas, quia supra dixerat, *Fessi rerum*, hoc est, fame et labore fatigati. *Idem*.

*Victu revocant vires*] Lucretius; 'Præterea capitur cibus, ut suffulciat artus, Et vires recreat:' et Homerus *ἀλφειά* vocat *μυελὸν ἀνδρῶν*, *medullam hominum*. Inde etiam Græcis *ἐσθλῖα*, est convivium *ἀπὸ τῶν εἰς ἔχειν*. Habent enim se melius vires corporis post refectionem. Scio; Athenæum ducere *ἐσθλῖαν ἀπὸ τῆς δόξης*, id est, a cibo. Sed inclino in ea, quæ prius dixi: nam ex Eustathio, Clemente, Xenophonte, aliisque *ἐσθλῖαν* referendam esse ad lætitiā, jam aliis satis indicant, ducentes a vocibus *εἶ*, et *ἐχειν*, ut sit *ἐσθλῖα*, quasi *εὐεχλῖα*. *Cerda*.

*Fusi*] Polyseus sermo est: significat autem discumbentes, ut hoc loco, et fugatos et occisos. Sane juxta temporis sui morem hoc loco discumbentes inducit. Nam olim sedentes vesci consueverant, ut ipse meminit: 'Gramineoque viros locat ipse sedili.' Et, 'Perpetuis soliti patres considerare mensis.' *Serrius*.

*Fusique per herbam*] Adeo adversariorum oblitii erant, ut sui per herbam, plus sibi ingererent, quam refectionis postulabat. Hoc autem præstitit persuasio consulti regis. *Donatus*.

219 *Implentur*] *Impleor* duos casus regit: genitivum; dicimus enim *impleor illius rei*, ut Cicero, 'Squaloris plenus ac pulveris.' et Terentius, 'Plenus rimarum sum.' Et *impleor illa re*, ut hoc loco: et alibi, 'Plenamque sagittis Thræiciis.' et Juvenalis, 'lectica Mathonis Plena ipso.' *Serv.*

*Implentur veteris Bacchi*] De hac structura fusius agunt Non. Marcell. c. 9. Vechnerus Hellenolox. i. 3. et Sanctius in Minerva p. 69. et quidem *veteris Bacchi*; nam Plant. in prol. Casinæ sapientes putat, qui utuntur vino vetere. Ab eo discedit Cic. de

clar. erat. c. 83. qui non probat natum proximis consalibus, et tam vetus respuit, quod Opimium, aut Anicium consulem quærat: rationes expedit, quas vide. *Emmenes*.

*Ferina*] *Feras* dicimus, aut quod omni corpore feruntur; aut quod naturali utuntur libertate, et pro desiderio suo feruntur. Sane veteres prope omnes quadrupedes *feras* dicebant, ut, 'Inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.' Et, 'Armentalia equæ mammis et lacte ferino.' *Servius*.

*Ferina*] Per se suavis caro est hæc: sed additur pinguedo, ut suavior animos appetentium irritet. Vino autem accenderat gratia a tempore, qualitate, et quantitate. Nam et vetus, et optimum, et abundans fuerat; hinc dixit: 'Impletur veteris Bacchi.' *Donatus*.

220 *Postquam exempta fames*] Cautè in mæstitia, cibis famem exemptam dicit, id est, fugatam, non ad affluentiam quæsitam. Homerus: *Ἀβρὺν ἐνὶ νότον καὶ ἰδρύοντες ἐπὶ πόντῳ ἔρω.* *Servius*.

*Postquam exempta fames*] Fame et lassitudine oppressos, nullius cura tangebatur; reffectis vero venit in mentem recordatio sociorum, quorum cum de morte incerti essent, erant inter spem vitæ et metum mortis. *Æneæ* autem major ponitur virtus, qui nec cibum sumpsit, nec dissimulare a perditis potuit, nec eorum curam posnit, qui nec superare poterant. *Donatus*.

*Postquam exempta fames*] Scaliger *exempta* rectius dici quam *extracta* contendit iv. 16. Hujus convivii pudicitiam, et elegantiam prosequitur Macrobi. Saturn. ii. 1. Similis versus occurrit l. viii. 'Postquam exempta fames, et amor compressos edendi.' pro eo Lucan. x. 172. 'Postquam epulis, Bacchoque modum lassata voluptyas Imponnit.' *Emmenes*.

*Mensæque remotæ*] Quia apud majores, ipsas apponebant mensas pro discis: unde est, 'Et mensam grata secundæ.' Duas enim habebant men-

sas: unam carnis, alteram pomorum. Sane aliquando inducit luxuriosas epulas: 'Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ.' *Servius*.

*Mensæque remotæ*] Virgilius bis dixit in hoc libro *mensas removere*. Ovidio placuit *ponere*, Plinio *tollere*, Plauto *auferre*. Primus Art. iii. 'Nec somno tutum est posita succumbere mensa.' Alter l. xxviii. 'bibente conviva, mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum judicatur.' Tertius in Trucul. 'auferre mensam amabo:' et Amph. 'mensa ablata est.' Pergo ad Græcos: Isti *ἀλπεῖσθαι*, *βαορδῖσθαι*, *ἀλπεῖσθαι*, *ἀραυπεῖσθαι*, *ἀπαυπεῖσθαι*. *Cerda*.

*Mensæque remotæ*] Per *mensas* Turneb. xxi. 22. fercula intelligit, quæ saturnis convivis remouentur. Apulejus, qui in plurimis sequitur Maronem, in Servii sententiam descendere videtur, cum in numero plurali amat dicere in initio l. ix. 'mensas etiam impetu meo collido et disturbo.' Corradi sententia a vero propius abest, *mensas* hic *dapes* significare; in toris enim et herbis discubuerant. *Emmenes*.

221 *Amisso*] Non re vera, sed ut illo tempore putabant. *Servius*.

222 *Spemque metumque*] *Spes* bonorum, metus malorum; et ideo subjunxit, *seu vivere credant, Sive extrema pati*. Et hoc loco *seu*, pro *utrumque*. Et quidam commodius distingui putant, *spemque metumque inter*, et sic subjungunt, *Dubii seu vivere credant*. Idem.

*Spemque metumque inter*] *Spes* pertinet ad vitam; *Metus* ad mortem. Et notat Donat. ad Terent. dnos futurarum rerum esse carnifices, *Spem* et *Metum*: *Dolorem* vero et *Gaudium*, præsentium esse. Propert. l. iii. 'Spesque Timorque animos versat utroque modo.' Cum *spe* igitur timebant, et cum timore sperabant. *Servius* in Schedis Fuld. notat, esse qui putent commodius distingui: *socios s. requirant Spemque metumque inter*; du-

*hui seu v.* Item seu positum pro *utrumne*. Taubmannus.

223 *Exaudire vocatos*] Aut subaudi-mus deos, et quasi conqueatio est, quod non flectuntur precibus. Aut quod illi mortui sint: aut a pereuntibus vocatos, non exaudire. Aut certe hoc dicit: non solum perisse eos, sed nec sepulcrum habere, ad quam vocentur. Novimus enim quod mortuorum umbræ ad sepulchra vocabantur; utest, 'Manesque vocabat Hectorum ad tumulum.' Et est figura, ab eo quod præcedit, id quod sequitur, quia post facta sepulchra Manes vocantur: ut in tertio, 'Animamque sepulcro condimus, et magna supremum voce ciemus.' Post nomen enim defuncti tertio vocatum, dicebatur, Vale, vale, vale: aut certe in ea parte sitos, ut nec vocati exaudiant, quia fuit et alius mos, ut eos qui in aliena terra periasent vocarent, ut est, 'Et magna Manes ter voce vocavi.' *Servius*.

*Nec jam exaudire v.*] Homer. *Od.* ἄρα μοι πρότερος νῆες κλον ἀμφέλισσαι, Πρὶν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἑκαστον αὔσαι. Tzetzes in *Hist.* τὸ πρότερον τοὺς θησκοντας ἐς γῆν τὴν ἀλλοτρίαν ἀποδημοῦντες οἱ αὐτῶν τρισάκεις ἀνεκάλουν, ὡς θυμὸς ἐδίδαξε βίβλην τῆς ὀδυσσεύς, τοῦτο δ' ἔβραν, ὡς μήνυμες τυγχάνοντες φίλας, καὶ ὡς εἰ ἀπελείφθη τις, πρὸς τὴν φωνὴν συνδρομοὶ φίλας. Unde et l. iii. 'magna ter voce vocavi.' Alludit autem ad morem antiquum, quo supremis exequiis mortui conclamabatur. Propert. l. i. 'Illa meum extremo clamasset pulvere nomen:' et Maro de Misenio vi. 'dixitque novissima verba:' et Terent. 'Desine: jam conclamatum est.' *Germanicus*.

*Exaudire vocatos*] Expolitio. Nam, *paci extrema*; et non *exaudire vocatum*, est mortuum esse: vivis enim sensus audiendi est, non mortuis. Sumptum ex antiquorum consuetudine, qua quos desiderabant et amiserant, antequam discederent, sæpius vocare soliti erant: de quo accuratius in *Æn.*

iii. dicitur. Vide *Adag. Hydam in-clamare*, et Interpret. ad id Terent. 'Desine: jam conclamatum est.' Quin et *Vocare* habebatur pro *sepultura* in mortuis. Auson. *Epig.* xiii. de Deiphobo: 'Nec tumulum ipse habeo, nisi quem mihi voce vocantis.' Et pius *Æneas* et Maro composuit. Atque hæc sententia est hujus loci, teste Corrado et Turnebo, xviii. 32. et xxvi. 23. posthabito *Servii* commento, atque eorum etiam, qui hic interitum corporis et animi significari putant. *Taubmann*.

*Exaudire voc.*] Idem quod simplex *audire*, hoc compositum significat, quod pluribus probat *Hadr. Card.* de *serm. Latin.* *Emmenes*.

224 *Præcipue pius*] Præter omnes quasi pius. *Servius*.

*Præcipue pius Æneas*] Ex hoc loco lineas suas Val. Arg. v. 'Præcipue Æsonidem varios incerta per æstus Mens rapit, undantem curis, ac multa novantem.' *Cerda*.

*Præcipue pius Æneas*] In heroïcis enim naturis *στοργή* sunt expressiores. *Secum* autem gemit, propter socios, ne animis frangerentur Principe perterriti: itaque prius dixit, 'premit altum corde dolorem.' Uaque adeo autem hoc epitheto insignivit saum *Æneam* Virgilius, ut *Pietatis* verbum in hoc Opere ad solum prope *Æneam* et ejus consanguineos spectet. *Servius* Mas. *Fuldensis*: *Præcipue pius Æneas*, id est, præter omnes quasi pius. *Taubmann*.

*Acris*] *Fortis*, alias velocis. Quidam *aerem*, in unamquamque rem vegetum ac nimiam tradunt. *Servius*.

*Oronti*] Pro *Orontis*. *Immitis Achilles*. vitavit *ὀμοιοτάτων*. *Idem*.

*Oronti*] *Servius* pro *Orontis* positum ait: nempe ad cacophoniam declinandam. *Orontis* tamen habetur in antiquis aliquot exemplaribus: sed omnino suavior est lectio *Serviana*. *Sosipater Carilius* declinat *Orentes*, *Orenta*, ut *Achates*, *Achata*. Apud

Græcos enim: 'Οπόρου, ut 'Αχάριον: cujus nominis incusativum ait in *am* desinere, si rectus *Oronta* Latine reformetur: nisi vero reformetur, *Orontem* posse nos dicere, ut Virgilius, 'Fidumque vehebat Orontem,' ut etiam, 'Præmittit Achatem.' *Pierius*.

225 *Nunc Amyci*] In quinto hujus meminit: nam Amycus et Lycus cum *Oronte* videntur periisse. *Servius*.

*Secum*] Propter socios, ut supra: 'Spem vultu simulat.' *Idem*.

*Secum*] Nam apud alios, 'spem vultu simulat.' *Donatus*.

226 *Fata Lyci*] Auget ex nimio *Æneas* erga Lycium amore. Nam cum *Amyci casum* dixisset, amore victus, quasi cum exclamatione, subdit: 'et crudelia secum Fata Lyci.' Et quamquam Poëta ipse loquitur, ita tamen loquitur, ut *Æneæ* personam indutus esse videatur. *Lyci* autem pro *Lycii*, auctore *Prisc*. *Taubmann*.

*Fortemque Gyan, fort. &c.*] Ut merito requirantur ac desiderentur. *Servius*.

227 *Et jam finis erat*] Vel epularum, vel famis, vel malorum. Ex quo Jupiter in cælo ita constitit, ut *Lybiam* respiceret; vel certe finis fabularum, vel diei: sequitur namque paulo post, '*Æneas* per noctem plurima volvens.' Et sciendum est Virgilium non semper dicere ortum vel occasum diei, sed aut intellectui relinquere, ut hoc loco; aut negotiis tempora significare: est autem poetica *καλλωνιστεία*, non omnia exprimere: unde ait Horatius in arte poetica, 'Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.' Quamvis plerique de translatione Græcitatæ hoc asserant dictum. *Homerus* sane ista contemnens, tempora universa describit. *Idem*.

*Finis*] Epularum, vel fabularum, vel lucis. *Donatus*.

*Et jam finis erat*] Alienum autem *ἀέθνημα* de cura Jovis κατ' ἐκείνου internerit Poëta: ut commodius ad *Cæsarum*, populique *Romani* landes,

ac historiam possit expatiari. *Tamb.*

*Juppiter æthere summo*] (Economiam istam secundum mathesin videtur ordinasse Virgilius. Nam Jupiter in altitudine sua, positus cum *Venere*, significatur, quod per mulierem aliquam felicitas possit evenire. Ergo quoniam *Æneas* in partem regni admittetur a *Didone* per occasionem conjugii; idcirco hæc Poëta præmisit. Sane et illud animadvertendum, quod peritissime dixit, tristiores *Venerem* fuisse cum *Jove*; ex quo significat, exitum uxoris infelicem futurum: nam se utique *Dido* interemit. Quod autem *Mercurium* facit, a *Jove* defluentem, ad occasum descendere, id est, ad ima terrarum: ostendit amicitias quidem fore, sed minime diuturno tempore permanere. Illud etiam Mathematici dicunt, *Venere*, in Virgine posita, misericordem forminam nasci; atque ideo Virgilius fingit in habitu virginis venatricis, *Venerem* occurrisse filio: quod et misericordem postea reginam probavit *Æneæ*, et in venatione cum ea permistus est. *Summo*: qui summus est; et proprium et perpetuum ætheri Epitheton dedit, quia omnibus superior est. *Servius*.

*Cum Juppiter æthere summo*] Locum hunc illustrabis his, quæ dicam l. x. ad illud, 'terras unde arduus omnes,' &c. Notanda consecutio verborum, *jam, cum*. *Sallust*. *Jugurth*. 'Jamque paulum a fuga aberant, cum,' &c. *Cæsar*. *Bel. Gall.* vi. 'jamque—bidui via aberant, cum,' &c. *Cædæ*.

228 *Despiciens*] Deorum aspiciens, sicut *aspiciens*, sursum aspiciens. Notandum sane quia si *dispiciens* dixerimus, diligenter inquirens significamus, sicut *deduco* et *diduco*. Nam *deduco* est prosequor: *diduco* vero, divido. *Servius*.

*Despiciens*] Juppiter ex alto actus hominum considerabat, *Venus* autem, arrepta occasione, eum alloquitur. *Donatus*.

*Velivolum*] Duas res significat, et

quod velis volatur, ut hoc loco: et quod velis volat, ut Ennius, 'Naves velivolas:' qui et proprie dixit. Et est reciproca metaphora navium et avium. Legimus enim, 'Et velorum pandimus alas:' et contra de apibus, 'Nare per æstatem liquidam:' quum natatus navium sit, alæ vero avium. Et sciendum est, esse reciprocas translationes et partis unius. *Servius*.

*Velivolum mare*] *Lucret.* l. v. 'Tum mare velivolum florebat navibu' pandis.' Ita ibidem *Æn.* iii. 'pelagoque volamus.' Ita *Remigium alarum*, *Mercurii* volantis et *Dædali* dixit, l. i. et vi. *Lucret.* l. vi. utrumque conjunxit, 'cum advenere volantes Remigii oblitæ pennarum vela remittunt.' Vide *Notas* *Æn.* x. 265. *Taubmann*.

*Velivolum*] Non novum est Epitheton, sed vetustioribus quoque in usu fuit *velicolum* *Livio*, *Ennio* et aliis, ut *Macrob.* *Saturn.* vi. 5. *Emmenius*.

*Jacentis*] Aut in longum expositas, aut proprium epitheton est terrarum: nam cum cætera elementa mobilia sunt, sola terra stabilis est, unde et bruta dicitur: alibi, 'tantum campo jacet.' *Servius*.

*Terrasque jacentis*] Porrectas, patentes, vel, quod equidem probo, infra positos, non ut, 'cubantis *Usticæ*,' apud *Horat.* od. i. 17.; id enim supinum, acclivem, depressum significat. Nec temere huc refertur illud *Venusini*, quod est od. iii. 4. 'Qui terram inertem, qui mare temperat:' ad quem locum veteres interpretes terram volant dici jacentem. Sed idem fere notavit *Servius*. *Emmenius*.

229 *Latos populos*] Quum *populos* numero plurali dicimus, urbes significamus: quum vero *populum*, unius multitudinem civitatis intelligimus. *Servius*.

*Sic*] Quid est sic? Id est, ut ista conspiceret. *Idem*.

*Vertice cæli*] Simpliciter videtur mihi capiendus *Poëta*, et ad *Homerum* contempdisse, qui aliquoties, ἐν

κορυφῇ Ὀλύμπου. et *Iliad.* i. ἐνδὲ κρατὸς Ὀλύμπου. Si placet tamen, vide *Cælium* t. 12. *Cerda*.

*Vertice cæli*] Hujus verticis (qui est eminentissimus cæli locus) descriptionem vide apud *Ovid.* *Met.* ii. 300. 'summam petit ardens arcem; Unde solet latis nubes inducere terris, Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.' Græci appellant βουνὸν Ὀλύμπου, quod male de summitate vel ἐνδὲ τοῦ ἀκρωτηρίου τοῦ ὄρους dictum in *Homero*, docet *Christoph. Rufus*. *Emmen.*

230 *Et Libya deflexit lumina regnis*] *Proœconomia*, id est, dispositio carminis. Vituperabile enim fuerat, si ex abrupto transitum faceret, quod non fecit: 'Atque ea diversa penitus dum parte geruntur:' quæ res tamen excusatur uno sermone. Atque ea, id est, eo tempore, quod solum est interpositum. Nunc vero bene transiit, quod inducit *Jovem*, de rebus humanis cogitantem, et *Africam* respicientem, ad quam venire *Trojani*. Unde honestus color est, ut *Venus* adeat *Jovem*, timens, ne *Romana fata Carthagini* concedat: felix enim eventus sequitur loca, quæ respexerit *Juppiter*: unde in secundo ait, 'Aspice nos; hoc tantum.' Et alibi, 'Atque oculos *Rutulorum* rejicit arvis:' ubi erat futura victoria. *Servius*.

231 *Talis*] De rebus humanis. *Id.*

*Jactantem pectore curas*] Nunc secundum *Stoicos* loquitur, qui deos dicunt humana curare: interdum secundum *Epicureos*, poetica utens licentia. *Idem*.

*Pectore*] Bene, nam hic curarum locus. Ita de *Didone*, 'tacitam vivit sub pectore vulnus.' et de *Junone* supra, 'æternum servans sub pectore vulnus.' Noti illi versus, 'curamve levasso Quæ nunc te coquit, et versat sub pectore fixa.' *Catullus*: 'Spinosas *Erycina* serens in pectore caras.' *Plautus Captiv.* 'Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto.' *Luca-*

mus I. 1. 'Utque decem varias volventem pectore curas Conspexit.' Iterum in eodem libro, 'et tacito multos volvunt in pectore questus.' Seneca in Œdip. animus placuit, 'Curas revolvit animus', et repetit metus.' Jovem ita cogitantem Seneca describit epist. IX. loquens de ipso Jove, 'acquiescit sibi, cogitationibus suis traditus,' utpote sapiens, nam de hoc statim, 'in se reconditur, secum est.' *Cerda.*

232 *Tristior*] Comparativum posuit pro positivo. Sic Sallust. 'Ipsum mare Ponticum dulcius, quam cætera.' An modo tristior; cum et ante propter Æneam soleret tristis esse, tristior nunc Venus diceretur. *Servius.*

*Tristior*] Quam antea. *Donatus.*

*Tristior*] Ne puta poni hic nomen comparans pro positivo, quod bene advertunt Nasc. Corr. et Jul. Scal. de caus. ling. Latin. sed indicat affectum Veneris, quæ tristior esset, quam alias soleret. Observant quoque Corr. et Germ. illam Deam tristem induci, quæ passim ab Homero dicitur *φλομεδής*, ut, quod vult, impetret. Sic Æn. v. 'Tutatur favor Euryalum, lacrimæque decoræ:' hic enim habitus pulchritudinem conciliat: inde in XII. Lavinia inducitur, 'flagrantes perfusa genas.' *Cerda.*

*Tristior, et lacrimis*] Affectus habitu prædire solet. Vide apud Macrob. IV. 1. *Hartung.*

*Lacrimis*] Ille est maximus dolor, qui ante vocis exortum, lacrimis præcedentibus, nunciatur. *Donatus.*

*Oculos suffusa nitentis*] Nitidos oculos lacrimis perfusus habens. Et est figura, quæ sit, quotiens participio præteriti temporis a passivo, jungimus casum accusativum; ut, *Dejectus animum, mesta cultum.* Dicendo autem *Nitentis*, expressit nimiam etiam in lacrimis pulchritudinem; sicut de Euryalo, 'lachrimæque decoræ.' *Servius.*

233 *O qui res hominumque, &c.*] Graviter cepit. Non enim ait, O genitor: et est tota orationis intentio, iniuste vexari a Junone Trojanos. *Id.*

*O qui res hominumque, &c.*] Res plena subtili arte, ubi non personarum solum, sed rerum habetur ratio. Loquitur Venus ad Jovem: si privata filia, ad patrem: si publica, inferior dea apud summum deorum. Vicit autem, quod publicum fuit. Concitat subtilem invidiam: quod Jupiter, cujus sit juste curare, quid dū, quid homines agant, omiserit verum in Æneam judicium, et innoxium tot tormentis dissimulans vexari sinat. Præponitur ergo publica persona et subnectitur privata. Apud enim patrem non potuit conqueri de diis, sed apud deorum regem. Diis autem applicavit, *æternis regis imperiis*: et hominibus, *fulmine terras*. *Donatus.*

*O qui res hominumque*] De hac oratione Veneris, Macrob. VI. 2. Sumpta autem illi videtur ex Nævii primo lib. belli Punici. *Hart.*

234 *Æternis regis imp.*] Hæc commemoratio potentie Jovis, quasi ad invidiam posita est; hoc est, qui omne potes, contra te flecteris: et superflue volunt quidam *Regis* ad deos referri, *Terres* ad homines: nescientes majoris esse potestatis; idem posse circa deos, quod circa homines. *Servius.*

*Æternis*] Ergo non sunt contemnenda, veluti ea, quæ ad tempus sunt; quasi dicat, non veniunt dii contra fata. *Donatus.*

*Et fulmine terras*] Non sine causa adjecit *Terres*. Est enim fulmen quod terreat, est quod afflet, est quod puniat, cujus rei late patet significatio. Poëtarum autem consuetudo est, proprie semper, cum Jovem nominarunt et fulmen adjungere: ut, 'Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine sancit.' Et ante, 'Genitor, cum fulmine torques.' *Servius.*

*Fulmine terras*] Dicam de hoc Æn.

viii. ad illud, 'fulgores nunc terrificos.' *Cerda*.

235 *Quid*] Freta innocentia Trojanorum, quærit nomen delicti, quo non invento, constet eos immeritos pati. *Donatus*.

*Meus*] Subaudi *filius*, quasi per me tibi conjunctus, et sic subaudis filium, ut *Ajaci Oilei*. *Servius*.

*Æneas*] Speciale ponit nomen, atque inde transit ad genus. *Donatus*.

*Quid meus Æneas*] Similis locus Tullii pro Milone: 'Quodnam concepisti tantum scelus? aut quod in me tantum facinus admisi, iudices, cum illa indicia communis exitii indagavi, patefecisti, protuli, extinxi?' Similis Fabii declamatione 279. 'Quid igitur hæc ætas committere potuit, tanta animadversione dignum?' *Cerda*.

*In te*] Modo contra te: alibi pro significat: ut, 'quietum Accipit in Teucros animum,' id est, pro Teucris. *Servius*.

*In te*] Regem deorum et hominum, qui omnia habes in potestate, et avum suum promissorem novi imperii: quem omnes dii suspiciunt, et homines, fulmine territi, venerantur. *Donatus*.

*Tantum*] Bis repete: quid tantum Æneas, et quid tantum Troës? Tam magnum, tam immane. *Idem*.

236 *Quid Troës potuere?*] Hoc est, Qui Grajia pares non fuerunt, in te aliquid possunt? Et est Argumentum ab impossibili: ut alibi, 'Non ea vis animo:' et est validius, quam a voluntate: plus enim est, non posse, quam nolle. *Servius*.

*Troës*] Nominativus erit *Tros*. Et hæc breviter scienda regula est, quia omnia monosyllaba Græca, quæ in Latinum sermonem transeunt, tertiæ declinationis sunt, et tam Latine, quam Græce declinari possunt: ut *Tros Trois et Troos, Pan Panis et Panos*: ut, 'Arcadici dictum Panos de more Lycei.' *Servius*.

237 *Cunctus*] Ad id redigitur, ut

nec alibi stare, nec in Italiam venire possit. Ergo restat, ut in fluctibus semper exagitetur. *Donatus*.

*Ob Italiam*] Ne ad Italiam perveniant, toto orbe pelluntur. Atqui in Africa sunt: sed si diligenter requiras, etiam inde pelluntur: ait namque, 'Hospitio prohibemur arenæ.' Sane multi, *Ob Italiam*, juxta Italiam antiquo more dictum accipiunt: ut sit, Pars orbis clauditur, quæ circa Italiam est: ob enim veteres pro *juxta* ponebant. Plautus in Milite: 'Nunc scio mihi ob oculos caliginem obstatisse;' potest etiam ob, ante intelligi, aut ob, propter. Terentius: 'Quodnam ob factum:' aut ob, circum, ut 'Turni se pestis ob ora,' quasi circa Italiam errent, et in eam pervenire non possint: significat ob et contra, ut, obstat et obloquitur. *Servius*.

238 *Certe hinc Romanos*] Atqui nusquam hoc legimus, sed per silentium intelligimus, ut superius de Iunone, audierat. *Idem*.

*Olim fore*] Aut olim fore, et futurum temporis est; aut olim pollicitus. *Idem*.

*Volventibus*] Volubilibus. Et est participium pro nomine. *Volvens* enim est, qui volvit: volubilis autem qui volvitur. Anni autem volvuntur, non volvunt: ut est, 'Atque in se sua per vestigia volvitur annus.' Alii quod deficit lingua Latina participio præsentis passivo, præsens activum positum volunt; ut, *volventia plaustra*, et *siliqua quassante legumen*: quæ quassetur. *Idem*.

*Volventibus annis*] Ut Hom. Πινδ. B. εἰς αὐτὸς ἐστὶ περιτροπέων ἐνιαυτὸς item in Catal. περιτελλομένων ἐνιαυτῶν. Lucret. l. v. 'Multaque per cælum solis volventia lustra:' et Hom. περιπλομένων ἐνιαυτῶν. Arat. παρερχομένων ἐνιαυτῶν, et ἀνομένων. *Germanus*.

*Volventibus annis*] Id est, annis evolutis, ἐξηλαγμένους. Anni enim non sunt volventes, sed volubiles: volvuntur, non volvunt: ut, 'Atque in se sua per vestigia volvitur annus.'

**Ternabus xxx. 19.** *Volens*, inquit, Perpeſſionis ſignificatu poſitum eſt, non ineleganter. Hom. περιπλομένων ἐπιαντών: et Aratus, παρερχομένων ἐπιαντών. Ita Georg. i. 'Tardaſque Eleuſinae matris volventia plauſtra:' valet enim, quæ volvuntur: vel, quæ ſe volvunt. Sic et *Volvendus*, quod Grammaticis Futuri eſt Temporis, in Præterito uſurpatum reperitur Æn. ix. 7. 'volvenda dies in attulit ultro,' id eſt, voluta. Lucret. l. vi. 'Glans etiam longo curſu volvenda liquereſcit.' Quanquam hæc præſentis temporis et paſſivæ indolis dicat Linacer. *Taubmann.*

*Volventibus annis*] Diligentiffime congeſſit huius ſtructuræ exempla, Activa nempe paſſive ſumta, Vechnerus Hellenol. i. 12. *Volventibus annis*, Sanct. in Minerv. p. 53. pro *venturis annis* interpretatur. *Emmen.* 239 *Fore*] Futuros eſſe. Et eſt de verbis defectivis. *Serius.*

*Revocato*] Dicendo *Revocato*, oſtendit Italiam, unde Dardanus fuerat. *Idem.*

*A ſanguine Teucri*] Teucrum pro Dardano poſuit. Dardanus enim de Italia profectus eſt; Teucer de Creta. Et hic uſurpavit quia ſolent poëtæ nomina de vicinis provinciis, vel perſonis uſurpare: ut, 'Domitus Pollucis habenis Cyllarus,' quum Caſtor equorum domitor fuerit. Item, 'Et manibus Progne pectus ſignata cruentum,' pro Philomela. Item Didonem dicit Sidoniam, quum ſit Tyria, a loci vicinitate. Item, 'Quid loquar aut Scillam Niſi?' quum Phorci fuerit. Et ſciendum inter fabulam et argumentum, hoc eſt, hitoriam, hoc intereſſe: quod fabula eſt dicta res contra naturam, ſive facta, ſive non facta, ut de Paſiphaë. Hitoria eſt quicquid ſecundum naturam dicitur, ſive factum, ſive non factum; ut de Phædra. *Idem.*

*Revocato a ſanguine Teucri*] In Mediceo codice, et aliquot aliis antiquis

abſque præpoſitiva particula legitur, *revocato ſanguine*. Plerius.

*Revocato a ſanguine Teucri*] Locum hunc præclare excuſſit Corradus. *Revocatus ſanguis* eſt, renovatus, inſtauratus, ad eum modum, quo Cicero diceret, a morte ad vitam, a deſperatione ad ſpem revocare. Pergit Corradus, (adduco enim quia neceſſaria) Poëta cum de Tencro et Dardano loquitur, ita ſolet diſtinguere, ut Teucrum generis Trojani, Dardanum urbis Trojanæ auctorem nomet. In viii. 'Dardanus Iliacæ primus pater urbis, et auctor.' In vi. 'Hic genus antiquum Teucri pulcherrima proles.' Mox ſubiicit, Ilium, Aſſaracum, et abſolvit 'et Trojæ Dardanus auctor.' Ad hunc modum et alii. Lycophronis interpres: βαρλεωρε Τεύκρος, ἀφ' οὗ καὶ Τεύκροι οἱ ἥρωες: *Regnatit Teucrus, a quo Teucri herois.* De Dardano vero Homer. II. xx. κλέος Δαρδανίην: *edificavit Dardaniam.* Hinc eſt ut toties Poëta dicat ſanguinem Tencrī, nunquam Dardani. Prius enim Teucrus in ea loca venit, ubi deinde fuit Troja: mox Dardanus, qui Tencrī vel ſororem, vel filiam (diſerſe ſentiunt auctores) duxit, et Trojam condidit: cum ante illum Teucrī habitarent vallibus imis. Quæ hic dicimus, neceſſaria ſunt ad librum iii. ſed hic omitti non debuerunt, ne cui imponat Servius, qui alit poſitum hoc loco Teucrum pro Dardano. *Cerda.*

240 *Omni diſtione*] Mellius *Omni*, quam *Omnis*: ut ſignificet omni poſtate, pace, legibus, bello. *Servius.*

241 *Pollicitus*] Pollicemur ſponte, rogati promittimus. *Idem.*

*Pollicitus*] Convenit ex veteri promiſſi, imo pollicitationis fide. Turpe enim eſt decedere de fide, turpiſſimum cuius mutare ſententiam. Quid ergo tanto deo, præſertim ubi filias nepotiſque vertatur incommodum? *Donatus.*

*Quæ te, genitor, ſententia vertit*] *Qua*, pro *cujus*, aut *qualis*; et *verecunde*



agit Venus. Nec enim conveniebat, ut aperte contra uxorem ageret apud maritum: unde et similiter respondet Iupiter, 'Neque me sententia vertit.' *Servius*.

*Quæ sententia*] Quasi dicat, Quis te potior est, qui te possit vertere? Hoc equidem dissimulandum est damnum, si quid amissum est, alterius commodi ratione pensatur. Unde *compensatio* dicitur, veluti si in altera lance damno posito, in altera commodum par aut majus ponatur. *Donatus*.

*Quæ te, genitor, sententia vertit*] Aliquid habet hæc oratio conjunctam cum oratione Agamemnonis, l. ii. ubi hic dux Jovem inconstantia arguit. *Adi. Cerda*.

*Quæ te, genitor*] Venus, Jovis filia, post Regis nomen, ponit jam *Patris*: ut significet, illum publicam privatamque personam retinentem, non debere aliqua perfidia permutatione transduci. Admodum verecunde tamen patrem arguit inconstantia: nec conveniebat, ut aperte contra uxorem ageret apud maritum. *Æn. x.* 'Cælicolæ magni, quianam sententia vobis Versa retro?' *Taubmann*.

242 *Hoc*] Hac re, propter hoc, quod sciret *Æneæ* socios imperaturos. *Servius*.

*Occasum Trojæ*] Ostendit rem maximam perisse. *Casus* enim parvæ rei est, vel personæ inferioris: *Occasus* divinæ rei, vel personæ superioris. Nam solem lunamque occidere, et viros præclaros occidisce dicimus. *Donatus*.

243 *Fatis contraria fata*] Utrum fatis bonis in præsentibus. *Servius*.

*Repensens*] Compensans. Et est translatio a pecunia. *Idem*.

*Repensens*] Comparans et exæquans mala fata bonis. *Donatus*.

*Repensens*] Tractum volunt a veteri seculo, in quo cum pecunia signata non esset, quæ numeraretur solvereturque, rude aurum appendi solebat. Ovidius in epist. inde etiam traxit

sermonem, 'Ingenio formæ damna rependo meæ.' *Cerda*.

*Fatis contraria fata repensens*] Id est, comparans et exæquans mala fata contrariis: *Contrariis* vero non quasi adversis dixit, sed contra mala futuris, hoc est, bonis. Ut enim ex priori fato, Trojæ nimirum excidio, dolorem capiebat Venus; ita vicissim lætabatur, in fatis quoque esse, ut Trojanorum reliquiæ in Italia regnum instaurant, totique Orbi terrarum dominantur. Metaphora sumpta est a lance momentanea, in qua æs appendebatur: ubi quod præponderabat, id *contra esse*, id est, ἀντιπένειν, dicebant veteres. Inde æs *contrarium*, vocabant æs grave: scilicet ἀντιπένον. Et hinc etiam formula illa loquendi, *vænire contra aurum*, id est, magno: et, *contra aurum*, vel, *aurum contra non carum esse*: ut, *Amicus auro contra non carus est*, &c. De quo Scalig. in Conjectan. *Taubmann*.

*Fatis contrarius fata repensens*] Eadem videtur locutio *Æn. iv. 628*. 'Litora litoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis.' *Lucan. l. 8.* 'pila minantia pilis.' sic *Sil. Ital. l. xii.* 'Ætnæ fatis certantia saxa:' ubi Dausquius legit, 'saxis certantia saxa.' Vel 'fatis certantia fata.' *Emmeness*.

244 *Eadem*] Similis qualis ab initio fuit: ut ostendat nec longitudinem temporis prodesse Trojanis. *Servius*.

*Nunc eadem*] Id est, non solum non inveniunt bona, sed manent mala. *Donatus*.

*Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos Ins.*] 'Aliud ex alio malum,' ut *Comicus E. v. 5. 17.* nam *P. Syro* teste, 'fortuna obesse nulli contenta est semel.' Quod in *Æneæ* discere est, 'quem plurimis ærumnis edomitum' (verbis utor *Apuleji Met. vii.*) 'fortuna sæva novis cruciatibus tradit: quam sævissimam fortunam, per tot regiones fugiens, effugere non potuit vir sanctissimus.' *Justissimis*

ergo querelis indulget mater; sed occurrit oratio. *Emmeness.*

245 *Finem*] Ac si diceret, Non regnum requirimus, sed finem laborum. *Servius.*

*Quem das finem*] Qui Juppiter potest postulata complere, et potuit efficere, ne aliquando occiderent. Potest et sic intelligi, Quem das finem, id est, quando Trojani venient in Italiam, aut quando carebant his malis? *Danatus.*

*Quem das finem, rex magnæ, laborum*] Expressus fortasse Euripides in *Alcestiti*. 'Ὁ Ζεὺς, τίς ἐσ πῦρ ἄπορ κακῶν Γένεο, καὶ λόγος τῆρας; *Io Juppiter, quæ ratio erit advertendi mali, Quæ repulsio fortunæ?* *Cerda.*

*Quem das finem, rex magnæ, laborum*] Pro eo Horat. *Epod. xvii.* 'Quæ finis? aut quod me manet stipendium?' Ad quem locum videndus Turneb. *xxx. 27.* Quamvis Horat. *quæ finis*, Maroni placuit *quem finem* dicere, quod suavis sonat teste Gellio *xiii. 19. laborum*, id est, miseriorum. noster *i. 601.* 'O sola infandos Trojæ miscrata labores!' Sil. *Italicus*: 'tortentis finem metsumque orare laborum.' Ovid. *Met. l. iv.* 'dum prima retractant Fata domus, releguntque snos sermone labores.' Apulejus *Met. l. xi.* 'ait satis laborum:' ubi plura *Priamus. Emmeness.*

246 *Antenor potuit*] Capto Ilio Menelaus memor se et Ulyxen, beneficio Antenoris servatos, cum repetentes Helenam ab eo essent suscepti, ac peme a Paride aliisque juvenibus interempti essent; parem gratiam reddens inviolatum dimisit; qui cum more Theano et filiis Helicaone et Polidamante, ceterisque sociis in Ilyricum pervenit, et bello exceptus ab *Eugeneis et rege Veleo*, victor urbem Patavinam condidit: id enim responsi acceperat, eo loco condere urbem, quo sagittis avem petisset, ideo ex avis petiti auspicio, *Patavium* nominatum. Hi autem duo Trojam pro-

*Delph. et Var. Clas.*

didisse dicuntur secundum *Livium*: quod et Virgilius per transitum tangit, 'Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.' Non sine causa Antenoris posuit exemplum, quum multi evaserint Trojanorum periculum: ut Capys, qui Campaniam tenuit; Helenus, qui Macedoniam; ut alii, qui Sardiniam secundum *Salustium*: sed propter hoc ne forte illud occurreret, jure hunc vexari, tanquam proditorem patriæ; elegit ergo similem personam: et excusat Horat. dicens, 'Ardentem sine fraude Trojam:' hoc est, sine prodicione, quo quidem excusatio non vacat. nemo enim excusat nisi rem plenam suspicionis. *Sisennus* tamen dicit solum Antenorem prodidisse: quem si velimus sequi, angemus exemplum: si regnat proditor, cur pius vagatur? Antenor autem ob hoc creditur Græcis patriam prodidisse, quia sicut superius dictum est, et auctor reddendæ Helenæ, et legatos ob hoc venientes suscipiebat, et Ulyxen mendici habita agnitum, non prodidit. *Servius.*

*Antenor*] Sunt qui Antenorem faciunt proditorem Trojanæ urbis. In his *Dictys l. v.* qui ait, jussu Priami ivisse ad Græcos cum mandato belli deponendi, illum tamen de prodenda patria cum illis consilium iniisse: et narrator *Lycophronis*: nam huic dat accensam lucernam ad vocandos Danaos, et reclusionem equi lignei. Enarratoris verba: 'Ἀντήνωρ δὲ φάων ἀδελφὸν τοῖς Ἑλλήσι, καὶ τὰ ἐπαγγελία τοῦ Ἰπποῦ φέροντι. Sunt qui illum liberent ab hoc crimine, dicantque fuisse virum vitæ sanctitate, et morum gravitate notum. Inclinat in hanc partem Virgilius, qui *elapsum* ait, quo fuga innuitur, non pactum. *Livius* tantum ait, fuisse illum una cum *Ænea* auctorem pacis et reddendæ Helenæ. *Cerda.*

*Potuit*] Plus est quod dixit *potuit*, non *meruit*. *Servius.*

*Potuit*] G. Canterus, Nov. Lect. ii.

*Virg.*

7 E

2. notat, veteres eleganti periphrasi dixisse, *Potuisse* quem *dicere*, vel *facere* aliquid; pro *dixisse*, vel *fecisse*: ut hic, *Antenor potuit sinus penetrare*, pro, penetravit. Ita Æn. vii. 'nil linquere inausum Quæ potui infelix,' id est, nihil inausum reliqui. Æn. xii. Turnos, 'miseri te si qua parentis Tangere cura potest,' id est, tangit. Propert. l. iii. 'Et de me poterat quilibet esse loquax,' id est, loquebatur. Horat. in Arte: 'Quid superat? poterat dixisse,' &c. Omnes Poëtæ, et inprimis Ovidius plenus est talium. *Taubmann.*

*Antenor potuit*] Comparatione a minore ad majus, exaggerat moerorem: Antenor ergo alienus a necessitudine tua, homo humilis et depressus, manus hostium potuit effugere. *Donatus.*

*Elaeus*] Invidiosæ noluit dicere *dimissus*, sed *elapsus*. Servius.

*Achivis*] Ab Achæo Jovis et Pithiæ filio. *Idem.*

247 *Illyricos penetrare sinus*] Antenor non Illyricum, non Liburniam, sed Venetiam tenuit: ideo autem Virgilius dicit, *Illyricos sinus*, quod inde venit quidam Henetus rex, qui Venetiam tenuit; a cuius nomine Henetiam dictam, posteri *Venetiam* nominaverunt. *Idem.*

*Illyricos penetrare*] Voluit demonstrare difficultatem perveniendi, et ad hostiles partes penetrandi, quæ omnia facit, dictis posterius annexis. *Penetrare* enim est penitus intrare, et *sinus* sunt recessus terrarum penitus remotarum, quibus clausis non potuisset evadere, si pericula extitissent. Et miro verbo usa est, *transire*, quod est sine molestia vel impedimento quovis pervenire. Et quia fontem superare, difficultatem non demonstrat, addit: *Unde per ora novem*, &c. ut commemoret tantæ illum fontem virtutis non esse, ut per novem illius ora tutus transierit. *Donatus.*

*Illyricos penetrare sinus*] Mare Adriaticum, unum est mare: sed ob

diversa promontoria, in plures distribuitur sinus. Unde liquet, cur Poëta *sinus* dixerit, non *sinum*. Hodie ea loca Dalmatiam, Croatiam et Carinthiam indigitant. Hos, inquit, sinus, et hæc regna penitus intravit, et quidem tutus, nec tantillum mali perpeasus a populis, longe ferocissimis. Quin et immanem illum Timavum, unde per novem ostia, ingenti cum murmure vicini montis mare it proruptum atque effusum, sine molestia et impedimento transmisit: hoc enim est *superare*. Hunc autem Timavum alii septem, alii octo, alii novem ostiis in pelagus effundi tradiderunt. Quidam putant, *Novem* hic non numerum, sed vehementiam significare, et usu prisco, pro quavis multitudine usurpari, ut in Æn. vi. 'novies Styx interfusa coercet:' et apud Horat. 'nonumque prematur in annum.' Martial. epigr. viii. 28. *Timavum* dixit *multifidum*. Joach. Vadianus, testis oculatus, adfirmat, nusquam ullum *Timavum* extare hodie præter obscurum rivulum, et eum quidem pedibus pervium. Videatur et Gabr. Fallopius, de Therm. aq. et Metall. et Cæsl. Rhodig. xii. 8. et Jo. Candidus Utinens. in Comment. rerum Foro-Julienisium, &c. *Taubmann.*

*Antenor potuit*, &c. *Illyricos penetrare sinus*, &c.] De Antenore, qui Venetorum conditor est, et Patavii, ut vs. 247. Justinus xx. 1. 'Venetos, quos incolas anperi maris videmus, capta et expugnata Troja, Antenore duce, misit.' Hunc Ovid. Fast. iv. 75. suasorem pacis appellat, 'Adjice Trojanæ suasorem Antenora pacis.' et Epist. Heroid. v. 95. 'Quid gravis Antenor, Priamus quid suadeat ipse.' De hoc Homer. Iliad. f. 203. quod fuerit *πεννύμερος*, qui hospitio Ulyssem recepit legatum, et Trojanis auctor fuit reddendæ Helenæ, eodem teste Iliad. H. *Emmeness.*

*Tutus*] Ideo tutus, quia Rhetii Vin-delici ipsi sunt Liburni, sævissimi ad-

modum populi, contra quos missus est Drusus. Hi autem ab Amazonibus originem ducunt, ut etiam Horatius dicit, 'quibus Mos unde deductus, per omne Tempus Amazonia securi Dextras obarmet, querere distuli.' Hoc ergo nunc ad augmentum pertinet, quod tutus etiam inter sævos populos erat. *Servius*.

248 *Liburnorum*] Sunt hi inter Istriam et Dalmatiam. Vide Plinium III. 22. Strabonem I. VII. alios. *Cerda*.

*Fontem Timavi*] Amant poëtæ rem unius sermonis circumlocationibus dicere, ut pro Troja, dicant urbem *Trojanam*, pro Buthrotio, *arcem Buthroti*, sic et modo pro Timavo, ait *fontem Timavi*. Et paulo post, urbem *Patavi*, id est, Patavium. *Servius*.

*Superare*] Nauticus sermo. Lucilius: 'Promontorium remis superamas Minervæ.' *Idem*.

249 *Unde per ora novem*] Multi septem esse dicunt: quod si incerta fides est, finitus est numerus pro infinito. *Idem*.

*Unde per ora novem vasto cum murmont. It mare*] Docuit Turnebus hic poëtam fluvium mare nominasse, ut Nicand. in Theriac. τὴν ἐνδ' ὀρμῶν ποταμοὶ φέρονται, ἐν πόντῳ καλῶνται. Alibi Virgilius mare stagnum vocat, nimirum quod, ut Aristoteles docet, τὸ τῆς θαλάττης ὕψος οὐ ῥῆδον, ἀλλὰ στάσιμον sit, nec ullum mare moveatur per se et proprio motu, sed aut lunæ motu, aut terrarum angustia, aut fluviorum concursu, interventu et confluxu. Vide Meteor. I. II. Cæteram Græce locutus est Maro, qui *ora, æstis* dixit, ut et Aristoteles Meteor. I. A. τοῦ Νέλλου στόματα, his verbis: φαίνεται δ' εἶναι καὶ τὰ στόματα πάντα πλὴν ἐνδὸς τοῦ καυνοῦ χειροποίητα, καὶ οὐ τοῦ ποταμοῦ ὄντα. Timavus autem fluvius est juxta Aquilejam, novem nascens capitibus, teste Pomponio, unoque ostio sese in mare evolvens. Causam ejus incrementi et decre-

menti, fluxui et refluxui maris vicini Gabr. Falopius tribuit illudentis ad montem Timavo ipsi proximum, lib. de therm. aq. et metall. *Germain*.

*Vasto cum marmore montis*] Tanta viexit in mare, ut etiam vicinus mons personet. Superius, 'illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt.' *Servius*.

*Vasto cum marmore montis*] Ut fons solo vocabulo, revera sui abundantia in terris pelagi faciem ostenderet. Repete ergo, potuit hostis evadere, potuit penetrare: si ille potuit superare fontes Timavi. Hic, scilicet in regionibus hostilibus et per omnes difficultates. Ergo unum adverbium et pronomen grave pondus dolori adjecit. Ille minoris dignitatis, cur tantum felicitatis adeptus est, ut tutus transierit, tutus pervenerit, tutus urbem suis condiderit, tutus nomine Trojano vocitari indigenas fecerit, tutus arma Trojana, id est, victa, in eorum partibus fixerit? quos non constat victores fuisse. *Donatus*.

*Per ora*] Usque ad initium fontis, hoc est, usque ad montem: Timavus autem in Histria est, inter Aquileiam et Tergistum. *Servius*.

250 *Mare*] It quasi proruptum mare. Amat poëta rem historię carmini suo conjungere. Varro autem dicit hunc fluvium mare ab incolis nominari. *Idem*.

*Proruptum*] Aut idem effusum flans. Et melius *prorruptum*, quam *præruptum*. Bene autem definit, quid est largus fons, solutum mare. *Idem*.

*Proruptum*] Notat Turnebus xxx. 19. *Prorumpit et Erumpit*, sæpe Neutorum verborum significatione trita usurpari: Maronem tamen, *R mare proruptum* dixisse: ut Lucret. 'hinc prorumpitur in mare venti Vis.' Et Cic. ep. ad Atticum xvi. 3. 'Ne in me stomachum erumpant, cum sint tibi irati.' et Lucan. 'Exagitata foras erumpitur.' *Thubmann*.

*Pelago*] Aquarum abundantia. *Serv.*

*Premis]* Populatur, vastat. Sane multi, *It mare proruptum*, Et, *Pelago premit arva sonanti*, hoc intelligi volunt: quod tanta est in illis locis accessa, quæ dicitur maris, ut per ora Timavi, id est, usque ad initium fontis, mare ascendat: unde ait, *It mare proruptum et pelago premit arva*, id est, aqua maris premat arva, hoc est, litora vicina cooperiat. Constat autem et in illo loco accessa maris usque ad montem pervenire, et per omne litus Venetiarum mare certis horis et accedere per infinitum, et recedere. Timavus autem in Histria est, inter Aquilejam et Tergestum. *Idem*.

251 *Hic]* Pro illic. *Idem*.

*Tamen]* Id est, etiam in loco difficili. *Idem*.

*Urbem Patavi]* Hoc est Patavium: Patavium autem dictum, vel a Padi vicinitate: quasi Padavium: vel ἀπὸ τοῦ πᾶρδαυ, quod, captato angurio, dicitur condita, vel quod avem telo petisse dicitur, et eo loco condidisse civitatem. Alii a palude Patina, quæ vicina civitati fuisse dicitur, Patavium dictam putant. Sane *Patavi* minorem nominativo genitivum fecit, cum genitivus nunquam pauciores syllabas nominativo suo habere debeat, *Patavium* enim *Patavii* facit. *Idem*.

*Patavi]* Variæ quidem fuere olim Grammaticorum sententiæ super ejus genitivi scriptione, qui declinationis secundæ ratione, in ii geminatum enuntiari debet. Neque ipsos tantum Grammaticos diversa in hoc sentire: sed alias atque alias ætates modo simplici, modo geminato scriptitasse comperio. Sane Priscianus ait veteres in hujusmodi genitivis, geminantibus ii, frequenter solitos alterum ex iis subtrahere, Virgiliano hinc exemplo citato, 'Hic tamen ille urbem Patavi:' perinde ac illa etiam, 'Nec cura peculi,' neque non, 'Pauperis et tuguri.' Citat idem alibi per Synæresin, *Fata Lyci*, pro Lycii, et urbem

*Patavi*, pro Patavii. Sed enim quod Priscianus Poëtarum tantum innititur exemplis, multa veterum inscriptionum exempla commemorare possem, quibus appareat Oratores etiam eandem descriptionis rationem secutos esse *Pierius*.

*Hic tamen ille urbem]* In loco etiam difficili ille inferioris meriti homo, tutus civitatem Teucris condidit, et nomine Trojano indigenas vocitari fecit. Atque hoc est, quod Livius scribit in exordio l. i. 'In quem locum Antenor cum multitudine Venetum primum egressi sunt, Troja vocatur: pagoque inde Trojano nomen est: gens universa Veneti appellati.' De suo autem nomine ipsam urbem *Antenoriam* vocavit, cives *Antenoridas*. Eaque mox *Patavium*, postremo et *Padua* fuit appellata: quæ patria Livii est, et hodie Venetorum Academia. Porro notetur Poëtica circumlocutio, *Urbs Patavi*, id est, *Patavium*: ut alibi, *urbs Troja*, pro Troja: et, *arx Buthroti*, pro Buthroto. Sic paulo ante, *Fons Timavi*, pro Timavo. Ita et Cic. *Urbem Lampsaci*: et, *oppidum Antiochiæ* dixit. V. N. *Æn.* v. 52. *Taubmann*.

*Sedesque locavit]* Ex votis suis facit invidiam, dicens, id concessum Antenor, quod ipsa desiderat. *Servius*.

252 *Et genti nomen dedit]* Hoc est, quod ne victori quidem concederetur *Æneæ*: quod acimus a Junone esse profectum. Sicut in xii. ait, 'Neu Troas fieri jubeas Teucrosque vocari:' et Iupiter ait: 'commixti corpore tantum:' contra quam oblique loquitur, propter considerationem mariti. Hi autem primis temporibus ab Antenore dicti sunt Antenoridæ: ipsum vero quidam dicunt Hectora se appellasse, aut certe nomen nobilitatem, vel dignitatem, ut, 'Et nos aliquod nomenque decusque.' *Idem*.

*Armaque fixit]* Quasi non necessaria consecravit. *Figere* enim consecrare hic debemus accipere; ut

'Postibus adversis figo,' et hoc significat, securus est; quia solent missi militia sive gladiatura, quibuslibet templis arma suspendere: ut Horatius, 'Vejanius, armitis Herculis ad postem fixis.' *Idem.*

*Armaque fixit*] Sic in Lycophr. Cassandra ἤλασε κέρση κλῶρος ποταπῶδες: ad quem locum consule Mearsum p. 261. 262. De dedicandis armis plura ad Æn. III. 286. *Emmeness.*

253 *Compositus*] Pro compositus. Syncope est: detraxit enim de medio syllabam, ut 'Et pocula porgite dextris.' *Servius.*

*Placida compositus pace*] Recte placida, pro quo non nulli legunt placita: sed prius epitheton non displicet, quo etiam usus est Silius Italicus l. 1. 'Ter placidam suasit temerando rumpere pacem.' Cic. Tusculan. quæst. v. 16. 'semper in animo sapientis esse placidissimam pacem.' *Emmeness.*

*Compositus*] *Συνκωχ* non inelegans, qualis apud Stat. Theb. l. vii. 'sic expositus ego.' Verbum *componere* in funeribus notum, ubi Cineres, Ossa, &c. urna conduntur. Horat. Sat. 1. 9. 'Omnes compositi. Felices! nunc ego resto.' Vide Kirchmann. de Funer. Roman. III. 8. de verbo *quiescere* actum Ecl. x. 23. inde *acquiescere* pro mori. Corn. Nep. V. xxiii. 13. 'anno acquievit septuagesimo.' *Idem.*

254 *Nos tua progenies*] Sic loquitur quasi una sit de Trojanis; nam aliter sensus non procedit: aut quasi patiatur et ipsa, quod et filius: et bene, *Tua progenies*, propter Antenorem. Est autem Epexegetis: ut, 'Ast ego quæ divum incedo regina.' *Servius.*

*Nos*] Transit ad comparationem. *Donatus.*

*Tua progenies*] Interpretatio est *Tua*, qui deos et homines in potestate habes, apud quem privilegium *primi* gradus habere debemus: dum *spe* promissorum ducimur, naves amissas, et promissam Italiam tenere

nōn possumus. *Idem.*

*Nos tua progenies*] Applicatio exempli habens *πάθος*, præter spem. *Nos* autem dixit, ut Jovem magis moveret, cum audiret etiam filiam laborare: vel, quia matres, laborantibus filia, revera laborant: vel, quia causas agunt clientum, ut suas. *Nos tua progenies*, id est, ego filia, et Æneas nepos. Simile est illud Ovidii Fast. III. 'Illa ego sum, cui tu solitus promittere cælum. Hei mihi, pro cælo quælibet dona fero!' *Taubm.*

*Adnuis*] Licet ipsa dea sit, tamen sub persona Æneæ se posuit: bene autem *Adnuis*, quia nutu semper promittit aliquid Juppiter: ut, 'Adnuis et totum nutu tremefecit Olympum.' *Servius.*

*Adnuis*] Sanctissime fidem præstiturum Jovem credebant veteres, si adnuisset, si nutu confirmasset promissa. Homer. Iliad. A. 514. Νῆμερὲς μὲν δὴ μοι βρόνχοιο καὶ καρδρευσον, 'H hædeis': *Verum quidem jam mihi promitte, et adnuce, Vel abnuce.* Apulejus Met. l. vi. 'nec renuit Jovis cæcæleni supercilium.' *Emmeness.*

255 *Navibus amissis*] Cur cum una navis perierit, ait *navibus*: aut invidiose dixit et exaggerat, aut quia adhuc aliæ desunt, aut quia eas perisse non ignorat Æneas. *Servius.*

*Infandum*] Pro *infande* posuit, ut in vi. 'Miserum septena quottaunis.' Item, 'Torvumque repente Clamat,' pro torve. Est figura, quæ fit quotiens nomen pro adverbio ponitur, magis autem poetica est: in prosa aut rara, aut nunquam: tamen hoc loco *Infandum*: potest esse etiam interjectio dolentis. *Idem.*

*Unius*] Cautius, quam si dixisset Junonis, et hic *unius* produxit penultimam. *Idem.*

*Unius ob iram*] Optime ad finem orationis reservavit, ne si inter initia dixisset, offensus Juppiter sororis et conjugis injuria alienaretur: nec etiam nomen Junonis posuit, ut sine

offensa ad injuriarum numerum perveniret. *Donatus*.

256 *Prodium*] Multa quidem hic sermo significat, sed modo porro damus: scilicet ab Italia prohibemur. Et sciendum est, omnium auctorum esse consuetudinem, ut res dubie positas planius in sequentibus dicant; ut hoc loco sequitur. *Servius*.

*Prodium*] Cum contemptu et stomacho dictum *Prodium*; ethabet vim concitandi Jovem adversus Junonem, quo nihil est optatius Veneri. Et astute id servavit ad finem, ne si forte hoc ægre tulisset Jupiter, illius animus initio orationis a se alienaret. *Nasimbæ*.

*Atque Italiam longe, &c.*] *Longe*, maxime: non enim longe erant ab Italia cum tempestate disjecti sunt. *Serv.*

*Italiam longe disjungimur oris*] Sic et Hom. 'Ἄλλ' ἐν γὰρ τρώων πεδῖν πύκα θωρηκτάων Πόντον κεκλιμένοι, ἐκὰς ἡμεῖθα πατρίδος αἰῆς. Semper autem πολλὴ λαγκτὸν Æneam significat, ut Hom. Ulyssem. *Germanus*.

257 *Hic*] Id est, talis, ut, 'Hunc ego te, Euryale, aspicio,' id est, talem. *Servius*.

*Pietatis*] Superius in te committere ait, ut peccato Æneam et Trojanos excuset. Hic plus addit, non solum eos non esse malos, sed etiam pios esse. *Servius*.

*Honos*] Cum secundum artem dicamus *honor, arbor, lepor*: plerumque poetæ r in s mutant causa metri. *Os* enim longa est, *Or* brevis: hoc quidem habet ratio: sed hic sine metri necessitate *honos* dixit. Item Sallustius pene ubique *labos* posuit, quem nulla necessitas coëgit. Melius tamen est servire regulæ. *Idem*.

*Hic pietatis honos*] Similis conquestio apud Ovidium Met. II. 'hunc fertilitatis honorem Officii que refers?' Et apud Plautum Rudent. 'Hancine ego partem capio ob pietatem præcipuam.' *Cerda*.

*Sic nos in sceptra r.*] *Reponis* in

sceptra, aut ad imperia reservas. *Servius*.

*Sic*] Hoc est per naufragia. Aut certe antiqua est licentia communium præpositionum. *Idem*.

*Reponis*] Id est, restituis in regna, quæ amisimus. *Idem*.

*Hic pietatis honos? Sic nos, &c.*] Occupato gravissimis argumentis Jovis animo, Venus apertis, quod ajunt, tibiis, in querelam prorumpit, et ita vehementer exestuans, nimis indulgenter loquitur, et omne prorsus iracundiæ atque odii virus effundit. *Nasimbæ*.

258 *Olli*] Modo *tunc*, propter sequentia: pronomen enim cum nomine, non debet poni, sed pro ipso nomine; et nullus dicit, *illi nate*. \* Alias tamen, *Olli*, illi significat: ut, 'Olli dura quies oculos, et ferreus urget Somnus.' *Servius*.

*Olli*] Vetustatem sapit, a qua in non nullis minime abhorret Maro, ut Quintil. VIII. 3. i in e mutato ut Priscian. I. 1. quod in aliis haud ita occurrit: pro eo Stat. Achill. I. IV. 'Illi subridens,' &c. *Emmeness*.

*Subridens*] Lætum ostendit Jovem, et talem, qualis esse solet, quum facit serenum. Risus enim ex lætitia oritur. Poëtarum enim est, elementorum habitum dare naminibus; ut supra de Neptuno dictum est. *Servius*.

*Olli subridens*] Ut Venus lachrymis, antequam loqueretur, significavit dolorem internum, et quid dictura esset: sic Jupiter statim debuit hilaritate vultus et osculo, et prima parte orationis demere angorem filie, nec oportuit eam circuituone deferri. *Donatus*.

259 *Vultu, quo cælum*] Ostendit, sicut dictum est, cur subriserit Jupiter. Hoc verbum de his est, quæ carent prima positione: quod fit in his, quæ in nostra non sunt potestate, ut *tono, fulmine, pluo*: hæc enim non possumus dicere, nisi forte persona inducatur ejus, qui potest: ut si, tale

aliquid Jupiter dicat. *Servius*.

*Vultu, quo cæsum*] Tali qualem habet cum elementa tranquillat. *Donat.*

*Vultu, quo cæsum*] Exhibens talem vultum filiis, qualem habet, cum omnia elementa tranquillat. *Ridente deo, omnia rident*; ut contra. Ita Sophocles in Ajace, *τῶς οὐδ' θεῶ γελῶσι καὶ ἄσπερα*. *Taubmann.*

*Serenat*] *Ennius*, 'Jupiter hic risit, tempestatesque serenæ Riserunt omnes risu Jovis omnipotentis.' Ant cæteri sic intelligunt Janonis dolorem oblique accusari a Venere; ut est, 'Quæ te genitor sententia vertit.' Et, 'Unus ob iram prodimur;' sicut alibi, 'Atque dolis risit Cytherea repertis.' *Servius.*

*Serenat*] Serenari dicitur æther, axis. *Sil. Ital. l. xii.* 'Ecce serenato clarum jubar emicat axe.' et paulo post: 'Læta serenati facies aperitur Olympi.' *Emmenius.*

260 *Oscula libavit nata*] *Leviter tetigit.* Et sciendum osculum, religionis esse; suavis voluptatis: quamvis quidam osculum filiis dari, uxori basium, scorto suavis dicant. Sane multi nolunt ita intelligi, ut summum osculum filie dederit, id est, non pressum, sed summa labella contingens: sed ita ajunt, *Tum hilarus Jupiter vultus nata libavit*, id est, contigit; scilicet ut nos solemus cum blandimentis quibusdam sinistram maxillam contingere liberorum, ac deinde ad os nostrum dextram referre. Ergo *libavit* merito; quia partem vultus, non totos contigerat; ut *oscula* dixerit quasi minora et teneiora filie ora; ut ora diminutive *oscula*, nam ora vultus dici; ut, 'intentique ora tenebant;' et 'Sic ora ferebat.' Ipse diminutive *oscula* dixit minores et teneros vultus: 'Summaque per galeam delibans oscula fatat.' *Servius.*

*Oscula libavit nata*] Id est, parva ora leviter tetigit: *Corradus, et H. Stephani.* Osculum enim hic *ordina-*

est, non *placuit*: et significatum tenet primitivi. Ita et *Ovid. Met. i. 18.* 'videt igne micantes Sideribus similes oculos: videt oscula.' *Mart. Epigr. xi. 92.* 'Ipsaque crudeles oderunt oscula morbi.' *Æneid. xii. 434.* 'Delibans oscula.' *Taubmann.*

*Oscula libavit nata*] Ex veterum consuetudine *Servii* sententiam confirmat *Salmas.* *Hist. Aug. apud Hackios p. 687.* sed nihil propius ad *Maronem*, quam illud *Statii Thebaid. l. vii.* 'Invidiam risit pater, et jam poplite flexum Sternentemque manus tranquillat ad oscula tollit.' *Emmen.*

261 *Parce metu*] *Quotiens in causis arguimur, ante nos purgare debemus; et sic ad actionem descendere, quod et hoc loco Jupiter facit: ante enim objecta purgat, et sic venit ad promissionem. Et est *Parce metu* elocutio usualis, id est, dimitte metum: quomodo dicimus *parce verbis, parce injuriis*: alii *metu* pro metu accipiunt, ablativum pro dativo; aut certe ideo metum aufert, ut animo securiore possit audire: ut alibi, 'Solvite corde metum Tenecri.' Omnia autem, quæ dicit Jupiter, ad solutionem pertinent antedictorum. Ideo autem nunc dicit, *Parce metu*: quia superius dixerat *Tristior. Manent immota*: quia dixerat, *Quæ te genitor sententia vertit*? Et simul per transitum dogma Stoicorum ostendit, nulla ratione posse fata mutari. Sane servat et hic ordinem sicut in templi oratione, ut statim promittat, quod præstiturus est, ne auditor sit expectatione suspensus. *Servius.**

*Parce*] Si solum hoc dixisset, abunde suffecerat ad demulcendum animum. Reddit enim securam, et nihil immutatum esse demonstrat. Dat autem huic poëta personam regis, non patris. De futuris enim non nisi deus loquitur. Ergo *Cytherea* dixit et non filia: et *tuorum*, et non nostrorum. *Donatus.*

*Cytheres*] Omnia, quæ apud Græcos



si diphthongum habent, apud Latinos in e productum convertuntur. *Κυθήρεια*, *Cytherea*. *Αἰνείας*, *Aeneas*. *Μήδεια*, *Medea*. Servius.

*Cytherea*] A *Κύθηρα* originem habet, quæ, docente Stephano, *ῥήσος καὶ πόλις* est *πρὸς τῇ Κρήτῃ*. In *Myrto mari*, ponit Mela II. 7. contra *Malcam*. Veneri consecrata, ut noster testatur x. 51. 'Est Amathus, et celsa mihi Paphos, atque Cythera.' Sed hoc non prætereundum puto, secundam corripit contra Grammaticorum doctrinam, qui η Græcum in Latinis longum volunt. Quod tamen non perpetuum, ut jam recte observavit Schottus obs. poet. II. 39. *Emmeness*.

*Tuorum*] Trojanorum, vel Romanorum. *Servius*.

262 *Fata tibi*] Non propter te. Fati enim immobilis ratio est. Sed aut vacat *Tibi*: ut, 'Qui mihi accubantes in conviviis.' Aut certe tuta sunt tibi fata, non tamen propter te. *Servius*.

*Manent Fata tibi*] Hoc sat erat, sed ut satiaret quod asserebat, addidit *inmota*. Deinde enumerat specialiter quod generalitate clauserat. Respondet etiam querimoniis Veneris. Nam cum illa dixisset: *Cunctis ob Italiam*, &c. hic dicit, *Cernes urbem*. Et ad id: *Cæli quibus admissis arcem*, ponitur, *Magnanimum Æneam sublimem feres ad sidera cæli*. Ut autem apertiore faceret generalitatem, addit factorum dispositionem. Tangit autem gesta, ab Ænea ad Cæsarem usque, et tempora Cæsaris: quæ scribenda cum proposuisset, morte præventus, non implevit: brevi igitur oratione securam facit Venerem, longo deinde ordine futura explicat. Non enim ociose audisset Venus, quæ pertinerent ad gaudium, nisi prius amotus esset metus. Sic Terentius: 'Ubi inveniam Pamphilum, ut metum, in quo nunc est, adimam: atque expleam animum gaudio.' *Donatus*.

*Manent inmoti tuorum Fata tibi*] Insignis fati descriptio occurrit apud

Apulejum in princ. *Metam.* LIX. 'Næ consilio prudens, vel remedio sagacia, divinæ providentiæ fatalis dispositio subverti vel reformari potest.' Luculentiorē disputationem hæc loco subnectit Pricæus. Quam vide, si sit tanti. *Emmeness*.

*Cernes urbem*] Aut Romam significat, quia cum proprietatem detrahimus, quod magnum est significamus; ut si dicas legi Oratorem, nec addas quem, intelligo Ciceronem. Et ne longa sit expectatio, adjecit: *Et promissa Lavini Mania*, aut certe detrahe et sicut multi, et Epexegeam facis. *Servius*.

*Cernes urbem*] Id est, promissa Lavinii mœnia. Videtur autem figurate dictum *urbem* et *mania*, quia diversis idem significavit. *Idem*.

263 *Sublimemque feres ad sidera cæli*] Æneas enim post errores VII. annorum, cum ad Italiam pervenisset, et sicut historia habet, cognito, quod Veneris filius, Troja profugus, fati juvantibus, ad Italiam venisset, et ab Latino susceptus esset, filiam ejus Laviniam duxit uxorem; quo dolore Turnus rex Rutulorum, qui ante Laviniam sperabat uxorem, et Latino et Æneæ bellum indixit; sed primo prælio Latinus est interemptus; secundo vero Æneas Turnum occidit. Ipse vero, ut quidam dicunt, cum Mezentium, ut quidam vero Messapum fugeret, in Numicum fluvium occidit; ut vero Livius refert, in cœlum raptus est; cujus corpus eam victis a se Rutulis et Mezentio, Ascanius requisitum non invenisset, in Deorum numerum credidit relatam. Itaque ei templum condidit et Jovem indigetem appellavit. Bene autem addidit *Feres*, ut gratius esset, quod per ipsam fieret. *Idem*.

*Sublimemque feres*] Ex *Ennio* 1. 'Unus erit, quem tu tolles in cœcula cæli Tempia.' Versum hunc Ennii imitatus est Ovidius *Fast.* II. *Cerde*.  
264 *Magnanimum*] Magnus et par-

uit, quoniam mensuræ sunt, ad animam, non nisi καταρηνοτικῶς addibentur. Et bene hoc addidit, quasi dicat, quem tu miserum dicis, nos magnanimum, suum. *Servius.*

*Neque me sententia vertit*] Ad illud, *Quæ te, genitor, sententia vertit.* Idem.

265 *Hic*] Id est, Æneas, et est ordo: hic bellum ingens geret Italia. Alii *hic* pro post hæc quæ dixi accipiant; ut sit loci adverbium, pro temporis. *Idem.*

*Tibi faber enim*] Hoc loco excusat questionem futuram, quasi Veneri dolenti, quæ vera sunt dicat. Et ideo *tibi*, quod nulli alii, id est, tibi soli. Nam aliter loquitur cunctis presentibus Diis: dicet enim in decimo, 'Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.' *Idem.*

*Tibi*] Quia sita es, quia sollicita, nolo te vexari angoribus; tu docta tuorum fata lætaberis. *Donat.*

*Faber*] Arcana fatorum, quæ nulli fas est nosse, commendat sensibus sitæ, et se illicite facere demonstrat, ut cognoscat illi benevolam studium patriæ. *Idem.*

*Quando*] Siquidem, quoniam. *Servius.*

*Remordet*] Sollicitat. Terentius, 'Par pari referto, quod eam remordet.' *Idem.*

*Cura remordet*] Hac forma Horatius od. i. 18. 'mordaces sollicitudines.' Symmachus epist. vi. 62. 'hæc mordet animum:' quam locutionem usurpat etiam viii. 6. et 69. et epig. x. 47. Terentius Adelphi. 'si id te mordet.' Aristophanes, Acharnensibus: *ἴσα δὴ δέδηγμαί τὴν καρδίαν*: *Quam multa animum meum mordent.* Quæ verba Scholiast. explicat per *ἠλγισμαι*, et *λελειπται*. Homerus, *μῶθος θυμοδακτύς*, *verbum mordens animum.* Synesius epist. *δέδηγμαί τὴν καρδίαν*: *mordetur mihi cor.* Hæc pertinet verba edendi traduci ad curas. Catul. 'exedit cura medullas.' Laetorius l. iii. 'exeat angos.' Valer.

Flaccus Arg. l. ii. 'exesam curis.' Homerus etiam dixit, *γρηγόρους μελεδῶνας*. Vide vero, ut alii hoc dixerint. Ennius cognit. Terent. Phorm. *absumit*. Seneca in Hipp. *sollicitat, populatur*. Lucret. l. iii. 'scindunt curæ.' Cicero de clar. orat. *angit*. Obvia sunt: *conficit, perstringit, lacerat, demolitur, enecat, pungit, stimulat*. Corda.

266 *Arcana*] Secreta. Unde et *arca* et *arx* dicta; quasi res secreta, a qua omnes arceantur. *Servius.*

*Arcana movebo*] *Movebo* docti legunt: ut Œdipus ad Tiresiam vatem in Sophocl. *ὄφρας ἀναδῶς ἔκκλινους τάδε τὸ ῥήμα*. *German.*

*Movebo*] Dixi hoc verbo innui magna molimina. Firmat Cicero, qui ad Q. Fr. 'magnæ mihi res moveri videbantur.' Lælius in Pan. synonymice conjunxit *movere* ac *moliri*. Græci, pari vi: nam, *σπράττειν καὶ κινεῖν*. Apud Polybium *κινητικὸς*, est qui seditionibus magna commovet. *Corda.*

267 *Belium*] Proponit curam belli, sed bona ventura promittit; mortem autem Æneæ, quod erat triate, subicit. *Donatus.*

*Italia*] In Italia, et detraxit præpositionem more suo: ut alibi, 'Non Libyæ, non ante Tyro: dispectus Hiarbas.' Id est, in Tyro: nam si adverbialiter vellet, Tyri diceret. *Servius.*

*Populoque feroces Contundet*] Incongruum fuerat in consolatione, dolenti bella prædicere: ob hoc ergo etiam victoriam pollicetur. *Idem.*

268 *Moresque viris et mænia ponet*] Hysteropteron in sensu: ante enim civitas, post jura conduntur. Leges autem, etiam mores dici non dubium est. *Idem.*

*Moresque viris*] *Ἵστερον πρότερον* in sensu. Ante enim civitas, deinde mores, id est, leges et jura conduntur. Respexit autem ad illud de Antenore; 'Hic tamen ille urbem Patavi,' &c, *Taubmann.*

269 *Tertia dum Latia*] Rhetorice,

ne breve esset, si triennium diceret, tempora divisit in species. Ordo autem longissimus, nam aliter non procedit, *sublimemque feres ad sidera celi Magnanimum Æneam*. Et, *Tertia dum Latio regnantem viderit ætas*. Ergo videtur sic tacite mortem Æneæ significasse. *Servius*.

*Dum*] Pro donec, ut, 'dum conderet urbem,' id est, donec. Quidam ideo bis annos ternos memorasse tradunt, ut tres annos solum Æneam regnatum significaret; quod cum Latino, alios tres annos regnasse dicitur. *Idem*.

271 *At puer Ascanius*] Prudenter exitum Æneæ et ostendit, et tacuit, dicendo filium postea regnatum. Aut quia major cura Veneri de nepote: ut in x. 'Liceat superesse nepotem.' Et iterum ibi: 'Hunc tegere.' *Idem*.

*At puer*] Ostendit, quod optabile est Æneæ, non externum, sed filium successurum, eo feliciorum, quod non triennio, ut ipse, sed triginta annos sit regnaturus. *Donatus*.

*Cui nunc cognomen Iulo*] Licet superius historia sit narrata, tamen etiam secundum Catonis historiam hoc habet fides, Æneam cum patre ad Italiam venisse, et propter invasos agros, contra Latinum Turnumque pugnassee; in quo prælio periit Latinus. Turnum postea ad Mezentium confugisse, ejusque fretum auxilio bella renovasse, quibus Æneas Turnusque pariter rapti sunt. Migrasse postea in Ascanium et Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse. Et occiso Mezentio, Ascanium, sicut I. Caesar scribit, Iulum ceptum vocari, vel quasi Iuloni, id est, sagittandi peritum, vel a prima barbæ lanugine, quam *Ιουλον* Græci dicunt, quæ tempore victoriæ nascebatur. Sciendum est autem hunc primo Ascanium dictum a Phrygiæ flumine Ascanio: ut, 'Transque sonantem Ascanium.' Deinde Iulum dictum a

rege Ilo; unde et Ilium. Postea Iulum, occiso Mezentio: de quibus nominibus hoc loco dicit: num ideo ait, 'At puer Ascanius cui nunc cognomen Iulo Additur, Ilus erat.' Ab hac autem historia ita discedit Virgilius, ut aliquibus locis ostendat, non se per ignorantiam, sed per artem poëticam hoc fecisse: ut illo loco, 'Quo magis Italia mecum lætere reperta:.' ecce *ἀμφιβολικῶς* dixit; ostendit tamen Anchisem ad Italiam pervenisse.

Sic autem omnia contra hanc historiam ficta sunt, ut illud ubi dicitur Æneam vidisse Carthaginem; cum constet eam LXX. annos ante urbem Romam conditam. Inter excidium vero Trojæ et ortum urbis Romæ, anni inveniuntur CCLX. *Servius*.

*Cognomen Iulo*] Si proprie loqueretur, agnomen diceret, non cognomen, sed magis ad familiam respexit: quia omnis gens Julia inde originem ducit. Dicimus autem, et nomen mihi est Cicero: ut, 'Hecyra est huic nomen fabulæ.' et, *Ciceronis*: ut Sallust, 'Cui nomen oblivionis condiderant:.' et *Ciceroni*: ut, 'cui Romulo cognomen erat:.' et *Ciceronem*: ut, 'Æneadasque meo nomen de nomine fingo.' Melius tamen est dativo uti. *Idem*.

*Cui nunc cognomen Iulo*] Si cognomen, an prænomen hic fûsus disputat Cerdæ. Gentilitii hujus nominis notatio petenda a tenera lanugine, quæ in genis adolescentium efflorescit. Plin. xvi. 29. Avellanæ tribuit 'iulos compactili callo, ad nihil utiles,' quos Virgilius appellat Ecl. II. 51. *lanuginem*, in malis quæ conspicitur præcipue cydoniis. De hoc nomine consulendus Onuph. Panvinus. *Emmenens*.

272 *Ilus erat*] Deest qui: debuit autem dicere qui *Ilus erat*. *Servius*.

*Ilus erat*] Nempe et ab Ilo Ilios dicta: de quo Hom. II. K. *βουλὰς βουλεύει θεῖον παρὰ σήματι Ἴλου*. Iλλου autem duplici λ meminit et Hom. II. T. *Ἴλος δ' αὖ τέκεθ' υἱὸν ἑμὲ μνησθαι*.

*palæstra* quod ibi vocabulum sæpius iteratur. *Germanus*.

[*Iliæ*] Pro Iliensibus, ut Plantas: 'Hector Ilius,' pro Iliensis. Et Amphitrino, 'Natus Argis ex Argo patre,' id est, Argivo. *Servius*.

[*Iliæ*] Sic Horat. Epod. 'Matres Iliæ;' et in Carm. seculari, 'Iliæ turmæ.' *Emmeness*.

273 *Triginta*] Quod xxx tantum annos regnavit. Vel quod Cato ait, 'xxx annis expletis enim Albam condidisse.' *Servius*.

[*Magnos orbis*] Tria sunt genera annorum: aut enim lunaris annus est xxx dierum; aut solstitialis, xii mensium: aut secundum Tullium magnus, qui tenet xii millia nongentos quinquaginta quatuor annos, ut in Hortensio, 'Et horum annorum, quos in Fastis habemus, magnus xii millia nongentos liv annos complectitur.' Hoc ergo loco *Magnum* dicit comparatione lunaris anni, qui est xxx dierum: ut alibi, 'Interea magnum Sol circumvolvitur annum.' *Annus* autem dictus, quasi annus, unde *annulus*, quod in se redeat; ut est, 'Atque in se sua per vestigia volvitur annus.' Vel ἀπὸ τοῦ ἀναρτῶσθαι, id est, ab innovatione. *Idem*.

[*Volucendis*] Volubilibus, vel quia volvuntur, ut supra. *Idem*.

[*Magnos volucendis mensibus orbis*] In codice Longobardico non *orbis*, sed *annos* scriptum inveni, quam puto fuisse paraphrasin. Nisi quis magnum annum Solarem velit appellare, Lunaris anni ratione habita: eaque de causa interjectum esse, *volucendis mensibus*, ut distinctio appareret: *orbis* tamen docti omnes, ut castiorem lectionem admittunt. *Pierius*.

[*Magnos volucendis mensibus orbis*] Ad hunc locum videndus Macrob. in Somn. Scip. II. 11. et Saturn. I. 14. ubi de anno Solari et Lunari; et annum a circuitu temporis putat dictum, quia veteres, an, pro, circum, ponere consueverunt. Græca magis

arridet etymologia. Ab ἔσρος Festus derivat: sed alii ἐναυρὸς ἀπὸ τοῦ ἐν ἀναρτῇ λέγειν: inde Homerus Iliad. B. 206. περὶ ποντίῳ ἐναυρὸς, quod idem noster expedit Ge. II. 402. 'Atque in se sua per vestigia volvitur annus.' Illic, quæ dicta, consulto. *Emmeness*.

274 *Ab sede Larini Transfretas*] Verum est: vitans enim novercalem invidiam, quod timore Ascanii Lavinia post Æneæ mortem ad Tyrum paternum pastorem, gravida confugit ad silvas (nam ibi etiam Silvium peperisse dicitur), deseruit Lavinium et Albam condidit: dictam ab omine porcæ albæ, vel prolixitate collis; ad quam cum de Lavinio Dii penates translati, nocte proxima Lavinium redissent, atque eos denuo Albam Ascanius transtulisset, et illi iterum redissent Lavinium, eos manere passus est, datis qui sacris præessent, agroque eis assignato, quo se alerent. *Servius*.

[*Regnumque ab sede Lavini*] *Ab sede* in Rom. Cod. scriptum testatur Pierius. Quæ lectio eruditis auribus non ingrata est. Hanc Stephanus secutus est: alii a sede, inter quos Scaliger, qui IV. 47. plus sonare a quam ab asserit. *Emmeness*.

275 *Vi*] Modo virtute τὴν δύναμιν, alibi τὴν βίαν, ut est, 'Auro vi potitur:' alias pro magna copia. Cicero in Deorum natura, 'Infinitamque vim marmoris.' Sallust. 'Magna vis hominum convenerat agris pulsa, aut civitate ejecta:' et est sermo diversa significans, pro ut se locus obtulerit. *Servius*.

[*Et longam multa vi munit Albam*] Variat numerus in his codicibus antiquis, quatuor ultimis pedibus solutis in hunc modum, *et longam vi multa munit Albam*. Sed enim tetrametri tome venustior est. *Pierius*.

[*Longam multa vi munit Albam*] Græcis λευκή μακρά. Conditor narratur fuisse Ascanius Æneæ et Creusæ filius, cui, hanc urbem excitanti, mira obstiterunt prodigia, penatibus

aliquoties Lavinium remigrantibus. Hæc accurate Dionys. Halicarn. i. 41. *Emnensis*.

276 *Hic jam*] In hoc scilicet loco: si autem *hinc jam*, præterea. *Servius*. *Tercentum*] Quomodo ccc annos dicit, cum eam quadringentis constet sub Albanis regibus regnasse? sed cum præscriptione hoc dicit: *tercentum* enim usque ad ortum urbis Romæ accipiamus: ait enim, 'Donec regina sacerdos Marte gravis.' Et constat in regno Romuli et Numæ, et Tulli Hostilii, qui evertit Albam, centum annos, quibus pariter Roma et Alba regnaverunt, esse consumptos. *Idem*.

*Hic jam tercentum*] Post triennium Æneæ, xxx Ascanio, et ccc Hectoris genti dantur. *Donatus*.

*Hic jam tercentum*] Huic subscribit Justinus XLIII. 1. 'Alba trecentenis annis caput regni fuit.' Stetit ultra quadringentos, ut ex Strabone l. v. et Arnob. l. ii. *Emnensis*.

*Totos*] Id est, sine fine, sine intermissione. *Servius*.

*Regnabitur*] Impersonalibus usus est, quia de multis dicit: ut, 'usque adeo turbatur agris.' *Idem*.

277 *Gente sub Hectorea*] Id est, Trojana. Sed quidam reprehendunt, quod *Hectorea* et non *Æneia*: mos est poetis nomina ex vicinis usurpare, quia conjunctus genere Hectori Ascanina, ut est, 'Et pater Æneas et avunculus excitat Hector.' Alii tradunt cum Hectoris progenies nulla in Italia fuerit, ideo *sub Hectorea* positum, ut significaret sub forti; ut in Quinto; 'Hectori socii.' Sed et aliis rebus alia dant nomina, ut pios Æneadas appellari, ut timidos Phrygæ, ut nobiles Dardanidas, ut perjurios Laomedontiadas. Cæterum ubi *regem* originem significat domus Asaraci ponit: ex quo Capys, ex Capy Anchises, ex Anchise Æneas. *Idem*.

*Donec regina sacerdos*] Historia hoc habet: Amalins et Numitor fratres

fuerunt, filii Proce. Amalins autem fratrem pepulit regem, et filium ejus necavit: filiam quoque ejus Iliam, Vestæ sacerdotem fecit, ut spes sobolis auferret, a qua se puniri posse cognoverat. Hæc cum peteret aquas ad sacra, repentino cursu lupi turbata, refugit in speluncam; in qua a Marte compressa est, unde nati sunt Remus et Romulus. Sed Amalins timens ne de stirpe fratris Numitoris aliquid procreatum adolevisset avam forsitan vindicaret, pueros cum matre præcipitari jussit in Tyberim: hanc, ut quidam dicunt, Iliam sibi Anien fecit uxorem: ut alii, inter quos Horatius, Tyberis, unde ait, 'Uxorius amnis.' Pueri vero expositi ad vicinam ripam delati sunt, ad quos vagientes lupa de vicinis montibus venit et ubera præstitit; sed cum eos Faustus pastor ejus loci animadvertisset nutriri a fera: et picum parvamque circumvolitare; suspicatus divinæ originis sobolem, ad Accam Laurentiam uxorem, quæ ante meretrix fuerat, pueros detulit, quæ susceptos aluit. Hi postea avam suam Numitore, occiso Amulio, revocarunt in regna: quibus dum cum alio angustum Albæ videretur imperium, recesserunt: et, captatis auguriis, urbem condiderunt. Sed Remus prior sex vultures vidit; Romus postea XII. quæ res bellum creavit, in quo extinctus est Remus, et a Romi nomine Romani appellati. Ut autem pro Romo, Romulus diceretur, blandimenti genere factum est, quod gaudet diminutione. Sed quod a lupa aliti dicuntur; fabulæ hoc ad celandam auctorum Romani generis turpitudinem fingunt: nec incongrue: nam meretrices lupos vocamus: unde et lupanaria. Et constat hoc animal in tutela esse Martis. Sed de origine et conditore urbis, diversa a diversis traduntur. Clinias refert Telemachi filiam Romen nomine, Æneæ nuptam fuisse, ex cujus vocabulo Romam ap-

pellatam. \*\*\* dicit Latinum ex Ulixæ et Circe editum de nomine sororis mæ mortuæ Romen civitatem appellasse. Attejus adserit Romam ante adventum Evandri diu Valentiam vocitatam. Sed post Græco nomine Romen vocitatam. Alii a filia Evandri ita dictam; alii a fatidica, quæ prædixisset Evandro, his eum locis oportere considerare. Heracides ait Romam nobilem captivam Trojanam hæc appellasse, et tædio maris suasisse sedem, ex cujus nomine urbem vocatam. Eratosthenes, Acacii Æneæ filii Romulum parentem urbis refert. Nævius et Ennius, Æneæ ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradant. Sibylla ita dicit, *Ῥωμαίων Ῥόμον κτίδεν Σέρвийς*.

*Regina]* Regis filia abusive dicit more poetico: ut alibi, 'Magnum reginæ sed enim miseratus amorem,' id est, regis filię Ariadaes. *Idem.*

*Regina]* Quæ quamvis geminos pariat: ad unum Romulum imperium perventurum ostendit, et parricidium occultat, et Romanos a Romo appellatum iri: qui tanta sint felicitate regnaturi, ut nullis alterorum regum terminis claudantur. *Donatus.*

*Sacerdos]* Quia ab Amulio Vestæ virgo esse iussa est, ne ei propter edendam sobolem facultas esset viro jungi. *Servius.*

*278 Marte gravis]* Gravidæ: ut, 'Non insueta graveis tentabunt pabula fætæ.' *Idem.*

*Ilia]* Hoc verum nomen esse, docuit jam pridem Nobiliss. Heinsius in notis ad Ovid. Fast. II. 383. Quæ apud Just. XLIII. 2. *Rhæa*. Ab aliis *Silvia*. Male ab Æliano VII. 16. *Septimæ* appellatur. *Emmeness.*

*279 Inde]* Post, vel deinde, vel tunc, adverbium loci pro temporis. *Servius.*

*Lupa nutricia]* Feram fuisse, credat Judæus Apella. Recte Ovid. Fast. II. 412. 'Venit ad expositos (mirum!) lupa fætæ Gemellos.' Quis credat pu-

eris non nocuisse feram? Prostibulum fuit, Faustuli, regii pastoris uxor, Laurentia dicta, et impuditiæ ergo male inter pastores audiens lupa appellata est. Inde *lupanar* pro stabulo meretricio. Pro hac stant sententia veterum optimi. Pro utraque quinam faciant, notavit Freinsheemius ad Flor. I. 1. *Emmeness.*

*Fulvo tegmine]* Id est, pelle lupæ; quæ utebatur more pastorum: sed hoc multi reprehendunt, cur nutricia tegmine usus sit, qui gemina ratione refutantur: vel falsitate fabulæ, vel exemplo Jovis, qui capræ nutricia utitur pelle: unde Græce *αἰγυλὸς* appellatur. Sane *tegmine* multi antiq. dictum asserunt, quia *tegumentum* dici debere affirmant. *Servius.*

*Lætus]* Virtute alacer: vel quia avo regnum reddiderat; vel quia ipse novam urbem et novum condebat imperium. *Idem.*

*280 Romulus]* Bene Romulum solum ait, dissimulans de parricidio. *Idem.*

*Excipiet gentem]* Remo scilicet interempto, post cujus mortem natam constat pestilentiam: unde consulta oracula dixerunt, placandos esse manes fratris extincti; ob quam rem ælla curulis cum sceptro et corona, et cæteris regni insignibus semper juxta sancientem aliquid Romulum ponebatur, ut pariter imperare videretur: unde est, 'Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt.' *Servius.*

*Romulus excipiet gentem]* Excipiet, ut quasi rursus excitet gentem Hec-toream, tunc pæne cadentem et deficientem, Numitore jam sene et orbe: quippe cujus filium Lansum Amulius interfecerat. *Corradus.*

*Muvortia c. Mænia Romanasque, &c.]* Perite, inquit Servius: Non ait *Romanam*, sed *Romanos*. Urbis enim illius verum, Nomen nemo vel in *Sacris* enunciare audebat. Hinc Trib. Pleb. Val. Soranus, quia hoc nomen ausus enunciare, cruci affixus est. Immo.

nec Hyginus quidem, cum de situ Urbis loqueretur, expressit. Hinc et *Angerona* (sive ut Scalig. scribit, *Angerona*) simulacrum Romæ cultum voluit, quod ore obligato, de Nomine Urbis silentium imperaret. Vide Plutarchum, Plin. xxviii. 2. et iii. 5. Brisson. in Formulæ Soll. l. i. etiam J. C. Scaligerum Poëtices v. 8. Nominis autem Romæ duplicem interpretationem aptam reddit D. Hieronymus, Advers. Jovin. l. ii. 'urbs (inquit) potens, urbs domina, urbs Apostoli voce laudata; interpretare vocabulum tuum. Roma aut Fortitudinis nomen apud Græcos est, aut Sublimitatis apud Ebræos.' Quibus, inquit Lipsius, addo ego tertiam, quam dederit lingua nostra: quia *Roem*, gloriæ et famæ nomen est Germanis. Quin, quod apud Orientales Indos *Rumes* appellantur milites boni et fortes, &c. Admirandorum i. 2. *Taub.*

281 *Romaneque suo de nomine*] Perite: non ait *Romam*, sed *Romanos*. Urbis enim illius verum nomen, nemo vel in sacris enuntiat. Denique tribunus plebis quidam Valerius Soranus, ut ait Varro et multi alii, quia hoc nomen ausus enuntiare, ut quidam dicunt, raptus a Senatu, et in crucem levatus est: ut alii, metu supplicii fugit, et in Sicilia comprehensus a Prætoribus, præcepto Senatus occisus est. Hoc autem urbis nomen, ne Hyginus quoque, quum de situ urbis loqueretur, expressit. *Servius*.

282 *Nec metas rerum, nec tempora pono*] *Metas*, ad terras retulit: *Tempora*, ad annos. Lavinio enim triennium, Albæ trecentos statuit, Romanis tribuit æternitatem, quia subjunxit 'Imperium sine fine dedi.' *Servius*.

*Hic ego nec metas rerum, nec tempora pono*] Sic Sil. Italicus l. vii. ubi de *Æneæ*, jactato undis, agit: 'Hic regna et nullæ regnis per secula metæ.' De auspiciatissimo hoc *Æneæ* posterorumque imperio est, quod vaticinatur noster *Æn.* iii. 97. 'Hic domus

*Æneæ* cunctis dominabitur oris, Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.' Quem locum deberi Homero, notum ex Macrob. v. 3. Qui Græciæ jugum imposuerit, Mummius plerisque videtur fuisse, de quo Flor. ii. 16. Turnebus tamen Paulum Æmilium intelligendum putat, x. 11. quia Thesalliam, Achillis patriam in Romanorum potestatem redegit. *Emmeness.*

283 *Quin*] Quinetiam. Minus enim est etiam. Nam plenum est, *quinetiam*: ut, 'Quinetiam hiberno moliris sidere classem.' *Servius*.

*Aspera Juno*] Vel quam tu *asperam* dicis, vel certe ut et ego fateor. Et tolerabilis hoc Jupiter dicit. *Idem*.

*Aspera Juno*] Aperte ponit, quod Venus, *unius ob iram*, dixit. Ergo tantam felicitatem pollicetur, ut acerrima inimica, posito odio, amica futura sit. *Donatus*.

*Quin aspera Juno*] Respondet illi, quod Venns oblique posnerat; *Unius ob iram Prodimur*. Innoemque Trojanis benignam fore pollicetur: quod et factum bello Punico Secundo. Al-lusum vero ad Proverb. *Cælum terra miscere*: vel *Mare calo*: de his, qui omnia tentant, ac perturbant, ut quod cupiant, perficiant. Ita *Æn.* vii. eadem Juno: 'Assumptæ in Teucros vires cælique marisque.' *Metu* autem, quia futurum Juno præsciebat, ut dilecta sibi Carthago a posteritate Trojana deleteretur. De quo supra, *Id metuens*, &c. *Taubmann*.

284 *Qua mare nunc terr. q. m. c. q. f.*] Metum scilicet, quem de Carthagine habet; ut supra, *Id metuens*: vel metu quo Trojanos ferret et *Venerem*. Nam dicit, *Parce metu Cytherea*. *Serv.* *Mare terras c. q. f.*] Alibi ostendit dicendo, 'Assumptæ in Teucros vires cælique marisque.' *Servius*.

*Qua mare nunc terrasque metu*] Vetera quædam exemplaria legunt, *Qua mare, qua terrasque metu*. Multi vulgatam lectionem magis approbant. *Pierius*.

[*Quæ mare nunc terrasque, &c.*] Imitatio Aristophanis in Equitib. 'Ομοῦ παράπτεον τε τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλατταν εἰς ἓ : Terram simul et mare frustra conturbans. Connumerat tria Poëta, mare, terras, cælum : infernos nondum, has enim furias hactenus intentatas reservat Poëta ad vii. *Cerda.*

[*Fatigat*] Pro exercet, sollicitat, commovet. *Servius.*

[*Fatigat*] Id est, commovet, perturbat, ut Non. Marc. c. 14. Sic Stat. Silv. l. v. 'Dum nocte dieque fatigas Numina.' Phædr. fab. iv. 19. 'cælum fatigas perjurio sordido.' Flor. i. 7. 'fatigare sævitiam.' Justinus vi. 2. 'fatigato rege per epistolas.' Non. Marc. *Emmeness.*

285 *Consilia in melius r.*] Εἰς τὸ κρείττον. Et est Latinior elocutio. Salust. 'Ad mutandum modo in melius servitium,' quia bello Punico secundo, ut ait Eunius, placata Juno cœperit favere Romanis. *Servius.*

[*Consilia in melius referet*] Facto comprobatum est. Testis est Sil. Ital. l. xii. cum Annibal extrema minaretur Romæ: 'quom Jupiter ægram Junonem alloquitur curis, mulcetque monendo,' &c. Paulo post: 'et pressa juvenis Saturnia dextra, Quo ruis o vecors?' &c. *Emmeness.*

[*Mecumque forebit*] Id est, eadem quæ ego sentiens, eadem quæ ego volens; vel ut quidam volunt, mecum in Capitolio constituta. *Servius.*

286 *Romanos rerum dominos*] Generosus numerus ex alternis trissyllabis; ad generositatem gentis Romanæ exprimendam, de industria conquisitus. Et usus fuit aliquando hoc versu indignabundus Augustus Cæsar in Conc. ad Populum Romanum. Et, *Dominus* nobile nomen est, ut apud Græcos *κύριος*. Martial. iii. 1. 'domina qui natus in urbe est.' xiv. 1. 'Synthesibus dum gaudet eques dominusque Senatus.' i. 4. 'nescis dominæ fastidia Romæ.' Bene autem dixit, *Gentem togatam*: quia et sexus

omnis et conditio (verbis Servii) toga utebatur: et feminas quidem togatas fuisse, docet etiam Asconius. Sed servi nec calobis, id est, tunicas manicis defectas, nec calceos habebant. Usque adeo vero *Toga* fuit Romanis propria (cen *Pallium* Græcis) ut qui Jure civitatis donarentur *Togati* esse inciperent. Per *Togam* siquidem Romanus civis indicabatur. Ita contra *deportatis*, et quibus Aqua et Igni interdictum erat, *Togam* fuisse ademptam, ex Plinio colligitur, Epist. l. rv. &c. De *Toga Rom.* ex professo tractavit Car. Sigonius De Judiciis, iii. 18. Porro de vestitu Romano, *Togæ* præsertim, quam albam fuisse, æque ac tunicam et calceos, docet copiose Lipsius Elect. i. 13. *Taubmann.*

[*Gentemque togatam*] Bene *gentem*, quia et sexus omnis et conditio toga utebatur: sed servi nec colobis, nec calceos habebant. Togas etiam feminas habuisse, cycladum et recinal usus ostendit. *Recinus* autem dicitur, quod post tergum rejicitur, quod vulgo *Macorte* dicunt. *Servius.*

[*Gentemque togatam*] Laberius etiam *gentem togatam*, et *stirpem togatam* vocat Romanos, citante Macrobio: et Propertius eleg. l. iv. dixit, *turba togata*, de Romana. Scripsere multi notas varias de Romana toga. De colore ejus docte Lipsius, Elect. l. i. 13. In Sigonio et Bayfio non pauca sunt, multa in Tertulliano lib. de Pall. *Cerda.*

287 *Sic placitum*] Vel fatis, vel mihi: nam impersonale est. *Servius.*

[*Sic placitum*] Vetustissimi quidam codices, *placitum est*, habent: quæ pars mihi videtur a Paraphraste adjecta: nam absque substantivo verbo hic oratio omnino gravior et augustinior quodammodo videtur. *Pier.*

[*Lustris*] Quinquenniis. Et bene Olympiadibus computat tempora; quod magis ad Jovem pertinet; quia nondum erant vel Roma, vel consules. *Lustrum* autem dictum, quod post



quinquennium unaquæque civitas lustrabatur. Unde Romæ *ambitulum*, quod non licebat, nisi ambos Censores post quinquennium lustrare civitatem. *Servius*.

*Lustris*] Non quinque annos integros complectitur lustrum, sed quadriennium notat exactam et quintum annum auspicatum. Idem continet spatium quod Græcorum Olympias Solin. c. 2. perspicuum hoc ex Plinio II. 47. 'Omnium quidem (si libeat observare mininos ambitus) redire eadem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modo, verum et reliquarum tempestatum magna ex parte. Et est principium lustris ejus semper intercalari anno Caniculæ ortu.' Illustrat hanc sententiam Censorinus de die Nat. c. 18. vide etiam Scalig. de emendat. temp. l. v. nec obstat quod Festus *quinquennale tempus* appellet. Annus inceptus pro completo non raro sumitur. Poëtis tamen quinquennium aliquando significare nemo ibit inficias. Quod ex Ovid. 'In Scythia nobis quinquennis Olympias acta,' &c. Sic obsessam fuisse per *duo lustra*, id est, decennium Trojam: et similia sexcenta. *Emmeness*.

*Ætas*] Juxta veteres *ætas*, hic pro tempore posita est; alibi pro modo annorum; ut, 'Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit ætas:' et 'Ætas Lucinam justosque pati hymenæos.' *Servius*.

288 *Domus Assaraci*] Trojani, id est, familia Trojana: id est, a parte totum. Nam Assaracus Capyn genuit, Capys Anchisem: unde Æneas auctor Romani generis: ex quibus Mummius qui Achajam vicit. *Idem*.

*Cum domus Assaraci*] Extremus cumulus lætitiæ, ut qui ad tempus victores erant, iis, quos vicerant, servituri essent: quod plus est, quam Antenorem inter victores populos concessisse: et per medios Achivos prolapsus esse. Verum quia hæc in honorem Cæsaris scribebat, aperuit,

quod in posterioribus fuisset scripturus, nisi mors prævenisset. Nam post mortem Turni sequebantur triginta ac tercentum annorum gesta, ac deinceps usque ad Cæsaris tempora facta. Et Cæsarem ita amplificatrum Romanum imperium, ut nihil relinqueret, quod non se ab illo subactum fateretur. *Donatus*.

*Phthiam*] Achillis patriam: ut, 'ipse Mycenæus magnorum ductor Achivum.' *Servius*.

*Mycenas*] Agamemnonis patriam, ut, 'Agamemnoniasque Mycenæ.' *Idem*.

*Phthiam clarasque Mycenæ*] Signate dicit *Phthiam clarasque Mycenæ*: propter duos Græcorum Principes, Trojanisque præter cæteros infestos, Achillem et Agamemnonem: quorum ille *Phthius*, hic *Mycenæus* fuit. Sed per has duas Urbes tota Græcia intelligitur subigeada. Id autem *Servius* de Mummiō victore Achajæ interpretatur: Turnebus de Paulo Æmilio x. 11. Nascimbænius vero de Tib. Nerone, et Druso August. Cæsaris privigno, qui totam Græciam (ut Florus l. cxxxvi. testatur) domerint: ut ita magis blanditus Augusto videatur Poëta. *Taubmann*.

289 *Ac victis dominabitur Argis*] In antiquis aliquot exemplaribus *cunctis*, pro *victis* est: quod mihi ridiculum videtur. *Pierius*.

*Ac*] Notat J. C. Scalig. Poët. iv. 16. conjunctionem *ac* magniloquentiæ accommodari. *Taubmann*.

290 *Nascetur*] Ad illud respondet, *Certe hinc Romanos*. Et omnis poëtæ intentio, ut in qualitate carminis diximus, ad laudem tendit Augusti: sicut et in Sexti catalogo, et in clypei descriptione. Hæc autem Jovis allocutio, partim objecta purgat; partim aliqua pollicetur. *Servius*.

*Pulchra*] Allusit propter Venerem. *Idem*.

*Pulchra*] Optima et honesta, ut non corporis sit, sed originis. *Donatus*.

*Pulchra*] Retuli ad Venerem, nec muto. Victorinus explicat, *pulchra, id est, forti*: nam in distorta membra virtus non cadit. Ita Suetonius de Augusto: 'forma eximia, et per omnes gradus venustissima, vultu tranquillo, oculis clavis, et nitidis.' et Florus de Pseudo-Philippo: 'regiam formam et regium nomen animo regio implevit.' Sed locum hunc communem ego alibi. *Cerda*.

*Trojanus*] Ac si diceret, etiam Cæsar Trojanus est. *Servius*.

*Cæsar*] Hic est, qui dicitur Cajus Julius Cæsar: et Cajus prænomen est, Julius ab Iulo: *Cæsar*, vel quod, cæso matris ventre, natus est, vel quod avus ejus in Africa manu propria occidit elephantem, qui *Cæsar* dicitur Pænorum lingua. Hic sane Cajus Julius Cæsar, quatuor et sexaginta victis Galliarum civitatibus, cum a Senatu petisset Consulatum et triumphum, nec impetrasset, adversante Cn. Pompejo Magno ejusque amicis, qui Cæsaris processibus invidabant, bellum civile gessit in Farsalia: quo Pompejus victus Alexandria occiditur. Cæsar, Romam compositis rebus, et Alexandria debellata, reversus, in Curia Pompejana a Cassio et Bruto, aliisque Pompejanis occisus est. Cujus heres Augustus, cum intrasset urbem, coëgit a Senatu interfectores Cæsaris, parricidas et hostes judicari, eumque in Deorum numerum referri, et *Divum* appellari. *Idem*.

291 *Imperium Oceano, famam qui terminet astris*] Aut ad laudem dictum est, aut certe est secundum historiam. Re vera enim et Britannos qui in Oceano sunt, vicit: et post mortem ejus, cum ludi funebres ab Augusto, ejus adoptivo filio, darentur, ejus stella medio die visa est: unde est, 'Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.' *Idem*.

*Imperium Oceano*] Cum hoc loco componit Gifanius illum Livii l. xxxvi. 'Quid deinde aberit, quin a Gadibus Delph. et Var. Clas.

ad mare rubrum Oceano fines terminemus, qui Orbem terrarum amplexa finit?' *Tautmann*.

*Famam qui terminet astris*] Il. H. τοῦδ' ἥτοι κλέος ἵσταται ἔσσαν' ἐκκλιθεὶς ἥος. *Germanus*.

292 *A magno*] Sicut Alexander, sicut Pompejus. Græci enim omne magnificentum *Magnum*, ut, *Mater magna*, et *Dii magni*. *Servius*.

*Julius*] Cæsar trahens nomen demissum, in tantum autem domitorum omnes gentes, ut existentibus triumphis ejus, pax dehinc et fides perpetua permaneat. *Domatus*.

*Julius*] Turnebus hoc refert ad Augustum, non ad Julium Cæsarem. Firmari posset hæc pars his, quæ ego adduco Ge. l. II. de Augusto, qui dictus est Julius. Sed hic tamen volo accipi Julium Cæsarem, nullatenus Augustum. Cæterum sententiam Poëtae derivantis ab Iulo Julium illustrat locus Dionysii Antiq. l. i. iste: 'Iulo pro regno sacra quædam potestas, et honor attributus est, qui regis dignitate præstantior est. Hoc honore vel ad meum usque tempus ipsius progenies fruebatur, quæ ab illius nomine gens *Julia* vocatur. Hæc familia omnium, quas scimus, maxima et illustrissima fuit. Tulit enim duces longe præstantissimos, qui virtutibus nobilitatem suam omnibus probarunt.' Et Velleius libro altero, ita ait: 'Hic (*processit Cæsar*) nobilissima Iuliorum genitus familia, et quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus.' Appianus quoque l. II. ἡμῶν. loquens de Julio Cæsare: θυόμενός τε νικητὴς μέσση, τὸν Ἀρῇ κατακτείνει, καὶ τὴν ταυτοῦ πρόγονον Ἀφροδίτην. ἐκ γὰρ Αἰακίου καὶ Ἰούλου τοῦ Αἰακίου τὸ τῶν Ἰουδαίων γένος, παρενεχθέντος τοῦ δυνάματος ἡγήσθη εἶναι: Nocte medius sacrificans Martem et Venerem invocavit. Ex Ænea quippe et Iulo ejus filio Iuliorum genus, ut ex nomine insucri licet, videtur emanasse: et ad finem ejusdem libri loquens de Iu-

lio, 'Ο δὲ ἀνὴρ Ἀρχέλου τε καὶ Ἀποδότης.  
*Cerda.*

*Iulo*] An hic sit Iulus ille, qui susceptus est Æneæ ex Crensa, Troja incolumi, an ex Lavinia in Italia, multi dubitant. Titius l. vi. locorum in posteriorem inclinat sententiam, adductis Livii, et Clementis locis. Sed certe Poëta semper illum canit qui ex Crensa, neque agnoscit alium. *Id.*

*Julius a magno d. nomen Iulo*] De Augusto, quam de Julio Cæsare Dictatore accipere mavult Turnebus x. 11.: præsertim cum sequatur: *Hunc tu olim, &c.* Quod si historiae fidem habemus, Julio non potest convenire, Augusto potest. Interpretes tamen plerique omnes contra sentiunt. Notetur autem, quod cum plures victorias Cæsar adeptus sit, Juppiter illius tantum meminit, quam in Oriente victo Pharnace, Mithridatis filio, gloriosissime reportavit. *Taubmann.*

293 *Olim*] Modo futuri est temporis. *Cælo*] In cœlum. *Servius.*

*Olim*] Posthac, ut in Horatii sat. ii. 5. 'Magna minorve foro si res certabitur olim.' *Emmeness.*

*Spoliis orientis*] Victo Pharnace, Mithridatis filio, qui re vera fuit in oriente. Cæterum Ægyptus, in qua Ptolemæum vicit, in australi est plaga. *Servius.*

*Onustum*] Inter *honustum* et *oneratum* hoc interest; quod *oneratus* est qualicunque pressus pondere: *honustus* vero cui onus ipsum honori est, ut si quis spolia hostium ferat. Sed *oneratus* aspirationem non habet, quia ab onero venit: *honustus* vero quia ab honore venit, retinet aspirationem. Alii *honestum* legunt. Veteres enim *honestum* pro specioso ponebant; ut, 'Dardanius caput ecce puer detectus honestum.' *Idem.*

294 *Accipies securu*] Quare *secura*? aut quia nunc sollicita; aut quia Cæsar post mortem meruit aram, fastigium, flaminem, ut Cicero in Philippicis. *Idem.*

*Accipies securu*] Quia post mortem Cæsar meruit aram sive pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem: ut ait Cicero, Philipp. ii. sub finem. Vide et Sueton. et Plutarch. *Taubmann.*

*Hic quoque*] Potest intelligi sicut ego, sicut tu, sicut Romulus: sed melius sicut Æneas, de quo superius ait, 'Sublimemque feres ad sidera cœli Magnanimum Æneam.' *Servius.*

*Quoque*] Semper ad similitudinem ponitur: ut, 'Tu quoque litoribus nostris.' *Idem.*

*Votis*] Vel ad vota, vel, votis vocabitur. *Idem.*

*Vocabitur hic quoque votis*] Suetonius in Julio c. 25. 'Plebs Romana solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque, PARENTI PATRIÆ. Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam, interposito per Cæsarem iurejurando, distrahere perseveravit.' Cicero quoque in Philipp. et Plutarchus, divinitatis Cæsaris meminere. Verba ipsa continent formam Latii. Nam *votis vocare* pro formula divinitatis habitum in eo populo. Ita in Georg. 'et votis jam nunc assuesce vocari.' Huc allusum a Propertio, etiamsi in re alia, el. i. 10. 'o quoties votis illa vocanda meis.' et ab Horatio od. iv. 5. 'Votis omnibus, et precibus vocat.' *Cerda.*

295 *Aspera tum*] Id est, Cæsare consecrato, quum Augustus regnare cœperit, clauso Jani templo, pax erit per orbem. Constat autem templum hoc ter esse clausum. Primum regnante Numa: item, post bellum Punicum secundum: tertio post bella Actiaca, quæ confecit Augustus; quo tempore pax quidem fuit, quantum ad exterius pertinet gentes: sed bella flagraverunt civilia, quod et ipse per transitum tangit; dicens, *Furor impius intus.* Hujus autem aperiendi vel claudendi templi ratio varia est: alii dicunt, Romulo contra Sabinos pugnante, quum in eo esset, ut vince-

retur, calidam aquam ex eodem loco erupisse, quæ fugavit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, ut pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat constitutum, ad spem pristini auxilii. Alii dicunt Tatium et Romulum, facto fœdere, hoc templum ædificasse; unde et Janus ipse duas facies habet, quasi ostendat duorum regum coalitionem: vel quod ad bellum ituri debent de pace cogitare. Est alia melior ratio, quod ad prælium ituri, optent reversionem. *Servius.*

296 *Canis Fides et Vesta*] Sabandi, erit. *Canem* autem *fidem* dixit, vel quod in canis hominibus invenitur: vel quod ei, albo panno involuta manu, sacrificabatur, per quod ostenditur fidem debere esse secretam: unde Horatius, 'Et albo rara fides colitur velata panno.' Vestam vero Religionem: quia nullum sacrificium sine igne est, ut et ipsa, 'et Janus in omnibus sacrificiis invocantur. *Idem.*

*Canis Fides*] Quod alba lana involutis manibus coleretur. Sunt et qui hoc Fidei epitheton referant ad vetustatem templi a Numa Romæ primo cœditi et consecrati Fidei: qui item collegium Vestalium instituit; ut non abs re poëta Fidem cum Vesta conjunxerit. Vide Plutarch. in Numa. *Germanus.*

*Vesta*] Dicta vel *ἀνὰ τῆς ἱερίας*: ut digammos sit adjecta: sicut *er, ver: cæctus, Venetus*: vel quod variis vestita sit rebus. Ipsa enim esse dicitur terra, quam ignem habere non dubium est: ut ex Ætna, Vulcanoque et aliis locis ardentibus, datur intelligi. *Servius.*

*Remo cum fratre Quirinus jura dabat*] Hic dissimulat de parricidio, quod et jungit eos, et quia non Romulum, sed Quirinum appellat, ut non potuerit parricidium facere, qui meruit Deus fieri: an sicut multi intelligere volunt, ut superius dictum

est, quia post pestilentiam ad placandos fratris manes, geminis omnibus usus est Romulus: unde ait, 'Jura dabunt,' et 'Viden' ut geminæ stent vertice cristæ? Sed hoc esse non potest, quia aut iteratio est antedictorum, aut ordo præposternus, si post dictum Cæsarem, Romulum repetit. Constat præterea Jani templum sit non fuit,\* si tamen fuerit, patuisse sub Romulo: quia bellis nunquam vacavit. Alii volent per hoc Romanos intelligi. Verumtamen hoc habet ratio; Quirinum Augustum esse, Remum vero pro Agrippa positum, qui filiam Augusti, duxit uxorem: et cum eo pariter bellam tractavit: unde est, 'Parte alia diis et ventis Agrippa secundis.' Nam adulans populus Romanus Octaviano, tria ei obtulit nomina: utrum vellet Quirinus, an Cæsar, an Augustus vocari. Ille ne unum eligendo partem læderet, quæ aliud offerre cupiebat, diverso tempore omnibus usus est. Et primo Quirinus dictus est, inde Cæsar, postea quod et obtinuit Augustus, sicut Suetonius probat: et in Georgicis ostendit Virgilius. Nam cum de Gangaridum victoria diceret, qui juxta Gangem sunt, quique ab Augusto victi sunt: ait, 'Victorisque arma Quirini.' Ut autem pro Agrippa Remum poneret, poetico usus est more: nam nomen ex vicino sumsit. Hoc ergo dicit: cum cœperit Julius Cæsar cælum tenere, patratibus omnibus bellis, jura dabunt Augustus et Agrippa. Romulus autem Quirinus ideo dictus, vel quod hasta utebatur, quæ Sabinorum lingua *curis* dicitur; hasta enim, id est, *curis*, telum est cum longiore ferro: unde et *securis* quasi *semicuris*: vel a *kolparos*, qui Græce rex dicitur. Constat autem Græcos fuisse Romanos, vel certe propter generis nobilitatem. Mars enim cum sævit, *Grædicus* dicitur: cum tranquillus est

*Quirinus*. Denique in urbe duo ejus templa sunt: unum Quirini intra urbem, quasi custodia et tranquillū: aliud in Appia via extra urbem prope portam, quasi bellatoris vel Gradivi. *Idem*.

297 *Jura dabunt*] Id est, leges Romani perdurabunt. Et denique cessura omnia mala, felicitate Cæsaris dixit, furorem scilicet et bellandi necessitatem. *Donatus*.

*Dira*] Cum aperte sunt, hoc est abominandæ: alias *Dira*, magnus. 'an sua cuique Deus fit dira cupido.' Et, 'Jam tunc religio pavidos terrebat agrestes Dira loci.' Et, 'Dicuntur geminæ pestes cognomine, Dira.' *Serv.*

*Compagibus*] *Ambages* et *compages* antiqui tantum dicebant: posteritas admisit ut dicatur etiam *compago*: sed non quia varius esse potest nominativus, debet etiam declinatio nasci: quomodo nec in istis nominibus, *arbor arbos*, *vomer vomis*? nam et *vomeris* et *arboris* tantum facit. Ergo *compages compagis*, quoniam *compago* usurpatum est: *compaginis* autem nemo penitus dicit. *Idem*.

*Compagibus arctis*] In veteribus pene omnibus codicibus, non Virgilianis tantum, sed aliorum etiam auctorum, plerumque invenias *arctis* adjectivum nomen absque *c* scribi. Sane vero Valerius Probus, *Arctus* pro *angusto*, et *arctus* pro *membris sola* internoscit declinatione. Juniores tamen in altoro, *c* additum volvere, ut apparet originatione ab *arcendo*. *Pierius*.

298 *Belli portas*] Jani gemini, quia bello aperiebantur, pace clauderentur. Ideo autem Janus belli tempore patebat, ut ejusdem conspectus per bellum putaret, in cuius potestate esset exitus, reditusque; id enim ipsa significat ejus effigies præsentia secumtibus et redeuntibus docere. Hunc autem olim Numa Pompilius fecit, cuius portas regni tempore clausit. *Servius*.

*Claudentur belli portas*] Plutarch. in

Numa: *Ἰονί δὲ καὶ αὐτοῦ κατὰ τὸ βῆμα διέσπρος, ἐν πολλέμῳ πύλην κλειῖναι. Germanus*.

*Claudentur belli portas*] An semel autem clauserit Jani portas, fusius disputat Cerda, et Casanb. ad Suet. in Aug. c. 22. et *belli portas claudere* idem est quod *Janum Quirinum, Janum Geminum claudere*, apud Suet. dicto loco et in Ner. c. 14. Horatius od. 17. 15. in laudibus Augusti: 'vacuum duellis Janum Quirini clausit.' et Sat. 1. 4. 'Non, ut si selvas, Postquam discordia tetra Belli ferratos posteis, portasque refregit.' Alia dicit et Stat. Thebaid. l. v. 'ubi acina Indulget pater, et sævi movet ostita belli.' *Homerus* appellat *ὄστρα πολλέμῳ ἀμάρτυρος* Iliad. T. 913. Hunc Maronis locum interpretatur Turneb. v. 3. cur pateant tempore belli, unde *Janus* dicitur *Patulcius*; quare clauduntur pace, unde *Clusivus*. A Sabini profectum, narrat Macrobius Saturn. 1. 9. et Liv. 1. 19. *Emmenes*.

*Furor impius intus*] Ut superius diximus, propter bella civilia, quæ gesta sunt contra Brutum et Cassium ab Augusto in Philippicis: contra Sextum Pompejum in Sicilia: aut sicut quidam tradunt, *Furor impius intus*, non in sede Jani, sed in alia. In foro Augusti introeuntibus ad sinistram fuit bellum pictum et furor sedens super arma devinctus eo habitū, quo posita dicit. *Servius*.

*Furor impius intus*] *Pathos* ab imagine facta, ut moveat *delectatio*, quæ gravior quidam affirmatio est, et pars epitogi fore propria, ad concitandos affectus, et eadem in dicendo faciendum accommodata. *Turneb.* x. 12. Videtur, inquit, hia versibus Maro adumbrasse Belli imaginem, ab Apelle pictam, restricta a tergo manibus, Alexandro in curru triumphante: quam tabulam Augustus in senatu dicavit. De quo *Plinius* xxix. 10. *Germ.* Valens alium putat ad *sternum* lacrum a *Pausania* memoratum, Mar-

tis in Sparta victi, et catenis hinc inde constricti, manibusque et spoliis insidentis; eo symbolo innuente, ne Lacedæmone cederet, aut ad hostes transfugeret. Contrario autem modo extulit Propert. el. sat. 3. 'Et subter captos arma sedere duces.' Porro, uti Furor hic victus; ita vinculis solatus elegantissime describitur a Petronio. Notetur autem quanta asperitate verborum litterarumque rem asperam Poeta expresserit: quam item pathetice, abrupto epilogâ, narrationem concluderit. *Thibullus.*

290 *Sicca sedens super arma*] Secundum antiquam licentiam. Sciendum tamen hodie *In*, et *Sub*, tantum communes esse prepositiones: cæterum *Super* et *Subter* jam accusativæ sunt, sicut *Cum* et *Post*, quæ antea communes fuerunt: nunc in his mutata natura est. Ergo *super* pro *supra*, et nunc hæc præpositio accusativo servit, ubi vero de significat, ablativo. *Servius.*

*Æneis nodis*] Non centum nodis, sed catenis, quas circumlocutione significavit; quia sunt catenæ nodi plures. Quidam *Æneis* pro ferreis tradunt, ut *Æn. vii.* 'micat æreus ensis:' et *Æn. v.* 'Ærea quem obliquum rota transiit.' *Servius.*

*Vinctus æneis Post tergum nodis*] Sic et *Epigr. Græc.* χαλκῆς σφραγίδος ἀκροτέρεῳ unde et *σφραγίδος*, et *σφραγίδος* ἀνέγκω. *Propert. l. iii.* 'Vinctus eram versus in mea terga manus.' Græca autem et ipse forma *Maro l. ii.* 'Ecce manus juvenem interea post terga revinctum.' *Germ.*

300 *Fremet horridus ore cruento*] Figuram hic *δυσφωνίας* notant docti, schemata gratiam et magnificentiam poemati concilians, quale est illud apud *Hæm. Alas δ' ὁ μέγας αἰὼν ἐπ' ἔκτρος χαλασσορροπῆς.* *Germanus.*

301 *Et Maja genitum*] Mercurium. Et est *Periphrasis.* Cicero in libro de *decorum* natura, plures esse dicit

*Mercurios*: sed in decorum ratione, fabulæ sequenda sunt; nam veritas ignoratur. Similiter alius poeta, quia per caduceatores, id est, intercessionem, pax solet fieri: vel quod Deo opus erat: ut hostes *Pæni* auctores *Romani* nominis placarentur *Æneas.* Quidam sane quatuor *Mercurios* dicunt: unum *Jovis* et *Majæ* filium: alterum *Cæli* et *Dicæ*: tertium *Liberi* et *Proserpinæ*: quartum *Cyllenæ*, a quo *Argus* occisus est, quem ipsum ob hanc causam *Græcia* profugum, *Ægyptiis* literas demonstrare perhibent. *Servius.*

*Hæc ait, et Maja*] *Exposita* futurorum promissione, provideri securitas debuit, ne naufragi in terris alienis, et in quibus inimica regnabat *Juno*, aliquam violentiam paterentur. Procurator autem *Trojanis* securitas per duos; quorum alter affinis est. Nam *Maja*, *Mercurii* mater, *Trojanorum* generi nectebatur. Debit ergo ad effectus implendos, talis mitti persona, quæ præceptorum auctoritate, duplici ratione deducta, celerius maturaret, alarum juvante subsidio. *Donatus.*

*Maja genitum*] Id est, *Mercurium*: 'Vobis *Mercurius* pater est, quem candida *Maja* *Cyllenæ* gelido conceptum vertice fudit. At *Majam* (auditis si quicquam credimus) *Atlas*, Idem *Atlas* generat, cæli qui sidera tollit.' Unde *Martianus* *Capella* in nuptiis *Philologiæ* et *Mercurii*, *Majugenam* vocabulum composuit. *Erythræus.*

*Maja genitum*] Pro eo *Maja natum.* *Horat. Sat. ii. 6.* tertium oportet esse ex quinque *Mercuriis*, quorum meminit *Cicero* de *Nat. Deor. c. 22.* *Emmeness.*

*Et Maja genitum demittit ab alto, Ut terræ, utque novæ*] In Romano codice, *Maja* legitur: quare nonnulli *Genatum*, non *Genitum* legere volebant: eam ego lectionem nusquam in antiquis codicibus observavi. *Di-*

*mittit* vero per *di* fere passim: quod verbum est nuntios delegantium, ut ibi, 'Equidem per litora certos Dimittam.' In quo forte diligentiam interpretum desideres, qui *di* vacare dicunt. *Pierius*.

302 *Ut terræ*] Propter illud, quod sequitur, 'Hospitio prohibemur arcæ.' *Servius*.

*Novæ*] Quia novitas regni cuncta habet suspecta: ut ipse, 'Res dura et regni novitas, me talia cogunt moliri.' Vel lege: ut terræ Carthaginis, et novitas ædificiorum pateat Teucris. Solus autem Juppiter ministro Mercurio potuit præstare, ut inimicos suos Carthago susciperet. Sed quia omnia cum celeritate erant agenda, quam brevi sermone est amplexus. *Terras* autem dixit, ne in regionibus Carthaginis, aut in litoribus a gentibus vexarentur. *Donatus*.

*Novæ*] Allusum ad etymon. Nam lingua Phœnicum *Carthago* sonat civitatem novam: auctor Solinus c. 40. idem observat ex Livio Servius. Stephanus etiam novam civitatem interpretatur, etiamsi ducat a *Carchedone* Phœnice homine. Scias (*ἐκ παλαιοῦ*) Carthaginem novam Hispaniæ, quæ a copia sparti, dicta Græcis *σπαρταγήνη*, non dictam novam, cum respectu ad Africanam, ut aliqui etiam ex nostris Scriptoribus; sed respectu alterius Carthaginis, quæ etiam in Hispania, quam condiderat Asdrubal: novam quippe Amilcar condidit. Vide Joan. Marianam II. 8. de Rebus Hispaniæ, et Abrahamum in Indice, ubi adjungit auctores. Novam Urbem *καινήν, νεόκτιστον, νεοπόλιν*, *νεογῆν, νεοκατάστατον* vocant Græci. Vide Pollucem IX. 4. Urbis hujus civem *νεοπολίτην*. *Cerda*.

*Pateant*] Propter illud, 'Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.' *Servius*.

*Pateant arces*] Propter illud, 'Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.' Bene Servius admonet verbo

*pateant* innui habitum et formam pacis: hac enim regnante, omnia patient. Vide *Æn.* II. ad illud *Panduntur portæ*. Vide vero (apparet quippe in minimis diligentia Poëtæ) uti voces contrarias conjunxerit *pateant arces*. Dictæ sunt *arces* ab arcendo. Pateant ergo arces; neque arceant: inde postea, *finibus arceret*. *Cerda*.

303 *Hospitio*] Ad hospitium. Nonnulli sane *pateant*, pacatæ sint accipiunt: ut Sallust. 'Simul immanis hominum vis multis e locis, invasere patentes tum, et pacis modo effusas.' Hic enim habitus pacis; et in Catilina, 'Cuncta maria terræque patebant.' Sic enim contra, cum dicitur, *Clausa omnia*; bellum significatur: ut ipse, 'Quæ mœnia clausis Ferrum acuant portis.' *Servius*.

*Ne fati neacia Dido*] Non sui, nam si sciret exitum suum, multo magis vetaret: sed *Fati* dixit, voluntatis Jovis. ut est, 'Fatis Junonis iniquæ.' Aut certe fati Trojanorum, qui non sponte, sed necessario ad Africam venerant: quod utique ignorabat Dido. Illo enim tempore invadendarum terrarum causa fuerat navigatio, ut Sallustius meminit: facili tum mutatione sedium: quod etiam excusant Trojani, 'Non nos aut ferro Libycos populare penates Venimus.' Ergo hoc agitur, ut discat Dido eos ad Italiam tendere. Quomodo ergo se jungit *Æneæ*? sed furoris illud est, non consilii. Nam nec sacerdotibus hæc dicentibus credidit. Unde est, 'Quid vota furentem, Quid delubra juvant?' *Idem*.

304 *Volat ille per aëra*] Similis hic festinatio Mercurii est, ut supra Neptuni. In quarto, *Et taleria nectit, Et virgam capit*, et plus moratur. *Idem*.

*Volat ille per aëra magnum*] In codice Mediceo, *per æthera* legitur: sed *aëra*, magis receptum. *Pierius*.

*Volat ille*] Notetur numerorum celeritas. Quippe in obeundis legationibus laudatur maturitas. Aut etiam

Planetæ velocitatis rationem habuit.  
*Taubmann.*

*Ætra magnam*] Homer. Odyss. ix.  
*ἄτρα βαθείαν* dixit. *Hartung.*

305 *Remigio alarum*] Translatio reciprocā, nam alibi, 'velorum pandimus alas.' *Servius.*

*Remigio alarum*] Aliter enim volare non potuisset. *Donatus.*

*Cito*] Pro *cito*, adverbium temporis, in nomen deflexum. Et bene hoc de Mercurio. Cum enim alia signa tarde ad ortus suos recurrant, Mercurius decimo octavo die in ortu suo invenitur. *Servius.*

306 *Et jam jussa*] Fructum executionis impletæ posuit. *Donatus.*

*Ponunt ferocia corda*] Natura ferox in lenitatem mutatur. *Idem.*

*Ferocia*] Nam Afri, *genus intractabile bello*. *Cerda.*

*Pani*] *Ἀρρίστοιχος* est, quasi Phœni. *Servius.*

307 *Volente Deo*] Mercurio, vel Jove. *Servius.*

*Volente Deo*] Nam nisi dei, id est, Jovis vel Mercurii jussus intercessisset, natura ferox inmutari non potuisset. Et quia reginæ partes in secundo loco posuit, correxit dicendo, *In primis*. Nam ipsa fuit lenienda, quæ vel incitare illos posset, vel violentiam comprimere. Et quoniam fieri non poterat, ut eodem temporis puncto ferocitatem ponerent, et amarent, libravit verba, et non dixit *amant*, sed *ponunt corda ferocia*. *Donatus.*

*Volente Deo*] Est hoc, quod Græci sæpiissime dicunt, *ὄν θεός*: frigidi sunt Grammatici in fingendis ablativis, quos et ipsi dicunt absolutos. Evertent hic illos, nisi hoc jam alii ante fecissent. Mutationem hanc Pœnorum, ab Mercurio factam, derivant interpretes ad vim eloquentiæ, cujus præses Mercurius. *Cerda.*

*Volente Deo*] De hac boni omnis formula Scott. nod. Cicer. II. 14. Mercurium Punicæ genti præesse dicere ex Scalig. III. 25. *Emmencss.*

*In primis*] *Præcipue*. *Servius.*

308 *In Teucros*] Pro in Teucris: alibi in Teucros, adversum Teucros: ut, 'Absumptæ in Teucros vires.' *Servius.*

*Mentemque benignam*] Eurip. *εὐμενῇ γνώμῃ ἔχειν* dixit, et Orpheus, *εὐμενὲς ἦτορ*. Quid si Poëta habuit ante oculos locum Aristophanis in Vespis hunc? *Παῖδόν τ' αἰτοῦ τοῦτ' ἃ λαν στρυφνὸν καὶ πρίνων ἦθος, Ἀπ'τὶ σιπάλου, μέλτος σμικρὸν τῷ θυμῷ παραμῖξας, Ἥδη δ' εἶναι τοῖς ἀσθρότοις ἦτιον αὐτόν*: *Fac deinat istos iliceos mores, duos, et acerbos, Mellisque parum vice defrati in hujus miscens injice pectus, Accipiatque erga homines mitem animum, atque benignum*. Adduxi interpretationem Floren. Christian. Robortellus Annotat. I. 19. per *mentem benignam*, accipit, pronam propensamque ad beneficia: nam *benignitas* sæpe ad beneficia, et liberalitatem refertur. *Cerda.*

309 *At pius Æneas*] Filium Æneas sacrorum omnium docetur, ex cujus persona latenter, quæ ad ceremonias veteres pertinent, sæpe monstrantur. Hic ergo Deus, apicis, quod insigne flaminum fuit, de quo loco suo in quarto libro dictum est. Vult ostendere igitur flamini extra medium pomerium post Solis occasum apicem ponere non licere. Æneas ergo hic ad Carthaginiis litus adpulsus, ostenditur sine apice fuisse, id est, nudo capite. Nam cum ait, 'At pius Æneas per noctem plurima volvens, Ut primum,' &c. manifeste longius ab urbe intelligitur; unde animadvertendum est, extra pomerium fuisse. Nam in subsequentibus ostenditur, enim extra pomerium fuisse, cum ait Venus, 'Et qua te ducit via dirige gressum:' nam et augurium ei in finibus pomerii ostensum est, quod et ipsum Æneam respondentem signatus declarat sine apice fuisse, timentem enim ne piaculum incurreret, si cum Solis occasu nudo capite, id est, sine apice, inve-



niret, ita loquentem fecit; 'Et vacet annales nostrorum audire la-  
berum, Ante diem clauso componet  
vester Olympo,' verebatur enim  
Solis occasum. Nudo autem capite  
ibi fuisse ostenditur; ubi ait, 'Res-  
titit Æneas claraque in luce refecit.  
Os humerosque deo similis. namque  
ipsa decoram caesariem,' &c. Neque  
enim *Caesariem* dicere debuisset, nisi  
quia nudo capite incedebat Æneas.  
Sed hæc Virgilio, et his similia suffi-  
cient ad indicandum omnium disci-  
plinarum scientiam narrantem aliud  
ponere, neque propositum habet talia  
plenius exequi. *Servius.*

*At pater Æneas*] Interposita narra-  
tioni fuerant verba Veneris et Jovis  
in luctu Trojanorum: nunc ad narra-  
tionem redit eo, unde digressus fue-  
rat, scilicet, *Et jam finis erat.* Donat.

*Per noctem*] Decet enim pro cunctis  
regem esse sollicitum. Et bene  
*per noctem*, ne a sociis, quos ipse con-  
solatus erat, videretur per diem inae-  
rens. *Servius.*

*Per noctem plurima volens*] Repre-  
sentat in suo Ænea mores principum.  
Notus Homericus versus Il. II. Οὐ  
χρη παννύχιον εἶδεν βουλευφρόν ἄνδρα:  
*Non decet virum principem dormire noc-  
tem totam.* Et βουλευφρός, cujus con-  
silio res administratur. Ab nobili  
hac sententia inchoat idem vates li-  
brum decimum Il. adducam integ-  
ram: quia inde sumpta Virgiliana.  
Ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Πανα-  
χαιὼν ἔδδον παννύχιοι, μαλακῶ δὲ δαίμνι-  
μοι ἦσαν· Ἄλλ' οὐκ Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα  
ποιμένα λαῶν ἴτνος ἔχε γλυκερὸς, πολ-  
λὰ φρεσὶν ὀρμάλοντα: *Ceteri quidem  
apud naves principes omnium Achivorum  
Dormiebant per noctem molli domiti  
somnia: Verum non Atriden Agamemno-  
nem pastorem populorum Somnus tenebat  
dulcis, multa animo volentem.* Græci  
(in his Hesiodus, Euripides, Plutar-  
chus, Clemens) noctem vocant εὐφρό-  
νην, ut aptam capiendis consiliis.  
Pindarus Nem. od. iv. γνώμαν σκότῃ

καλύπτει: *consilium velat in tenebris.*  
Græci signate, οὐδὲ καθύπνου αὐτὸν  
ἄριστ' & ἴλην τῆς νυκτὸς. Silius ita,  
'Turpe duci totam somno consumere  
noctem O Rector Libyæ; vigili stant  
bella magistro.' Hinc refer permi-  
niam, ἐν νυκτὶ βουλῆ: et sententiam  
Platonis Leg. l. vii. ἐργαζομένους δὲ ἐρ-  
χόμενους ἐν πόλει νύκτωρ, φοβεροὶ μὲν κο-  
νοῖς πολέμοις τοῖς ἡμέρᾳ, καὶ πολλοῖς: *Ma-  
gistratus nocte in urbibus vigilantes, ter-  
rori sunt tum hostibus, tum civibus.*  
Adducit Philostratus lib. i. de vitis  
Sophistarum hanc sententiam, et emi-  
dam illorum attribuit, & νύξ, σὺ γὰρ  
δὲ πλεῖστον σοφίας μετέχεις μέρος οὖν:  
*O nox, tu plurimum participes es divitiarum  
sapientiarum.* Cerda.

310 *Alma*] *Lux alma* dicta quod  
alat universa: unde *alma Ceres*, quod  
nos alat. Nam Physici dicunt omnia  
per diem crescere: quomodo igitur  
Virgilius ait, 'Exigua tantum gelidas  
ros nocte reponet?' sed hoc pro mi-  
raculo positum est: et amplius sentit.  
*Servius.*

*Ut primum lux, &c.*] Est hoc quod  
Polyp. ἅμα τῷ φωτὶ: quod Plantas,  
'cum luce simul.' quod Apuleius l.  
II. 'ut primum nocte discussa, sol  
novus diem fecit, et somno simul  
emersus et lectulo:' et l. VII. 'ut  
primum, tenebris abjectis, dies inal-  
bebat, et candidum solis curriculum  
cuncta collustrabat:' et l. IX. 'Sed  
cum primum rota solis lucida diem  
peperit.' In Xenoph. etiam vidi  
'Ἀναβ. l. II. ἅμα ἡλίου ἐνίσχοντι: et l.  
VII. ἅμα καὶ τῇ ἡμέρᾳ. Cerda.

*Ut primum lux alma data est*] Hunc  
locum debere Homero de primo O-  
dyssææ docet Macrobius Saturn. v. 4.  
*Emmenceæ.*

*Locos*] Et locos et loca dicimus, cum  
in numero singulari locus tantum di-  
camus. Simile est et *jocus*, nam et  
*joca* et *jocos*: ut Sallustius in Jugurth.  
'Joca atque seria cum humillimis ex-  
ercere.' Et, Cic. 'Quam multa joca  
solent esse in epistolis.' Et, 'Tum

juvenes agitare jocos.' *Servius.*

*Locoque explorare novos*] Od. 2. et M. Ὡς μὲν ἔγχε, τῶν αὖτε βροτῶν ἐς γαῖαν ἵκνω; ἢ ῥ' αἴψ' ἔβριοναί τε καὶ ἔργου, οἷδ' ἐκαταί; Ἡὲ φιλλέωνοι, καὶ σφω νόος ἀντὶ θανάτου; Ut autem hic locus inculta dixit, sic Od. 2. Ἐσθ' μὲν αὖτε βροτῶν, αὐτ' ἄνθρωπον φαίνεται ἔργου. Tale autem consilium Jasonis describit Orpheus, cum ad Circæum litus appulisset: ἐκ δ' ἔρ' ἦσαν Νηὶς ἀποπλέουσα πολλῶν ἐρίφους ἐταίρους, Διζήμενός τις ἔρ' ἐνθάπην ἐν' ἐταίροισιν γαίης Μαιναίης, γούφῃ δὲ πάλω τε καὶ ἔθεα λαῖω. *Germanus.*

*Locoque explorare novos*] Id est, cum cura inspicere, ut recte notavit Sæfferus ad Phædr. fab. 1. 8. 'explorato rege.' *Eumenæus.*

311 *Quas vento access. oras*] Sine præpositione. Sallust. 'Genua patrum advolvuntur.' Superius dictum figuram fieri, cum præpositio detracta nomini, verbo copulatur, et plerunque eam suam retinere naturam, plerunque convertere. Hoc igitur sciendum est, quod cum casum suum retinet, Hysterologia est, ut hoc loco: quum autem mutat, figura est, ut, *Comarum adlabitur oris.* *Oris* enim pro *oras* posuit. Plerunque etiam superfluas ponunt præpositiones. *Servius.*

312 *Qui teneant*] Jure dubitat, cum omnia cernat inculta. Ordo est, *Qui teneant, hominem feræne.* Media per parenthesis dicta sunt. *Idem.*

313 *Exacta*] Exquisita. Et ostendit providum regem per se curantem commoda sociorum. *Idem.*

*Exacta*] Proposuerat plura in masculino et feminino, hæc autem ut complecteretur, posuit neutrum. *Donatus.*

*Sociisque exacta referre*] Non placet quod in Longobardico, et aliquot aliis legitur: *sociis exacta*, absque copulativa particula, quæ necessaria hic expetitur. Membra enim hæc ita colligata sunt, ut particula copulativa sit pro redditione causæ. Ideo enim

exit, ut exploret: ideo querit quas vento accesserit oras, et qui teneant, ut sociis exacta referat. *Pierius.*

*Exacta*] Id est, exquisita, et exacte cognita. H. Stephanus *exacta*, κατ' ἀντιφράσιν adverbialiter pro *exacte* positum opinatur: et Hortensius recte fronte id affirmat. *Tausmann.*

*Exacta*] Noster Æn. iv. 476. 'tempus secum ipsa, modumque Exigit' et Horat. Sat. II. 4. 'exacta ratione,' id est, exquisita, explorata. *Eumenæus.*

314 *In convexo nemorum*] Proœconomia est ad causam pertinens. Non enim tenebitur ab Afris, ut Iliomei, et qui cum ipso supervenerant. *Servius.*

*Classem in convexo*] Exiturus cum solo Achate, nec omnino inermis fuit, ut temerarius: nec omnino armatus, ut timidus: cum solis igitur inquit hastilibus, et uno socio. In solitudinem enim iturus, debebat esse expeditus, propter requisitionem celerem et maturum reditum: ac omnia circumspiciens, socios omni cautela occultat. Cui rei inseruit descriptionem portus: 'Classem in convexo nemorum,' &c. Quanta ergo diligentia fuit, qui non antea profectus, quam sociorum saluti consuleret: et cum uno ad incertum pergit. Additur aliud ad laudem a loco, tempore, et persona. Nam cum sese fœmina, ad fallendum composita, sola in silva obtulisset, motus libidine non est, quamvis virginitas, pulchritudo, et vestitus accenderent. Accedebat ad castitatem, congeries calamitatum, quæ etiam libidinosos coercet. Unde Terentius, 'Nulla adeo ex re istud fit, nisi ex nimio ocio.' Debut Venus offerre loquendi fiduciam, ne improbum videretur, quod cum virgine, quum sola tunc esse putaretur, misceret colloquium. Sed et ad fallendum quoque pertinebat, ut non solum specie, sed etiam sermone imprudentes traduceret, et ad interrogandi necessitatem venire posset. *Donatus.*

*Concesso*] Curvo : unde etiam *convexum carum* dicitur. Sane subaudi-  
mus *Loco*, ut alibi, *Castroverum et campi*  
*medio*, id est, spatio. Nemorum au-  
tem modo silva. Interest autem in-  
ter *nemus* et *silvam* et *lucus*; *lucus*  
enim est arborum multitudo cum re-  
ligione, *nemus* vero composita multi-  
tudo arborum, *silva* diffusa et inculta.

*Servius*.

*Sub rupe cavata*] Periphrasis est  
speluncæ. *Idem*.

315 *Arboribus atque horrentibus um-  
bris*] Umbris arborum, quo modo,  
‘Molemque et montes.’ aut certe  
arboribus et umbris speluncæ : et  
bene ostendit omnia curvis adlata na-  
vibus non... quæ venerant cum *Ænea*.  
Classem autem occulit et clausit.

*Idem*.

316 *Occulit*] Pro occulnit; id est,  
abscondit et clausit. *Idem*.

*Comitatus Achate*] Bene ostendit  
*Æneam* esse fortissimum, nec quid-  
quam timere; dicendo, *uno greditur*  
*comitatus Achate*. Et dictum est quæ-  
ri cur *Achates* *Æneæ* sit comes : varia  
quidem dicuntur, melius tamen hoc  
fingitur, ut tractum nomen sit a  
Græca etymologia; ἄχος enim dicitur  
solicitudo, quæ regum semper est  
comes. *Idem*.

317 *Bina*] Si ad utrumque referas,  
bene dixit *bina* : si ad *Æneam* tan-  
tum, antiquis mos est, ut supra dixi-  
mus; *bina* pro duobus poni : sicut  
interdum *duplices*. *Idem*.

*Lato ferro*] Id est, lati ferri : ut,  
‘pulchra prole.’ *Idem*.

*Bina manu lato crispans*] Eorip. in  
*Rhes*. διβαλον ἑ ἕκοντα πάλαν. Et  
Il. M. δύο δοῦρε τιράσσαν Græcis item  
διβαλτος vibrans bina tela. *German*.

*Bina manu*] Ita Hom. Iliad. M. δύο  
δοῦρε τιράσσαν : item : πάλαν δύο  
δοῦρε. Apud Sophoclem διβαλτος, vi-  
brans bina tela, ambidexter, &c.  
Vide Cæl. Rhodig. l. 5. et xxv. 5.  
Repetitur idem versus *Æn*. xii. de  
Turn. ubi Not. vide vs. 165. *Taubm*.

*Crispans hastilia ferro*] *Crispare* Ma-  
roni est, quod Homero πάλαν. Alio  
loco *convocare* dixit, ‘oditque moras,  
hastamque coruscat.’ xxiii. 14. *Turnebus*.

318 *Media sese tulit obvia*] Quam  
Græci ὄλας vocant, poëtæ nominant  
silvam, id est, elementorum conge-  
riem, unde cuncta procreantur. Et  
multi volunt *Æneam* horoscopus in  
Virgine, ibi etiam Venerem habuisse.  
Bene ergo in media silva virginis ha-  
bitu ei Venerem poëta facit occur-  
rere : quia, ut supra diximus, Venere  
in Virgine constituta, et misericordes  
procreantur fœminæ, et viri per mu-  
lieres felices sunt futuri, ut probamus  
in *Ænea*, quoniam misericordia Di-  
donis servatur. *Servius*.

319 *Virginis os habitumque gerens*] Vultum et amictum. Habitus apud  
veteres dicebatur, tam corporis, quam  
eorum quæ præter corpus sunt : et  
bene *gerens*, non habens, quod geri  
putantur aliena. *Idem*.

320 *Spartana*] *Lacœne*. Sparta enim  
civitas est *Lacœniæ*, ubi sunt puellæ  
venatrices. Redditur autem causa  
cur virgo sit in silvis, scilicet propter  
venatum. *Idem*.

*Spartana*] Alludit ad *Lycurgi* in-  
stitutum apud *Lacedæmonios*, quo  
sancitum erat, ut virgines virilibus  
officiis, musica, cursu, palæstra, dia-  
pho, jactis, agitatione equorum, itemquo  
venatu exercerentur : unde et mons  
in *Laconia* dictus est *Parthenias*, quod  
in eo virgines venari consueverint.  
Vide *Plutarch*. in *Lycurgo*. *Taubm*.

*Threïssa*] *Thracia*, et est solutio :  
nam *Thressa* facit, sicut, *Cressa* genus  
*Pholoë*. Veniunt autem ab eo, quod  
est *Cres*, *Thres*. Ut autem *Creïssa*  
non faciat, illud est, quia *Cressa* per  
η simpliciter scribitur, nec potest re-  
cipere solutionem. *Threïssa* autem  
ei diphthongon habet, unde et resol-  
vitur. *Servius*.

*Fatigat*] Suo scilicet cursu. Sane  
quidam *fatigat* præfatigavit accipiunt,

præsens pro præterito, sicut et *prævertitur* pro præversa est. *Idem.*

*Thracea fatigat*] Quæ patrem a Getis (quos diuturno bello vexasse scribitur) captum manu coacta celerime recepit. Fuit et *Harpalyce*, quæ Iphiclum ardentissimo amore cum deperiret, spreto dolore animi interiiit; a quo canticum quoddam *Harpalyce* dicebatur: ut notat Turneb. x. 11. qui et hoc nomen per *y* scribendum censet. *Taubmann.*

*Fatigat*] Hoc verbum idem quod sæpe exercere, et *delassare*. Hor. sat. i. 2. 'vel si Romana fatigat Militia assuetum Græcari:' sic et *exercere* pro *fatigare* vs. 431. *Emmeness.*

321 *Harpalyce*] Quidam a patre Arpalico, qui rex Amymoniorum Thraciæ gentis fuit, ita nutritam dicunt, ut ipse Camillam a Metabo facit. Hæc, patre propter ferociam a civibus pulso, ac postea occiso, fugit in silvas, et venatibus latrociniiisque vivendo ita efferata est; et hujus velocitatis et exercitii facta est, ut subito ad vicina stabula, coacta inopia, decurreret, et rapto pecorum fætu, insequentes etiam equites in celeritate vitaret; sed quodam tempore, positus ad insidias cervorum plagis, capta et occisa est; cujus mortem nobilitavit eorum exitus, qui eam occiderunt: statim enim in vicina orta contentio est, cujus fuisset hædus, quem Harpalyce rapuerat, ita ut gravi certamine non sine plurimis mortibus dimicaretur. Postea consuetudo servata est, ut ad tumultum virginis populi convenirent, et propter expiationem per imaginem pugnae concurrerent. Quidam hujus patrem a Getis, ut alii volunt a Myrmidonibus captum, collecta multitudine asserunt liberasse celerius, quam de fœminis credi potest. Unde et flumina dicitur celeritate transire. *Servius.*

*Volucrum Hebrum*] Multum quidem laudis flumini epitheto addidit; sed

fabrum est, nam est quietissimus etiam cum per hiemem crescit. Est autem in Thracia ante muros Cypsæ civitatis, de locis superis Thraciæ veniens: dictus autem ab Hebro, Hemi et Rhodopes filio. *Idem.*

*Fuga prævertitur*] Id est, cito cursu prævenit, ut Non. Marc. c. 4. Noster active habet *Æn.* vii. 897. 'cursuque pedum prævertere ventos.' et xii. 345. 'vel equo prævertere ventos.' Vide, quæ Lambinus notavit ad Hor. Sat. i. *Emmeness.*

*Prævertitur*] Id est, transit. Dicimus autem et *prævertit* et *prævertitur*, nova ratione. Nam passiva declinatione utimur in activa significatione, ut hoc loco: 'Cum ipsi præimus enim tunc prævertimur.' Cum autem activa declinatio est, passivam habet significationem, ut, 'ille me prævertit.' Alii *prævertitur* sic positum volunt, ut 'Bellantur Amazonas armis,' pro *prævertit* et bellant. *Servius.*

*Prævertitur Hebrum*] *Servius*, transit, interpretatur: alii, *velocitate superat*. Ita Catullus: 'Flammea prævertens celeris vestigia cervæ.' *Hebrus* autem fluvius Thraciæ: in quem caput Orphei a Bacchis projectum fuit. *Taubmann.*

322 *Namque*] Ut ostendatur esse venatrix. *Servius.*

*De more*] Venantum. *Serv.*

*Habilem*] Aptum sexui. Unusquisque enim arcum habet pro viribus suis. *Idem.*

*Namque humeris*] Expressit personam venatricis: de qua re Scaliger iii. 2. *Habilem* autem aptum illi sexui arcum dicit. Ita Enrip. *φρόνιμος εὐρητή*: et Sophocles Apollinem *εὐφρόνιμος* nominat. Mirum vero, inquit idem Scaliger, quantum afferat vel affectus vel ornamentis vox, quæ in principio carminis ponitur post expletam sententiam: quæ vox illi tamen apposita apponit et sensum: ut hic, et *Æn.* xi. *Venatrix, &c.* Quam

figuram *Expressionem* appellat. Exemplum videas IV. 48. Quod sequitur, 'dederatque comam diffundere ventis,' Græca dictum figura. (*ἔδωκεν τοῖς ἀνέμοις διαχέειν*.) Sic in *Æn.* v. 'dat ferre talentum.' *Taubmann.*

[323 *Venatrix*] Similis venatrici, id est, quasi venatrix, ut, 'At medias inter cades exultat Amazon.' *Serv.*

[*Comam diffundere*] Ut diffundetur. Græca autem figura est. Sic alibi, 'argenti magnum dat ferre talentum.' Et, 'tu das epulis accumbere Divum:' unde, *Da bibere* nunc invenit, quod facere non debemus, ne duo verba jungamus, nisi in poemate. *Idem.*

[*Dederatque comam diffundere ventis*] In veteribus omnibus exemplaribus, quotquot habere potui, *comam* unitatis numero scriptum animadverti: in multis, *comas*. In plerisque etiam, *diffundere*. Sed id vitio temporum. Porro *suspendere arcum*, et *comam ventis dare*, virginum esse speciem, Donatus ait, siquis quod sit virginis os, qui habitus, quaesierit. *Pierius.*

[*Comam diffundere ventis*] Quales habuerunt vaticinantes, sparsos nempe: Ovid. *Epist. Heroid.* v. 114. 'Sic mihi diffusis vaticinata comis.' Græci *diffundere διαχέειν*. vid. Salmas. *Plin. exerc.* p. 468. qui talem comam nominabant ἀρόχυρον et ὄχυρον: eundem adi. p. 764. *Emmenes.*

[324 *Nuda genu*] Nudum genu habens: ut si dicas; *bonus animus*: et est Græca figura: sed non ea, quam diximus fieri per participium præteriti temporis, et casum accusativum: hæc enim per nomen fit, quamvis ad unam significationem recurrant. *Servius.*

[*Sinus collecta*] Ut, 'Oculos saffusa nitentes.' *Idem.*

[*Nuda genu, nodoque sinus collecta stantis*] Similis Synecdoche apud Ovid. *Met.* x. 536. de Venatricis habitu: 'Per juga, per silvas, dumosaque saxa vagatur Nuda genu, vestem ritu

saccolota Diane.' Et *Past.* l. 467. 'Illa super saras tunicam collecta.' Pro quo legitur *succincta*: ut in priori loco: quod *Stat. Achill.* ii. vocat *ἀσινος ἱμακτερε*: contrarium est, quod paulo post sequitur: 'vestesque latentes Diducit, sparsosque statet componere crines.' Huc faciunt illa *Callimachi* in hymno *Diane*, describentis vestitum venaticum vs. 11. *ἡ δὲ γὰρ μέγα χιτῶνα ἔδωκεν ἑαυτῇ*. Vide illic annot. B. Vulcani et de venatricis habitu *Scal.* iii. 2. *Emmenes.*

[325 *Ac prior*] Paulo post sequitur, inquit. *Servius.*

[*Heus, inquit*] *Heus* adverbium vocantis est; alias interjectio dolentis est: ut, 'Heus etiam meas consumimus, inquit Iulus.' *Servius.*

[*Juvenes*] Explicationibus præmissis adice aliam, quæ fortasse verior. Magni illi Heroes *Juvenes* dicebantur elogii et laudis loco. *Propertius* el. ii. 22. de *Ulysse*, 'Sic a Dulichio juvene est elusa Calypso.' De Argonautis *Catullus*: 'Cum lecti juvenes.' *Ovidius* in *Epist.* 'Excipit hospitio juvenes Æta Pelasgos.' De Hercule *Propertius* eleg. i. 20. 'At comes invicti juvenis:' id est, *Hylas* comes *Herculis*. Ita *Ovidius Fast.* v. ut dicat *Hercule* susceptum hospitio a *Chirone*, ita concipit: 'Excipit hospitio juvenem *Philyreus* heros.' Ita fortasse *Augustus* dictus *Horatio* od. ii. 1. et *Virgilio Georg.* i. *juvenis* adulatione magna. *Cerda.*

[*Ac prior, heus, inquit, juvenes*] Non imperite poeta *Venerem* priorem loqui fecit, sed ut fiduciam *Æneæ* det loquendi. Idem observat *Donatus* ad *Ter. A.* ii. 1. 18. *Emmenes.*

[*Monstrate*] Interrogatio est brevissima, quæ tamen necessaria ad fallendum continet: dixitque et signa vestitus, et habitum expressit. Brevius autem respondet *Æneas*, nec tamen a propositis aberrat. *Donatus.*

[326 *Vidistis*] Plerumque duo diversa in unum exitum cadunt, hæc

contraria significant, ut hoc loco; *Videtur enim, etiam ad vocem pertinere, quod etiam ex Æneæ responsione colligitur. Servius.*

*Errantem*] Investigantem; quia venatores cum vestigent, quasi videntur errare. *Idem.*

*Sororem*] Non tanquam nota sit illis soror, sed ut est in consuetudine. *Idem.*

337 *Succinctam*] Instructam: vel, ut alii dicunt, in cingulo habentem pharetram. *Idem.*

*Succinctam pharetra, &c.*] Inveniebam quidem codices aliquot antiquos, in quibus *pharetram* loco hoc, accensandi casu scriptum esset. Sed vulgatum pene omnium turba oppressum, ut me temporibus accommodarem, ne verbum quidem ulterius facturum eram. Sed quum Prisciani, Grammatici multorum opinione non indiligentis, neque imperiti, sententia memorie succurrisset: ne cuiquam eum auctorem neglexisse viderem, quid ille super hoc sensisset, adnotare visum est. Ubi enim copulativarum casus ait, casus eodem sociare, quendam tamen apud auctores his constructionibus contraria, tradit inveniri: cuius exempli Virgilianum hinc citat carmen, 'succinctam pharetram et maculosæ tegmine lyncis.' Neque tamen inficiatur, melius in quibusdam codicibus absque *in Pharetra* ablativo casu inveniri. Alibi enim ab eodem Virgilio dictum, *Palla succincta eruenta*. Quo vero accusativum alii taceant exemplum esse, *Magicae iuvencæ accingit artis*: eam vero esse varietatis in constructione causam ait, quod *succinger hanc rem*, et *hac rem succinger* dicimus: saepeque hoc de industria fieri ab auctoribus, ubi antea sit constructio dictionum. Addit etiam, quosdam Lyncis cursum a communi accipere: ut sit, *prementem Lyncis cursum*, aut *spumantis Apris*. Sed hæc nos indicare nunc institumus, non judicare. *Pierius.*

*Maculosæ lyncis*] Epitheta tribus modis ponuntur, aut laudandi, aut demonstrandi, aut vituperandi, hic *maculosæ* demonstrandi est. Lyncus rex Scythiæ fuit, qui missum a Cerere Triplolemum, ut hominibus frumenta monstraret, susceptum hospitio, ut in se inventi frumenti gloria tanta migraret, interimere cogitavit: ob quam rem irata Ceres, eum convertit in lyncem, feram varii coloris, ut ipse variae mentis extiterat. Erit autem nominativus *hæc lyncæ*; ut *Pan, Tros*, quæ is genitivo una syllaba crescent. *Servius.*

*Maculosæ tegmine lyncis*] Mos autem venatoribus erat antiquitus, spoliis animantium, quas ipsi confecerant, se vestire. Et apparet, lyncis tergus, ob levitatem, priscis in usu fuisse; perinde ut nostris hodie lupina. Catullus etiam *maculosa terga* lyncem, dixit; quas noster *Ge. II. varas*. Taubmann.

328 *Spumantis*] Id est, spumosi, participium loco nominis positum. *Servius.*

*Cursum clamore prementem*] Insequentem. Ut ipse alibi, 'Ingentem clamore premes ad retia cervum.' *Id.*

*Spumantis apris*] Præ ardore et ira. *Premere* autem, ut et *Agitare*, itemque *Excitare*, verba esse venatoria, Turnebus notavit *xii. 12.* ita *Ge. III.* 'Ingentem clamore premes ad retia cervum.' Isidorus *L. x.* 'Quattuor sunt Venatorum officia: Vestigatores, Indagatores, Alatores, Pressores,' pro quo alii *Prensoræ*; sed male. *Ibidem*: 'Venator, quasi Venabulator, a venatione qua bestias premit.' Taubmann.

329 *Et*] Antiqui sane omnes codices quos inspeximus, et *Veneris*, non *et* habent. *Pierius.*

*Orsus*] Nunc, cepit: alias, finit: ut, 'Sic Juppiter orsus.' Sed illic proprie posuit, et hic usurpatum est. Præteritum enim est participium. *Servius.*

*Et Veneris contra, &c.*] Hæc, in-

quit J. C. Scaliger, ex Ulyssæ v. esse, observavit etiam Macrobius, sed pessimo iudicio lancinavit. Quanto enim cum maiore decore noster? Cum ea primum dubitatione, 'O quam te memorem, Virgo!' est *houch* oratio. Etiam dubitationis causam affert, namque *haud tibi vultus Mortalis*: hoc ex adspectu. Illud efficacius, 'nec vox hominem sonat.' Tum assertio per repetitionem, 'o dea certe!' Adjungit etiam religionem: ne offendant Numina; et cum modestia distribuendo dubitationem: 'An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una?' Nefas enim erat, deum, deamve alio, quam suo nomine, appellare; neque obtinebat vota. Itaque evocata legas Numina apud Livium. Et ea de causa Numinis illius, cujus in tutela Roma esset, nomen tacitum et arcanum. Postremo, Dianæ similem, dixit Homerus; hic expresse *sororem Phœbi*. Hæc ille v. 3. *Taubmann*.

330 *Audita neque visa*] Hinc probatur, quia superius hoc interrogaverat *Venus*. Sane quidam *Audita*, ad illud responsum, *Clamore prementem*: ad *vidistis si quam, neque visa* responderit. *Servius*.

331 *O quam te*] Quæ dea sit dubitat, nam deam esse confidit: o, *dubitativa*, alias *optativa*, ut 'adsis o Tegeæ favens.' *Idem*.

*O quam te*] Completo responso, explicat seriem æstimationis, quam de ea habuit. *Donatus*.

332 *Nec vox hominem sonat*] Græca signa est. *Servius*.

*Nec vox hominem sonat*] De utroque sexu *homo*. Falso verbis neutris adnumeratur *sonare* noster Ecl. l. 5. 'Formosam resonare doces Amaryllida silvas.' Ecl. v. 63. 'ipsæ jam carmina rupes, Ipsa sonant arbusta.' Tibull. Eleg. l. 3. 'Dulce sonant tenui gutture carmen aves.' alia Sanct. in Minerva p. 187. *Emmeness*.

*O dea certe*] Hic o distinguendum, uti post inferat, *dea certe*: confirmans

opinionem suam, et est conclusio syllogismi, qui constat ex propositione, adsumptione, conclusione: nam si nec vox, nec vultus mortales sunt, restat, ut dea sit. *Servius*.

*O dea*] Cum hoc pronunciatum sit; sequatur *Certe, an Phæbi soror*. *Don.*

333 *An Phæbi soror*] Diana: quæ est venatrix. Bene autem suspicatur pro loco et qualitate habitus personæque: perite autem Poëta dicendo, *An Phæbi soror*, videtur de nomine Apollinis dubitare. Constat enim hunc Deum a diversis gentibus vel civitatibus, diversis nominibus appellari, secundum genera beneficiorum, quæ vario divinitatis genere præstare consuevit: cui Deo sagittas datas volunt, quia, ut vis morbi, ita hoc telum sit occultum. Hunc tamen Deam et ad liberum custodiam, et ad divinitatem, et ad medicinam, et ad res urbanas, quæ placidæ sunt, et ad bella pertinere longinqua, cui laurum ideo consecratam, quia hæc arbor sufficientis purgationibusque adhibeatur; ut ostendatur, nullum templum ejus nisi purum ingredi debere. Cautum enim est, ne Sacerdos ejus domum ingreditur, in quante quintam diem funus fuerit. Quidam tamen an pro *sive* antique dictum volunt: nonnulli conjunctionem mutatam adserunt, pro *Aut Phæbi, aut Nympharum sanguinis una*. Alii autem conjunctionem disjunctivam volunt, ut Sallust. 'Perrexere in Hispaniam an Sardiniam.' *Servius*.

*An Phæbi soror, an, &c.*] Vetera quædam exemplaria legunt, *aut Phæbi soror aut Nympharum*. Sed an interpretes agnoscunt. Insuper Donatus ait, o *Dea* clausulam esse superioris membri. Nam quum pronuntiatum fuerit o *Dea*, sic debet dici: ut ille tradit, *certe an Phæbi soror, an Nympharum sanguinis una, Sis felix*. *Pierius*.

*An Nympharum sanguinis*] Id est, generis. *Servius*.

334 *Sis felix*] Propitia: hoc est, felicitatem præstes, vel felix mihi. *Felix* enim dicitur et qui habet felicitatem, et qui facit esse felicem: ut in Bucolicis, 'Sis bonus o felixque tuus.' Unde et contra Juno in vii. dicit, 'Quæ potui infelix,' id est, adversa Trojanis. *Idem.*

*Sis felix*] Sic Stat. Achill. l. ii. 'Sis felix, taceasque precor,' id est, propitia. Taubmannum adi Ecl. v. 68. contrarium apud Pers. Sat. vi. 12. *auster infelix* pro inimico. *Emmema.*

*Leves*] Levem facias. ut, 'Levat ipse tridenti.' *Servius.*

*Quæcumque*] Seu Diana, seu Nympha. *Idem.*

*Quæcumque*] Sive Diana sive Nympha. Hic autem *Æneæ* datur scientia religionum; non enim posset aliquid divinum intelligere in hominis forma, nisi quia pollebat omni scientia sacrorum. *Donatus.*

335 *Quo sub celo*] Aut sub qua parte cæli, aut secundum Epicureos, qui plures esse volunt cælos, ut Cicero in Hortensio. *Servius.*

*Tandem*] Hoc loco vacat *Tandem*: *nam, dum, gentium, locorum, terrarum* significatio posita, ad ornatum pertinet: 'Aut *tandem* doceas quia vix cuiquam hoc contigit:' *tandem* pro expletiva particula est. *Idem.*

336 *Hominumque locorumque*] Hypermætrus versus: nam enim plus habet syllabam: qui quotiens fit, debet sequens versus a vocali incipere: ut hoc loco: item, 'Omnia Mercurio similia vocemque coloremque, Et crines flavos.' Nisi fortassis fiat in fine vocalium collisio; ut est, 'Nec cura pecuni.' Hic enim non est necesse, ut sequens versus a vocali incipiat. *Servius.*

337 *Erramus, vento huc et vastis fluctibus acti*] Hic quoque numerus in Romano codice, atque etiam in aliquot aliis antiquis trimetro clauditur, *erramus vento huc et*. Altero inde tri-

metro soluto, *vastis fluctibus acti*. Quod majorem præ se fert contationem, in rei magnæ relatione percommodat: nam singulis dictionibus, quæ una pedem claudant, ea interjicitur mora. in aliis, *vastis et fluctibus acti*. *Pierius.*

338 *Multa hostia*] Cogebat non ad interrogata respondere, quia et ipsa ignorantes cupiebat instruere. Sed primo, non primis, sed novissimis occurrit: nam si oblationem sacrificii in extremo positam, tacendo acceptasset, confirmasset se deam, quod confutare festinat. *Donatus.*

*Cadet hostia*] Sic Græci πᾶν τε πρὸ γάμων ἄς θεῶν πρὸν χρεὼν Ἀρτέμιδι. et Iph. in Taur. de mactando Oreste et Pylade: οὐκ ἔστιν ἡ θεῶν πρόσωπον ἐν. et Æsch. in Suppl. δεῖ κάρτα θύειν, καὶ πρὸν χρηστήρια θεοῖσι πολλοῖς, πολλὰ πημονῆς ἔσθην. Sic Tibull. ii. 'Vota cadunt, utinam strepitantibus advolet alis, Flavaque conjugio vincula portet Amor:' ubi vota, *lepta* accipio, hostias votivas: neque enim caducis votis res, argumentumque convenire potest: quandoquidem, præcedentibus versibus, exaudita Cherinthi vota descripsit, eo consilio, ut jam poëta gratus, Diis in gratiam Cherinthi vota reddere, et solvere immolatis victimis videatur, eadem pene phrasi, qua Æschylus πρὸν χρηστήρια dixit, hoc est, *lepta, καὶ σφάγια*. Non in eam partem fortasse accepisse videri potest Tibull. quam Propert. l. i. 'Omniaque ingrato littore vota cadunt:' quamvis et ad non litantes victimas trahi possit Propertii sententia, quod frustra ob desertam Cynthiam, sacra et vota in ingrato littore, a se fieri queratur, per eam quam susceperat navigationem. *Idem* Propert. iv. 'Et cadat ante meos icta juvenca focus.' *Germ.*

*Hostia dextra*] *Hostiæ* dicuntur sacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hostem pergunt. *Victimæ* vero, sacrificia quæ post victorias fiunt. Sed



hæc licenter confandit auctoritas. *Servius.*

*Multa tibi, &c.]* Artificiose epilogum absolvit a remuneratione et gratiarum actione. Huic autem loco non valde absimilis est ille Ovid. Met. xiv. 4. sub persona Æneæ ad Sibyllam: 'Seu dea tu præsens, seu diis gratissima,' &c. Notetur item Voti formula; et præterea *Cadendi* verbum: quomodo et Græci usurpant suum *πίπτειν* et *πέσσειν*. Sic Tibull. el. ii. 2. 'Vota cadunt: atinam strepitantibus advolet alis, Flavaque conjugio vincula portet Amor!' Ubi *vota*, *λεπτα*, accipit Germ. Valens, hostias votivas: non caduca vota: ut jam Poëta gratus, diis vota reddere et solvere immolatis victimis, ob Cherinthum exanditum, videatur; eadem pene phrasi, quam Æschylus *πέσσειν* *χρονόρρηα* dixit, hoc est, *λεπτα* vel *σφάγια*. Propert. l. iv. 'Et cadat ante meos icta juvenca focos.' Ita ibidem el. x. 'Juppiter, hæc hodie tibi victima corrueat Acron. Voverat: et spoliis corrui ille Jovi.' *Tausmann.*

*Multa tibi, &c.]* Fere eadem locutio apud Stat. invenitur Achill. l. ii. 'te longæ honos æternaque cingent Tempia': ubi per *longum honorem* intellige sacrificium multarum hostiarum. *Emmeness.*

330 *Equidem]* Nunc, ego quidem significat, alias expletiva particula est. *Servius.*

*Tali me dignor honore]* Id est, sacrificio. Et aut vult se probare non nomen, sed virginem Tyriam: aut ideo non amplectitur sacrificium, ut diutius lateat: aut certe quia Paphia Veneri, quæ Cypri colitur, thure tantum sacrificatur et floribus: qui ait, 'Ubi templum illi centumque Sabæo Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.' *Idem.*

*Tali]* Nam si honorificentiam meorum, talis erit, quæ homini præstanda, non deo exhibenda sit. *Donatus.*

*Dignor]* Dignam me judico: ut,

'Conjugio Anchisæ Veneris dignate superbo,' id est, digne habite. *Serv.*

*Haud equidem tali me dignor honore]* Responens Venus hostiam, aludis obiter ad morem veterem, quo huic Deæ sacra fiebant, non sanguine et carnificina, sed thure ac floribus. Sic putat vir doctus Nannius, advocatque Horatium, qui Carm. i. 19. destinans sacrum Veneri, ita ait: 'Hic vivum mihi cespitem, hic Verbenas, pueri, ponite thuraque Bani cum patera meri: Maectata veniet lenior hostia.' Et verba Acronis ex codice Blandiniano hæc: 'bene verbenas, cespitem et thus Veneri promittit, quæ non placatur sanguine.' Virgilius, 'Haud equidem tali me dignor honore.' Item: 'centumque Sabæo Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.' *Cerda.*

340 *Virginibus Tyriis]* Quia Venus suspicari poterat, quibus signis illi deam se putarent. Edcirco illa comatus avertere. Habitus enim, quo me deam suspicamini, non mens est, inquit, sed omnium Tyriarum virginum, quæ in his regionibus sunt. Ergo patrius mos pharetram et cothurnos præbet. Hoc autem facile poterat illa persuadere, quia Æneas se regiones ac homines ignorare dixerat. *Donatus.*

341 *Purpureo]* Aut pulchro, aut russi, aut rosei coloris. *Servius.*

*Purpureo alte suras]* Supra Ecl. vii. 'Punico stabis suras evincta cothurno.' Hunc locum, et superiorem, Namque humeris de more habilem, &c. admonuit me acri judicio vir Giphanius, ut conferrem cum illo Livii Andronici Ione apud Terentianum: 'Et jam purpureo-suras include cothurno, Balthus et revocet volucres in pectore sinus, Pressaque jam gravis erepient tibi tela pharetra, Dirige et odorisequos ad certa cubilia canes.' Subiecit item ex Arnob. l. vi. quæ ad rem locumque huic faciunt hæc verba: 'Semitectis femoribus

Diana, aut ad libidinem concitans Venus nuda, Anubis cum canina facie.' Sed et idem observavit Giphanius, Dianæ purpurea attributa calceamenta, quod Laconico cultu se gereret, Spartæ præcipuo honore culta, Laconumque calceamenta ἐρυθρὰ testetur Pollux l. vii. ut et v. venatorum ὑποδήματα, κοῖλα εἰς μέσσην κνήμην ἀνέκοντα, δεσμῷ ἀκριβεῖ περιεσταλμένα, ut et *suras vincitas ulte* hic Maro dixit. Ego quoque apud Plutarch. in Numa observavi Spartanæ virgines φαινομήριδας dictas. Certe apud Eurip. in Androm. Peleus Menelao objicit in invidiam Helenes hunc Spartanarum virginum cultum, ut inhonestum et intemperantem, οὐδ' ἂν, εἰ βούλοιτό τις, Σάφρων γένοιτο σπαρτιατίδων κόρη, Αἴξιν νέοισιν, ἐξερημοῦσαι δόμους, Γυμνοῖσι μηροῖς, καὶ πέπλοις ἀναιμένοις, Δρόμους, παλαίστρας τ' οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοί, Κοῖρας ἔχουσι κῆρα θαυμάζειν χρεὼν, Εἰ μὴ γυναικας σάφρονας παιδεύετε. Calaber l. i. sententiam Maronis reddidisse videtur uno epitheto, quo Penthesileam βαθυκνήμιδα vocat. *Germanus.*

*Suras vincire cothurno*] Cothurni sunt calceamenta etiam venatoria, crura quoque vincientia: quorum quivis utrique aptus est pedi. Ideo et numero usus est singulari. *Servius.*

*Vincire*] Nam vinculis cothurni illigabantur. Ovid. Amor. eleg. iii. l. 'Lydiæ apta pedum vincula cothurnus habet.' Pollux l. vii. ὑποδήματα δεσμῷ περιεσταλμένα: Calceamenta illigata vinculo. *Cerda.*

*342 Punica regna vides*] Ad illud *Et quo sub cælo tandem.* Et quidam *Vides*, pro *visurus* es accipiunt. Nam quemadmodum in media silva urbem videt et Tyrios? Hic attentum facit Æneam. *Servius.*

*Punica regna vides*] Brevis et concinna narratio: non enim debuit Æneas sub incerto diutius teneri: et ipsa idem volebat. Respondet autem eo ordine, quo interrogatur. Ille enim, *quo sub cælo, &c.* Hæc *Punica*

*Delph. et Var. Clas.*

*regna, et designato loco dicit personas; Tyrios inquit, et addit superioris conditoris nomen. Donatus.*

*Agenoris urbem*] Quam fecerunt Agenoridæ. Agenor autem, Neptunū filius, rex Libyæ et Phœnicis: de cuius genere Dido originem duxit. Et sic dictum est, ut, 'Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris;' id est, ad Cumas; quas fecerunt hi, qui de Chalcide venerant, civitate Eubææ. *Servius.*

*Agenoris urbem*] Antonomasia, pro *Didonis urbem.* Quippe ex Jove natus est Epaphys: hinc Belus priscus: hinc Agenor: hinc Phœnix: hinc Belus secundus, pater Didonis, Pygmalionis, et Annæ. Itaque *Agenor* auctor istius urbis, proavus Didonis, et rex Phœniciæ fuit. Ne autem Æneas opinaretur, se in Phœniciam tempestate impulsū, cum hæc dicentem addiret, aperte regionem nominans, addit: *sed fines Libyci*: nam et alibi potuerunt esse Tyrii. Et quidem fines Libyci, non *Libya* dicit; quia illic, occurrente pelago, Africæ termini clauduntur. Videtur autem hic locus emphasin habere ex persona Poëtæ, quod indicant illa 'genus intractabile bello:' quæ non ad laudem, sed ad vituperium dicta apparent. Nec poterat nisi cum stomacho, de Afris, Romanorum hostibus, loqui Poëta. *Taubmann.*

*343 Sed fines Libyci*] Antedictam terram nunc aperte regionem ostendit, dicendo, *Libycos fines.* Tyrii enim et alibi esse potuerunt. *Servius.*

*Fines Libyci*] Illic enim, occurrente pelago, Africæ termini clauduntur. *Donatus.*

*Intractabile*] Insuperabile, aspernum, ævum. Ergo amovit suspicionem, ne putaret se in Tyrum venisse. *Serv.*

*Intractabile*] Meminerat enim poëta ex persona sua dixisse: 'Studii-que asperima belli.' Nec est hic repetitio ejusdem rei: quoniam et dici necesse fuit, et ex alterius per-

*Virg.*

7 G

sona dictum est. *Donatus.*

*Genus intractabile bello*] In codicibus aliquot antiquis *insuperabile* legitur. Id apud Servium Paraphrasis est. Apud Donatum contextus. Sed quia subiungit: 'meminerat enim Virgil. se ex persona sua dixisse, 'Studiisque asperissima belli.' Hic autem non est repetitio ejusdem rei: quoniam et dici necesse fuit, et ex alterius persona nunc dictum est. Quod si Donatus eandem rem utroque loco agnoscit, nempe *asperissimum et intractabile*: magis erunt similia, quam *insuperabile*. Pierius.

344 *Imperium Dido*] Mira brevitās, sed quæ multa complectatur. Præteritum enim et præsens ponit, et quæ vocaretur, et quid ageret, quæ illis imperabat. Compendii vero causa fuit, ne interrogando, respondendoque longum fieret, quod mature debuit fieri. *Donatus.*

*Dido*] Dido vero, nomine Elissa ante dicta est, sed post interitum a Pœnis Dido appellata, id est, *virago*, Punica lingua, quod cum a suis civibus cogeretur, cuidam de Afri regibus nubere, et prioris mariti amore teneretur; forti se animo, et interfecerit, et in pyram injecerit, quam se, ad expiandos prioris mariti manes, extruxisse fingeat. *Servius.*

345 *Germanum fugiens*] Hoc loco quasi stupuit Æneas: de Germani enim appellatione fuerat facta major invidia, unde auditoris aviditati præscribit Venus; dicens *longam esse injuriam*, id est, causam: ab eo quod sequitur, id quod præcedit; ut supra, 'Spem vultu simulat.' *Idem.*

*Germanum fugiens*] Potuit enim quæri, qua causa impulsus fuerit, ut relicta patria mulier, quod difficile est, longinqua sectaretur. *Donatus.*

*Germanum fugiens*] Hoc loco quasi stupuit Æneas: unde auditoris aviditati præscribit Venus; dicens, *longam esse injuriam*, id est, causam: ab eo quod sequitur, id quod præcedit.

Ac si dicat: narratio istius alte repetenda esset: sed 'summa sequat fastigia rerum,' id est, summa sequat capita: Turneb. x. 11. Hujus autem rei historiam exactiorem habet Justinus l. xviii. item Hortensius. *Taubmann.*

*Longa est injuria*] Longa narratio injuriæ. *Servius.*

*Longa est injuria*] Hoc addit: quia incredibile fuerat, tantam intervenisse causam, quæ cogeret germanam dura sectari, relinquentem eum, quem amare debebat. *Donatus.*

*Longæ Ambages*] Id est, circuitus. Hoc est, ambages narrationis. *Serv.*

346 *Fastigia*] Summæ partes ædificiorum dicuntur, sed modo primordia. Quia scit longam esse historiam Carthagini, ut Sallustius, 'Sed de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere.' *Idem.*

*Sed summa sequat*] Artificiosa narratio. Nam multa prætermitturam simulat, ut spe brevitatis attentius audiretur. *Donatus.*

*Sed summa sequat fastigia rerum*] Est hoc, quod dixit Orosius III. 11. 'magna parvis colligam:' quod Ammianus l. xvii. 'propositum meum in pauca conferam.' Plautus multis variat, ut solet, lepide. Asinar. 'verba in pauca conferam.' Casin. 'in pauca refer.' Menæch. 'Loquere paucis, non longos logos.' Mostell. 'orationis operam compendio face.' Milit. 'verba confer maxime ad compendium.' *Cerda.*

347 *Huic conjux Sichæus erat*] Quotiens poëta aspera invenit nomina, vel in metro non stantia, aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat. Nam Sichæus, Sicharbas dictus est. Belus Didonis pater Methres. Carthago a Cartha, ut lectum est, quod invenitur in historia Penorum, et in Livio. Sane Sichæus, si brevis est per naturam: sed hoc loco Ectasim fecit, ea licentia, quæ est in propriis nominibus: licet enim in quavis pro-

prii nominis parte syllabæ mutare naturam: quod et in appellativis evenit; si tamen de propriis originem ducant, ut, 'Sicanio prætenta sine:' quia venit a Sicano rege Siciliæ. *Servius*.

*Hæc conjux*] Amoris inter conjuges honestas inserit causas. Amabat, inquit, hominem, secuta judicium patris, et divitem, et probum. *Donat*.

*Sichæus*] Admonent aliqui hunc *Sichæum* dictum, et *Pœtam* commutasse in *Sichæum* leniore voce. Sed certe *Justinus*, non *Pœta*, *Sichæum* nominat, et *Eustathius* *Σιχχαίων*. *Cerda*.

*Hæc conjux Sichæus*] Narratio. J. C. Scaliger *Pœt.* III. 3. ubi de *Expressione Personarum* agit, hoc quoque pro exemplo adducit. Nam habes, inquit, statum a conjugio, fortunam a divitiis, genus a Phœnicia. Addit etiam affectum: 'et magno miseræ dilectus amore.' Tum autem fortuna et habitus vitiosi: 'sed regna Tyri germanus habebat Pygmalion,' &c. *Taubmann*.

*Ditissimus agri*] Veteres addebant, cujus rei dives. *Servius*.

*Ditissimus agri*] Imitatur pessima naturæ opulentia. *Donatus*.

*Ditissimus agri*] *Justinus*: 'Sichæo magnæ, sed dissimulatæ, opes erant, aurumque metu regis, non tectis, sed terræ crediderat: quam rem, etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.' *Cerda*.

348 *Miseræ*] Dativus est, non adverbium. *Servius*.

*Et magno miseræ dilectus amore*] Hic gravatur factum, ut carissimum sorori virum necarit. *Donatus*.

349 *Cui pater i. d.*] Argumentum amoris. *Servius*.

*Cui pater*] Ut contra judicium patris fecerit. *Donatus*.

*Pater*] *Belus*: nam inf. genitor tum *Belus*. *Estathius* tamen dubitans, 'Ἀγχιόρος θυγάτηρ; ἢ Βήλον.' *Cerda*.

*Intactam*] Multum enim differt in-

ter affectum virginis, et ejus, quæ secundo nupsit. *Donatus*.

*Cui pater intactam*] Ita *Enrip.* in *Hel. ἄδουκτον εὐνήν*, dixit adhuc virginem, atque, ut antiqui vocabant, *signatam* sive *obsignatam*, quæ Homero *κουρίδην ἄλαχος*, id est, *παρθενικὴ γυνή*. *Prima* autem omnia dicit primas nuptias. Nam superstitiosa illa prisca natio, cum in aliis, tum in conjugis vel maxime, omnia observabat, itaque et nuptiis auspices adhibebantur. *Turneb.* III. 14. et x. 11. Ita *Propertius* el. III. 18. 'Contineant nobis omnia prima fidem.' Habent autem primæ nuptiæ vinculum nescio quod majoris conjunctionis. Vide *Val. Max. de Auspiciis nuptiarum* II. 1. *Taubmann*.

*Intactam*] Sic *Pallas* virginittatis custos sanctissima *intacta* dicitur apud *Horat.* od. I. 7. *Emmeness*.

*Primis*] Nullis aliis, sed solis. *Donatus*.

*Primisque jugarat Ominibus*] Hoc est, primis nuptiis: auspicio siquidem fiebant antiquis nuptiæ: unde et *Propert.* 'Contineant nobis omnia prima fidem:' ubi omnino omnia, non omnia, contra omnium codicum lectionem repono, vel ex sententia ipsius loci, quo *pœta* cogitans de mutandis caloribus negat, in novum amorem sibi temere demigrandum, sed auspicio religioseque ineundam esse secundam amicitiam, quo perenniore et magis diuturno vinculo constringantur et sanciantur fœdera, quæ, inconsulto et inauspicio contracta, parvo negotio solvi quoque soleant. *Germanus*.

*Primisque jugarat Ominibus*] Pro eo *Stat. Theb.* I. II. 'primisque Hymenæis egregiam Argiam, &c. julari,' et *Silv.* I. IV. 'prima lampade.' *Emm.*

*Jugarat*] Fortasse ab *Catullo*: 'Cum Tethidi pater ipse jugandum Pelea sensit.' *Cerda*.

350 *Ominibus*] Vel prosperis et secundis auguriis, vel primariis, ut aliis verbis repetierit, *Cui pater intactam*

*dederat. Omnibus* autem secundum Romanos locutus est, qui nil nisi captatis faciebant auguriis, et præcipue nuptias. Lucanus, 'Contentique auspice Bruto.' Juvenalis, 'Veniet cum signatoribus auspex.' *Servius.*

*Tyri]* Adverbium est. *Idem.*

*Sed regna Tyri]* Ex quo intelligitur habuisse spem faciendi, et factum defendendi, quia rex. *Donatus.*

351 *Pygmalion]* *Pygmalioni* autem admodum puero regnum tradidit populus: regnavitque annos quadraginta septem: fuitque decimus ab *Hiram* sive *Iromo*, qui ligna cedrina Salomoni ad templum suppeditavit. Nam ab illo *Hiram* ad Carthaginis conditum fuerunt anni ciii. ut numerat Scaliger in Proleg. de Emendat. Temp. *Taubmann.*

*Scelere ante alios immanior omnia]* Junge totum: nam aliter non procedit, si segreges, quos inter medius venit furor: quia multi *Immanior* ad furem, non ad *Pygmalionem* referunt, cum ipse dicat, licet simulatas, fuisse tamen amicitias: simul namque sacrificabant: ac si diceret, sceleratione Atreo et Thyeste, vel Eteocle et Polynece. Ordo est: Inter quos medius. *Servius.*

*Immanior scelere]* Non est intelligendum, quod furor medius inter *Sichæum* et *Pygmalionem* venit. Nam sic defendi posset *Pygmalionis* factum, si non voluntate, sed furore peccavit, et furens fuisset *Sichæus*, ergo pares. Quapropter ita pronuntiandum: ut *Sichæus* fuerit innoxius, *Pygmalion* vero omnibus aliis sceleratione, quos in facinus impulit furor. Ergo alii, si in crimina inciderunt, furor in causa fuit, aut insania, aut animi dolor, et posunt habere veniam facti. *Pygmalion* vero aliorum comparatione sceleratione ostenditur: quia voluntate, non casu aut necessitate scelus admisit. *Donatus.*

*Immanior]* Id est, pejor et nocentior. *Nonius.* vel, crudelis et terribi-

lis. *Isidorus.* A manu, quod priscis bonum: unde contra, *Immane.* Vide Fest. et in illum Scalig. et Not. Georg. l. iv. *Taubmann.*

*Scelere ante alios immanior]* Sic nos-ter *Æn.* vii. 55. 'Petit ante alios pulcherrimus omnis *Turnus.*' C. Nep. in V. Attici 'et unus ante alios fuit carissimus.' *Apulejus* *Metam.* l. ix. 'Pessimam et ante cunctas mulieres longe deterrimam,' &c. de comparatione, quæ virtute præpositionis apparet, Sanct. in *Minerva* p. 369. *Emmeness.*

352 *Ille Sichæum]* Si, hoc loco secundum naturam posuit. *Servius.*

*Ille]* De quo nihil tale sperabatur. *Ille*, quem nulla urgebat inopia, qui germanam viro privare non debebat, qui affinem servare debuit, qui contra naturæ religionem faceret, contra judicium patris, rupto humanitatis et affinitatis vinculo, ante aras etiam, ut sceleri sacrilegium adderet. *Donat.*

353 *Impius ante aras]* Probavit impium, quia ante aras. Singula pronuntiant. *Servius.*

*Ante aras]* Occidit propter solam avaritiam. Cum res nulla inopia urgeretur, occidit innoxium: incantum sororis virum. Ergo virtute oratoria unum admissum, quantis potest criminum generibus aggravat poëta, et partes communis loci ingressus, quam late discussit, non, omissa brevitate, quæ *Æneæ* necessaria erat, propter tot calamitates festinanti. *Donatus.*

*Ante aras]* Id est, diis spectantibus, quos humana cæde funestare non debuit. *Idem.*

*Cæcus amore]* Unam causam ponit, a vitio naturæ profectam: sed cui alia crimina adnectuntur. Nam *Salust.* ait: 'Avaritia fidem, probitatem, cæterasque bonas artes subvertit: pro iis superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit.' Avaritiæ ergo comes crudelitas, perfidiæque conjuncta. Non enim potest voto potiri, nisi ad id

per scelus venerit. Habemus exempla apud poetam; hic Pygmalionis. In III. Polymnestoris. In VI. qui auro patriam prodiderat. Nihil autem in prima narrationis parte frustra positum est. *Donatus.*

*Cæcus auri*] A cupiditate enim impeditus non consideravit, ubi, quid, cur, et in quem faceret. *Idem.*

*Atque auri cæcus amore*] Cæcitas de hoc malo, crebrum. Ovid. Metam. I. III. 'prædæ tam cæca cupido est.' Cic. Philip. II. 'at quam cæca avaritia est:' et pro Quint. 'cæcus cupiditate, et avaritia.' Diphilus apud Stob. serm. VIII. de animo spirante ad lucrum ait, ἀλλ' οὐκ ὁρᾷ: *alia non videt.* Itaque Pygmalion, cæcus auri amore, iura omnia confregit, quia 'nullum est officium tam sanctum atque solenne, quod non avaritia comminueret atque violare soleat.' Verba Tullii agnoscis pro Quintio: et ejusdem in Vatinius, quæ sequuntur: 'nemo tam firmum habuit præsidium, quod avaritia non infregerit, atque debilitaverit.' Hanc pestem vitiorum *Reginam* vocat Cassiod. var. epist. XII. 1. Βίῳ μητρόπολιν πόσης κακίας. et Phocylides μητέρα κακότητος ἁρδὸς, metropolin, et matrem totius improbitatis. Illi maleficia omnia attribuit Auctor ad Heren. I. II. et Cato apud Livium I. XLIV. eversa imperia. *Cerda.*

354 *Clam*] Quidam ad sororem referri putant. *Servius.*

*Clam*] Gravat factum. Nullus enim clam facit, nisi illicitum esse sciat. Vel *Clam*, ne si palam, innocens defendi posset. Ergo *clam*, ut lateret auctor. Quis enim crederet sororis virum, innoxium, amabilem, nullis intervenientibus inimiciis ab eo cæsum? *Donatus.*

*Securus amorum Germanæ*] Aut contemnens, id est, negligens, non curans amorem sororis: ut, 'Securi pelagi atque mei,' id est, contemptores. Aut certe securus erat de amore germanæ, circa maritam nimio; ob

quem se post mortem Sichæi interire posse credebatur: nec enim sequitur, ut, occiso Sichæo, ipse statim potiretur auri, nisi etiam Dido periret. *Amores* autem plurali numero ad voluptatem pertinent. ut Æn. x. 'Securus amorum, Qui juvenum tibi semper erant.' Singulari etiam ad religionem. *Servius.*

*Securus amorum*] Horat. epist. II. 2. 'pœnæ securus.' Similia congescit Vechner. Hellenol. I. 2. *Emmenas.*

355 *Factum celavit*] Duplici de causa. Prima, ne, manifesta cæde, ad auctorem aliqua via iretur. Secunda, ne, re patefacta, potiendi auri occasione privaretur. *Donatus.*

*Egram*] Mæstam, anxiam. *Servius.*

356 *Multa malus simulans, vana spe lusit amantem*] Quia dicebat absentem, quem constabat occisum. Atque, hic nimia Pygmalionis ostenditur malitia, quæ etiam amantem fefellit. *Idem.*

*Malus*] Quia *simulans*. Eodem plane sensu Catullus in nuptiis Pelei: 'Nec malus hic, quia, celans duci crudelia forma Consilia.' Itaque simulator et celator malus. Inde etiam Plauto in Amphitr. astutus et callidus dicitur *malus*. *Cerda.*

*Vana spe*] Quia dicebat, eum reverti. *Servius.*

*Lusit*] Decepit. *Idem.*

*Vana spe lusit amantem*] In antiquissimo quodam exemplari *una spe lusit* scriptum est, quæ lectio forsân acutioribus ingeniis non displiceat, ubi consideratum fuerit Pygmalionem, quum tam diu factum occultasset, multaque simulasset, amantem sola tantum spe deludere potuisse. Nam quæ cupimus, facile credimus. Poterat vero Dido fratris ingenium et perfidiam a teneris unguiculis explorasse: ac perinde figmentis, quæ multa ille comminisceretur, dum ea de conjuge, ubinam esset, percontaretur, nullam adhibuisse fidem. Dum vero Pygmalion eum, et vivere, et venturum brevi polliceretur, idque

unum præcipue Dido concupisceret : hac una spe decepta est. Si vero ~~vana~~ cuiuspiam magis placeat, integrum unicuique sit, quam malit lectionem sequi. *Pierius.*

357 *In somnis*] Si ab eo, quod est somnium, Synæresis est: ut *peculi* pro *peculii*. Si autem a somno venit, in *somnis*, id est, dum somnos caperet. *Servius.*

*Ipsa sed in somnis*] Quoniam neque suspicio in Pygmalionem duci propter affinitatem poterat, nec testis ex-tabat, posita est imago. *Donatus.*

*Ipsa sed in somnis*] Frivola plerique dicunt, quæ de geminandis aut simpliciter scribendis litteris disputentur. Veteres tamen Grammatici non incuriosam in huiusmodi vel levibus observationibus operam insumpsere : quodque ad hunc locum attinet. *Sossipater Carisius Armarii Armariis* duplici ii scribendum observat. Quæri vero ait de *insomniis*, quoniam apud Virgilium non geminatur, *insomnis*, ut ex hoc nescio quid, quod *Servius* etiam ambigit, videris. *Pierius.*

*Ipsa sed in somnis*] *Pathos* a circumstantiis. *Inhumati* autem dictum, pro honore sepulturæ carentis: ad augendam Pygmalionis immunitatem. Neque enim verisimile est, cadaver non humatum esse, quod voluerit occultari. *Taubmann.*

*Imago*] Τὸ εἶδωλον. *Servius.*

358 *Pallida*] Ut jam illum cæsum intelligat, additur: *Crudeles aras*, hoc per verba. *Trujecta*, hoc per visum nudatur. *Donatus.*

*Modis pallida miris*] *Lucretio* debet docet *Macrobius Saturn.* vi. 1. 'Sed quædam simulacra modis pal-  
leantia miris.' *Emmeness.*

359 *Crudelis aras*] Epitheton hoc de causa est, nam aræ piæ sunt. *Servius.*

360 *Nudavit*] Indicavit: unde e contra in sexto habemus, 'Et vuln-  
era dira tegentem,' hoc est, celantem. Quid enim tegeret undique trunca-  
tus? *Idem.*

*Nudavit*] Auget indignationis affec-  
tum, quem non quidem verbis, sed  
gestu exprimit, quasque tragediam  
excitat. *Taubmann.*

*Cæcumque domus*] Strictim ponit,  
quæ supra diffusius dicta fuerant.  
Suadet autem fugam, quoniam neque  
ulcisci valet, neque apud sceleratam  
tuta esse potest. *Donatus.*

*Cæcum*] Ita *Lucretius* l. iii. *cæcas*  
*causas* dixit, id est, incertas, incog-  
nitas. Cæterum fictioni poeticæ ad-  
similis illa *Apuleii* l. ix. 'Et per qui-  
dem obtulit sese flebilis patris sui  
facies adhuc nodo devincta cervice,  
eique totum novercæ scelus aperuit  
de adulterio, de maleficio,' &c. *Cerda.*

*Retexit*] Ecce hic planius quid sit  
*nudavit* ostendit. Et utrum ad præ-  
teritum hoc refertur, an, ut quibus-  
dam videtur, quod ipsam *Didonem*  
putabat occidere, sed incertum;  
nam et ideo fugam suadere visus est.  
*Servius.*

*Retexit*] Ita *Horat.* od. iii. 23.  
'Curas, et arcanum jocoso Consilium  
retegis Lyæo.' et noster iv. 119.  
'ubi primos crastinus ortus Extule-  
rit Titan, radiisque retexerit orbem.'  
Sic v. 65. pro quo *Apul. Met.* vii.  
'Omnem scenam sceleris illuminare'  
dixit. et l. ix. 'totum scelus aperire.'  
*Emmeness.*

361 *Tua celerare fugam*] Celeriter  
abire, ut dicimus *cursum celerò*. *Serv.*

*Tua celerare fugam*] *Eustathius*, *Κε-  
λεύει φεύγειν*. *Cedrenus*: καὶ εἴπω  
αὐτῇ, φύγε· μὴ καὶ σὲ πορεύσῃ. *Cerda.*

*Patriaque excedere suadet*] In anti-  
quissimis aliquot exemplaribus *patri-*  
*am* incusandi casu legere est. Verba  
enim motum significantia, ubi præpo-  
sitionem de loco sibi vendicaverint:  
sui quasi cuiusdam juris facta, solent  
sibi adungere accusativum: ut quum  
dicimus *ex domo eo*, mox *ex eo domum*:  
quancumque et *domo*. Ita illud comi-  
cum, 'Cave ex istoc excessis locum,'  
non ineleganter dixeris, 'Cave hunc  
excedas locum.' Sic apud *Virgilium*  
est: 'exire tela.' *Pierius.*

[*Sandef*] Secundum naturam dum sunt syllabæ, sed multi trisyllabum putant: quod etiam si inveniat, solutio dicenda est: quo modo dicimus una et ævena. Hoc autem solum hujusmodi verbum in Latino invenitur. *Servius*.

363 *Auxiliumque*] In Mediceo cod. *auxilio* legitur, acquisitivo casu: ut sit sententia, recludit thesauros, qui futuri essent auxilio viæ. *Pierius*.

*Auxiliumque viæ*] Proposita fuga, addit facilitatem in tanta thesaurorum copia. *Donatus*.

*Auxiliumque viæ*] Viaticum, ἐφόδιον, ἢ τροφή. Alii l. *Auxilioque* v. Taubm.

*Recludit*] Ad opinionem somni recludere videtur, ut, 'Æternumque adytis effert penetralibus ignem.' *Serv.*

*Veteres toll. rech. Theaur.*] Hinc et *Juriconsulti* thesaurum defossum et reconditum extra hominum memoriam vocant. Quia vero poëtæ sæpe inter fabulosa commenta partem aliquam ad historica eventa referunt, doceret auctoritate virorum doctorum in eam persuasionem, ut crederem, Maronem alluisse ad thesaurum, cujus vana expectatione et promissione *Cesellius Bassus*, homo *Pœnæ*, apud *Tacit.* l. xvi. *Neroni* illuserat, ficta conjectura testatus, opes illas *Didonem Phœnissam*, Tyro profugam, condita *Carthagine*, abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret, aut reges *Numidarum*, et alias infensi, cupidinæ auri ad bellum accenderentur: in eam, inquam, sententiam discederem, nisi sæculi diversa tempora me ab ea credulitate revocarent: tum quod nondum eo, quo scripsit *Maro*, tempore tale commentum emergerat, edita tantum et acta fabula sub finem *Neronis* imperii: tum quod *Bassus* pro thesauro carbonem, ut dicunt, thesaurumque ille extiterit nunquam, sed per quietem turbido homini et *Pœno* visus et repertus tantum, non exhibitus revelata *Neroni* ex fide data fuerit, exitum

vano pollicitatori et auctori allaturus, nisi morte voluntaria principis immanitatem prævenisset: ut probabile magis sit, *Tacitum* potius, aliosque historiographos (si qui ejusdem commenti meminerint) ad hunc *Virgilii* locum respecturos fuisse, quam contra. *Germanus*.

363 *Thesaurus*] Hoc nomen, a non habet sicut *Atlas*, *Toas*, *Abas*, *Pallas*: licet in obliquis casibus inveniat: sicut nec *formosus*, quia derivativum est a *forma*: ut a *specie speciosus*, ab odio odiosus, velut a *genere generosus*, ut a *scelere scelerosus*. *Servius*.

*Thesaurus*] Plerique non *Virgiliani* tantum codices antiqui, verum etiam *Terentiani thesauros* per a, scriptum ostendunt; fuitque *Servius* super ea descriptione sollicitas, et ex veteribus quidam alii. Quo enim modo hic *thesauros* legitur, ita et in antiquo *Terentii* codice *Vaticanae* bibliothecæ scriptum est: 'atque in thesauro scripsit causam dicere unde esset *thesaurus* sibi.' Clamat *Servius* nomen hoc a litteram non habere, sicut nec *Atlas*, *Gigas*, *Abas*, *Pallas*. Licet in obliquis casibus inveniat *Atlantis*, *Gigantis*, *Abantis*, *Pallantis*. Sicut nec *formosus*, quia derivativum est a *forma*, ut a *specie speciosus*. Sed enim quæ plurima de hujusmodi descriptionis ratione dicere hic institueramus, explicata sunt in *Alexi*, versu primo. Hic id tantum monere voluimus, si *thesauros* per a scriptum invenias, id olim eruditis etiam viris negotium facessere solitum. *Pierius*.

*Ignotum argenti pondus et auri*] Aut quod ignorabat *Dido*; vel ad magnitudinem pertinet, id est, tantum quantum nullus unquam novit. *Servius*.

*Argenti pondus et auri*] *Eurip.* in *Hippol.* ἡ σιδήρεον ἢ χρυσοῦ βάρος. *Germanus*.

*Ignotum pondus et auri*] De his divitiis *Justinus* xviii. 4. 'Hinc magnæ, sed dissimulatæ opes erant: aurum-



que metu regis non tectis, sed terræ crediderat: quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.' *Emmeness.*

364 *His commota*] Id est, supradictis. *Servius.*

*Socioque parabat*] Justinus, 'Assumptis quibusdam principibus in societatem, quibus par odium in regem esse, eandemque fugiendi cupiditatem arbitrabatur.' *Cerda.*

*Socioque parabat*] Quos socios? dum nempe generum: qui et oderant tyrannum læsi, et metuebant lædendi. Ita præclare ista duo conjunxit, *Odiū* et *Metus*. nam ex timore odium nascitur. Et tyrannus cum sciat, se non amari, vult timeri: hinc illud; 'Oderint, dum metuant.' Aristoteles in *Rhet.* οὐδὲν γὰρ φιλεῖ, δὲ φοβεῖται. *Odium* autem *crudele*, per enallagen: pro, odium crudelis tyranni. Et notetur fœminæ sapiens consilium in re difficili ac periculosa. *Taubmann.*

365 *Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni Aut metus acer erat*] Oderant læsi, Metuebant lædendi, hoc est, qui timebant, ne læderentur: unde est illud in *Æn.* iv. 'quos Sidonia vix urbe revelli:' quia non voluntate, sed aut odio, aut timore convenerant. *Servius.*

*Odium crudele tyranni*] Id est, crudelis tyranni, et figura est Hypallage: nam in tyrannum, justum odium est. *Idem.*

*Odium*] Eorum, qui nonnullis viribus potuissent resistere. *Donatus.*

366 *Metus*] Eorum, qui aliquid crudelitatis expectarent. Ergo alii favebant Didoni, ne ille, occupato auro, fieret fortior: alii propter metum, quibus ferebat occasio, ut carerent ævissimi hominis dominatione. *Idem.*

*Parata*] Id est, erant: sed sciendum, quod clam tangit historiam. Moris enim erat, ut de pecunia publica Phœnices misso a rege auro, de peregrinis frumenta cœmerent. Dido autem a Pygmalione ad hunc usum

paratas naves abstulerat; quam cum fugientem a fratre missi sequerentur, aurum illa præcipitavit in mare, quare visa, sequentes reversi sunt: licet alio ordine etiam historia ista narretur. *Servius.*

*Parata*] Si enim aliquid innovassent, in navigiis data esset aperta suspicio. *Donatus.*

*Parata*] Ita etiam in re nautica Propertius eleg. i. 17. 'Ah perent quicunque rates, et vela paravit Primus.' Uterque a Plauto, qui in *Milit.* 'Ego, quantum unus possum, mihi navem paro.' *Cerda.*

367 *Onerantque auro*] Aurum omne et argentum jusserat tolli Sichæus: sed isti, quia major navium copia ad omne tollendum opus fuisset, id tulerunt, quod naves capere possent. Ergo *auro*, quod pretiosius est, et non argento. *Onerant*, ut plus etiam, quam naves ferre possent, impositum esse videatur. Quanta ergo fuit thesaurorum copia, cum, relicto argento, ne totum quidem aurum naves ferre possent? *Donatus.*

*Portantur*] Vox signatissima ad rem maris. Ita l. iv. 'en dextra fidesque, Quem secum patrios ajunt portare Penates.' Propert. eleg. iii. 7. 'Portabat sanctos alvens ille viros.' et eleg. ii. 28. 'Una ratis fati nostros portabit amores.' Inde *deportati* dicebantur exules illi, qui classe relegabantur. Terentii verba illa in *Phorm.* iii. 3. 'Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi.' explicata de portatione per maria. Sicut et Tullium pro lege Manil. qui de Pompeio 'victorem exercitum deportavit.' Loquitur enim de Pompeio, redeunte ex Africa in Italiam. Inde signatissime Charon dicitur Virgilio *portitor*. Et de eodem Propertius eleg. iii. 18. 'At tibi nanta pias hominum qui trajicis umbras, Hac animæ portant corpus inane tuæ.' Hoc Græci negligunt, neque enim in reliquis classe usurpant *ναυπηγος*, aut

*ἀνελκόμενος*, sed obvium quoque. In Cœdremo vidi, *ἐξέρριον*. In eodem *παραχθῆναι*, et *ἐν ῥήσιν περιεραισθῆναι*. Et iterum post multa, *ἐν τοῖς πλοίοις διαβύδοντας*. Cerda.

*Portantur avari Pygmal. &c.*] Quas Pygmalion jam suas putabat, unde est in iv. 'Ultra virum.' Quæ enim avaro major pœna, quam pecuniam, propter quam deliquerat, perdere. Remove hoc, et falsum est, *Ultra virum*. Servius.

*Avari Pygmalionis*] Omne illuc tendit, ut probetur, quod dictum est. Sed quo modo Pygmalionis? quia illas suas futuras animo conceperat, propter quod sibi ereptas, inique ferret. *Donatus*.

*368 Pygmalionis opes*] Tyrus opulentissima civitas fuit, cujus opes omnibus in scriptoribus decantantur. inde Stat. Thebaid. i. 'Quid si Tyriæ Phrygiæve sub unum Convertuntur opes.' Pro maximis. *Emmenes*.

*Dux femina*] Ad insultationem Pygmalionis dictum, ut ea, duce femina, perdidit, quæ assecuturum se putabat. *Donatus*.

*Dux femina facti*] *Νόημα*. Et occulta est Didas prudentiæ commendatio, non absque admiratione. *Taub.*

*369 Devenere locos*] Minus est ad Servium.

*Devenere locos*] Ordina sic, *Devenere locos, mercatique solum ubi nunc ingentia carnes morantur*. Nam ædificium institui non potuit, nisi prius emto solo. *Donatus*.

*Devenere locos*] Ex hoc loco Silius Pan. 1. 'Pygmalionis quondam per curula terris Pollutum fugiens fraterne crimine regnum, Fatali Dido Libyes appellitur oræ.' Hunc Phœnicum in Africam adventum Tertullian. lib. de Pall. *eructandi* verbo expressit: 'Scythæ exuberant in Persas, Phœnices in Africam eructant, Romanos Phryges pariunt.' Cerda.

*[Ubi]* Peculiaris elegantiae fuit apud veteres, adjungere post nomina ad-

verbium aliquod loci, idque loco *quis*, vel *qui*. Unde Poëta *locos, ubi: non, locos, in quibus*. Caesar Gall. iii. 'collis, ubi castra posita.' Terent. Eunuch. 'digna res, ubi nervos intendas.' Cicero orat. ii. 'porticus, ubi inambulamus.' Plant. Pseud. 'occasionem reperisti, ubi perconteris.' Plura Godoscal. *Idem*.

*370 Surgentem*] Erigentem se: ut, 'Surgentem in cornua cervum.' *Serv.*

*Nova Carthagini*] Carthago est lingua Pœnorum *nova civilis*, ut docet Lælius. *Idem*.

*371 Mercatique solum, facti de nomine Byraam*] Dido appulsa ad Libyam; cum ab Hiarda pelleretur, petit calide, ut emeret tantum terræ, quantum posset corium bovis tenere: tum corium in fila propemodum sectum, tetendit, occupavitque modum stadia xx. quam rem leniter tangit Virgilius: et non *tegere*, sed *circumdare*. *Idem*.

*Mercatique solum, &c.*] Silius l. i. de Didone, 'Tum pretio mercata locum, nova mœnia ponit, Cingere qua secto permissum littora tauro.' Et Appianus in *Λιβυκ. ἰδέοντο δὲ χερσὶν ἐς συνοικισμὸν λαβεῖν, ὅσον ἔν βόρσα ταύρου περιλάβη*: *Tantum soli deprecati sunt ad habitandum, quantum circumdaret taurinum corium*. Cerda.

*Facti de nomine Byraam*] Conjunxit Virgilius hæc duo nomina, Carthaginem et Byrsam, ut res vicinas. *Βόρσα* enim Græce corium, Carthago a cartha deduci videtur, utrobique vocabulo ex taurino tergo derivato: postea tamen diversa significata accipere: Byrsa enim, teste Strabone l. xvii. Carthagini arx est, ut Athenis Acropolis, Thebis Cadmeia. Carthago autem universa urbs est, quæ a Stephano et *καὶ τῇ πόλιν*, et Cadmeia et Onussa dicitur. *Naxius*.

*Byraam*] Hic te admonitum, lector, velim, Didonis historiam, quam Poëta late recensuit, non incidisse in Æneæ tempora: sed placitum hoc fingere summo Vati. Quæ res illum moverit,

dicent alii, nam ignorasse illum, ne crede. Didonem Æneas præcessit annis 228. et eo amplius, si Justinum sequaris. Supputatio clara est. Ait ille l. xliii. 'Ascanius longam Albam condidit, quæ trecentis annis regni caput fuit.' At qui l. xviii. idem loquens de Carthagine: 'Condita est urbs hæc 72. annis antequam Roma.' Eadem scribit Orosius iv. 6. Deme hunc numerum ab annis 309. et supererunt anni 228. Adjice insuper Æneæ vitam. Ab extremo numero demit Velleius l. i. annos septem, ait enim conditam Carthaginem annos quinque et sexaginta ante urbem Romam. *Cerda.*

*Byrsam*] An ex corio, in tenuissimas partes dissecto, facta sit, ut Justinus xi. 5. relinquimus in medio. Byrsa tantum a Didone Tyria exstructa est. *Acropolis* fuit appellata hæc arx, et *ὀχυρότατον τῆς πόλεως* munimentissimus urbis locus, ut Appian. c. 79. de bell. Pun. Pro *Bostra* dici volunt eruditi, quod *arcem* vel munimentum significat. Huic. arci, ubi creverunt coloni, Tyro cum Didone advecti, ampliora mœnia circumdata sunt. Instaurandæ urbis auctorem Jarbam fuisse docet Salmas. Plin. exercit. p. 322. de Byrsa et Carthagine Appian. l. de Bell. Pun. in principio: *Ὁ δ', τὸ δέριμα* (de hac voce consule P. Victor. xxxv. 18.) *περιγεμόντες ἐς ἡμέτερα ἕνα στενότατον, περιέθηκαν ἐνθα νῦν ἴσταν ἡ Καρχηδονίαν ἀκρόπολιν* καὶ ἀπὸ τοῦδε Βύρσα ὀνομάζεται. *χρῶν δὲ ἀνέσθεν ὀρμώμενοι, καὶ τῶν περιόικων ἀμείλους ὄντες ἐς χεῖρας ἐλθεῖν, ναοὶ τε χράμενοι, καὶ τὴν θάλασσαν ὅλα φοινίκας ἐργαζόμενοι, τὴν πόλιν τὴν ἔξω τῇ Βύρῃ περιέθηκαν.* Arcem, quam in medio collocat Strabo l. xvii. non nulli distinguunt ab ipsa urbe, in quibus Livius xxiv. 62. in summa arcis parte templum fuit Æsculapii, quod incendio consumptum, cum a Scipione non tantum urbs sed et arx expugnaretur. De magnitudine Byrsæ hoc habet, cum

illius potiretur Scipio, exivisse ex ea *μυριάδες πέντε ἀνδρῶν ἄμα καὶ γυναίκων* quinquaginta millia virorum et mulierum. Dictum vide Appian. de Pun. bell. c. 79. et 80. *Emmenens.*

372 *Tergo*] Pro *Tergore*. *Servius.*

*Taurino quantum*] Alii dicunt pecuniam tunc ex corio bubulo fuisse, et pecuniam dictam, quod ex pecore originem duceret: tantumque fuisse in precio loci, quantum bovis corium conficere potuisset. Alii fraudem emptoris ponunt, qui tantum mercatus sit, quantum corio bovis posset circumdari. At venditor nihil tale suspicans, arbitratus est tantum dedisse, quantum integrum corium posset occupare. Emptores vero in tenuem corrigiam illud secantes, plus quam deberent occupantes; sed fabulosa sunt omnia: nam si attendatur magnitudo urbis, et quanta a Virgilio describatur, non poterat nisi latioribus locis condi: licet poëta hoc credibile faciat dicendo, *facti de nomine Byrsæ*: quod et lingua Græca, nunc fuit Dido, et Punica, id est, ipsius regionis, in qua res est gesta, corium significat. *Donatus.*

*Tergo*] Pro *tergore*. Ita Tacitus loquens de cruciatibus Christianorum, 'pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contriti, læniata carne, interirent.' Ita contra Æneid. ix. *tergus* ponit pro *tergo*, cum ait: 'raptas fugientibus ingerit hastas in tergus.' Est enim *tergum*, *dorsum*; *tergus*, *pelvis*. Verba sunt Charisii, vel, ut ait Servius: *tergum*, *dorsum*; *tergus*, *corium*. *Cerda.*

373 *Sed vos qui tandem*] Vacat hoc loco *tandem*. Velut ante videtur expletiva conjunctio; ut est, 'Et quo anab cælo tandem?' alii *tandem* pro *tamen* accipiant. *Servius.*

*Sed vos*] Mira brevitatis interrogantis, nec fraude caret. Nam conatur ostendere, se non esse deam, sed non fallit Æneam. Nam cum magna mihi laceratione respondet. *Donatus.*

374 *Quove tenetis iter*] Naturalis interrogatio, *qui estis? unde? vel quo itur?* Sicut ipse in VIII. licet mutato ordine, '*Quo tenditis inquit?* Qui genus? unde domo?' *Servius*.

375 *Imoque trahens a pectore vocem*] *Deest dixit*. Quotiens longe respondet, Parenthesis est: quotiens nusquam, Ellipsis est, ut hoc loco. *Idem*.

*Suspirans, imoque trahens*] *Sermo-nem Achillis præcedit* II. 1. versus *Τὴν δὲ βαρυστενέων προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς*: *Hanc autem graviter suspirans alloquutus est celer Achilles*. Calaber I. 1. *μέγα στονάχῃσεν*, alte duxit suspirium. Prudentius in *περὶ στεφάν.* '*Romanus alto corde suspirans din, Gemitu querelam traxit, et sic orsus est.*' Apulejus libro 1. '*imo de pectore cruciabile suspirium ducens.*' Plantus Cistell. '*petivit suspirium alte.*' Seneca de Ira II. 3. '*altum suspirium.*' et Rhetor. Controv. II. '*repetitos alte gemitus.*' *Cerda*.

376 *O dea*] Perseverat in opinione sua: ita tamen, ut et illius orationi aliquando concedat. Nam paulo post ait, *Si vestras forte per aures Troja nomen iit*. Aut certe illud est, quod superius dixerat, *An Nympharum sanguinis una?* quæ non omnia sciunt: nam et moriuntur secundum Aristotelem, ut Fauni, Panesque. *Servius*.

*O dea*] Duo dicit impedire. Unum, quia non vacat. Alterum, quia brevis temporis narrationem expleri non patitur. Properat redire ad suos, a quibus in locis desertis noctu separari non debuit. Benevolam autem facit et honorificam, cum *deam* appellat: et attentam, cum multitudinem calamitatum suarum proponit: et non tamen omnes se dicturum. Respondet ad omnia, sed non ordine. Primo enim respondet secunda: *Quibus aut remisistis ab oris*. Et quamvis, narratione totius diei non posse expleri calamitates, dixerit, tamen brevitate miranda, labores omnium conclusit annorum. Nam dicendo, *nos Troja*

*antiqua*, primam temporis partem posuit. Dum autem *diversa per æquora vectes*, mediam: et, *forte sua Lybica*, ponit postremam, et simul ostendit, quod violentia fluctuum illic appulerit. et quia cum dea pntabat se loqui, commendat personam suam, dicendo, *raptos qui ex hoste penates, &c. Donatus*.

*Ab origine*] A raptu Helenæ. *Serv.*

*Ab origine*] Ab ultimo initio, id est, a raptu Helenæ. Propert. el. III. 4. '*Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima Incipe: suspensis auribus ista bibam.*' *Annales* autem laborum festiva tralatione dixit; notans labores magnos, et qui digne in annales a Pontifice Max. referantur. Et sunt, qui putent pontificiam dignitatem hic Æneæ tribui. De quo Macrobius, Nascimbænnus; itemque de *Annalibus* Cic. De Orat. II. *Taub.*

*Pergam*] Perseverem, hoc est, *universa dicam. Servius*.

377 *Annales*] Inter historiam et annales hoc interest; *Historia* est eorum temporum, quæ vel videmus, vel videre potuimus, dicta *ἀπὸ τοῦ ὁρωμένου*, id est, videre. *Annales* vero sunt eorum annorum, quos ætas nostra non novit, unde Livius ex annalibus et historia constat. Sed confunduntur licenter, ut hoc loco pro historia dixit annales. Ita autem annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis Pontifex Maximus habuit, in qua, præscriptis Consulnm nominibus et aliorum magistratum, digna memoratu notare consueverat, domi militiæque, terra marique gesta per singulos dies. Cujus diligentia annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt; eosque a Pontificibus Maximis, a quibus fiebant, *Annales* maximo appellarunt; unde quidam ideo dictum ab Ænea annales ajunt, quod et ipse religiosus sit, et a Poëta tum Pontifex inducatur. *Idem*.

*Et vacet annalis nostrorum audire laborum*] In perveteri codice, manu-

scripto, *Annalis nostrorum audire parentum* legitur: quod forte non displiceat, si quantum interrogationi congruat, responsum perpenderimus. Tria enim percontata fuerat Venus: quinam essent, unde degressi in Lybiam advenissent, et quo demum essent profecturi. Cujus interrogationis pars prima, *sed vos quinam estis*, duplicem requirebat responsionem: a genere, vel a specie. Nam quo quis celebris habeatur, aut majorum nobilitas, aut virtus propria debet efficere. *Æneas* vero, qui se hujusmodi distinctioni obligatum intelligit, angustia temporis circunseptus videt longum et importunum esse, majorum suorum gloriam recensere, festinandumque esse ad speciem, et ad individuum, ut quod nunc instat, interrogantem sibi conciliet. Itaque prudenter ea, quæ ad Majores suos pertinent, nolle se recitare per occupationem dicit: fuisse vero nobiles, eo comprobat argumento, quod tot et tam magnæ sint a majoribus suis gestæ res (id enim significant *Annales*) ut vix dies narranti sit suffectura. Reliqua vero responsa, quum manifesta sint, prætereo, ut minime ad commemorandum necessaria. Donatus tamen cum aliis codicibus, *laborum non parentum* videtur agnoscere, dum ita exponit: quia narrationem malorum unius anni, diei tempus expleri non patitur. Ita enim *Annales* videtur interpretari, et malorum paraphrastice pro *laborum* posuisse: ea tamen curta sunt in vulgaris exemplaribus. *Pierius.*

*Annalis*] Cum res gestæ plurimum annorum componuntur, observato cuiusque anni ordine, *annales* fieri dicuntur, ut Gell. v. 18. ubi quid differant annales ab historia et ephemeride cognosces. Inde Juvenal. sat. 11. 102. 'Res memoranda novis annalibus, atque recente Historia.' *Emmeness.*

378 *Clauus*] More poetico, qui dicunt cælum per noctem claudi, per

diem aperiri: unde est, 'Porta tonat cæli.' et 'Considunt tectis bipatentibus.' *Servius.*

*Conponet*] Finiet: ut, 'Oblato gaudens conponi fœdere bellum.' Et, 'Non nostrum inter vos tantas componere lites.' Alibi pro disponere: 'Nec componere opes norant.' Alibi pro conjungere: ut, 'Conponens manibusque manus.' Alibi pro comparare: ut, 'Sic parvis componere magna solebam.' Alibi pro fundare: ut, 'Nunc placida conpositus pace quiescit.' *Idem.*

*Conponet*] In codicibus aliquot antiquis, non invenuste, *Conponat* habetur. *Pierius.*

*Conponet*] Mortui proprie dicuntur componi. Quam translationem non ineleganter diei, quæ occidit, accommodatam esse asserit Turn. x. 11. et de moriente die. xviii. 14. verum habes ex Papiniano Silv. l. iv. 'Jam moriente die rapuit me cœna benigni Vindiciæ.' Plaut. Menechm. i. 2. 45. 'dies quidem jam ad umbilicum dimidiatus est mortuus.' Plura de verbo *conponere* dicta ad vers. hujusce libri 249. Aliis verbis profert Maronis sententiam Stat. Thebaid. l. 1. 'vix lucis spatio, vix noctis abactæ, Ennumerare queam mores,' &c. *Emmeness.*

*Vesper*] Proprie est stella: cum autem *vesperi* dicimus, adverbium temporis est. Modo sane utrumvis accipe. Sciendum tamen est, quod omnia nomina, quæ de Græcis in æ exeunt et ad nos transeunt, apud nos aut in æs tantum exeunt, ut *Delos Delus*: aut in er, ut *ἄγρος ager*: aut in utrumque, ut *Evandros, Evandrus, Evander*. *Servius.*

379 *Troja antiqua*] Nobili, venerabili: more suo, alibi, 'Terra antiqua,' id est, nobilis, aut certe cara: et hoc ideo, quia dixit, 'quibus aut venistis ab oris.' *Idem.*

*Si vestras forte per a.*] Cum apud Deam sciat se loqui, cur ait, *Si res*

tras per aures: et Forte hic, aliqua ratione. *Idem.*

380 *Troja nomen iit*] Notat J. C. Scaliger iv. 16. verbum *iit*, et *iit*, mirum quantum placuisse Virgilio: quemadmodum et conjunctionem *ut*. *Exempla ibidem videas. Taubmann.*

*Vectos*] In perveteri quodam codice, *jactos* legi: quod pro *jactatos* intelligi oporteret. Ut illud, 'Quo primum jactati undis.' Sed major pars veterum codicum *vetos* habet: idque omnino melius. *Pierius.*

381 *Forte sua*] Casu suo, id est, quo solet. *forte* autem nomen est, a nominativo *fors*, ut Terentius, 'Fors fuit pol': ipse alibi: 'Quoniam fors omnia versat.' *Servius.*

*Forte sua*] Casu suo, id est, quo solet. Ita et Livius l. i. 'Forte quadam invenit,' &c. *Taubmann.*

*Libycis*] Jam scivit: audivit enim, 'sed fines Libyci.' *Servius.*

*Appulit oris*] Figura supra dicta. *Servius.*

*Tempestas appulit oris*] Eurip. in Orest. Μαλέα προσέλαχον πῶραν. Homerus Odyss. v. ita, δέυρο κύμα πέλασσε. Totus vero hic locus compositus est ad umbram ejusdem Homeri, atque Euripidis. Ulysses quidem odyss. ix. inducitur respondens Polyphemo paria Virgilianis ab eo versu, ἡμεῖς τοι τροίηθεν, &c. et paria idem Ulysses eidem Cyclopi apud Euripidem ab eo, Ἰθαχῆσιοι μὲν τὸ γένος, indicasse sit satis. *Cerda.*

382 *Sum pius Æneus*] Non est hoc loco arrogantia, sed iudicium. Nam scientibus aliquid de se dicere, arrogantia est: ignotis, iudicium. Aut certe heroum secutus est morem, quibus quam mentiri turpe fuerat, tam vera reticere. Denique Ulysses in Homero ait, suam famam usque ad cælum venisse: unde et iste, *Fama super aethera notus*. Aut certe vetuste pietatem pro religione posuit. Sallust. in Catil. 'Verum illi delubra Deum pietate, domus suas gloria decora-

bant.' Plautus in Pseudolo, 'Non potest pietate obsisti, sive ut res sunt cæteræ, Deos quidem quos maxime est æquum metuere, eos minimi facit.' Sane *pius* potest esse et purus, et innocens, et omni carens scelere. *Piare* enim antiqui purgare dicebant; inde etiam *piamina*, quibus expurgant homines, et qui purgati non sunt, impii. *Servius.*

*Sum pius Æneus*] Non temere suas laudes effudit: est enim et pietas et fortitudo. *Ex hoste rapuisse* virtutis est: *vehere*, constantiæ: *classe*, prudentiæ militaris. Putidi vero Grammatici, cum accusant Virgilium illius laudis, *Fama super aethera notus*, damnare prius Homerum debuerunt: καὶ μὲν κλέος οὐρανὸν ἴκεν. *Taubmann.*

*Raptos qui ex host. p.*] Hoc est, sum pius. Optima antem elocutio est, plusque significat de pluralitate ad singularitatem transire: ut *venor multis canibus*, et *multo cane*, ut Horatius, 'Aut trudit acris hinc et hinc multo cane Apros in obstantis plagas.' Sane de diis penatibus licet varias opiniones secutus sit Virgilius; omnes tamen diversis locis complexus est. Nam alii, ut Nigidius et Labeo, Deos penates Æneæ Neptunum et Apollinem tradunt, quorum mentio fit, 'Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.' Varro Deos Penates quædam sigilla lignea, vel marmorea, ab Ænea in Italiam dicit esse advecta, cujus rei Virgilius meminit: 'Effigies sacræ divum, Phrygiique Penates, Quos mecum a Troja mediisque ex ignibus urbis Extuleram.' Idem Varro hos deos Dardanum ex Samo Thracia in Phrygiam, de Phrygia Æneam in Italiam memorat portavisse. Alii autem, ut Cassius Hemina, dicunt deos Penates ex Samo Thracia appellatos, θεοὺς μεγάλους, θεοὺς δυνατοὺς, θεοὺς χρηστοὺς. Quorum diversis in locis ita meminit, 'Natoque, penatibus et magnis Diis;' hoc est θεοὺς μεγάλους. Et iterum,

libata; et advoco Livium l. xlv. de Perseo jam victo: 'Æmilius lacrymasse dicitur sorti humanæ, quod, qui paulo ante non contentus regno Macedonia, Dardanos Illyriosque oppugnasset, Bastarnarum civisset auxilia; is tum, amisso exercitu, exitoris regno, in parvam insulam compulsus, supplex, fani religione, non viribus suis tutus esset.' *Cerda.*

*Peragro*] *Per* habet accentum: nam a longa est, sed non solida positione: muta enim et liquida quotiens ponuntur, metrum levant, non accentum. *Servius.*

389 *Europa atque Asia pulsus*] Aut orbem in tres partes divisit, et absolutum est, quia in Africa positus, quæ orbis pars tertia est, aut si Europam tantum et Asiam intelligamus, ut Africa in Europa sit. Invidiose locutus est; ut supra Venus, 'Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis:' quasi cum indignatione dicat, *Per Trôjam Asia careo: per Italiam Europa.* Denique non passa Venus, ejus interruptit querelas. Sane Europa, Agenoris filia, a qua pars orbis nominata est. *Idem.*

*Europa atque Asia*] Tacuit de Africa, quia in ipsa erat. Venus autem sermonem interruptit, vel quia norat euncta, vel quia maturandum, quoniam ante noctem via monstranda erat. *Donatus.*

390 *Dolore est*] Aut narrantis Æneæ, aut certe suo dolore. Æquum enim est, malis filii etiam ipsam moveri. *Servius.*

*Interfata dolore est*] *Dolore* aut Æneæ narrantis, aut matris auscultantis. *Servius* tamen illud mavult. Jam *interfari* accusandi casui etiam alii junxere. Val. Max. ix. 5. 'quia interfari concionantem ausus fuerat, obtorta gula, in carcerem præcipitem egit.' Livius l. xxxvi. 'dicere exorsos consil interfatus est.' Plin. Ep. xxiii. 'Et quem interfari nefas es-

set,' id est, interpellare loquentem, *ἀνατροπὴν. Taubmann.*

*Interfata dolore est*] Sic Micio pater-num affectum exserabat, cum Æschy-num queritantem interpellaret. Vide quæ Donatus observaverit ad Ter. Ad. iv. 5. 45. *Emmeness.*

391 *Quisquis es*] Pleraque per concessionem sic tradit poëta, ut augmentum faciat: sicut hoc loco, Audierat Venus, *Sum pius Æneas famæ super æthera notus*, dicit tamen *Quisquis es*: hoc est, etiamsi hæc in te non sint, hinc tamen constat, te esse felicem, quod venisti Carthaginem. Item in secundo, 'Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos:' hoc est, qualibet ratione contra nos bella susceperis. *Servius.*

*Quisquis es*] Adhuc veluti cum ignoto loquitur. *Donatus.*

*Quisquis es*] Veteres, quando ignorabant, cum quo loquerentur, vel quum ignotum compellarent, tali utebantur formula. Ter. Ph. i. 4. 19. 'Satis pro imperio quisquis es.' Noster crebro: Æn. ii. 148. 'Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos, Noster eris.' et Æn. vi. 388. 'Quisquis es armatus qui nostra ad limina tendis.' De hac locutione plura Brissonius de Form. l. vii. *Emmeness.*

*Haud (credo) incivis celestibus*] Liptotes figura, per contrarium significans, id est, credo te esse carissimum superis: ut alibi, 'Munera nec sperno:' supra, 'Mhi jussa capessere fas est.' *Servius.*

*Celestibus*] Secundum Pythagoram et Platonem dixit, qui confirmant vivos esse superis charos, mortuos vero inferis. Unde et Virgilius de Pallante, 'Et nil jam celestibus illis Debentem.' Item contra: 'Vos o mhi manes Este boni, quoniam superis aversa voluntas.' *Idem.*

*Haud*] Equidem oportet te diis charum esse, quoniam Carthaginem veneris. Hæc verba omnium spon-

debant effectum, de quibus conquestus erat. Nam et noticiam sui et celebritatem et humanitatem pollicetur. *Donatus.*

*Invisus celestibus*] Est hoc, quod Horatius iratus *Diis*: quod Plantus *genio adverso*. quod Homer. Od. III. *ὅς γὰρ δῖω Ὀφρε θεῶν ἀέκρητος γερῆσθαι, νεραφέρεττε*: non enim puto *Te Diis invisitis natumque nutritumque*. *Cerda.*

*Auras Vitalis carpis*] Quibus vivimus. Nil est enim aliud vita, quam reciprocus spiritus: unde et Jupiter, quo constant omnia, *ξῆς* vocatur, *ἄρδ τῆς ξῆς*, id est, vita. *Servius.*

*Auras Vitalis carpis*] Est hoc, quod inf. 'vesci aura ætheria.' Ut hic 'auras vitales,' ita Plant. Pœnuli. 'vitale ævum,' et Lucret. l. III. 'ventus vitalis.' Ibidem 'vitales auras.' *Cerda.*

392 *Vitalis*] *Vitale* dicitur quicquid vitæ usui est, ad vitam quicquid pertinet vel eam adjuvet. Vide Lambinum, fusius hoc vocabulum interpretantem ad Hor. Sat. II. l. 'Quisquis erit vitæ, scribam, color. O puer, ut sis Vitalis, metuo.' *Emmeness.*

*Carpis*] Accipis modo: ut 'Et placidam carpebant membra quietem.' *Servius.*

*Tyriam*] Carthaginem a Colonia. *Idem.*

*Adveneris urbem*] Hysterologia: hoc est, ad urbem veneris. *Idem.*

393 *Perge modo*] Tantummodo: hoc est, Hæc tibi sola sit cura: nam liberatæ sunt naves. *Idem.*

*Perge*] Hortatur, ne redeat ad snos, ut proposuerat, sed eat Carthaginem. *Donatus.*

*Perfer*] Imperativus modus, ut, 'Fer cineres, Amarylli, foras.' *Servius.*

394 *Namque tibi*] Demit sollicitudinem de sociis, salutem illorum augurio nuncians. *Donatus.*

*Reduces*] *Reduces* proprie dicuntur, qui pericula evadunt: sicut infra, 'Ut reduces illi ludunt:' scilicet post pe-

riculum, iplatum ab aquila. *Servius.*

*Reduces socios*] Qui periculis erepti sunt, *reduces* dicuntur. Sic de Græcis, expugnata Troja, Stat. Achill. l. i. 'dabo tollere fluctus Cum reduces Danaï,' &c. Ter. H. II. 4. 18. de Clinia adolescente, qui ex militia ad amicam revertebatur, 'Tu nunc sola reducem me in patriam facis.' *Emmeness.*

395 *Versis aquilonibus*] Aut speciem pro genere posnit, hoc est, mutatis ventis; aut quia, postquam ad Africam iter verterunt, adversus ante Aquilo, cœpit esse prosperior. *Serv.*

396 *Ni frustra augurium vani docuere parentes*] Hoc ad confirmandum errorem *Æneæ* dixit, et est argumentum ad fallaciam, ne intelligat Deam. Quod autem dicit *Vani parentes*, ant hypallage est, id est, vanum augurium: ut, 'Dare classibus austros,' et 'Ibant obscuri sola sub nocte;' pro, ipsi soli per obscuram noctem: ant certe vani parentes, qui res falsas et inanes docent. Et per hoc plerumque decipere ostendit anguria. Multi volunt ad nimium hoc amorem parentum referri; qui teneritudine affectus, etiam superflua liberos docent. Quidam cœci, mendaces tradunt. Sallust. in Jugurtha, 'Ego quidem vellem et hæc quæ scribo, et illa, quæ antea in Senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret.' Terentius in Phormione, ubi adolescens Lenonem mendacii arguit, 'Non te pudet vanitatis.' *Idem.*

*Ni frustra, &c.*] Ordina sic: Ni vani fuere parentes, id est, majores nostri, et frustra nos docuerunt. *Donatus.*

397 *Bis senos cycnos*] Cygnos navibus comparat, aquilam tempestati. In anguriis autem considerandæ sunt non solum aves, sed etiam volatus, ut in præpetibus: et cantus, ut in oscinibus: quia nec omnes, nec omnibus dant auguria: ut columbæ non nlei regibus dant; quia nunquam sim-



gulæ volant, sicut rex nunquam solus incedit. Unde est in sexto, 'Maternas agnovit aves,' per transitum ostendit regis augurium. Item cygni nullis dant, nisi nautis : sicut lectum est in *ὀρνιθογολία*, 'Cycnus in auguriis nautis gratissimus augur, Hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis.' Cygnos autem habere divinationem etiam Cic. in Tusculan. l. 1. docet : 'Ut Cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo divinationem habere videantur.' *Servius*.

*Bis senos*] Numero navium conquantur, quas Æneas putabat oppressas. *Donatus*.

*Latantis*] Post periculum. *Servius*.

*Agmine*] Volatu, impetu. *Agmen* autem apud Virgilium, cujuslibet rei impetus : ut, 'Illi agmine certo,' et, 'Vocat agmina sæva sororum.' *Idem*.

*Aspice bis senos latantis, &c.*] Ideo *bis senos* : quia in auguriis par numerus, et maxime duodenarius, habebatur absolutus. Sic Romulus sex vultures, Remus duodecim observasse dicitur. *Latantes*, defuncto scilicet periculo : et quidem *agmine* ; id est, volatu, impetu ; sive etiam *ἀγελῶδον* et gregatim volantes. Est autem odium inter aquilas et cygnos intestinum : ita tamen, ut cygni aquilas nunquam aggrediantur ; tantum invadentes repellant. De quo Aristoteles Hist. Animal. et Ælianus l. 1. Jam *Servius* *Cygnos* navibus, *Aquila* tempestati comparat. Et recte : quia cygni nautis augurium faciunt ; juxta Poëtam : 'Cygnus in angustis nautis gratissimus ales, Hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis.' Vel etiam, quia Juppiter in Cygnum versus, ex Læda Castorem et Pollucem, aspiciata nautis signa atque numina, procreavit. Cur denique *Aquila ales Jovis* sit, quæ et alibi : *Nuncia fulva Jovis : Jovis pinata satelles : Jovis famula : Jovis ar-*

*miger* indigitatur, a multis varie disputatur. Physici ideo dicunt fieri ; quod Aquila fulmine non tangatur : quemadmodum *Laurus* et *vitulus marinus*. *Taubmann*.

398 *Ætheria*] *Æther* altior est aëre, vicinus cælo : *ἀνὰ τοῦ αἵθερος*, id est, ardere. *Servius*.

*Ætheria quos*] Ut cygni post perturbationem, illatam ab aquila, liberati, suo ordine læti volantes, terram captam petunt : sic tui a tempestate erepti, tuti sunt. *Donatus*.

*Jovis a.*] Aquila, quæ in tutela Jovis est : quia dicitur dimicanti ei contra Gigantes fulmina ministrasse : quod ideo fingitur, quia per naturam nimii est caloris ; adeo ut etiam ova, quibus supersidit, possit coquere, nisi admoveat *Ætiter* lapidem frigidissimum, ut testatur Lucanus, 'Fæta tepefacta sub alite saxa.' Aut quia nec aquila, nec laurus dicitur fulminari, ideo Jovis ales aquila ; *Jovis* coronam lauream accepimus, et qui triumphans, lauro coronatur. Sane aliter proprie dicuntur aves, quæ volatu auspicia faciunt, Buteo, Sanqualis, Inmusculus, Aquila, Vulturinus. Sane de aquila est et alia fabula : apud Græcos legitur puerum quendam, terra editum, admodum pulchrum membris omnibus fuisse, qui *ἀερὶς* sit vocatus : hic cum Iupiter propter patrem Saturnum, qui suos filios devorabat, in Creta insula, in Idæo antro nutriretur, primo in obsequium Iovis se dedit, post vero cum adolevisset Iupiter et patrem regno pepulisset, Iuno permota forma pueri, velut pellicatus dolore, enim in avem vertit, quæ ab ipso *ἀερὶς* Græce dicitur, a nobis Aquila, propter aquilum colorem, qui ater est ; quam avem Iupiter sibi inhæreere præcepit et fulmina gestare : per hanc etiam Ganymedes, cum amaretur a Iove, dicitur raptus, quos Iuppiter inter sidera collocavit. Et quia aquilæ hæc est natura, ut Solem

recto lumine spectet, signum quoque aquilæ, quod in cælo est, orientem semper Solem videtur adtendere. Alii dicunt ab hac avi Iovem raptum et ad latebrās Cretenses perlatum, cum a Saturno ubique quæreretur. Ipsum etiam Iovi, cum adversus Titanas bellum gereret, obvolasse in augurium, ac statim victoriam consecutum, et ideo inter sidera collocatam. *Servius*.

*Aperis*] Id est, sereno: nam augurio vitium additur, si tonet tantum; vitium et calamitas, si tonet, grandinet, et fulminet simul, teste Donato ad Terent. *Taubmann*.

399 *Turbabat*] In antiquis aliquot codicibus, *turbabat* exacta specie legitur. Sed *turbabat* imperfecto præterito magis placet, ut res jam tum oculis subjecta videatur. *Pierius*.

*Ordine*] Nonnulli pro *serie* accipiunt. Nam 'Et cœtu cinxere polum,' ad ordinem retulisse, quamvis quidam quærant, quomodo ordine, cum mox, cœtu, dicat. *Servius*.

400 *Caperet*] Eligere: ut, 'Ante locum capies oculis.' *Idem*.

*Despectare*] Id est, electas jam intentins despicere. *Idem*.

*Aut captas jam despectare*] *Captas*, id est, *capiendas*, ut superius 'submersas obrue puppes,' id est, *submergendas*. Vide Sanct. Minerv. p. 55. Quod aves ex alto despiciunt, quas metentur terras, notavit Salmas. Plin. exercit. p. 164. *Emmeness*.

401 *Stridentibus alis*] Signum augurii est. *Servius*.

402 *Cætu*] Dicit Plinius Secundus in naturalis historia, omnes aves colli longioris, aut recto ordine volare, ut pondus capitis præcedentis canda sustineat: unde et prima plerumque deficiens, relicto loco incipit esse postrema: aut in cœtu, ut se omnes invicem portent: neque enim huiusmodi aves simul ad inferiora descendunt, sed paulatim per reflexos in gyrum volatus. Hoc autem volatu

imitantur literas quasdam: unde Lucanus. 'Et turbata perit dispersis littera pennis.' *Idem*.

*Cantusque dedere*] Allusit ad nautas: multi tamen asserunt, cygnos inter augurales aves non inveniri, neque auguralibus commentariis eorum nomen illatum. Sed in libris reconditis lectum esse, 'posse quamlibet avem auspiciū attestari, maxime quia non poscatur.' Hoc enim interest inter *augurium* et *auspiciū*, quod *augurium* et petitur et certis avibus ostenditur; *auspiciū* qualibet avi demonstratur, et non petitur: quod ipsum tamen species augurii est. Sed Virgilius amat secretiora dicere, nam totum nomen augurum executus est proprietate verborum. Alites enim ostendit cum ait, *stridentibus alis*: Oscines cum dicit, *Et cœtu cinxere polum cantusque dedere*. Hoc idem et de columbis fecit: nam et hæ inter augurales aves dicuntur non inveniri, et tamen ex his augurium et postulari facit et ostendit: ut, 'Este duces, o, si qua via est: cursumque per auras Dirigite in lucos.' *Idem*.

403 *Puppesque tuæ pubesque tuorum*] Tropus synecdoche, a parte totum significat: ut Terentius, 'O lepidum caput,' id est, *lepidus homo*. *Pubes* autem flos inventutis. *Idem*.

*Pubesque tuorum*] *Pubes* et *Puber*, qui generare potest. Catullus: 'Ego puber, ego adolescens, ego ephēbas.' Idem et vesticeps vocatur: cui contrarium *Invectis*, id est, imberbis. Notat Festus, *Pube συνδοχικός*, ab iis, qui puberes sunt, omnem populum significari. Ad quod Scaliger, Doctissimus, inquit, Romanorum Virgilius inter alia reconditæ antiquitatis arcana, et hoc posuit, cum ait: 'puppesque tuæ pubesque tuorum,' ex ea enim consuetudine dixit, cum exprimeret Homericum, *ὄν ἡνίε σφ καὶ σοῖς ἐρπόμεν*. *Taubmann*.

404 *Ostia*] Proprie dicuntur exitus

fluviorum: sed modo abusus est: quia plerumque ostia ipsa pro portu sunt. *Servius*.

*Ostia*] Proprie aditus fluviorum, sed hic pro portu. Ut et Tullius in Verrem VII. et alii non semel. Illud de pleno velo ad alia transit proverbialiter. Philostratus de vitis Sophistar. I. I. πλήρεσιν ὁρίους ἐς φιλοσοφίαν ἀφῆκεν: contulit se ad philosophiam plenis velis. Est subit ostia, ingreditur ostia: ita Catull. in epithal. Iuliae: 'subi forum,' id est, ingredi. *Cerda*.

405 *Perge*] Exhortatum ad facilitatem rei ducit. *Servius*.

*Via*] Pro hac via: et videtur demonstrare. *Idem*.

*Et qua te via*] Ne ille diceret, Non novi iter. *Donat.*

*Et qua te via*] In odice Longobardico legere est, *quo te ducit*, per verbum futuri temporis, et adverbium ad locum: vulgata tamen lectio castior habetur. *Pierius*.

*Qua te ducit via*] Præoccupat, ne querat Æneas locorum ignarus, qua via iter facere debeat. *Taubmann*.

406 *Avertens*] Se subaudi, hoc est, cum averteretur: ut, 'Tum proram avertit.' *Servius*.

*Rosea*] Id est, pulchra. *Idem*.

*Rosea*] Auroræ proprium est epitheton, quod ex Homero discas, Il. A. 477. ῥοδοδάκτυλος ἠώς: sed veteres omnia pulchra dicebant rosea. Inde apud nostrum roseo ore, roseas genas. Horat. od. I. 13. 'roseam cervicem,' ad quem locum Torrentium adhibeto. A Græcia fuit hoc loquendi genus. Musæus vs. 114. ῥοδοειδέα δάκτυλα κοίτης. Operæ feret pretium, qui legit Anacreontem, et ejus præcipue Carm. 58. ubi hæc inter alia de Rosa: ῥοδοδάκτυλος μὲν ἦν, ῥοδοπήχες δὲ νύμφαι, ῥεδόχρους δ' Ἀφροδίτη, &c. *Emmeness*.

407 *Ambrosiæque comæ*] Aut ambrosia, unguento deorum oblitæ, divinum odorem spiravere: et est hy-

pallage, ut sit divinus comæ ambrosiæ odore spiravere: aut certe abusive dixit, divinæ comæ. *Servius*.

*Ambrosiæque comæ*] Sic ejus comæ se effuderant, ut putarentur Ambrosia, qua mulieres in unguentis admiscunt, perfusæ. *Donatus*.

*Ambrosiæque comæ*] Ambrosia nomen tantum Deorum cibum, sed et augumentum significat, teste Servio Æneid. XII. 419. 'spargitque salubris Ambrosiæ succos.' Ergo comæ ambrosia debita spirant odorem. Noster imitatus videtur Homerum Iliad. XII. 529. Ἀμβροσίας χυτὸς. Imo omnia eximia et divina Ambrosia appellantur. Claud. nupt. Honor. 'Ambrosiæque sinu puerum complexa.' Apulejus in laudatione Veneris Metam. I. VIII. 'Ambrosium corpus,' et I. IX. 'Ambrosii pedes.' Opinionem veterum de Diis attingit Turneb. XX. 39. qui eos credebant Deos, qui suavissimum spirabant odorem. Ovid. Fast. I. v. 'Mansit odor, posses scire fuisse Deam.' *Emmen.*

408 *Spiravere*] Exhalavere. *Serv.* *Spiravere*] Plutarch. in lib. de Isid. τοῦ χαρμὸς ἀμβροσίας πνέοντος: corpore ambrosiam spirante. *Cerda*.

*Spiravere*] Sil. Ital. I. VII. 'Antra spirantem sacro traxerunt vertice odorem.' *Emmeness*.

*Vestis defluxit*] Quia dixit supra, 'Sinus collecta fluentis.' *Servius*.

*Pedes vestis defluxit ad imos*] Hanc divinitatis notam ut dissimlaret, prius fuerat, 'Nuda genu, nudoque sinus collecta fluentis.' Et quidem hanc fuisse notam divinitatis satis indicant Statius, Tibullus, et Propertius, qui illam dant Baccho. Primus Achill. I. I. 'Si decet aurata Bacchum vestigia palla Verrere.' Alter eleg. I. 7. loquens de hoc Deo: 'Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.' Tertius eleg. III. 17. loquens de eodem, 'Et feriens nudos veste fluente pedes.' *Cerda*.

409 *Vera*] Bene vera, de qua ante

habitabatur. Servius.

[Incessu] Hoc verbum apud Virgil. sæpe pro honore ponitur; ut, 'Ast ego quæ divam incedo regina.' et, 'Forma pulcherrima Dido Incessit.' *Idem.*

[Et vera incessu patuit dea.] Completis quæ voluit, dimisit lætum et instructum: et plurimis signis se manifestavit, et splendore, et odore, et defluxu vestis. *Donatus.*

[Et vera incessu patuit dea] Quare Virgilius dixerit, Venerem veram incessa patuisse Deam, non omnibus notum est. Antiquissima quæque decorum simulachra, quod observant viri magni, erant τοὺς πόδας συμβεβηκυῖα. Dique ipsi non gradiuntur, sed flunt: ut docet Calasiris sacrorum Ægyptiorum Antistes apud Heliodorum l. iii. Ex hac doctrina hanc Virgilius, qui Deam agnoscere facit τῷ θαλάσῳ, incessu: ὁρμὴν ἀναγκάσας τρωάδων μᾶλλον τὸ περιήξω, ἢ διανοησόμενον. *Petitus.*

[Et vera incessu patuit dea] Ut Juno ex incessu cognosci potest, de qua supra vs. 50. sic hoc loco Venus: et apud Sil. Ital. l. vii. 'Dumque hæc aligeris instat Cytheræ, sonabat Omne nemus gradiente Dea.' Ejus quippe gressus fuit sublimior, ut infra vs. 419. *Emmenas.*

[Matrem Agnovit] Nunc matrem cognoscit: nam deam esse, superius dixerat. *Servius.*

410 [Fugientem] Celeriter abecedentem: ut alibi, 'Ad terram fugit.' *Idem.*

[Vocē] Pro oratione. *Idem.*

[Vocē] Quando gradiendo vel currendo non potuit. *Donatus.*

[Tali fugientem est voce secutus] In Longobardico exemplari mutato numero legitur, fugientem tali est voce secutus. Sed prior numerus ex tetrametro longe magis placet, quia non ita languidus. *Pierius.*

[Tali fugientem est voce secutus] Ut hoc loco abeuntem matrem voce pro-

sequitur Æneas, sic simile exemplum apud Stat. Thebaid. l. x. 'Ut vero aversæ gressumque habitumque notavit, Et subitam a terris in nubila crescere Manto, Obstupuit, Sequimur, divum quicumque vocasti, Nec tarde paremus, ait.' *Emmenas.*

411 [Quid toties] Sæpe: et aut *κατὰ τὸ συνήθως* intelligimus, sæpe enim esse delusum: aut certe secundam ipsam Virgilium, qui ait in secundo, 'Cum mihi se non ante oculis tam clara videndam Obtulit.' Multi tamen volunt in hoc ipso loco sæpe eam esse deceptum: ut in habitu, quia virginem, quia venatricem, quia Tyriam, in interrogatione, in responsione, in auguriis, vel totiens crudelis, quotiens fallis et dissimulas. *Servius.*

[Quid] Incusatio non contumeliosa, sed ex affectu et religione procedens: Ergo, mater, nomen tuum confiteri noluisti, et quasi aliena locuta mecum maternis verbis, miseria mea non levasti: nec semel hoc fecisti, sed sæpe. Constat enim inter ipsos multa et varia fuisse colloquia, in quibus ille vultu, habitu, et colloquio matris, falsus est. Debit autem incusatio ad abeuntem non esse longior, quam ut celeriter ad fugientis aures pervenire posset. *Donatus.*

[Quid natum toties, &c.] Est hoc quod Helena ad Venerem Iliad. Γ. 399. τί με ταῦτα λιλᾶσαι ἡγερονόων; cur me his cupis decipere? Quod Ulysses ad matrem Odysse. xi. τί τό μ' ὀ μύγρεαι ἰδέω μεμαῖατα; cur me non spectas amplecti cupidum? *Cerda.*

[Tu quoque] Sicut Juno, æterique dei, qui Trojanis inimici, quos et in secundo libro ostendit; ubi ait, 'Inimicæque Trojæ Numina magna deum.' *Servius.*

412 [Cur dextræ jungere dextram] Majorum enim hæc fuerat salutatio: ejus rei τὸ ἀφ' ἑνός, id est, causam, Varro, Callimachum secutus, exposuit: asserens omnem eorum honorem dexterarum constituisse virtute:

ob quam rem, hac se venerabantur corporis parte. *Idem.*

*Cur dextræ jungere dextram Non datur*] Hunc salutationis morem, in nexis nempe manibus, in argumentum amicitiae, Græci nominant δεξιούσθαι: quod in Pluto Aristoph. interpres exponit ταῖς δεξιᾶς ἀνωδέσθαι: præterquam enim, quod dextra fidei pignus sit, etiam in amicis gratulationibus suis fungitur partibus: inde Noster *Æn.* viii. 122. ubi Pallas Æneæ adventum gratulatur: 'Egrederere o quicumque es, ait, &c. Accepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.' *Emmeness.*

413 *Veras audire et reddere voces*] Ideo quia virginem se dixerat. Sunt multæ reciprocae elocutiones, ut hoc loco: sunt multæ unius partis, utrique sufficientes, ut, *tenemur amicitiiis*: ridiculum enim est, si addas, *mutuis*: cum *Amicitiiis* utrumque significet, sicut Fronto testatur. Item sunt elocutiones, quarum una pars plena est, quæ si convertantur, habent aliquid superfluum: ut in Salustio, 'In tugurio mulieris ancillæ:' bene addidit *ancillæ*. At si dicas, *in tugurio ancillæ mulieris*: erit superfluum *mulieris*. Ancilla enim et conditionem ostendit, et sexum. Item, 'Res erat prætoribus nota solis:' hoc suffecerat: male ergo addidit, 'Ignorabatur a cæteris.' Quod si convertas, nil esse superfluum invenitur. *Servius.*

*Reddere*] In codicibus aliquot vetustioribus, *redere* unico *d* scribitur. Sed enim geminatum *d* in eo verbo Velius Longus asserit: non ita autem in *reducere*. Quod ideo fuit adnotandum: quia sunt hodie qui clamitent ex publicis cathedris *redo* simplici *d* scribendum. *Pierius.*

*Audire et reddere voces*] Est hoc, quod Terentius, Plautus, Cicero, rîcissim loqui. Catullus ante Nostrum: 'nec missas audire, et reddere voces.' *Cærdæ.*

414 *Talibus incusat*] Redarguit. *Incusare* proprie est, superiorem arguere: ut in Terentio pater ad filium, 'Quid me incusas, Clitipho?' *Accusare* vero, vel parem vel inferiorem: ut in eodem ad maritum uxor, 'Me miseram, quæ nunc quam ob causam accuser nescio.' Et hoc proprietatis est: licet usus male ista corrumpat. Sciendum tamen est Terentium, propter solam proprietatem omnibus comicis esse præpositum: quibus est, quantum ad cætera spectat, inferior. *Servius.*

415 *At Venus*] Ordo est: At Venus dea. *Idem.*

*Obscuro aëre*] Id est, nebula, cujus definitio est. *Idem.*

*Obscuro aëre*] Non satis fuit verbis instruxisse filium, licet sciret omnia eadem composuisse Mercurium: sed quatuor de causis texit, ne viderentur, ne tangerentur, ne interrogationibus variis detinerentur; vel veniendi causas quærentes, eos, qui ante noctem venire debebant, detinerent. *Donatus.*

*At Venus obscuro, &c.*] Imitatio Homerica: sic enim a Pallade Ulysses bigitur *Odyss.* vii. et xiii. ἀμφὶ πᾶσιν ἡέρα χεῖν: et, περὶ θεῶν ἡέρα χεῖν: itaque et ἀμφὶ et περὶ, Noster per *circum*. Quod ille, πολλὴν ἡέρα, Noster, *multo nebula amictu*. Ab Homero Apollonius Arg. iii. mutans verbum, πολλὴν ἡέρα ἐφῆκε: ubi videlicet Argonautæ teguntur ab Junone simili commento. Calaber l. i. ita, ἀμαὶ δὲ μιν ζόφος ἔκρυψε: *circumtexit illam nebula*. Ad loca ista Poëtarum alludit Plutarchus de solertia animal. loquens ita de commento sepiæ ad captandam prædam, ἀπομυμονμένη τοῦς ὀφθῆρος θεοῦς, κτανέτην νεφέλην πολλὰς οὐδὲς ἐν σῶσαι θέλωσιν ὀφθαλμομένους, καὶ διακλέπτουσας: *Imitans deos Homericos, qui quos saluos volent, cærulea serpenumero nube objecta eripiunt, atque suffragantur*. *Cerda.*

416 *Circum dea fudit*] Figura est

*Tmesis* : quæ fit, cum, secto sermone, aliquid interponimus : ut alibi, ‘Septem subjecta trioni.’ Sed hoc tolerabile in sermone composito : cæterum in simplici, nimis est : quod tamen faciebat antiquitas : ut, ‘Saxo cere comminuit brum.’ *Servius*.

*Circum dea fudit*] *Tmesis* est : pari sectione usus est et Homerus ἀμφὲ πολλὰν ἥρα χεῖρε θεός. Hoc autem ab Homero sumptum : qui fingit Ulysem regiam Alcinoui et urbem ingressam circumdari nebula a Minerva, &c. *Odys.* vii. de his vero vide *Scalig.* v. 3. *Taubmann*.

417 *Cernere*] Causa cur fecerit. Ex hoc enim pendent cætera, quæ sequuntur. *Servius*.

*Cernere ne quis eos*] Hæc ratio est *Odys.* xiii. ὅρα μιν αὐτὸν ἄγνωστον τεύχεον : *Ut illum ipsum ignotum faceret.* Et in *Apollonio* i. iii. ὅρα λάθουεν Κόλχων ἔθνος : *ut laterent turbam Colchorum.* Cæterum sententiam istam, *fuciam, ne te aliquis cernat*, ita extulit *Sophocles* in *Ajace*, ἐγὼ γὰρ θυμάτων ἀποστρόφους Αἰγῶς ἀπέλκω σὴν πρόσφω εἰσιδαῖν : *ego enim oculorum averas Radios repellam a tui vultus contemplatione.* Est hoc quod *Poëta* inf. ‘neque cernitur ulli,’ et quod *Aristides* orat. v. sacror. serm. ὅτρε ὁρώμενοι. *Cerda*.

418 *Moliri*] Hic pro struere et per hoc facere, ut infra, ‘*Moliri*que arcem.’ *Servius*.

*Aut veniendi poscere causas*] Scilicet ne sæpe narrando crebrum patiatur dolorem. Unde melius ad *Æneam* refertur, ‘*Medio* sic interfata dolore est.’ *Poscere* autem nunc inquirere, alias petere, et præponitur magis accusativo casui ; dicimus enim *posco magistrum lectionem*, non a *magistro posco*. *Idem*.

*Poscere*] In aliquibus antiquis codicibus, *exquirere* et *exposcere* legitur, quod majori diligentia quærere significat. In *Longobardico*, et aliquot aliis, *dicere*. In *Romano*, in *Medi-*

ceo, et antiquioribus plerisque, *poscere* habetur : quod magis placet. Porro qui *exquirere* fecerunt, id ex *Donatiana* paraphrasi desumpsere. Ubi est : vel certe veniendi causas exquirens properantibus moras afferret. *Pierius*.

419 *Ipsa Paphum*] Civitatem Cypri, et non sine ratione est, quod in decimo libro plura sibi loca grata vel sacrata commemoret, hic ad *Paphum* solam abisse dicatur ; quia *Varro* et plures referunt, in hoc tantum templo *Veneris*, quibusvis maximis in circuitu pluviis, nunquam impluere. Ibi enim adorabatur. *Servius*.

*Ipsa Paphum sublimis abis*] Vetera quædam exemplaria, et *Paphon* et *adit*, scribunt : ut *Paphon* non rejecerim, ita *adit* nunquam scripserim. *Pierius*.

*Paphum*] *Paphus*, sive *Palapaphus*, urbs Cypri in littore Orientali ; in qua templum habuit centum aris per indigenas advenasque (ut *Tacit.* ait) inclytum. Quem quidem numerum non ex amplificationis licentia, sed historię fide, certoque et pleno numero *Statius* accepisse videtur, *Thebaid.* l. v. ‘*Illam Paphon veterem centumque altaria linquens.*’ *Hom.* tamen unam tantum aram memorat. Videatur *Turnebus* xxvi. 30. et præcipue *Tacitus* *Hist.* l. ii. statim in principio : ubi inter alia : ‘*Sanguinem aræ (Veneris) offundere vetitum.*’ Ad aras autem *Paphiæ* incruentas alludit et *Catullus* *Carm.* 62. ‘*divam Placibus festis luminibus Venerem Sanguinis expertem,*’ si tamen hæc sententia sit loci : quod *Jos. Scaligero* non videtur, quem tu ibi vide. *Lata* autem φιλομειδής, proprium *Veneris* epitheton : ita *Horat.* *Carm.* i. ‘*Sive tu mavis, Ericyna ridens.*’ *Taubmann*.

*Paphum*] Cujus regina *Venus* est : ut *Horat.* od. i. 30. dilectæ Cypri oppidum est, πόλις κύπρου ut *Stephanus*. De signo *Veneris*, quod in illa insula colitur, *Macrob.* iii. 8. *Emm*

*Sublimis]* Divino incessu. Id est, sublimiter, nomen pro adverbio. *Serv.*

420 *Lata]* Vel proprium Veneris epitheton, vel *lata*, quia tectum nebula filium in tuto habebat: vel quod insulam suam repetat; vel ideo Paphum revisit *lata*, quia serenis *lata* congruunt, et necesse est, ut *lata* sit Venus, ubi semper serenum est; quippe ubi plnere nunquam dicatur. *Idem.*

*Sabæo]* Arabico. Arabiæ autem tres sunt, Inferior, Petrosdes, Eudemon: in qua sunt populi Sabæi; sed hi montes, inter quos sunt *Libanum* et *Antilibanum*, dicuntur: apud hos igitur Sabæos nascitur thus. Dicti autem Sabæi ἀνδ τοῦ σάβαου, id est, venerari; quod deos per ipsorum thura veneramur. *Idem.*

*Centumque Sabæo]* De centum ariis Sil. Ital. l. vii. 'Paphos centum mihi fumet in ariis.' de *ture Sabæo* actum Ge. i. 57. et ii. 117. pro *Sabæo*. Stat. Theb. l. i. *Eoum* dicit. *Emmeness.*

421 *Ture calent aræ, sertisque recentibus halant]* Ecce unde supra dixit, 'Haud equidem tali me dignor honore:' quia Æneas hostias obtulerat, quarum hic mentio non fuit. *Servius.*

*Ture calent aræ, sertisque recentibus halant]* Thus multi nunc cum adspiratione scribunt. Sed Fl. Sosipater tus a tundendo dictum vult, ideoque adspirationem non admittere: quamvis Iulius Modestus ἀνδ τοῦ θύειν, quod est rem sacram facere, nomen deduci velit. Habent præterea plerique codices manu scripti *alant*, absque adspiratione: sed hoc imperite: quum natura ei verbo insit adspiratio. *Pier.*

*Sertisque recentibus]* *Sertum* et *serta*, cum nihil adjicitur, dicimus: ut hoc loco: item alibi expressius: ut, 'Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.' Si autem *sertos* dixero, addo *flores*. Si *sertas*, addo *coronas*: ut Lucanus, 'Accipiunt sertas nardo florente coronas.' Et hoc in multis nominibus observandum est; ut *gennas*

ex adiectione formetur: qua detracta, in neutrum cadat, necesse est; ut *piscinalis locus*, *piscinalis cella*, *piscinale. Saggarius mulus*, *saggaria mula*, *saggarium*. *Servius.*

*Sertisque]* Servio accedunt Dansq. Orthogr. p. 90. et Lips. ant. lect. l. iii. *Emmeness.*

*Recentibus]* Quod autem dicit *recentibus* laus est loci, qui semper flore vestitur. Ut omni tempore Veneris flores præsto esse videantur. *Servius.*

*Recentibus]* Laus loci, qui semper flore vestitur. Notat autem Servius, ut et Charisius l. i. Veteres et *Serta*, et *Sertos*, et *Sertas*, promiscue dixisse: sic tamen, ut cum *Sertos* dicerent, flores intelligerent; cum *Sertas*, coronas. Ita Propert. 'demissæ in pocula sertæ.' Vide et Lips. Antiq. Lect. l. iii. *Taubmann.*

*Halant]* Pro olent. *Servius.*

*Halant]* Subaudi, odorem. Apud Columellam, Plinium, aliosque scriptores rei rusticæ hæc sunt verba ad idem pertinentia: *flores halant, exhalant, spirant, respirant, emittunt, efflant, fundunt suavem ex se halitum, dulcem flatum, amaranum spiritum, gratum odorem*. Lucretius l. iv. 'odorem expirant.' Philo in lib. de Mundo ita extulit: τὰς ἀνδ τῶν ἀνδῶν ἀναφροπομένας εὐωδεοτέρας αἰσπας: *suaves e floribus auras relatas*. *Cerda.*

422 *Corripuere viam]* Deest, *At illi corripuere viam*. Officium eundi celeriter arripuerunt. Nec enim corripuit via. *Servius.*

*Corripuere v.] Corripere gradum*, est, gradam raptim facere et carpere. Turneb. ix. 27. Ita Plinius ep. 66. 'Tanto celerius viam ipsam corripimus.' *Taubmann.*

423 *Qui plurimus]* Ex maxima parte urbi imminens, vel, qui *plurimus*, id est, longus: ut ipse alio loco, 'Cui plurima cervix.' Item, 'Cum se nux plurima,' id est, amygdala: longa namque est. *Servius.*

*Plurimus]* Vox plena est inquit

Scaliger iv. 16. *Plurimus* autem, id est, longus: nimirum M M M. passus: ut patet ex Polybio et Appiano. Ita Ge. i. *nux plurima*, id est, amygdala, sive Græca *nux*: longa enim est. Ita Ge. ii. *plurima cervix*, id est, longa. In hoc monte postea Scipio Africanus, cum Carthaginem obsideret, castra posuit: ibique clarissimi viri sepulchra habuere. Eam obsidionem Lipsius Poliorceticarum ii. l. scriptam pictamque exhibuit. *Taub.*

424 *Adspectat*] Est ornatus cum animantur res, id est, cum rei insensibili datur sensus. Unde est illud in quarto de Atlante. Item Sallustius, 'Lyciæ Pisidiæque agros despectantem.' *Servius.*

*Arces*] Civitates, a parte totum. *Idem.*

*Adspectat arces*] Rei insensibilis datus sensus. *Arces* autem, scilicet in medio urbis positas, inprimis Byrsam. *Taubmann.*

425 *Miratur molem Æneas*] Hoc ad ipsum refertur. *Servius.*

*Miratur*] Ponit generaliter, quod omnes viæ et portæ fervebant, et strepitus agentium personabant. *Donatus.*

*Magalia quondam*] Ad poetam. Nec enim hoc novit Æneas. Magalia vero antistæchon est. Nam debuit *magaria* dicere: quia *magar*, non *magal*, Pœnorum lingua, villam significat. Cato originum primo, 'Magalia ædificia quasi coortes rotundas dicunt: alii magalia casas Pœnorum pastorales dicunt.' De his Sallust. 'quæ magalia sunt circumjecta civitati suburbana ædificia magalia.' Et alibi Cassius Hemina docet ita: 'Sinuessæ magalia addenda, murumque circum eam.' *Servius.*

*Magalia quondam*] Hoc ad Poetam personam referatur. Est autem ἀντίστοιχον, pro *magaria*: nam *magar* villam significat, non *magal*: de quo P. Vict. xxxv. 6. Charisius: *Magalia, καλῶσαι ὄρεων*: *Magalia, καλῶσαι ἀ-*

*γῶν*: *gurgustia* Ciceroni: *atlegia* Juvenali. Salustius De bello Jugurthino: 'Ædificia Numidarum agrætium, quæ *magalia* illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sunt.' *Taubmann.*

426 *Miratur portas, &c.*] Miratur non simpliciter dictum voluit, quoniam prudentes Etruscæ disciplinæ, ajunt, apud conditores Etruscarum urbium non putatas iustas urbes fuisse, in quibus non tres portæ essent dedicatæ et votivæ, et tot templa Jovis, Junonis, Minervæ: bene ergo miratur Æneas, ubi fuerunt magalia, illic esse legitimam civitatem; nam portas et vias videbat, et mox Templum Junonis ingens. *Servius.*

*Et strata viarum*] Primi enim Pœnii vias lapidibus stravisse dicuntur. *Idem.*

*Strata viarum*] Figurata locutio, pro, stratas vias. Ita Horat. od. iv. 12. 'eludere amara curarum.' In Moreto, 'singula capitum.' Fabius declam. 260. 'incensa operum.' Justinus l. xli. 'profunda camporum, prærupta collium, montium ardua.' Æneid. ii. 'opaca locorum: et Cassiodorus Var. epist. i. 4. 'amoenissima Bruthorum.' Institit vero Virgilius Lucretio l. i. 'Strataque jam vulgi pedibus detrita viarum.' Idem, 'vera viæ.' Græci delectati figura hac. Aristophanes Pluto, τοῦτων μῦτρα: ἡρῶν στήλη, pro stultitias. Ibidem, τοὺς χρηστοὺς ἀνθρώπων: bonos hominum. Philostratus in Heroicis, πολλοὺς τῶν νέων: multos juvenum: et de Vitis Sophist. l. ii. ἡδίου τῶν ἀμπελῶν: suaviorum vitium: ita κακοδαίμονες ἀνθρώπων, miserrimos hominum, et sexcenta alla. Thucydidēs, σπενδόπορα τῶν χωρίων: imo Thucydideum hoc vertisse Virgilium, lib. sequenti in illis, *angusta viarum*, Germanus notat. *Cerda.*

*Strata viarum*] Hoc loquendi genus, quod plenum dicit Scal. Poët. iv. 16. crebro apud Lucretium, quem in multis imitatus est Maro. Vide Vechne-



rum Hellenol. l. i. p. 43. 44. *Emmeness.*

427 *Instant ardentes Tyrii*] Multum festinantes. Ut, 'Juvenum manus emicat ardens;' et 'Ardet abire fuga;' et 'Laocoon ardens.' Sic enim dicit, quotiens properantem vult ostendere. Alii *ardentes* ingeniosos dicunt. Nam per contrarium *segnem*, id est, sine igni, carentem ingenio, dicimus: unde et a Græco venit *ca-tus*, id est, ingeniosus, ἀπὸ τοῦ καλεσθαι. *Servius.*

*Instant*] Itur jam per species, laudantur autem, quod non inviti agebant. *Donatus.*

*Instant ardentes Tyrii*] Ex hoc loco Silius l. ii. 'Condebat primo Dido Carthaginis arces, Instabatque operi subducta classe juvenus. Molibus hi claudunt portus, his tecta domusque Partiris justa, Bitia venerande, senecta.' *Cerda.*

*Ducere muros*] Exædificare, hoc est, construere, in longitudinem producere, proprie enim cum ædificantur muri, *duci* dicuntur. Sallust. hist. ii. 'Murus ab angulo dextri lateris, ad paludem, haud procul remotam, duxit.' *Servius.*

*Pars ducere*] Primo curabant, quæ adversus hostes fuerant necessaria. *Donatus.*

*Pars ducere muros*] Eandem locutionem invenias apud Livium vii. 23. 'vallum ducere cœpit.' Horatio etiam in usu od. iv. 6. 'potiore ductos alite muros.' Vocem compositam habet Tibullus Eleg. iv. 1. 'Qua deceat tutam castris præducere fossam:' sic Græcia est τείχος βάλλειν vel τείχος βολεῖν et ταφροβολεῖν: de quibus consule Salmas. Plin. exerc. p. 309. *Emmeness.*

428 *Molirique arcem*] Molibus factis extollere: quod est, extruere; huic contrarium est *demoliri*. *Servius.*

*Molirique arcem*] Id est, extruere; a *molibus* dictum, ut Non. Marc. ex Acc. Philoctetæ: 'gelidas molitur

nives.' Horat. de art. p. 'oppida moliri:' in aliis hoc quoque verbum usum habet, quem notavit Scalig. poet. iv. 16. *Emmeness.*

*Et manibus subvolvere saxa*] Cur manibus? an, quia adhuc machinæ non erant, festinationem referre voluit? *Servius.*

429 *Optare*] Eligere: ut, 'Tuus o regina quid optes, Explorare labor.' Et Æn. iii. 'Optavitque locum regno.' *Idem.*

*Pars optare locum tecto*] In veteribus fere omnibus exemplaribus legi, *aptare locum*, τοῦτ' ἐστὶ τὸ ἀπυλῆν, tametsi *Servius* agnoscit *optare*. *Pier.*

*Optare*] Qui hic *aptare*, id est, ἀπυλῆν, male. Veteres *optare*, pro eligere, dixerunt. Ita Æneid. iii. 'Optavitque locum regno,' id est, elegit, ab Græco ἔρω, video, considero. Ab hoc significato *coopto*, *adapto*, vide Nonium, Josephum Scaligerum in Conjectaneis, et Julium Poët. iv. 16. et in Terent. And. Donatum. Hi omnes et in Virgilio agnoscunt *optare*, et firmant exemplis veterum, quæ ego hic omitto, et a me addo Arbitrum, qui sic: 'Hæc ubi calcavit Cæsar iuga milite læto, Optavitque locum.' et Livium l. vi. 'Introductis in senatum captivis, cum bello persequendos Tusculanos Patres censuissent, Camilloque id bellum mandasset: adiutorem sibi ad eam rem unum petit: permissoque, ut ex Collegis optaret quem vellet; contra spem omnium Lucium Furium optavit:' id est, permissio, ut eligeret quem vellet, elegit L. Furium. In Declamationibus Fabii ita frequens est hoc verbum in hac significatione, ut nesciam, an aliud ibi frequentius. *Cerda.*

*Tecto*] Ad tectum, nota figura. *Servius.*

*Locum tecto*] Tecto privata ædificia curabantur. *Donatus.*

*Sulco*] Fossa. Civitas enim, non domus, circumdatur sulco: ergo sulco, fossa fundamentorum: alibi, 'Aurum

vel tenui vitem committere sulco.  
*Servius.*

*Concludere sulco*] Id est, fossa. Al-  
lodit ad morem veterum, quo futuræ  
urbis spatium sulco designabatur: vel  
etiam ad Romanorum consuetudinem,  
apud quos insulæ invicem distingue-  
bantur. De quibus Spartian. et Lip-  
sius in Admirand. *Taubmann.*

430 *Jura legunt*] Eligunt; vel lo-  
ca, ubi jura dicantur, aut magistratus  
creentur. Et bene post conditam  
civitatem addidit jura, et magistratus,  
sanctumque senatum. Legitur apud  
quosdam, Brutum eos, qui se in eji-  
ciendis regibus juvissent, lectos in  
consilium, eum ordinem *senatum* ap-  
pellatum, quod una sensissent: quod  
patritii essent, Patres conscriptos;  
alii patres a plebe in consilium sena-  
tus separatos tradunt, ac conscriptos,  
qui post a Servio Tullio e plebe electi  
sunt. Alii *senatum* a senectute homi-  
num, qui allecti erant, dictum volunt,  
quia apud Græcos *γερουσία* appellatur.  
*Sanctum* autem ideo, quia Senatus,  
Sanctissimus ordo dicitur. *Servius.*

*Jura*] Disposit leges et honores  
cariales. *Donatus.*

*Jura*] Ascensius *Jura* interpretatur  
*Juridicos*. Conveniet tamen melius  
sententiæ, si *Jura* pro Auditoriis et  
locis ubi Jus diceretur, quæ *δικασ-  
τήρια* Græcis, acciperentur. Sunt,  
qui *δικασ* et *δικας* in ea esse signifi-  
catione contendunt. Sic et Horat.  
'In jura rapere' dixit: et noster in-  
fra Æn. III. 'Jura domosque dabam.'  
Necdum enim Ænæ, recens advecto,  
satis otii fuerat ad Leges condendas,  
si quis forsân *jura* pro Legibus acci-  
peret. Pimpontius *Jura* simpliciter  
Auditoria, non Leges hic accipit: ut  
Propert. el. III. 7. 'Cum tibi Ro-  
mano dominas in honore secures Et  
liceat medio ponere jura foro.' Non  
dicit, *jura dicere*, sed *ponere*: quod lo-  
cum notat. Immo et Paulus JC. *Jus*  
vocabat etiam locum, in quo jus red-  
ditur. Atque idem Donatus quoque

ad Terentium annotat. Hinc illa,  
'Aliquem in jus vocare,' 'In jus  
ambulare,' &c. *Taubmann.*

*Sanctumque senatum*] Sic Horat. od.  
IV. 5. concilium patrum *sanctum* vo-  
cat. Quint. Declam. 329. 'sanctis-  
simum ordinem.' *Emmenes.*

431 *Portus effodiunt*] Ut portus sci-  
licet faciant. Et vere ait, nam Car-  
thaginienses cothone fossa utuntur,  
non naturali portu. *Servius.*

*Portus*] Et hoc ad salutis sub-  
sidium. *Donatus.*

*Hic portus alii effodiunt*] In Longo-  
bardico, et aliquot aliis codicibus an-  
tiquis legere est, *hic portus alii effo-  
diunt*. Sed enim *Portus* magis placet:  
quod ad salutem salutisque subsidium  
pertinere Donatus ait. Seu quia Vir-  
gilius alludat ad portum, quem effo-  
dere Carthaginienses intra muros ob-  
sessi ab Romanis, visoque repente  
muro, subitaria eruptione Romanos  
fugaverunt. *Pierius.*

*Portus effodiunt*] Portus, non natu-  
rales, sed manu factos *cothones* ap-  
pellat Festus, sed parvam insulam  
Carthaginiæ, quæ vicem portus præ-  
bebat, ita ex Strabone et Appiano  
nominatam putat Salmas. exerc. Plin.  
p. 1128. cui *Cothon* sive *Cothonum* pro  
portu fossitio vix Latinum videtur.  
*Emmenes.*

*Hic alta theatris Fundamenta*] Hinc  
futura magnitudo cognoscitur, quod  
alta fundamenta ait; bene autem  
post res publicas privatasque neces-  
sarias, mentionem fecit theatri, aut  
quia Græcis urbs conditur, qui sæpe  
spectaculis gaudent, aut ut apud  
quosdam fuit in genere musicæ sci-  
entiæ. *Servius.*

*Alta theatris*] Post ea, quæ ad salu-  
tem et honorem pertinent, prospicit  
voluptatibus propter scenas, quod non  
fit, nisi in ociosa civitate: quod Ænæ  
erat necessarium. *Donatus.*

*Hic alta theatris Fundamenta locant*] Non displicet quod in Romano co-  
dice, et in quibusdam aliis pervetus-

tis legitur, *hic alta theatris*, eo modo, quo inferius posuit, 'scænis decora alta futuris.' Sed et pro *locant*, codices nonnulli *petunt* habent: quod non recte placet. *Pierius*.

432 *Locant*] Id est, constituunt. Non. Mar. ex Lucil. l. xxx. 'virtutis monumenta locantur.' *Emmenes*.

*Theatris*] Fortasse alludit ad theatrum, quod Romæ struxit M. Scænus ædilis. Id fiet probabile audienti verba hæc Plinii xxxvi. 15. 'Hic fecit ædilitate sua opus maximum, quæ nunquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione. Scæna ei triplex in altitudinem cccxlx. columnarum, in ea civitate, quæ sex Hymettias non tulerat sine probro civis amplissimi. Ima pars scenæ e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ.' In quibus verbis multa sunt affinia Virgilianæ sententiæ. Nam magnum numerum columnarum, Poëta exhibet per numerum multitudinis *columnas*. Illarum altitudinem per vocem *immanes*. Triplicem scenam per *scenis* in plurali. Decus et luxuriam operis per *decora alta*. *Cerda*.

*Columnas, decora alta*] Figuratè columnas *decora alta*: diversis enim significationibus, idem dixit, et ab eo, quod est *decus* corripitur *decoris*. *Servius*.

*Columnas*] Ut non solum theatri gesta, verum aspectus operis juvaret. Ponit apta comparisonem, quæ et industria, et labore, et æquitate operis, et concordia excellentes sunt: et quæ fencos, animal non solum iners, verumetiam vorax, a sedibus pellunt. *Donatus*.

*Immanisque columnas*] Id est, magnas. Non. Marc. ex Æn. vi. 6. posuitque immania templa.' Exempla plura Torrent. ad Horat. ed. l. 27. *Emmenes*.

433 *Scænis decora alta futuris*] Inducenda hic est prudentia Maronis in toto hoc opere describendo, qui cum

semper sit admirabilis, nusquam admirabilior, quam cum attingit rem civilem. Ad rem. Nihil prætermittit eorum rerum, quæ necessariæ ad unius civitatis conservationem, et statum. Mentem Poëtæ mire complexus est Julius Scaliger. In primis tribus, *Instant ardentos Tyrii*, &c. est quasi corpus civitatis, cui corpori animum addit, cum ait, *Jura magistratusque legunt, sanctumque Senatum*: sunt enim leges, jura, magistratus, et religio, quasi animus urbis. Tum addit ornamenta, columnas, theatrum, scenas. Itaque posuit Virgilius in exaltanda hac urbe, bonum utile, necessarium, delectabile: utile in moris, ac domibus: necessarium, in legibus: delectabile in ludis. Inter res enim, quas habere urbs debet, ut vere dici urbs queat, nominat Pansanias lib. ultim. 'prætorium, gymnasium, theatrum, forum, perennis aquæ conceptaculum.' Artemidorus l. 2. numerat λιμένας, τείχη, ἀγορὰς, γυμνάσια: portus, muros, fora, gymnasia: et addit, κοινὰ πόλεως ἀναθήματα: communia urbis donaria. Ab eodem iii. 63. ponuntur communes urbium partes, θέατρα, προδαστεία, πλατεῖαι, τεμένη, περιπατοί: theatra, suburbia, plateæ, delubra, deambulacra. Hæc omnia ait, ita debere esse urbibus communia, ut est forum. Plato Leg. l. vi. has partes communes assignat, λιμένας, ἀγορὰς, κρηνῶν, τεμενῶν, ἱερῶν: portus, forum, fontes, lacus, templa. Aristides loquens de Roma, istas γυμνασίων, κρηνῶν, προσπηλαίων, νεῶν, δημοῦργων, διδασκαλείων: gymnasia, fontes, porticus, templa, officinas, scholas. Easdem fere numerat loquens de Smyrna. Philo de opificio mundi istas, ἱερὰ, γυμνάσια, προπαιεῖα, ἀγορὰς, λιμένας, νεωσολίκους, σιτηροπόδας, τειχῶν κτισσένους. Consentunt ista omnia cum partibus, quas suæ urbi dat Virgilius. Platarchus in comparatione ignis et aquæ laudat eam urbem, quæ non egeat τῶν ἔξωθεν συμμάχων, ἐστὶν αὐτῇ

*causis.* Cerda.

*Scania decora alt.*] *Scania*, id est, ludia. Et observantur hiatus, rebus mire accommodati, 'locant alij, immanesque cel.' et, 'decora alta futura.' *Taubmann.*

434 *Qualis apes*] Ordo est: Qualis labor æstate nova, id est, incipiente jam vere novo. Tertiæ declinationis genitivus pluralis et in *ium* et in *um* exit: sed tunc pro nostro arbitrio cum nominativus singularis fuerit et et *s* terminatus: ut *amans* et *amentum*, et *amentum* dicimus. Cum autem nominativus singularis *er* et *ur* fuerit terminatus, tantum in *um* exit: ut *pater patrui*, *murmur murmurum*. Reliqua vero nomina auctoritate firmamus: ut *apis apum*, vel *apium*. Sane fabula de apibus talis est. Apud Isthmum anus quædam nomine Melissæ fuit: hanc Ceres sacrorum sanctorum cum secreta docuisset, interminata est, ne cui ea, quæ didicisset, aperiret; sed cum ad eam mulieres accessissent, ut ab ea primo blandimentis, post precibus et præmiis elicerent, ut sibi a Cerere commissa patefaceret, atque in silentio perduraret, ab eisdem iratis mulieribus decerpta est: quam rem Ceres, immissa tam supra dietis feminis, quam populo ejus regionis, pestilentia ulta est; de corpore vero Melissæ apes nasci fecit. Latine autem melissæ apis dicitur. *Servius.*

*Qualis apes*] Comparisonis genus, quæ *εἰς ἑαυτὴν* dicitur; et mire quadam huic negotio. Sunt autem verum prope omnes huc translati e Georg. *Taubmann.*

*Qualis apes, &c.*] Hoc in loco Homero superior est Virgilius. Vide Macrobij judicium Saturn. v. 11. *Emmeness.*

*Æstate nova*] Incipiente: ut, 'Vere novo.' Et bene nova, quia est æstas et adulta et præceps, secundum Salustium. *Servius.*

*Æstate nova*] Bene, nova: vere stil-

jam pleno. Nam anni temporum quolibet tria habet discrimina: ut *ver primum*, sive *novum*, sive *incipiens*: *ver medium* sive *adultum*: et *ver extremum*, sive *præceps*, *præcipitans*, et *senescens*: de quo in Georg. *Taubmann.*

*Flores*] Florida: ut, 'Nemora inter frondea;' aut florentia: nec non de flore erant facta, ut *floream coronam* dicimus. *Servius.*

*Rura*] Græce *ἀρούρα* dicuntur. Aphæresis ergo sermonem facit Latinum. *Idem.*

*Rura*] Aphæresis a voce Græca *ἀρούρα*. Ita Servius, et alii, Pariculus Poëta modulo Claudian. Rapt. II. 'Huc elapsa cohors gaudet per florea rura.' *Cerda.*

435 *Exercent*] Fatigat: ut, 'Nate Miacis exerceite fatis.' Et subjecit quibus rebus exercitæ fatigantur. Hoc autem participium ab exercitu, id est, militum multitudine, declinatione discernimus. Nam nomen quartæ, participium secundæ declinationis est; ut *visus visus* vel *visus, passus passus* vel *passus, auditus auditus* vel *auditus*. *Servius.*

*Sub sole*] In Sole: ut, 'Namque sub ingenti lustrat dum singula templo:' vel quamdiu Sol est. *Idem.*

*Cum gentis adultos factus*] Ad laudem apum hoc pertinet. Et bene *gentis factus*, quia non singulæ de singulis nascuntur, sed omnes ex omnibus: et per hoc melius in Georgicis intelligitur. *Idem.*

*Gentis*] Homerus sæpe *ἰθὺν χηρὸν, γερῶν, κτεῖν, μελίσσων*: *Gentes anserum, gruum, cynorum, apum*. *Cerda.*

436 *Educunt*] Producent, quod adhuc adolescant, et adulti fiant, non adoleverint: ut *adultos* dicimus minores, et hoc sic dixit, ut 'Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.' *Serv.*

*Liquentia*] Defæcata, sine sordibus: ut, 'Nec tantum dulcia, quantum et liquida,' id est, pura: nam dura mella constat esse meliora. *Idem.*

437 *Stipant*] Densant: translatio

est a navibus, in quibus stipula interponitur vasis, quam *stypam* dicunt. *Idem.*

*Stipant*] Nam quo densius et stipatius mel, eo laudabilius; imo hæc ultima mellis perfectio, ad quam veluti per gradus venit. Plinius XI. 13. 'Est autem initio mel, ut aqua, dilutum, et primis diebus fervet, ut mustum, sique purgat. Vicesimo die crassescit, mox obducitur tenui membrana, quæ fervoris ipsius spuma concrevit.' Bene ergo, stipant et densant mella liquentia, id est, liquida. Alii *liquentia* accipiunt, id est, pura. Possunt, nam Ge. IV. 'aliæ purissima mella Stipant.' *Corda.*

*Distendunt*] Implet: ut, 'Et densò distendere pingui.' *Servius.*

*Nectare*] Melle: abusus propter suavitatis similitudinem. *Idem.*

*Cellas*] Et hic abusus est, ut favorum cavernas *cellas* vocaret, vel alvearia, ut alibi thesauros. Traxit autem a reponendi similitudine: vel a celando, unde *cellum* appellaverunt. *Idem.*

438 *Onera accipiant venientum*] Quod apum seniorum munus est, quæ ternæ aut quaternæ gerulas juvenes seu *βαπτομέρας*, id est, florum sarcina onustas, excipiunt atque exonerant. *Taubmann.*

*Agmine*] Nunc impetu. *Servius.*

*Agmine facto*] Facto quodam impetu, et acie quasi militari, *fucos*, id est, fures καὶ κακοὺς ἐκτροχῶας ἔργων, ac Republicæ noxios proturbant ab alveariis. Jam de *Fucis* multa Aristot. et Plinius tradidere: sed quid ii sint; an proprium genus, et a furibus distinctum; an apum filii inermes; an fucus et fur idem sint, quod Varro et Philæ placet: nondum ita plane constitutum est, ut non sit, quod ulterius possis querere. *Taubm.*

439 *Ignavum*] Inutile, non aptum industriæ. Nam industrios *gnavos* dicimus. *Servius.*

*Fucos*] Secundum Plinium apium

multa sunt genera. Proprie tamen apes dicuntur de bobus ortæ: fuci, de equis: crabrones, de mulis: vespæ, de asinis. Fucus autem est, secundum Æmiliū Macrum, major ape, crabrone minor. *Idem.*

*Pecus*] *Pecus* dicimus, omne quod humana lingua et effigie caret, id est, a pascendo. Unde Horatius: 'Omne cum Protens pecus egit altos Visere montes.' Plautus, 'Clurinum pecus simiam dixit.' *Idem.*

*Præsepibus*] Alveariis. Et est translatio: quæ fit quoties, vel deest verborum proprietas, vel vitatur iteratio. *Idem.*

440 *Fervet*] Concelebratur: ut contra, *Friget*, cessat dicimus. Terentius, 'Nimirum hic homines frigent.' *Idem.*

*Fervet opus*] Vide Scalig. Poët. IV. 16. et V. 3. Ubi, 'Si velim,' inquit, 'partes hujus comparationis recensere, opera me deficiat: rei naturam, varietatem, figuras, carminis rotunditatem, nervos suaviloquentiæ.' *Taubm.*

*Redolent*] Quidam olere res, vel malas vel bonas; redolere tantum bonas tradunt. *Servius.*

*Fragrantia*] Quotiens incendium significatur, quod statu alitur, per *l* dicimus; quotiens odor, qui fracta specie major est, per *r* dicimus. Sciendum sane nil in hac vacare comparatione. Nam Ponorum operi, apum labor; custodiæ litorum adversus alienigenas, fucorum comparatur expulsio. *Idem.*

*Fragrantia*] In Ro. codice, et aliis quot aliis antiquis *fragrantia* legitur: et in Georgicis eodem modo. Grammatici tamen utriusque verbi significata distinguunt. *Pierius.*

441 *O Fortunati*] Expressit *Ænem* desiderium, hoc est, qui jam faciunt, quod et ipse desiderat. *Servius.*

*O Fortunati*] Non invidet alienæ felicitati, sed prosequitur lande, et Quando scilicet ego ad hanc felicitatem perveniam! *Donatus.*

*Quorum jam mania s.*] Laus vel ab ipsa re sumitur, quæ laudatur. *Serv.*

*Surgunt*] Celeberrimum in ædificiis. Exempla in uno Virgilio multa. In quo sunt: *assurgunt turres, surgentem arcem Carthaginiis, surgent mania.* Neque abit, 'surgere regna.' Ita Propertius, 'consurgit murus.' Et Tibullus: 'Exsurgunt oppida muris.' *Cerd.*

442 *Fastigia*] Nunc operis summitates; alibi ima significant: ut, 'Fortitan et scrobibus quæ sint fastigia quæras.' *Servius.*

*Suspicit*] Miratur: ut, e contrario, *despicit*, contemnit significat. *Idem.*

*Fastigia suspicit*] Summitates miratur. Atque e verbo *suspicit*, colligitur, *Æneam* jam colle descendisse. *Taub.*

443 *Mirabile dictu*] Ob hoc, quod sequitur, quia mixtus cunctis latebat: potest tamen et hoc superiori et inferiori sensu addi. *Servius.*

444 *Per medios*] Figura est: nam plenum fuerat, *mediis se infert*. *Idem.*

*Miscetque*] Deest *ac*. *Idem.*

*Per medios, miscetque viros*] Sunt qui legant anico membro, *Per medios miscetque viros*, quæ tamen lectio, neque a veteribus, neque a junioribus, quod sciam, recepta. *Pierius.*

*Neque cernitur ulli*] Id est, neque ab ullo cernitur. Ut est Græcum *οὐδενὶ ἀπορρητος* ut eat illud, 'Scriberis Vario:' id est, scribes te Varius. *Servius.*

445 *Lucus*] Ubique Virgilius lucum ponit, sequitur etiam consecratio; ut, 'Lucus tum forte parentis Pylæni Turnus sacra valles sedebat.' Unde in sexto, 'Nulli certa domus: lucis habitamus opacis.' Dicuntur enim heroum animæ lucos tenere: et mox sequitur, 'Hic templum Junoni ingens.' *Lucus* autem dicitur, quod non luceat: non quod sint ibi lumina, causa religionis, ut quidam volunt. *Idem.*

*In urbe fuit media*] Nunc jam in media. *Idem.*

*Lucus in urbe fuit media, &c.*] Loci

descriptio est, non simplex, sed cum superficie, id est, cum descriptione muri, aræ, nemoris, &c. ut hoc exponit Scal. Poët. v. 3. *Emmenes.*

*Latissimus umbra*] Aut septimus casus est: aut, secundum Probum, genitivus; ut sit *latissimus umbra*: sicut Sallustius, 'Frugum pabulique lætus ager.' *Servius.*

*Latissimus umbra*] Particip. passivum, id est, amoenissimus. Probus, et P. Sabinus l. *umbra*: ita Sallust. 'Frugum pabulique lætus ager.' Silius l. i. 'vitæ laudandus opacæ.' Et hæc est luci propria commendatio. *Taubmann.*

446 *Quo primum*] Hoc est, simul ac venerunt: nec enim secundo ad Africam ventum est: vel ordo est, quo primum loco. *Servius.*

*Quo primum*] Ut supra per cygnos demonstrata fuerat felicitas, sic nunc per Pœnos, qui tempestate vexati, huc incolentes venerunt, et fundamenta fodientes, caput equi cum invenissent, signum habuerunt, quod in bellicis copiis essent futuri copiosi. *Donatus.*

447 *Effodere loco signum*] Historia hoc habet, quam more suo Virgilius per transitum hic tangit. Dido fratrem fugiens, cum transiret per quandam insulam Junonis, accepit oraculum, et sacerdotem ejus secum abstulit: cum ei parum crederet promittenti Carthaginiis sedes: quo cum venissent, sacerdos elegit locum faciendæ urbis; quo effosso, inventum est caput bovis, quod cum displicuisset (quia bos semper subjugatus) alio loco effosso, caput equi inventum placuit: quia hoc animal, licet subjungatur, bellicosum tamen est, et vincit, et plerumque concordat; ut ipse ostendit plenissime in illo loco, 'Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur: Sed tamen iidem olim curru succedere sueti Quadrupedes, et frena jngo concordia ferre: Spes est pacis, ait.' Illic ergo Junoni tem-

pla fecerunt. Unde et bellicosa est Carthago per equi nomen; et fertilis per bovis. Sane *fodere* est tantum sollicitare terram, *effodere* hoc ipsum faciendo aliquid ernere et invenire, cui contrarium est *infodere*. Ordo autem est: *Lucus in urbe media latissimus umbræ*, quo loco jactati Pœni undis et turbine effodere caput acris equi, quia regia Juno signum monstraverat. *Servius*.

*Effodere loco sign.*] More suo, per transitum tangit historiam Poëta: quam habet Justinus, Cælius Rhod. xviii. 38. et alii. Atque ut *signum*, sive portentum illud, quod, indicio Junonis, e loco faciendæ urbis effoderat Dido, explicet, addit, *caput acris equi*. Equum vero belli omen habere, docetur etiam Æn. iii. 'Bello arman- tur equi,' &c. Et videtur Cælio al- ludi ad nomen vetus Carthaginis, quo dicta est *Caccabe*: quod illarum gen- tium lingua *equinum caput* indicat. *Taubmann*.

*Quod regia*] Regina. *Servius*.

448 *Monstrarat*] Ut dictum est, tan- git historiam. *Monstro* dederat. *Id*.

*Monstrarat*] Ut quæ urbem illam tuendam, totoque pectore fovendam statuerat, ut dictam antea. *Monstra- rat* autem, non *monstro* dederat, ut interpretes, sed simpliciter accipe, pro docuerat. Cic. ad Tyron. 'Tu istic si quid librarii mea manu non intelligit, monstrabis.' *Nascimban*.

*Caput*] Ne levis adeo cuipiam ob- servatio videatur, in vetustis pene omnibus exemplaribus *capud* per *d* scriptum esse: sciendum eam esse inter *d* et *t* cognationem, ut plerun- que sibi invicem succedant. Et Ca- risius ubi ad nonnunquam pro *at* po- situm citat in hujusmodi nominibus, ant dictionibus vocali sequente sua- vius per *d* proferri putat. Est et *quot* relativum per *t* sæpissime tam in libris, quam in marmoribus notatum, *quot* regia Juno: et in venustula qua- dam inscriptione Romæ in ædícula

Divi Basilii, quæ ad Horologium Au- gusti sita est, *quot* ita scriptum in- apexi,

APVSVLENA GERIA VIXI  
ANN. XXII.

QVO' QVISQVE VESTRVM  
OPTAVERIT MIHI  
ILLI SEMPER EVENIAT  
VIVO ET MORTVO.

*Pierius*.

*Acris equi*] Epithetum magis aptum equis; ut canibus blandis, qui na- tura blandi sunt. *Servius*.

*Caput acris equi*] Justin. xviii. 5. inventum primo testatur caput bubu- lum, post alio loco equinum. Super- stitiose satis in condendis urbibus et templis observabant auspicia. De Roma loquitur Livius i. 55. 'caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi apparuisse.' *Em- meness*.

*Sic nam fore bello*] Quod nonnulli legunt, *signum fore*. Dictionem ego illam in abrasis tantum codicibus snp- positam animadverti. In integris au- tem, *sic nam*. Quam lectionem ut castiorem Pontanus etiam agnoscit, ubi ait, in poëticis numeris dictiones monosyllabas binas simul, maxime post dactylicam aliquam properatio- nem numerosas esse in medio collo- catas, ut Virg. 'Monstrarat caput acris equi: sic nam fore bello.' *Pierius*.

*Sic nam fore bello*] Scalig. iv. 48. Varietas, inquit, Poëticarum omnium virtutum maxima est. Quamobrem incompta illa (dissita enim sunt) con- dimenti atque intinctus loco habenda erunt, *omnium egenos*: *Sic nam fore bello*: *Hector ubi ingens*: *Junonis ob iram*, &c. *Taubmann*.

449 *Et facilem victu*] Propter bo- vem: sicut dictum est. *Facilem* au- tem, copiosam, divitem. Terentius, 'Quam vos facillime agit.' *Servius*.

*Facilem victu*] Locns difficilis, cu- jus triplex explicatio. Sunt qui ex historia Justinì, quam attulì, expli-

cent, Carthaginem fore bello egregiam, sed tandem vincendam: et in primo ajunt allusum ad caput equi, in altero ad caput bovis. Nequit vera esse hæc explicatio. Nam qui egregia bello, si vincenda? Deinde, qui Juno tutelæ Dea animos illis faceret? imo injiceret desperationem. Tertio, cum Virgilius nihil de bove meminisset, tantum de equo, nonne injuste traducitur ad bovis significata? Quarto, Silius l. ii. Poëtam imitans, nihil tale commemoravit: ait enim, 'Ostant caput effusa tellure repertum Bellatoris equi; atque omen clamore solutant.' Progredior ad alteram illorum explicationem, qui ajunt capiendum Poëtam de victus ratione, ut dicat, Carthaginem fore bello egregiam, et frugum fertilitate abundantem, ad eum modum, quo Homerus dixit *Odyss. iv. ἡρώην βοῶν ἰδὺν ἀνὰ δὲ ὀφθαλμοῖς*: *Facillimus victus est hominibus*. Dicit etiam eodem lib. elogio quodam dicuntur *ποῖα ῥέσσης, facile cireντες*. In hæc multi inclinant: interque illos Donatus, et Servius, ejuſ hæc sunt: 'Facilem autem, copiosam, divitem: Terentius, quam vos facillime agitis.' Erit ergo juxta hos, facilis victa, id est, facilis alimonia, cibo, victu ratione. Displicet admodum ista explicatio; nam cum bello, victoriis, armis, qui cibus, alimonia, victus? Atque, ut ego puto, hæc explicatio tantum suscepta est a videntibus non posse se herere prima. Nec me movet, dici a Seneca epist. 99. 'Sapiens facilis victu fuit:' id est, alimonia. Nam non ideo sequitur, cum eam ita a Virgilio. Itaque his relictis hæreo tertiæ explicationi, sequens Hortensium et Germanum, viros doctissimos, quorum prior ita ait: *victa ad vincendum, significato active: posterior, Nescio, an cum interpretibus hic ad europæ referri oporteat, vivendi, et comæatus commoditatis: nam si, victu, accipiamus active, conſpectu præcedenti clausula defenditur,*

*Dolph. et Var. Clas.*

*sic nam fore bello egregiam, ut Carthaginem victoriis insignem, et victu, et europæ intelligamus.* Sed hæc explicatio præcipue nititur his auctoribus (sunt hi non pauci, nec levis hæc oratio) qui excludunt hæc, quæ virgo dixerunt supina ultima; et qui admittunt, dant illis sapiissime actionem. Sed de hac re, ne repetam quæ alii, vide diligentem vere operam docti viri Minerva iii. 9. ubi multa exemplorum varietate, et vi rationum efficit, has voces tantum esse nomina, non supina, et illarum plurimas habere veram actionem. *Cerda.*

*Facilem victu*] Id est, fertilem. Adhuc ad alterum prodigium. Nam initio caput bubulum reprobatur: quod auspiciam quidem fructuosæ terræ, sed laboriosæ et subjugatæ fuit: itaque illud alterum questum et inventum præ isto placuit. Ut ita Carthago fertilis sit per omen *Bovis*: bellicosa, per *Equi*. Atque ita quidem Servius, et Donatus, et qui cum eis faciunt. Alii, *facilem victu*, active capiunt, pro, ad vincendum: quasi fortem et multis victoriis pollentem. Vict. Strigelius cruciculam hic Grammaticis fixam dixit. *Taubmann.*

*Per secula*] Pari forma Quintilian. decl. 268. 'Pugnant inter se, atque dissentiunt, et perpetuam hanc per secula litem trahunt.' *Cerda.*

450 *Hic templum Junoni*] Superius dictum est, quod Virgilius ubique lucos consecratos velit accipi, unde tanquam in loco sacro inducit Didonem Junoni templum construere; morem autem Romanum veterem tangit: antiqui enim ædes sacras, id est, templa ita faciebant, ut prius per Augures locus liberaretur, effareturque: tum demum a Pontificibus consecraretur, ac post ibidem sacra edicerentur. Erant autem templa, in quibus auspicio et publice res administraretur et Senatus haberi possit, tantum sacra. Hic ergo et sacrum templum, quod in loco, id est, in loco sacro, conditur,

*Virg.*

7 I



docet. Et in templo administrari Rempub. subsequentibus verbis indicat: 'Jura dabat legesque viris, operumque laborem Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.' Alibi tantum sacra esse templa, alibi omnia ubi agi possent, locis suis monstrabatur. *Servius*.

*Hic*] Oportuit enim deam in eo loco habere honestissimam sedem, in quo virtutem suæ majestatis ostenderat. Et cum nondum perfectum esset, tanta reverentia colebatur, ut donis copiosum esset, et dea ipsa præsens esse crederetur. *Donatus*.

*Sidonis*] Licet *Sidon* civitas sit Phœniciæ, tamen hic pro Tyria posuit. Sane quidam oportune hic *Sidoniam* volunt positam, ut ostenderet locupletem; *Sidonii* enim locupletes habiti sunt; ut, 'Sidoniasque ostentat opes.' *Servius*.

451 *Donis opulentum et numine divæ*] Aut simulacrum quoque aureum fuit, et *numen* pro simulacro posuit. Ut, 'Media inter numina divum.' Hinc Cicero, 'Sese jam ne deos quidem, ad quos confugerent, habere:' aut ostendere vult plenum esse præsentia numinis templum, aut certe venerabile numine. *Idem*.

452 *Ærea*] *Ærea* ideo, vel quod æs magis in usu veteres habebant: vel quod religioni magis apta est hæc materies. Denique flamen Dialis æreis cultris tondebatur, aut quia vocalius cæteris metallis, aut quia Medici quædam vulnera curant, aut dicit, quia veteres magis ære usi sunt: aut ærea secula significantur. Nam, ut Hesiodus dicit, tempore, quo hæc gesta sunt, æreum seculum fuit. *Id.*

*Gradibus surgebant limina*] Ex more vetere, quo magnificentissima templa gradus habuere, quibus ad illa ascenderetur. Vitruvius III. 2. 'Matres enim familiarum, cum ad supplicationem gradibus ascendunt,' &c. Facit enim ad majestatem templi, ut a cætero urbis solo exstet. Lege Philan-

drum in adductum locam Vitruvii. Apuleius I. XI. 'Exosculatis vestigiis Deæ, quæ gradibus templi hærebat argento formata.' Idem mos servatus in domibus privatis. Virgilius Ge. III. 'gravido superant vix ulbere limen.' Hunc morem agnoscit Passeratius ex illo Propertii eleg. I. 16. ubi loquens cum janua: 'At tibi sæpe novo deduxi carmina versu, Osculaque impressis nixa dedi gradibus.' et ex illo ejusdem eleg. 14. 'Illa neque Arabium meruit conscendere limen.' *Cerda*.

*Ærea cui gradibus surgebant limina, &c.*] Hoc Plinius testatur antiquis familiare fuisse XXXIV. 8. 'prisci limina etiam ac valvas ex ære factitavere, &c. Quin etiam privata opulentia eo modo usurpata est. Camillo inter crimina objecit Sp. Carvilius quæstor, quod ærata ostia haberet in domo.' Eo processit Romanorum luxur et superbia, ut non minori cura muniverint et ornaverint simul ædes, ac urbium portas. Quod Juvenalis arguit Sat. VII. 41. 'Hæc longe ferrata domus servire jubetur, In qua sollicitas imitatur janua portas.' *Emm.*

*Nexæque Ære trabes*] Multi *nixæ* legunt, non *nexæ*, juxta Varronem, qui ait, 'Trisulcæ fores, pessulis libratæ dehiscunt, graves atque innixæ in cardinum tardos turbines.' Quidam trabes æneas putant ipsum templum χαλκοστῆς significari. Versus sane ipse hypermetros est. *Valvæ autem sunt (ut dicit Varro) quæ revolvuntur et se velant.* Janua autem est primus domus ingressus: dicta, quia Jano consecratum est omne principium. Cæterum intra januam, *ostis* vocantur generaliter; sive valvæ sint, sive fores: quamvis usus ista corripuit. *Servius*.

453 *Ære trabes*] Pro ex ære, ut Propert. 'Auro Solis erat supra fastigia curvus.' Sic Græci omissa particula, *ἐκ*. Ælian. var. Hist. II. 33. *ἑλέφαντος*. *Emmenses*.

*Foribus*] *Fores* proprie dicuntur,

quæ foras aperiantur, sicut apud veteres fuit. *Servius*.

*Cardo*] Dictus est, quasi cor januæ, quo movetur. *Idem*.

*Stridebat ænis*] Ad sua retulit tempora Virgilius. Cantum enim fuerat, post proditum hostibus a Tarpeja virgine Capitolium; ut ærei cardines fierent, quo stridor possit aperta ostia omnibus indicare. *Idem*.

*Foribus cardo stridebat ænis*] Ait Servius, retulisse hoc Virgilium ad suum tempus, quo cantum erat post proditam a Tarpeia Virgine Capitolium, ut ærei cardines fierent, quo stridor sonantius audiretur, neque esset locus insidiis. Firmari hæc possunt versibus Virgillii in Cic. 'Quam simul Ogygii Phœnicis filia Charme Surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi Marmoreo æratus stridens in limine cardo), Corripit extemplo fessam languore puellam.' Proserpina quoque apud Claudianum Rapt. i. hoc signo excitatur ab opere, cui incumbat: 'sed cardine verso Sensit adesse Deas, imperfectumque laborem Deserit.' Servii quoque sententiam juvant, quæ Eustathius, quæ ex illo Spondanus, inter metalla æs soni esse maximi: et ideo ab Homero Il. v. vocem æream dari Junoni, quo longe lateque audiretur. Calpurnius declam. 4. dixit 'ferrati postis stridor excitat.' Traduci isti omnes ad morem aliam possunt. Observat enim Servius, alii etiam, januas domorum foras, non intro aperiri solitas, et inde dictas fores. Tum itaque, qui foras prodibant, prius crepitu quodam significabant, se velle exire, ne, cum fores aperirentur, læderentur ii, qui forte viam præteribant. Inde itaque hic stridor Virgillii, et aliorum: et quidem in Terentio, cum quis domo exit, aut ingreditur, fores crepant, in quibus non semper æs. Et Propertius eleg. iv. 9. nulla facta æris mentione, tamen ait: 'Cum subito ranci sonuerant cardine postes, Et levia ad pri-

mos marmura facta lareæ.' Ubi videtur abesse æs: nam si illud, non certe esset murmur leve. *Cerda*.

*Foribus cardo stridebat ænis*] Lucret. l. ii. 'æra restantia' dicuntur vociferari: 'Æraque quæ claustris restantia vociferantur.' Ad hunc locum consulendus Gifanius. Pro vociferari, Turnebo teste v. 27. Maroni *stridere* in usu. *Æn.* vs. 573. 'Tum demum horrissono stridentes cardine sacræ Pandantur portæ.' Et vii. 613. 're-serat stridentia limina consul.' Et fores, quæ poetæ *stridere*, Terentio *gravius crepare* dicuntur. H. iii. 3. 52. *Emmeness*.

454 *Hoc primum in loco*] Secuta sunt enim et alia quæ detraxere formidinem. *Servius*.

*Hoc primum*] Propositionis genus est: dicturus est enim, quid viderit, unde aliquid sperarit, unde ait lenitus metus: nam totus eradi non potuit. *Donatus*.

*Nora*] Vel contra spem, cum paulo ante vidisset omnia deserta: vel, *nora*, quia videbat Trojana certamina depicta. *Idem*.

*Timorem*] Multi quærent, cur post visam matrem quicquam timuerit. Quod tamen alii sic abusive solvunt; ut dicant, ne tum quidem Æneam, Venerem, quam viderat, esse credidisse: cujus, ut ipse putabat, agnitæ nulla verba perceperat. Sed vera solutio hæc est: Venus nil de Afrorum moribus, unde nunc formidat Æneas: sed de classe liberata dixerat filio: vel quia non in totum Æneas matris fiducia confirmandus est, ne quid superat magnanimitati et laudibus viri fortis. Sciendum tamen est, in Virgilio, interdum validiora esse objecta purgatis: vel contra, ut hoc loco. *Servius*.

455 *Leniti*] Quartæ conjugationis tempus præteritum perfectum vel in vi junctum exit; vel sublata digammo, in ii pro nostro arbitrio: ut *lenici, leniti; audivi, audii*. Sane cum

in *vi* exit, penultima longa est, et ipsa accentum retinet; cum vero in *ii*, penultima brevis est, et perdit accentum: quia, ut supra dictum est, 'Unius ob novam:' quotiens vocalis vocalem sequitur, detrahit longitudinem præcedenti: sed hoc in metro, ubi necessitas cogit. Nam in prosa et naturam suam et accentum retentat. Nunc ergo *Leniit*, tertia a fine habet accentum: quia penultima brevis est. Sane plerumque accentum suum retinet sermo corruptus: ut *Mercuri, Domiti, Ovidi*: tertia a fine debuit habere accentum, quia penultima brevis est: sed constat hæc nomina apocopen pertulisse: nam apud majores erat idem vocativus qui et nominativus; ut hic *Mercurius, o Mercurius*: unde cum licet orevis sit, etiam post apocopen, suum servat accentum. *Idem*.

*Leniit*] Pro minuit. Ut Horatius Epist. 1. 1. 34. 'lenire dolorem:' et Terent. Heant. 'lenire miseriam:' et Ovidius, 'tempus lenit odium,' eo versu: 'Leniat aut odium tempus et hora meum.' Ita Mich. Brutus. *Cerda*.

*Hic primum Æneas*] In Longobardico legitur *hoc*: ut sit repetitio illius pronominis demonstrativi, *Hoc primum in luco, Hoc primum Æneas*. Magis tamen placet *hic* adverbium. *Pierius*.

456 *Ausus*] Bene *ausus*: quia inter incerta satis audacter salus speratur. *Servius*.

*Afflictis*] De afflictis, nec enim esse septimus casus potest. *Idem*.

*Confidere*] *Fido* et *confido* dativum regit: ut, 'Et fidere nocti.' Sane optima figura est, quæ nunquam a principatitate discedit: ut, 'Atque humiles habitare casas:' accusativo junxit, quia *habeo domum* dicimus, unde est *habito* frequentativum. *Idem*.

457 *Numque*] Reddit rationem, quid sit, quod leniebat metum, et spem inopinatam promittebat. *Don*.

*Sub templo*] Hoc est, in templo: ut

supra, 'Exercet sub Sole labor,' id est, in Sole. *Servius*.

*Sub ingenti templo*] Pro in. Ovid. Trist. 1. 3. 'Nata proenl Lybicus aberat diversa sub oris.' Sic *ὁδὸς* Græcis sæpe idem quod *ἐν*, ut *ὁδὸς τοῦ ἄρπου κλέπτον*. *Emmeness*.

458 *Reginam opperiens*] Expectans, aut quam intelligebat esse venturam ex artificum festinatione: aut certe videndæ reginæ occasionem requirens. *Servius*.

*Reginam opperiens*] Non levibus picturis tenebatur, sed quod necessarium erat, reginam operiebatur: ergo ad sui excusationem hoc dixit. Circumspectabat etiam, veluti et ipse novam urbem conditorus, ut adverteret, quanto id labore constaret. *Donatus*.

*Quæ fortuna sit urbi*] *Fœlicitas*. *Quæ* hic admirandi significatus est. *Servius*.

459 *Artificumque manus inter se*] Hoc est, habebat artificum comparationes. *Idem*.

*Artificumque manus*] Ita omnes pariter una gratia et una subtilitate certabant, ut intrens nullum aliis præferre potuisset. Descripta autem magnitudine, transit ad ornatum picturæ. *Donatus*.

*Artificumque manus*] Hic *manus* pro pictura accipitur, ad eundem modum, quo laudantes imaginem aliquam factam penicillo, et bonis coloribus, solemus dicere, illam esse egregiam manum. Itaque apage, ut pates hic, *manus artificum* esse manus illas, quibus saxa cæduntur, aptantur, poliuntur. Id senseram, prius quam vidissem notam Robertelli in verba hæc, *artificum manus*, quæ sit: 'Plane voluit significare Virgilius antiquitatem picturæ.' Nollem diceret *antiquitatem*. Rede. Propertius quoque l. III. ita accepit hanc vocem, cum scripsit: 'Me certe tabula capient mea lumina pictæ, Sive ebore exactæ, seu magis ære manus.' Pro me quo-

que est Germanus, adducens locum hunc Propertii ad hunc locum, frustra facturus, nisi manus in Virgilio de pictura caperetur. Passeratius illud Propertii Eleg. i. 15. 'Externos manibus componere crines,' explicat: *manibus, arte, et cura*: et ad id probandum subjicit versum Virgilii, in quo sum. Ausonius etiam *artificis manus* dixit eodem sensu, quo Virgilius. Antiquus ille Aristeeus in historia de 72. interpretibus, describens mensam, ita ait: 'Pedes in liliorum figuras expolierat artificis manus.' ita ille picturam expressit. *Cerda*.

*Inter æ*] Certantium, aut aliquid tale. *Serrius*.

*Operumque laborem*] Opus de pictura dicitur. Plinius xxxv. 10. de Apelle loquens: 'Invidit mors perfecta parte, nec qui succedere operi, inventus est.' et de Zeuxi, superiore capite. 'donare opera sua instituit, quod ea nullo satis digna pretio permutari posse diceret.' Transiit et vox ad statuarios. Strabo l. vi. Herculem ex ære *Αυτοῦτον ἔργον* vocat. *Cerda*.

*Operumque labores*] Verbum labores, notat Prisc. De partibus, l. vii. et De Construct. l. ii. Dicta autem hæc sunt *κατὰ πρόληψιν*: cum Iliacis temporibus, auctore Plinio xxxv. 3. pictura nondum fuerit. *Taubmann*.

460 *Ex ordine*] Prout fuerunt: hoc loco ostendit omnem pugnam esse depictam: sed hæc tantum dicit, quæ aut Diomedes gessit, aut Achilles: per quod excusatur Æneas, si est a fortibus victus. Sane *pugna* est temporale certamen, idem et *prelium* significat; *bellum* autem universi temporis dicitur, ut *Punicum*, *Mithridaticum*. Sallustius, 'Ita sperat pugnam illam pro omni bello futuram.' Livius: 'ni Pyrrhus unicus pugnandi artifex, magisque in prælio quam bello bonus.' *Serrius*.

*Iliacas pugnas*] Pausanias in Attic.

longam picturam, et vetustam exhibet in templo, ubi cum multa alia, tam etiam res Trojanæ celebrantur, videlicet Græci exacindentes illum, Ajax, Cassandra, agmen mulierum Trojanarum. Vitruvius quoque vii. 4. inter celeberrimas picturas, quæ olim solerent efformari, Trojanas pugnas commemorat. Philostratus in Heroicis ait: *τὰς Τρωϊκὰς μάχας μνησθῆναι*: Trojana prælia fuisse omnium maxima: et adjicit, digna esse, quæ omnium laudibus celebrentur. *Cerda*.

461 *Fama totum vulgata per orbem*] Quia Europa intulit, Asia passa est, Africa jam depingit. *Serrius*.

462 *Atridas*] Atræi filios, Agamemnonem, et Menelaum: sed usurpatum est: nam Plisthenis filii fuerunt. *Idem*.

*Sæcum ambobus Achillem*] Atqui tres dixit; sed Atridas pro uno accipe, quos unius partis constat fuisse. An *ambobus*, Agamemnoni tantum et Priamo; an ambobus exercitibus Græcis, propter suam de Briseïde injuriam, Trojanis propter Helenam, et *ambobus* pro utrisque. *Idem*.

*Atridas, Priamumque, et sæcum ambobus Achillem*] Scribendum est *Achillem* per a finalem: ut Probus in arte monet. Dissimulabo nunc *sæcum* per o. *Ambobus* hic pro utrisque positum ait Arusianus. Donatus vero speciem esse comparationis putat: ut ait, *sævior fuit Achilles Agamemnone et Menelao*. *Pierius*.

*Atridem, &c.*] Placuit hæc lectio, quam et agnovisse videtur Seneca epist. 104. et firmare verborum structio, demum historia: nam et Agamemnoni et Priamo pariter perniciosus fuit Achilles, ut jam explicui. Si quis legat *Atridas*, placebit explicatio alia, quam jam propono. Positiva apud Latinos aperte comparant, ad illa adjungatur præpositio aliqua significans excellentiam: verbi gratia: 'Formosus præ aliis.' Ita Virgilius

*Æn.* III. 'O felix una ante alias Priameia virgo!' id est, felicior aliis. Faciunt hoc Latini imitatione Græcorum, qui dicunt, σοφὸς ἢ τὴν ἄλλων, pro σοφώτερος ἄλλων. Pergo. Huic positivo solent Græci demere præpositionem, et illam subaudire, ut ἔξοχος πάντων, est, ἔξοχος ἐκ πάντων. Ergo Poëta Græcos imitatus dixit, sævum ambobus, pro sævum præ ambobus, ut intelligat, Achillem sæviorem fuisse in Troianos, Agamemnone et Menelao. Græcos imitatus est Lucretius, cum dixit, δία θεδών, pro δία ἐκ θεδών. *Cerda.*

463 *Constitit*] Mente dolebat de adversis suis, imperiique Trojani calamitatibus: et de suorum interitu factas esse fabulas, quas loquerentur, et oblectationis causa pingerent. Sic tamen ea dolenda protulit, ut partes etiam consolationis inferret: 'Ferret hæc aliquam tibi fama salutem.' Nam calamitas citat commiserationem. *Donatus.*

*Constitit et lacrimans*] *Constitit*, ea significatione, qua supra *Ge.* IV. 'Ixiouei vento rota constitit orbis;' hoc est, stetit, et conquievit: ut fere etiam *restitit*: eod. *Georg.* 'Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa,' &c. et *substitit*, libro sequente. Ut autem ex memoria lacrimantem inducit poëta Æneam, sic in poëtis. *Arist.* ἰδὼν τὴν γραφὴν ἐκλαυσε. Nempe et *Hom.* ἱερπεὺς βλέβω γόος. Hujusmodi vero laccrimationes continere videntur lætitiæ dolore mixtam, quam multis *Odyss.* locis *Homerus* representat talibus subinde: δὲ ἱερπον ἄρσε γόοιο: et γόφ φρένα τέρπομαι. Ad quem affectum et *Comicus* allusisse videtur, cum *lacrimari gaudia* dixit: ad quod *δακρυγέλῳ* accredit: et illud *Ciceronis*: 'habet præteriti doloris secura recordatio delectationem.' *Germanus.*

464 *Plena laboris*] *Plenus* genitivo melius jungitur: ut *Terentius*, 'Plenus rimarum sum.' *Plautus*, 'dede-

coris plenior.' *Servius.*

465 *En Priamus*] *Læus* picturæ est, per quam non imago, sed ipse prope ostenditur *Priamus*. *Serv.*

*En*] Non tantum demonstrantis est, verum etiam dolentis; quasi dicat: Ecce, ad quam infelicitatem perductus est *Priamus*! exponit jam suos dolores, quos ex persona potentissimi regis, senis, et soceri sumebat. *Donatus.*

*Sunt hic etiam sua præmia*] Et supra diximus. Omnis *Æneæ* sollicitudo de moribus Afrorum erat: quam nunc picturæ contemplatione deponit. Qui enim depingunt bella, et virtutem diligunt, et miseratione tanguntur. *Servius.*

*Sunt hic etiam sua præmia laudis*] Est hæc propositio; dicturus est enim, quæ laudanda et quæ dolenda. *Donatus.*

*Sua*] Id est, congrua: ut, 'Strueremque suis altaria donis.' *Servius.*

*Laudis*] *Virtuti*: ut, 'Primam merui qui laude coronam.' *Idem.*

*Laudis*] Accipe hic laudem pro rebus gestis, et virtute bellica: ut in *Propert.* eleg. III. 12. 'Quot non infames exercet corpore laudes Inter luctantes nuda puella viros.' et eleg. I. 6. 'Non ego sum laudi, non natus idoneus armis: Hanc me militiam fata subire volunt.' *Cerda.*

*Sunt hic etiam sua præmia laudis*] Etiam in finibus *Libyæ suæ*, id est, debita et congrua laudi, id est, virtuti et factis laudabilibus sunt præmia: atque etiam lacrimæ rerum: quæ scilicet rerum adversarum causa ab aliis ex commiseratione mittuntur. Et solamen miserorum esse mærorum commiserantium, ut ait *Scallg.* IV. 16. Dicit igitur, in ista pictura esse, et quod dolorem moveat, et quod malorum solatium ferat. *Tamb.*

466 *Sunt lacrimæ rerum*] Rerum adversarum, et calamitatum, ut *Terneb.* *German.*

*Sunt lacrimæ rerum*] *Locutiones*

ita familiares sunt Latinis: *Lacrimæ* rerum, miseriæ rerum, voluptates rerum, id est, res quæ efficiunt lacrimas, miseriæ, voluptates. Græci e contrario efficiunt, et mutant locutionem. Aristophanes dixit: *χρῆμα τὸν πένθος*, pro dolere: res actum, id est, noctes. Euripides, *χρῆμα θάνατος*, res funerum, id est, funus. Interdum et Latini ad horum imitationem. Plant. Amph. res voluptatum, pro voluptatibus: et Phœdrus, res cibi, pro cibo: observavit Ritterhusius. *Cerda.*

*Mortalis]* Adversa: quibus constat subiacere mortales. Alii mortales casus accipiunt, ut absolute *τὰ θανάσιμα*. *Servius.*

*Mortalis]* Quæcumque adversa mortalibus acciderint. *Damasus.*

467 *Solce metus]* Collectio est. Nam ubi virtus præmia, adversa miserationem merentur: rite formido deponitur. *Servius.*

*Solce metus]* Id est, ne timeas: Scalig. iv. 16. Nam ubi virtus, præmia; adversa, miserationem merentur: rite formido deponitur. Notat item Scalig. iii. 11. Æneam tanquam Pontificem, vel augurem, conjecturam facere, atque ex pictura quasi omen capere. *Tausmanus.*

*Feret]* Pro *adferet*. Et hic reddit, 'Hoc primum in luco, nova res oblata, timorem Leniit.' *Servius.*

*Feret hæc aliquam tibi fama salutem]* Non dissimile ab hoc illud Aristippi Socratici, qui, cum facto naufragio ejectus esset in littus Rhodiensium, ibique figuras geometricas animadvertisset, exclamasse ad comites dicitur: Viri, adeste animo; atque optime sperate, nam hic hominum vestigia adesse video. Notavit Nasimb. *Cerda.*

468 *Pictura pascit inani]* Epitheton est picturæ: aut quia caret corpore, quæ imitatur, similitudine: aut quia nullius est utilitatis, sed tantum delectat; nam apud veteres

*παινεσθῆναι* seu *φροδοσθῆναι* dicta est. *Servius.*

*Pascit]* Delectat, ut, 'non animum modo uti pascat prospectus inaniem;' vel, ut quidam volunt, ad stupentis animum retalit, qui vel inanibus commovebatur. *Idem.*

*Animum pictura pascit]* Ab hac forma non abit Terent. Phorm. 'oculos pascere:' qua uni Cicero. Verr. vii. Symmachus epist. ii. 13. et epist. v. 76. Ovid. Amor. iii. 2. Lucretius l. i. His auctoribus, et aliis, *pascere*, est delectare. Plautus forma alia in Poen. 'oculis epulas dare.' Ammianus Doctrinam et Philosophiam voret l. xvi. *palula*. Hanc formam ad animum, uti etiam Virgilius; transtulit Cicero ad Trebat. 'sed quoniam avidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam,' &c. et de Divinat. i. de anima, 'saturata bonarum cogitationum epulis.' Plautus Autol. 'libenter edi sermonem tuum.' In hac forma plurimi sunt Græci. Plato Reip. ix. *δεδωκεν λόγον καλόν, καὶ οὐκ ἔπειτα* reficiens animum disputationibus honoris, commendationibusque: et in Phæd. *τὸν λόγον ὅτις Ἀντίφω δέειξεν*. Synebius, *δενία Κυρριανὸς τῷ λόγῳ*. Nasansenus oration. v. *τοῖς μάλιστα πλεονεξίᾳ δέειξεν διδόναι*. Neque solum *δενίξεν*, sed multa alia. Nam Eurip. Phœniss. *δενίξεν δέειξεν φρονέειν* *opes pascunt oculos*: sic, *ἐδωχὲν σὺ*, pro *delecto te*. Plato de Repub. l. i. *ἐδωχὲν τὸν λόγον* *satia te sermonis epulo*: atqui *ἐδωχὲν* vox est epularum: sic *καρποῦσθαι τὸ διαδοῦμα*. Hinc illustrabile locum Ge. ii. 'animum pascat prospectus.' Non abit forma illa Martialis epigr. ix. 60. 'oculique comedit:' nec illa Aëcli in Athiamante: 'Facinus oculi vescuntur tui.' *Cerda.*

469 *Multa gemens]* Πολλὰ στενέειν. *Servius.*

*Multa gemens]* Propositio: monstrat, quæ res in pictura animum

reficiat, et quæ dolorem afferat: utrumque tamen animum considerantis ducebat ad lachrymas. *Donatus.*

*Largoque humectat flumine vultum*] Tapinosis est, quod dixit *humectat*: largo nam flumine, est fluore, id est, fluxu ipso. *Servius.*

*Largoque humectat flumine vultum*] Neces-ario tibi placebit Statius Theb. iv. nam ab hac Musa, 'largisque humectant imbribus ora.' Est etiam tacita Catulli imitatio. Hic enim ad explicandum vultum madentem flota, dixit, ore udo. Noster mutavit, ut vides. *Cerda.*

470 *Namque vidēbat*] Ostendit unde lætitiā caperet, scilicet, 'hac fugerent Graji;' et unde dolorem, scilicet, 'hac Phryges.' *Donatus.*

*Pergama circum*] Abusive: non enim circa Pergama, hoc est, arcem: sed circa Ilium bella gerebantur. *Servius.*

471 *Hac fugerent Graji*] Infinita sunt Homeri loca, ad quæ potuit alludere in hac Græcorum fuga; duo tantum adducam, unum ex Il. xv. alterum ex Il. xviii. Ἰνῆ δ' ἄρ' ἀνέβη, τῶς δὲ Τρῶας, καὶ Ἀχαιοὺς, τοὺς μὲν ὀνομαζόμενος, τοὺς δὲ κλονέοντας ἐπισθεν Ἀργεῖους: Stetit autem exurgens, ceciditque Trojanæ et Achivos, Hos quidem turbatos, illos autem turbantes e tergo Argivos. Ἀδράρ' Ἀχαιοὶ θεοσπεῖοι ἀλαλήτῃ ὑπ' Ἑκτορος ἀνδροφόνου φεύγοντες, νῆας τε, καὶ Ἑλλήσποντον ἱκοντο: Sed Achivi ingenti tumultu ab Hectore homicida fugientes, ad navesque et Hellespontum venerunt. Propertius etiam de hac fuga Græcorum eleg. ii. 8. 'Viderat ille tuga tractos in littore Achivos, Fervere et Hectorea Dorica castra face.' *Circa.*

*Trojana juventus*] Definitio est Hectoris: ut, *Catilliusque, acerque Coras, Argiva juventus.* Et revera sic pene utique Homerus ponit; ut Hectori tantum vel Achilli totus cedat exercitus. *Servius.*

*Premere Trojanæ juventus*] Ego hic

miror Poëtam, et laudo. Superius Achillem in pictura intulit, et *seuam* ambobus Achillem, et iterum statim, *instaret curra cristatus Achilles.* Nonne ergo oportuisset illi aliquando Hectorem opponere? sicut enim in hac pictura Phrygas Achilles agit, cur non Hector Græcos? Consuluit, credo, Virgil. Poëta honori et decori Æneæ, picturam contemplantis. Si enim Hectorem adhiberet, indicaret, hunc Æneæ fortioerem; ideo facit juventutem Trojanam in communi (nam Servium non audio, qui ait, juventute Trojana definiri Hectorem) prementem Græcos, fugantemque ad naves. Adde in fuga nobili, qua absolvitur Il. lib. xvii. illius victoriæ Duces Æneam et Hectorem fuisse cum reliqua juventute Trojana. Car ergo præferretur Æneæ Hector in pictura? Homericos versus ita reddebam: 'Ajaces pugnam, et fulgentes ære catervas Sustinere diu. Trojanus at ingruit horror, Æneasque Anchisiades, et maximus Hector Infestant, vertere fugam tota agmina Grajum,' &c. *Cerda.*

472 *Hac Phryges*] Bene ubique Virgilius, pro negotii qualitate dat Trojanis et nomina: nam timidos Phrygas vocat: ut hoc loco. Item, 'O veræ Phrygiæ: neque enim Phryges.' Dardanidas generosos: ut, 'Dardanidæ magni genus alto a sanguine divum.' Laomedontiadas perfidos: ut, 'Nondum Laomedontæ sentis perjuria gentis.' Troas fortes: ut, 'Troës agunt, princeps turmas inducit Asylas.' Hectoreos quoque fortes: ut, 'Nunc nunc insurgite remis Hectorei socii.' *Serv.*

*Hac Phryges*] Potuit hic item respicere ad multa Homeri loca, ubi inducuntur Trojani fugientes ab Achille. Lege in primis fugam illam, qua absolvitur Il. lib. xx. et inchoatur l. 21. Philostratus Icon. l. ii. ait, solo Achillis clamore versos in fugam Trojanos, ὁ κλίνας τοὺς Τρῶας ἐκ μόνου

τοῦ Ἀχιλλεύ. Reprehendit Dio Chry-  
sost. oration. 36. eos, qui tam diu at-  
tenderent saltationibus Achillis, cum  
ille *ὄρπεγε τοὺς Τρῶας*: in fugam ver-  
tit Trojanos. *Cerda.*

*Cristatus Achilles*] Secundum Ho-  
merum, qui dicit in Achillis cristis,  
terribile quiddam fuisse. *Cristatus*  
autem participium est, derivatur a  
*crista* genere feminino. *Servius.*

*Inhaberet curru cristatus Achilles*] Sic  
potius legendum quam *stabat curru*:  
ut recte emendatus videtur locus  
Ovidii Met. xii. 72. qui simul, quas  
strages ediderit Achilles, docet:  
'jam curru iustabat Achilles Troa-  
que Peliacæ sternerat cuspidis ictu  
Agmina.' Cristæ, quæ gestantur in  
vertice galeæ, inter militantium su-  
pellectilia numerantur apud Juvenal.  
Sat. vi. 264. 'si conjugis aetio fiat  
Baltus et manicæ et cristæ,' &c. De  
*ἀλφει*, seu setis equinis, in apice ex-  
surgentibus, vide Feithium antiq.  
Homer. iv. 8. galeas et cristas ali-  
quot e monumentis collegit Lips.  
Dial. iii. 5. et ideo Achilles *cristatus*,  
quippe horrorem incutiebat: inde  
Homero teste, Iliad. T. 391. ἡ δ' ἀσκήρ  
δε ἐπέλαμπεν Ἰπποῦρος προφάλαια, Lu-  
cret. l. ii. 'terrificas cristas.' Em-  
menem.

473 *Nec procul hinc Rhesi*] Rhesus  
rex Thraciæ, Martis, ut alii Hebri,  
vel Strymonis, et Euterpes Musæ  
filius fuit: qui cum ad Trojæ venisset  
auxilia clausisque jam portis tentori-  
a locavisset in litore, Dolone pro-  
dente, qui missus fuerat speculatum,  
a Diomede et Ulyxe est interfectus,  
qui et ipsi speculatum venerant: ab-  
ductique sunt equi, quibus pendebant  
fata Trojana, ut si pabulo Trojano  
usi essent, vel e Xantho, Trojæ flu-  
vio, bibissent, Troja perire non pos-  
set. *Servius.*

*Tentorium*] Ut ostendat plures fuisse  
mactatos. Non enim solus in tentoriis  
fuisset. *Donatus.*

474 *Primo somno*] Prima parte

noctis: ut, 'Libra die seminique pa-  
res ubi fecerit horas:' aut primo  
somno, ut graviolem ostenderet som-  
num. Aut prima nocte, quia in Troja  
Rhesus non fuerat. *Servius.*

*Prodita somno*] De hoc tempore  
insidiarum signate Homerus Il. x.  
Οἱ δ' ἔβδον καμάτῳ δειδιμένους: *Dormis-  
sant illi defatigati labore.* Loquitur de  
Thracibus; et Tryphiodorus ait, Rhe-  
sum defectum a Thracibus, qui ocel-  
sus fuerat κατὰ δρυὶν, male somno, et  
δαλῆν ὄρῳ νέκην, dolosa in nocte. Dic-  
tys etiam l. ii. de hac historia lo-  
queas: 'Fatigatis ex itineribus, et  
ob id somno pressis, lique' (scilicet  
Diomedes et Ulysses) 'interius pro-  
gressi, in ipsis tentoris Regem inter-  
ficiunt.' Poëta, ut altissimum et  
arctissimum somnum signaret, primo  
dixit, nam primus somnus profundis-  
simus: inde in ii. summam quietem  
signaturus, ait: 'Tempus erat, quo  
prima quies mortalibus ægris Incipit,  
et dono Divum gratissima serpit.'  
Ita etiam Propertius eleg. i. 3.  
'Qualis et accubuit primo Cephæia  
somno.' *Cerda.*

*Primo somno*] Id est, prima noctis  
parte cum multis suorum interfectus  
est: abductique sunt equi, a quibus  
pendebant fata Trojanorum. De  
quibus Fatibus sive Oraculis dictum in  
Comment. Plant. Bacchid. iv. 9.  
aliquid etiam Æn. ii. *Taubmann.*

475 *Tydidēs*] Id est, Diomedes.  
Et bene Ulysses celat propter Æ-  
neam, ut supra diximus: aut quia  
secundum Homerum, occidente Dio-  
mede, cadavera Ulysses trahebat.  
*Servius.*

*Multa vastabat corde cruentus*] Ver-  
sus, quibus Homerus Il. x. hanc ce-  
dem Diomedis extulit, hi sunt: 'Ὡς  
δὲ λέων μέλουσιν ἀσπιδότοισιν ἐπελθὼν,  
Ἀλγεῖν, ἢ δίοσσι κακὰ φρονέων ἄπορόσῃ.  
'Ὡς μὲν Ὀφρύκας ἄνδρας ἐπέχετο Τυδίδος  
υἱός: Sic autem leo pecuibus incu-  
toditis superveniens, Capris vel ovis  
mala machinans irruit: Sic quidem



*Thraces viros aggrediebatur Tydei filius.* Cerdæ.

*Vastabat cæde*] Id est, hominibus exhauriebat: vacua faciebat. Infra: 'Belus opimam Vastabat Cyprum.' Sic Nisus Æn. ix. 'Hæc ego vasta dabo.' Scalig. iv. 16. *Taubmann.*

*Multa cæde cruentus*] Id est, pollutus: sic apud Horat. Sat. ii. 5. 'cruentus sanguine fraterno.' Cic. Philipp. iv. 2. 'cruentus sanguine civium.' *Emmeness.*

476 *Ardentis*] Et candidos significat, et veloces: ut, 'Pernicibus ignea plantis:' si ignea, velox est, sine dubio et ardens. *Servius.*

*Ardentis avertit equos*] Candidos et veloces Servius interpretatur, ut ab Hom. λευκότεροι χιόνος: sed potius ad generositatem, et θυμὸν referri debere videtur, ipso suffragante Poëta Ge. iii. de equis: 'æque juvenemque magistri Exquirunt, calidumque animis, et cursibus acrem:' ut et Æn. viii. 'Pernicibus ignea plantis' Camilla dicta est: et Catull. 'flammea celeris vestigia cervæ.' Quod autem hic *pabula gustassent* dixit, respicere videtur illud oraculum, testatum ab Homeri interprete Il. K. in hæc verba: *χηρὰ μὲν γὰρ ἰδόμετο αὐτῶ φασιν, ὅτι εἰ αὐτὸς γέλοιτο τοῦ ὄδατος, καὶ οἱ ἴπποι αὐτοῦ τοῦ σκαμάνδρον πλώσι, καὶ τῆς αὐτῶθι νομῆς, ἀκαταμάχητος ἔσται εἰς τὸ παντελές.* *Germanus.*

*Prius quam Pabula, &c.*] Voluit ostendere celerem exitum et finem ejus. *Donatus.*

*Prius quam Pabula gustassent, &c.*] Fluit hoc loco pathos a tempore, quod vix pedem intulerit in suburbana Trojæ loca, quin fuerit sublatus e medio. Vide Macrobi. iv. 3. ibi plura exempla: quemadmodum 475. Pathos sumptum est ab ætate: *infelix puer, &c.* *Emmeness.*

477 *Xanthum*] Fluvium Trojæ. *Servius.*

478 *Parte alia fugiens amissis Troilus armis*] *Parte alia* scilicet templi,

et veritas quidem hoc habet: Troili amore Achillem ductum, palumbæ ei, quibus ille delectabatur, objecisse: quas cum vellet tenere, captus ab Achille, in ejus amplexibus perijt. Sed hoc quasi indignum heroico carmine, mutavit poëta. *Servius.*

*Fugiens*] Fugere volens, accepto jam vulnere. *Idem.*

*Troilus*] De hoc satis multa Hortensius in hunc locum. Nonnulli impudicos quosdam amores cum Troilo celebrant. Adi Tzetzen in Lycophron. Gulielmum Cant. Nov. Lect. ii. 9. Servium hic, atque Hortensium, Cællum Lect. Antiq. xv. 9. Sed hoc quidem Tætzæ ipse non credit, quod Troilus μελόγχευος esset, *δασυγένης, καὶ Ἀχιλλεύς ἐρώτων ἀνδρῆς.* Itaque Troilum multi jam grandem virum describunt, et barbitio plurimo horrentem, quin Cedrenus dncem facit exercitus, una cum Deiphobo, Paride, Lycaone. Alii juvenem, ac pene puerum. In his est Dio Chrysost. orat. xi. loquens enim de Achille, ita ait, καὶ Τρόϊλος τε ὄντως ἀποθνήσκει παῖς ἐν ἡρί: *atque ita interfectus est Troilus adhuc puer.* et Horat. Od. ii. 9. 'impubem Troilon.' Maro quoque hic, fortasse quia ad excitandos affectus ætas hæc visa est commodior: et hæere potuit verbis Dictyis l. iv. de bello Trojano, qui ait, illius ætatem fuisse admodum immataram, et in ipsis pueritiæ annis interceptam, cum jam adolesceret: illud certum, Troili mortem, unum fuisse ex fatis Trojæ, scribente sic Plauto Bacchid. 'Illo tria audiui fuisse fata, quæ illi exitio forent: Signum ex arce, si perlisset: alterum est etiam Troili mors: Tertium cum portæ Scææ ūmen superum scinderetur' Hinc nota mentem Maronis, qui una Troilum et Rhesum conjunxit: nam ex Rheso quoque pendere fata Trojana Servius monnit. *Cerdæ.*

*Amissis armis*] Aut ætatis imbecillitate, vel vulneris dolore. *Servius.*

479 *Infelix*] Multi hoc loco distinguunt, et subjungunt *puer*, atque *impar congressus Achilli*, ut ex eo *impar* ostendat, quod *puer*, sed tamen etiam si jungas *Puer*, unus est sensus. *Idem*.

*Infelix*] Quia *puer*, et *impar* ei congressus est, quem juvenis superare non potuisset. Est autem descriptio ejus, qui supinus ferebatur. *Donat*.

*Infelix puer*] Hunc Horat. od. 11. 9. 'impubem Troilon' vocat. *Emm*.

*Atque impar*] Ac si diceret, etiam si *puer* non esset. *Servius*.

*Congressus Achilli*] *Congredior* tibi, antiqui dicebant: sicut *pugno* tibi, *dimico* tibi. Hodie dicimus *congrédior* tecum, *dimico* tecum. *Idem*.

*Atque impar congressus Achilli*] Signa pueri audaciam. Ad hunc locum respexit Sen. Agamemn. ubi Cassandra: 'te sequar nimium cito Congressus Achilli Troïle.' Ausonius quoque: 'Hectore prostrato, nec Diis, nec viribus aequis, Congressus perii Troïlus Æacidæ: Raptatus bigis, fratris conjungor honori: Cujus ob exemplum nec mihi poena gravis.' Dio tamen Chrysostom. orat. xi. non ait Troïlum congressum, imo factas illi insidias ab Achille, qui erat ad struendas insidias, nocturnasque incursiones callidissimus. *Cerda*.

480 *Fertur*] Trahitur. *Servius*.

*Fertur equis*] Corradus putat dici de Troïla, vel quod *ἵπποχάρμης* equus delectaretur, vel quod ab equo pugnaret. Videtur tamen hic locus explicandus per illum superiorem Ge. 1. 'Fertur equis auriga, nec audit currus habenas:' quod, ut Phaëthon et Hippolytus, ab equis, magistro et rectore destitutus, ferretur, ageretur, καὶ ὅς ἐστι φέρω βίᾳ φερόμενος. *Germ*.

*Curru*] Carribus falcatis usos esse majores, et Livius et Sallustius docent; potuerunt ergo et simplicibus. *Servius*.

*Resupinus*] Quia hastam trahebat. Sed intelligitur Achillis hasta trans-

isse per pectus, et a parte, qua ferum est, a tergo trahi. *Idem*.

*Resupinus*] Videtur vox posita pro simplici *supinus*. Ita Attius Antigona: 'Quid agis? perturbas rem omnem, ac resupinas soror.' et Propertius eleg. iv. 9. 'Nec mora cum totas resupinat Cynthia valvas.' *Cerda*.

*Inani*] Sine rectore: nam corpus hærebat. *Servius*.

*Fertur equis, curruque hæret, &c.*] Equis delectabatur, ut Stat. Silvar. l. v. 'Troïlus hand aliter gyro leviori minantes Eludebat equos.' *Emmeness*.

481 *Lora tenens tamen*] Quamquam mortuus. *Servius*.

*Lora tenens*] Contra Calab. l. vi. θάνατος δὲ μὴν ἀβδὸς ἐδάμα 'Ερουνάριος, μάστιγα καὶ ἥλια πόσι λισσάτα' de auriga Hippaside: ut et de Camilla: 'simul his dictis linquebat habenas Ad terram non sponte finens.' *German*.

*Lora tenens tamen*] Vide pueri virtutem indigni qui moreretur, nam post mortem præbet virtutis documenta, quæ potest. Non alienum ab hac Troïli historia proverbiale illud, καὶ ὅστις ἥλων ταύτην ἔκλειπος ἐστὶν: ne frana tractes inacius, cum sis puer. Cum quo quadrat historia Phaëthontis, apud Ovidium, apud quem Sol daturus lora pnero, 'Magna petis Phaëthon,' &c. Monet Junius cent. proverb. v. 49. Græcam paræmiam, quam attuli, sumptam e tragædia aliqua, ubi pater deprecatur filium Phaëthontem abstineat ab curru Solis, adducitque quæpiam ex Clemente Pædag. l. iii. ad hanc rem. Lego illum, et Hervetum in Collect. ad Clementem. *Cerda*.

*Lora tenens*] Sic Apulejus Metam. l. vi. de anu quadam: 'at illa, quamvis humi prostrata, tamen tenaciter loro inhærebat.' *Emmeness*.

*Cervixque comæque trahuntur Per terram*] Est hoc, quod de gigantibus victis Pindarus Nem. od. 1. φαίδιμα γὰρ κερύσσειν κόμην: illustrem co-

*man pulcre commiscantes.* Quod Homerus de Euphorbo occiso a Menelao, Il. l. xvii. *ἀμάρ τι δέβορρο κόμαι χαρίσσιν δρόιμ.* Quod de Patroclo Propertius eleg. ii. 8. 'Viderat informem multa Patroclon arena Porrectum, et sparsas cæde jacere comas.' Est etiam in Philone, lib. de agricultura locus simillimus Virgiliano, *πολλὰς δὲ καὶ τὰς βόας, &c.* adducam tantum Latina; 'Sæpe antem pedibus in curru hærens raptatur supinus, et tractam in orbita caput, cervicemque et humeros sanciat: deinde huc illucque distractus, et illius omnibus passim obiacentibus miserrimo genere mortis extinguuntur.' *Cerda.*

*Comæque trak.]* Vel, quia pilosus erat; scribit enim Tzetzes, Troilum fuisse juvenem forma eleganti, colore fusco, et barba hirsuta, sive prolixa. Vel, quia Phryges comam nutriebant. *Taubmann.*

482 *Versa]* Tracta, ut Plautus, 'Facite ut offendam parata, vorsa, præsterga, strata, lautæque cortæque omnia uti sint.' Venit autem ab eo, quod est *verror.* *Servius.*

*Inscribitur]* Dilaceratur: ut Plautus, 'Corpus tuum virgis ulneis inscribam.' *Idem.*

*Inscribitur]* Explica, sulcatur: est hæc vera interpretatio, non alia, quantumvis Robortellus Servium requatur explicantem, *inscribitur*, id est, *dilaceratur*, nam Plautus dixit, 'corpus tuum virgis ulneis inscribam:' et Catullus, 'Nec lanenum latunculæ, manusque mollicellæ Injusta turpiter tibi flagella conscribissent.' Nam tametsi in Plauto et Catullo ita accipias: sed pulverem lacerari quis vidit? Legit Scaligerum contra Servium, Poët. iv. 16. Et cur obsecro Plautus et Catullus non possunt trahi ad sulcos in illa laceratione? *Cerda.*

*Versa pulvis inscribitur]* Id est, cus-pide hastæ, retro conversa, vestigium

pulveri imprimitur. At Servius *verram* interpretatur tractam, sparsam: a *verror.* *Inscribitur* autem est *exaratur*, *sculptur*, *sulcatur.* Ferreo namque stylo ceratas tabulas elementorum notis sulcabat: quod patet in Nub. Aristoph. ut annotavit Scaliger iv. 16. *Taubmann.*

*Hasta]* Hostili scilicet, quam transfixus trahebat. *Servius.*

*Hasta]* Scil. hostili. Nam intelligitur Achilles hasta transisse per pectus, et a parte, qua ferrum est, a tergo trahi. *Taubmann.*

483 *Interca]* Cum Diomedes auxilio Minervæ plurimos Trojanorum fudisset, Elenus, Priami filius, vates, monuit, ut Minervæ numen exoraretur: et cum precibus deæ ponerent vestem, quam regina speciosissimam habebat, id est, pepulum, (unde post Minervæ palla, *peplum* appellata est:) Dea tamen memor iudicii Paridis, Trojanis infesta permansit. *Interca* autem et satis oportune a matribus festinatur ad templum: ut alibi, 'Nec non ad templum summasque ad Palladis arces:' et mire in pictura temporali adverbio usus est, quamvis non possit. *Servius.*

*Non aquæ]* Iniquæ, infestæ. Lito-tes figura est; ut alibi, 'Et vacuis Clanius non æquus aceris.' *Idem.*

*Non aquæ Palladis]* Ita hic *non aquam* vocat Palladem, ut in viii. Junonem *iniquam.* Sed cur inant ad preces Deæ iniquæ et adversantis? Attingo alibi morem gentium in placandis numinibus, non modo propitiis, sed etiam infestis; ab omnibus enim metuebant. Colebant propitia numina, ne illa infensa redderentur: colebant infesta, tum ut placarentur, tum ne malum aggererent. *Cerda.*

484 *Passis]* Participium est ab eo, quod est: *pindor*: ideo autem non facit *passus*: quia plerunque n, quod in prima verbi positione invenitur, in præteriti participio non est: de qua

re euphonia iudicat: ut ab eo, quod est *fundor* et *tensus* facit: ut, 'Tensus pectora palmis,' et *tensus*: ut, 'Non obtrita adeo gestamus pectora Pœni.' Sciendum tamen est, licet alia euphonia causa varientur, vel in generibus, vel in numeris, *nactus* tamen et *passus*, et penitus nunquam accipere. *Serv.*

*Crinibus Iliades passis*] Vetusti aliquot codices, *sparsis* habent: sed ea forte paraphrasis fuit: quum *passis* in emendationibus habeatur. Quamquam etiam in Liviano codice veteri l. vii. pr. Decad. *crinibus sparsis* legitur, pro *passis*: ut in vulgatis habetur. *Picrius.*

*Crinibus Iliades passis*] Alludit ad morem Romanum, quo constat in luctu fœminas solutis fuisse comis, ut apud Græcos tondis. Vide Plutarch. *de fœmâ.* διὰ τὸν γυναικῶν ἔκκομψοντι οἱ μὲν οἰοὶ συγκεκαλυμμένας, αἱ δὲ θυγατέρας γυμναῖς ταῖς κεφαλαῖς, καὶ ταῖς κόμαις λελυμένας. *Germannus.*

*Crinibus Iliades passis*] Attingit morem duplicem. Fœminæ passis erant crinibus, et in luctu, et in precibus: hic autem Iliadas et luctuosas, et precentes, vides. Morem primum firmat Plutarchus *de Poem.* quærens, cur filii, cum parentes efferant, sint lectis capitibus, filiæ vero γυμναῖς ταῖς κεφαλαῖς, καὶ ταῖς κόμαις λελυμένας: πῶς δὲ καὶ τοῖς ἀνδράσι. *Ennius* apud Nonium; 'Ægro corde, comis passis.' Propertius eleg. ii. 14. 'Diceris effusa tu Venus isse coma.' Alterum Ovid. Fast. l. iv. ubi de Claudia: 'vultu in imagine Divæ Figit, et hos edit crine jacente sonos.' *Cerda.*

*Crinibus Iliades passis*] Ovid. 'passis sedet ipsa capillis Ut solet ad gnati mater itura rogem.' Stat. Thebaid. l. ix. 'crine dato passim,' pro quo legunt, *passum*. Hunc ritum in luctu et re divina solemnem attingit Feithius Homer. antiq. l. 7. Hand dubie ut squalidiores et sordide magis prodeant hæ mulieres, passos capillos habent, qui ab ornatricibus

compositi adjumentum sunt ad pulchritudinem, passi autem formam extinguunt, ut Ter. Phorm. i. 2. et hæc negligentia commendat supplices. *Emmenes.*

*Peplumque ferebant*] *Peplum* proprie est palla pieta fœminæ, Minervæ consecrata: ut Plautus, 'Nunquam ad civitatem venio, nisi cum inferitur peplum.' illic multi abutuntur hoc nomine. *Sercius.*

*Peplum*] Genus vestis, pertinentis ad ritum secretorum Minervæ. Alii scutum modicum dicunt. *Donatus.*

*Peplumque ferebant*] Dum res Trojana ita infelicitè extra muros cedebant; heroinæ Trojanæ, ut Hecuba, Polyxena, Cassandra, et cæteræ nobilium fœminarum, demissis sparsisque crinibus, ac more supplicantium tristes, pectusque plangentes ad templum Iuicæ Minervæ, jussu, non Heleni, sed Hectoris, qui hanc vestem ipsi voverat, adscendebant. Magnis enim in periculis deorum fidem optemque implorantes, non modo simulacra ipsorum ampiecebantur, sed et vestibus eos induebant: illo cultu favorem Numinis emere se credentes: quod notat Turneb. xiv. 16. Est autem *peplum*, auctore Servio, proprie palla fœminea acu picta, Minervæ consecrata, Hom. *ποικίλον* vocat. De qua re Cælius R. xiv. 18. Hom. Il. vi. 302. Ipse Poëta in *Ciri*, et Scalliger ad illam: Nosque in *Notis* Plaut. Merc. i. 1. Ita Statius: 'Peplum etiam dono, cujus mirabile textum,' &c. *Taubmann.*

*Peplumque ferebant*] Similis locus apud Stat. Thebaid. l. x. 'Peplum etiam dono, cujus mirabile textum Nulla manus steriliis, nec dissociata marito Versarat calathis, casta velamina Diva Hand spernenda ferunt.' Suidas describit πέπλον ἱμάτιον γυναικείον: proprie autem τὸ ἄρμενον τῆς παρθενικῆς νεώς, &c. Qualis sit vestis optime omnium Scholiast. ad Statii supra laudatum locum: 'peplum est

vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulacris fiebat,' &c. a picturis *πουάλοι* nominat Homer. Iliad. θ. 386. nec offendant, quod *aurora κρουόπενλος* appelletur in princ. ejusdem libri, is enim illi color proprius: intextas habuit peplum res gestas Palladis, et virorum fortium, qui inde *ἄξιοι πέπλου* dicebantur: sed nihil dictum voles de peplo, quod non observaverit diligentissimus ille antiquitatis indagator J. Meursius in Panathenæa c. 17. 18. et seqq. *Emm.*

485 *Suppliciter tristes*] Ut decet rogantes, hoc est, rogantes cum tristitia. Et bene addidit *suppliciter*: quia et per iracundiam, et per gravitatem, et per religionem, et per dolorem tristes sumus. *Servius.*

*Tunæ pectora*] Ut 'oculos suffusa.' *Idem.*

*Tunæ pectora palmis*] Habitus lugentium, quem ex Ovidio in epistolis, ex Seneca in Troadibus, possis late illustrare, ex mille aliis. Constructio ipsa Græca est. *Cerda.*

486 *Aversa*] Irata significat: nec enim poterat se convertere simulachrum: sic alibi, 'Talia dicentem jam dudum aversa tuetur.' Si tuetur, quomodo aversa; nisi iratam intelligas? Ergo ad animum refertur. *Servius.*

*Oculos aversa tenebat*] Quod faciunt irati, ne videant, quod oderunt: Achillis autem actio non solum dolorem considerantis, sed etiam crudelitatem agentis exprimit, et avaritiam. Non enim odium ultra mortem procedere debet. *Donatus.*

*Aversa*] Explicui, renuens et aspernans; nam Horatius Epod. x. 'Et illa non virilis ejulatio, Preces et aversum ad Jovem.' et Homerus de abnuente Pallade Il. vi. *ἀνέρουε δὲ Πάλλας Ἀθήνη.* Sed potest esse explicatio alia, ut dicat simulacrum Palladis sese in partem aliam convertisse, quod signum iratæ Deæ. Nam Suetonius Vespasiano c. 5. 'Comitia

secundi consulatus incesse Galba, statua Divi Iulii ad Orientem sponte conversa: inde ostentum inauspicatum Galbæ, quod quæ conversa erat ad Orientem statua, ubi erat Vespasianus, eo ipso aversa ab eodemmet Galba: sane cum avertimus ab aliquo vultum, eo ipso indignationem indicamus. In Psal. 104. legas, 'Avertente autem te faciem, turbabuntur.' De intuitu autem Palladis, cum irata est, dicam lib. viii. ad illud, 'turbatæ Palladis arma:' unde hic locus illustrari potest. Cæterum verbis istis, *tenebat oculos fixos solo*, respondent illa Horatii Od. iii. 5. 'Torvus humi posuisse vultum.' Et Plinius viii. 16. 'oculorum aciem defigere in terram:' et Euripidis in Iphig. *εἰς γῆν ἐπέσας ὄμμα.* et Coluthi, *ἐπὶ χθονὶ πᾶσιν ὀπαστήν.* Aristophanes in Vespis ad idem explicandum *ἀπώης* dixit: est enim *ἀπώης*, immobili obtutu tenere fixos oculos: et Philostratus in Icon. *ἐς γῆν ἀπώης ὄψας.* Quæ res locum etiam habet in iracundia, ideò synonymicòs Aristophanes addidit, *ἀπρόμυον*, hoc est, *σκληρὸς*, interprete Scholiaste. *Cerda.*

487 *Ter circum Iliacos*] Hoc ad Æneam referendum est, qui sciebat. Sed apud auctores multa ad sensum, non ad aspectum possunt referri. Tertio enim tractum intelligere possumus, non in pictura conspiciere: unde est et illud, 'Mulcere alternos et corpora fingere lingua.' Tale erat in pictura corpus, ut in eo apparet frequentis raptationis injuria. Sane hujus rei ordo est talis; Patroclus cum iratum Achillen, propter Breseiden sublatam, ut adversum Trojanos pugnaret, exorare non posset; petit ab eo arma, quæ Peleus Vulcanus fecerat, quibus indutus dum Achilles crederetur, fugatis Trojanis, plurimos interemit, ipse vero ab Hectore occisus est; quo dolore Achilles compulsus, impetratis per matrem a Vulcano armis, Hectorem, prælio supe-

ratam, peremit, ejusque corpus ad castrum religatum, circa muros Ilii tuxit, quod post placatus auro repensum Priamo reddidit. *Servius.*

*Ter]* Agetur crudelitas, quod non semel, et quod circa eos muros, quos defenderat. Gemit ergo primo fortunam tanti viri, deinde, quod de eo triumphus actus est, et quod pejus erat, sub ipsis moenibus, ut civitas defensores suos in ea calamitate cerneret. Trahebatur ergo extinctus, ante eos muros, quos tanta fortitudine defenderat, et totiens circum ducebatur, ne quis ab ea cognitione subtraheretur: tantaque fuit immanitas, ut patri orbitatem suam venderet. Est autem pro dolore in pronuciando extollendum Hectoris nomen, et Achillis deprimentum. Quis enim mortuum vendidit nisi impius? quis in regno positus, ideoque dives, aerum desiderat, nisi avarus? Ergo impius et avarus Achilles. *Donatus.*

*Iliacos]* Noster circum muros: *Homer.* Iliad. 2. 16. Τῆς δ' ἰσχύος περὶ οἴῳ παρὰ τοῖς δαίτοισι. *Circum Patroci sepulchrum.* Si de muris intelligas, Pathos est a loco, fortiter enim per decennium pugnaverat pro lariibus, et moenibus patriis: vide *Macrobi.* iv. 3. et quia *Homerus* Iliadi finem imposuit, fato Hectoris enarrato, ideo videtur *Stat.* eum pungere *Achill.* l. 1. cum canit in principio libri, 'nec in Hectore tracto Sistere,' &c. *Emmeness.*

*Raptaverat]* Frequentativa bene usus est: per quam ostendit, quod per numerum dixerat. *Servius.*

*Raptaverat]* Quis hic Achilles Thessalus. Ad rem sunt ergo ista commentatoris *Homeri* ex *Callimacho*, in *Il.* xxii. ὁ δὲ Καλλιμαχὸς φησιν, ὅτι πάτριον ἐστὶ Θετταλοῖς τοῖς τῶν φυλετῶν φονίας σῶμα περὶ τοῖς τῶν φονευθέντων τάφοις. Mox rem exemplo firmat *Simonis* cujusdam Thessali, qui *Eurydamantem*, fratris sui percussorem, raptavit, et addit, ideo *Achil-*

lem Thessalum patria consuetudine idem facitasse. Inde signate *Propertius* eleg. ii. 8. loquens de successu Hectoris, ita ait: 'Fortem illum Æmonis Hectora traxit equis.' Nam Æmonia, Thessalia est. *Ovid.* etiam *Am.* ii. 1. 'Raptus et Æmonis flebilis Hector equis.' Vide eundem *Trist.* iii. 11. Certe Thessalorum ἀρεσυχίας, ἔκπαρτος, καὶ τυραννικὰ, fastus, intemperantiam, tyrannica omnia, etiam inter pocula, *Philostratus* meminit, in *vita Critici*. *Achillem* in hoc facto imitatus est *Alexander* apud *Curtium* l. iv. in simili supplicio sumendo. Audiendus *Scaliger Poët.* iii. 4. Poëtam explicans: 'Ea, qua oculis subijci nequeunt, arte quadam occupantur. Hectoris enim raptationem non poterat pingere pictor in Æn. 1. namque ter eum raptavit Achilles, itaque per tempus declaravit, raptaverat.' *Servius* quoque ait, Poëtam unum verbo frequentativo, ad explicandam multiplicem raptationem. Quod autem Poëta raptaverat, *Homerus* *Il.* xxiii. ἑλκυστᾶν, trahendo raptare, et *Euripides* *Androm.* τὸν περὶ τείχεσσι ἑλκυσσε διφρεῶν παῖς ἄλλας Θέτιδος. *Dio Chrysost.* orat. 11. τὸν νεκρὸν αὐτοῦ (ἑκτορος) καὶ συρῆσαι μέχρι τῶν τειχῶν: cadaver ipsius (Hectoris) tractum usque ad muros: in *Græco* diversum est, ut vides, *Dionis* verbum ab *Euripideo*. Vetus Poëta apud *Tullium* *Tuscul.* l. 1. cui omnino videtur hæsisse *Maro*: 'Vidi, videre quod me passa ægerime Hectorem curru quadrijugo raptarier.' Ne abeat inobservatum, ab Hectoris raptatione fluxisse *Græcis* ἀμαρτίων νόμον, id est, curule melos, quod contineret argumentum Hectoris, bigis tracti. Scias hic etiam *Dionis* *Chrysost.* sententiam orat. 11. qui ait, non interfectum Hectorem ab Achille, sed contra Achillem ab Hectore, ac proinde *Homerum* enormiter mentitum. *Corda.*

488 *Exanimum]* *Exanimus* et *exanimis* dicimus, sicut *unanims* et *unani-*

*mis, inermis et inermis.* Ergo pro nostro arbitrio, aut secundæ declinationis erunt, aut tertiæ: sed tertiæ, ablativum singularem in *i* mittunt: quia communis sunt generis. *Exanimis* autem est mortuus, ut hic indicat locus: *exanimatus* vero, timens: ut, 'Exanimata sequens impingeret agmina muris.' *Servius.*

*Vendebat*] Ingenti arte utitur verbis. Nam hoc loco quia pingi potuit, præsens tempus ponit: superius, quia pingi non potuit, sed referri, perfecto executus est tempore; dicendo *raptaverat*, non *raptabat*. Idem.

*Auro vendebat*] Historia hæc nota ex II. XXIV. Priamus enim magno pretio redemit ab Achille cadaver Hectoris. Magno (inquam) nam ibi Homerus ἀρεταί: ἀροῖα: infinita dona. Cedrenus ait, portata ab Priamo ad redimendum Hectorem, χρυσόν τε, καὶ ἄργυρον, καὶ ἄλλα πολυτέλη: aurum, argentum, pretiosum vestem. Inde Horatius Od. 1. 10. de hac re loquens, 'dives Priamus,' inique ab Scailigero laceratus. Cassiodor. 'Priamus quanto pretio sepeliendum Hectorem redemit.' Dissidet tamen Plutarchus, nam orat. 2. de fortuna Alexandri, δ μὲν γὰρ (loquitur de Achille) χρημάτων ὀλίγων τοῦ Ἑκτορος νεκρὸν ἀνέλετρευσεν: hic autem parvo pretio cadaver Hectoris redemptum reduidit. Notat vero Hieronym. Columna, Virgilium hoc versu alluisse ad titulum tragediæ Eumææ, quæ inscribitur, *Hectoris lutra*, aut, *Hectoris lytra*. Quæ sic dicta a *luendo*, id est, solvendo pretio. Cujus rei argumentum tractasse adolescentem Lucanum, ex Statio in silvis apparet: 'Ac primum teneris adhuc in annis Ludes Hectora, Thessalosque currus, Et supplex Priami potentis aurum.' *Cerda.*

*Corpus vendebat Achilles*] In istiusmodi venditores quadrat proverbium, cuius meminit Arist. Rhetor. 1. 11. ἀπὸ νεκροῦ φέρειν. Vide Kirchm. de Funer. Rom. III. 25. obiter hoc in-

dignum facinus attingit Lactant. III. 25. 'Scilicet aurum appendere debuit tanquam pro mortuo Hectore.' Homerus passim dona, pro repetito Hectoris cadavere allata in tentorium Achillis Iliad. Ω. nominat ἀρεταί: ἀροῖα: infinita dona. Ordine autem recenset vs. 229. et seqq. *Emmensus.*

489 *Tum vero ingentem gemitum*] Jam enim superius eum lachrymasse dixerat: hoc ergo addidit visum Hectoris corpus, ut etiam graviter gerneret, non ergo tum primum, sed tum maxime. *Servius.*

*Tum vero*] Ex hoc ostendit, aliquot animi doloribus progressis, hunc majorem esse. Nam dixerat: *Constitit et lacrimans.* Item, *multa gemens.* Item, *agnoscit lacrimans.* Hic autem addit: *ingentem gemitum dat pectore ab imo*, multiplici acerbitate percussus. Vidit enim spolia, erepta viro forti, et civi optimo. Amici etiam corpus. *Donatus.*

*Tum vero ingentem gemitum, &c.*] Lactum ingentem ipsius Priami, Hecubæ, Andromachæ et totius denique civitatis Homerus exponit Iliad. X. in fine, et præcipue Ω. quo Priamum cadaver filii redempturum supplicem videt. Nec non Dictys Cretensis I. III. Non est igitur, quod mireris, *Æneam* non tantum lacrimasse, ut antea, sed ab imo pectore ingemuisse, cum per picturam in memoriam revocaretur rei mirum in modum deplorandæ. Vide Scalig. III. 11. *Emmensus.*

490 *Ut curvus*] Quo tractus est. *Servius.*

*Ut curvus*] Hic *curvus* pro *curvum* posuisse Poëta videtur. Eustathius in eum locum Od. Γ. καρπάλιος ὁ ἔρκεαν ὅς ἄρμασι σκῆτος ἵππων, ἀνμαδvertit etiam Homerum σκῆτος numero multitudinis pro singulari ἄρματα efferre, his verbis: ὡς ἐν λαῶν, οὐκ καὶ ἐν ταῖς τὸ ἄρμα πληθύνει σκῆτος καὶ ἡμιπρότερον εἶπον, ἔρκεαν ὅς ἄρμασιν. τὸ δὲ ἀνωτέρω τοῦτον, ἔρκεαν ὅς ἄρματ' ἄγοντες, οὐ πᾶσι δῆλον,





*Se quoque*] Honorificum fuerat confertos hostes non timuisse. *Donatus.*

*Se quoque principibus permixtum agnovit Achiris*] Invaluit jam pridem usus, ut *mistus* per *et* scribatur; quum tamen in codicibus omnibus antiquis uno consensu per *et* scriptum inveniat, *permixtum*. Præterea in Rom. codice, *agnoscit* est præsentis tempore: quod non displicet, quia spectaculum est in actu. Quod vero Servius propositionem ex hoc latenter tangi putat, omnes naris emunctioris viri eam rejiciunt opinionem. Quippe quod honestius et magnificentius est intelligere, Æneam se quoque agnoscere permixtum, in acie vel in pugna, in conflictu procul a suis in medio Græcorum globo. Quam sententiam Ti. Donatus sequi videtur, dum ait, verum hunc ad illam propositionem pertinere, qua dixit: 'Sunt hic etiam sua præmia laudi.' Nam qui ita se pictum advertit, ut principibus Græcis mixtum esse constaret, utique gloriosum fuit catervas hostium, et confertos primorum cuneos non timuisse. Verum hæc in vulgatis codicibus improbe detruncata sunt. *Pierius.*

*Agnoscit*] In Rom. legitur, *agnoscit*: quod picturæ convenientius; est enim spectaculum hic in actu. Quod autem Æneam principibus Græcis permixtum, hoc est, a suis remotum in cuneos hostium altius immersum scribit Poëta, fortem eum ac strenuum manuque promptum significat: ut qui non tantum hostibus se objiciat, sed confertissimos etiam ordines hostium penetret: ut notat Turneb. xviii. 32. et P. Nannius, Miscellan. Ita Sallustius: 'Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est.' Vide etiam quæ notabimus Æn. II. ad illud: 'Vadium immixti Danais haud Numine nostro.' Quidam tamen ad monomachias Æneæ cum Diomede, Achille, et aliis referunt. *Taubmann.*

493 *Eos*] E naturaliter longa est: fit tamen brevis interdum, quod eam vocalis sequitur: ut, 'Primo surgebat Eoo.' *Servius.*

*Nigri Memnonis arma*] Quia Tithonus, frater Laomedontis, raptus ab Aurora filium suum Memnonem, ex ipsa progenitum, inlectus dono vitis aureæ, Priamo ad Trojæ misit auxilium, qui congressus cum Achille, ab eo est interemptus; cuius mortem mater Aurora hodieque matutino rore flere dicitur. *Idem.*

*Nigri*] Dixit Æthiopsis: unde, 'prima consurgit Aurora.' *Idem.*

*Arma*] Vulcania: ut ille indicat versus, 'Te potuit lachrymis Tithonia flectere conjux.' *Idem.*

*Nigri Memnonis arma*] Nempe ut Quintus Calaber, *καταλείπει μετ' αὐτοῦ πύργον ἄνασσει*, de Memnone. Vide hujus cum Achille congressum singularem apud eundem Calab. l. II. Ejus quoque statuam pro miraculo visam et habitam a Germanico Ægyptum peragrante, his verbis perhibet Tacit. Ann. l. II. 'Cæterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum, quorum præcipua fuere, Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens.' *Germanus.*

*Nigri Memnonis arma*] Ea radiis Solis icta, circiter horam primam dici, vocalem sonum reddere scribitur etiam a Strabone, egregio Scriptore, quique pleraque referat oculata fide. Hinc Juv. 'Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ.' Videatur et Pausanias in Atticis. Multa etiam de Memnone collegit L. Hortensius. Porro triplici ratione arma Memnonis agnoscere hic potuit Æneas: vel e forma: vel e notis litterarum in armis scriptarum: vel ex picto Numine: nam in clypeis deos suos quisque pingebat. *Taubmann.*

494 *Ducit Amazonidum*] Hoc est, quod supra dicit, 'Videt Iliacas ex ordine pugnas.' Homerus enim hæc

omnia tacuit, quæ facta sunt post Hectoris mortem. Amazonidum autem derivatio est pro principalitate: sicut, 'Scipiadas duces bello,' pro Scipionibus. Sane Amazones dictæ sunt, quasi *ἀμαζώνες*, quod simul viuant sine viris: vel quod unam mammam exutam habent, quasi *ἄνδρ' ἀσθενέων*. Has autem jam non esse constat, utpote extinctas, partim ab Hercule, partim ab Achille. Servius.

[*Lunatis peltis*] Scutis brevissimis, in modum Lunæ jam mediæ. *Lunatis* autem primitivum a feminino genere derivatur. *Idem*.

[*Lunatis peltis*] Peltas esse scuta Amazonum, docent Statius Sylv. v. 'Amazonia latus intercludere pelta.' et Claudian. Rapt. II. 'Qualis Amazonidum peltis exultat adeptis Pulchra cohors.' et Plinius XII. v. scribens de ficu Indica, 'foliorum latitudo peltæ effigiem Amazoniæ habet.' Inde Seneca tanquam proprio epitheto in Agamem. II. 'peltata Amazon' dixit; ut et Martialis epigr. IX. 104. 'peltatam Amazona,' et Statius Theb. v. ab scuto Amazonas intelligit, scribens: 'Lunatumque putes agmen descendere.' Notavit tamen Aldus in libris quæsitornum, uos pelta, præter Amazonas, etiam Macedonas, Afros, Hispanos, Cretenses. De Macedonibus testes affert Livium, Plutarchum, Ælianum: de Afriis, Servium: de Hispanis, Cæsarem, Livium: de Cretensibus, Plutarchum in Æmilio. Cum autem Poëta attingat peltarum formam, vocans *lunatas*; reservo hoc ad Æn. XI. ubi repetitur hoc hemistichion. *Cerda*.

[*Lunatis peltis*] Πέλται, teste Hesychio, *ἀνδρὶς ἴσχυος ὄνκ' ἔχουσα*: Alex. ab Alex. VI. 22. 'pelta breve sentum instar lunæ,' in usu fuit Amazonibus, quæ inde Theb. I. v. *lunatum agmen* appellantur. Amazonio Scythiam fervere tumultu, Lunatumque putes agmen descendere.' Ab hoc lunato scuto Martialis Epigr. IX. 104. Menalippon vocat *peltatam Amazona*: parma

figuræ lateris fuit, et circularis, quod ex Corn. Nep. vit. XI. I. discere est, ubi Iphicrates pro clypeis maximis vel pro parva peltam dedit, qui postea *peltati* *pelitæ* appellati sunt: apud Liv. XXXI. 36. habes: 'nocte cetratos, quos peltastas vocant.' Ex his liquidum peltas non tantum acuta Amazonica, ut male Non. Marcell. c. 18. de genere arm. sed et aliarum gentium arma esse. De discrimine inter parmam, scutum, peltam, ancile, videndus Aldus Manutius de reb. per epist. quæsitis I. 6. *Emmensen*.

[496 *Penthesilea furens*] Martis et Otreres filia fuit, quam Achilles, cum adversum se pugnans peremisset, post mortem ejus adamavit, eamque honorifice sepelivit. *Ducit* autem et *ordet*, ad laudem picturæ pertinet. Parentem ideo dixit, quia sororem suam in venatione confixit, simulans se cervam ferire: sed hoc per transitum tangit; nam hic furor bellicus intelligitur: aut *furens*, quia majora viribus audebat. *Servius*.

[*Penthesilea*] Hanc venisse in auxilium Trojanorum, expresse scribunt Thryphiod. & ΔΔ. et Dictys I. III. De illa lege Justinum I. II. et Orosium I. 15. *Cerda*.

[*Furens*] Est furore bellico percita et præliandi cupiditate quasi ardens. Quod hic quidam in laudem Penthesileæ Amazonum Reginæ dicitur. *Taubmann*.

[496 *Aurea*] Amphibolon est hoc loco, utrum ipsa aurea, an aurea cingula. Sciendum tamen, plerumque amphiboliam metri ratione dissolvi: ut, 'aurea composuit sponda Dido:' Aurea enim si ad spondam referas, non stat versus. *Servius*.

[*Subnectens*] Subnexa habens. *Idem*.

[*Exserta*] Nudatæ: nudant enim, quam adusserint manum. *Idem*.

[*Aurea subnectens exserta cingula mamma*] Vidi ego codices antiquos, in quibus non *exserta*, sed *exsertæ* scriptum sit: alieus vero manu *exserta* factum. Sed enim vulgatam

lectionem agnoscit Servius, et exponit nudatæ. Eandem sententiam Ti. Donatus latius interpretatur: quæ, quoniam in impressis codicibus curta sunt, recitare non pigeat: ait enim, 'Tanta autem fiducia venire videbatur, tantumque ardere in bellum, ut, quod secretum esse virginibus solet, illa offerret videntibus: scilicet, quum exerta papilla pugnaret. Pertinet hoc etiam ad præliantis audaciam, ut pugnaret femina, nec munimine tegeretur armorum.' *Pierius.*

*Exserta*] Id est, nudatæ. Nudabant enim, quam exusserant, mammam. Ita *Æn.* xi. de Camilla, quam et *Amazonem* vocat: 'Hasta sub exsertam donec perlata papillam hæsit.' et paulo ante: 'Unum exserta latus pugnæ pharetrata Camilla.' Interpretatur Propert. el. iii. 12. 'Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis, Turba,' &c. Descriptiones Amazonum Poëticas vide plures apud J. C. Scaligerum, Poët. v. 14. *Aurea* autem *cingula*, periphrasis est baltei. Jam, quid affectus vel ornamenti afferat vocabulum *Bellatrix* in principio carminis post expletam sententiam positum, diximus supra. *Taubmann.*

497 *Audetque viris concurrere virgo*] Scias allasum hic ad epithetum Amazonum, quas Hom. II. iii. vocat ἀντιάνδρας, quod sint vel contrariæ viris, vel cum illis virtute conferendæ. Adnecto versum Aristophanis in *Lyssist.* ἀς Μύκων ἔγραψεν ἐφ' ἵππων μάχομένας τοῖς ἀνδράσι: quas (*Amazonas*) *Mycon* depinxit in equis pugnantes contra viros. Quæ hic attingit Aristophanes, invenies apud Pausaniam in Atticis. De virtute Amazonum audi verba Hippocrat. l. de Aër. Loc. et Aq. ἡπάθονταί τε, καὶ τοῖς ἐχθροῖς, καὶ ἀποκτείνουσιν ἀπὸ τῶν ἵππων, καὶ μάχονται τοῖς πολεμοῖς, ὥς ἂν παρθέναι ὦν, οὐκ ἀποπαρθεύονται δὲ μέχρις ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκτείνωσι. Philostratus quoque in Heroicis, cum dixerit, *Mysæ* fœminas pugnare ex equis, τοῖς ἀνδράσι, adjicit explicans, ὥσπερ

Ἀνδρόν. Inde signate Orosius x. 19. loquens de Penthesilea, ait, dedisse illam *clarissima inter viros documenta virtutis*, in Trojano bello. De eadem Propertius eleg. iii. 11. 'Ausa ferrox ab equo quondam oppugnare sagittis Mœotis Danaum Penthesileæ rates.' Non multum abhorret sententia Xerxis apud Herodotum, l. viii. qui audita virili virtute Artemisiæ, subjicit, οἱ μὲν ἄνδρες γυναικῶν μοι γυναικῆς, αἱ δὲ γυναῖκες, ἄνδρες: viri quidem extiterunt mihi fœminæ, fœminæ autem viri. Dictam Andromachen παρὰ τῷ ἀνδρὶ μάχεσθαι, scribit in Andromacha Euripides. De Rossorum fœminis narrat Cedrenus, virili habitu armatas pugnasse contra hostes. *Cerda.*

*Audetque viris concurrere virgo*] Exaggerat ejusdem audaciam, quæ non tantum pectore nudato prælietur, sed et cum fœmina sit, et virgo quidem (ut Q. Calaber testatur) pulcherrima, andeat tamen cum viris, iisque fortissimis, præliari. Sunt, qui jocosa hoc dici, atque ad Veneris prælium referri putent: quod tamen mihi non videtur. *Taubmann.*

*Virgo*] Et sextum ostendit et statem; plus enim dixit, quam si fœminam diceret: figuram tamen Græcam facit. *Servius.*

498 *Hæc dum*] Non sola hæc fuerant picta, sed adventus reginæ interruptit, ne reliqua considerare posset. Est autem una res, quadripartito posita, brevissime dicta. Nam, ut est summi oratoris, res breves late disserere, ita et latitudinem cōcroeo. *Donatus.*

499 *Dum stupet*] Absolute, aut dum hoc stupet. *Servius.*

*Obtutu*] Aspectu. *Idem.*

*In uno*] In unoquoque: hoc est, singula mirabatur. *Idem.*

*Defixus in uno*] Ab hoc versu Apulejus l. xi. 'Ast ego stupore nimio defixus tacitus hærebam.' Noster alibi: 'oculos horrenda in Virgine fixus.' Propertius eleg. l. 3. 'inten-

tis hærebam fixas ocellis.' Horatius in epistolis: 'Defixis oculis animoque et corpore torpet.' Cicero, 'in cogitatione defixum.' Videtur vero mihi hoc stupore, et hac unum in locum defixione exprimi illud Xenoph. in Symp. *ἵσταντο οἱ τὰς γοργόνων θεήματα λήθοντες ἔβλεπε πρὸς αὐτὸν, καὶ λήθοντες οὐδαμοῦ ἀπῆλθε ἀπ' αὐτοῦ*: Quasi qui Gorgonas spectant, æcernum in momentum (Cliniam) inspectabat, et quasi erat æternus, nunquam ab illo discedebat. Ita etiam Andromache in III. 'Diriguit visu in medio.' *Cerda.*

*Defixus in uno*] Id est, dum has res pictas tam diligenter speculatur, ut oculos ab his non avertat. Noster VI. 469. 'illa solo fixos oculos,' &c. et I. VII. 'defixa Latinus obtutu tenet ora.' Pers. Sat. III. 'figentes lumine terram:' hoc est, luminibus continuo in terram fixis. *Obtutus* Glossar. *ἱερᾶς ἀμύμονος* vel *ἀρετιμῆος*. Utitur hoc vocabulo Apulejus I. II. Metam. 'obtutum acerrimum,' &c. *Emmenes.*

500 *Regina ad templum*] Et quia regina, id est, procuratrix negotii publici, et quia ad templum accedebat, meretur excusationem, quod publice mulier juvenis se viris admisceret. Religio ergo et necessitas impulit, ut templi opera inspiceret, et ad maturandum artifices cogeret. *Donatus.*

*Forma pulcherrima*] Ut, 'Pulchra prole.' *Servius.*

501 *Incessit*] Ut, 'Incedunt pueri,' sed hic supervenit. *Idem.*

*Stipante ceteris*] Ad hoc tantum sequens pertinet comparatio: quam multi vituperant comparisonem hanc, nescientes exempla, vel parabolas, vel comparationes adsumptas, non semper usquequaque congruere, sed interdum omni parte, interdum aliqua convenire. *Idem.*

*Stipante*] In Romano codice legitur, *comitante*: non ita in aliis. Plus tamen est *Stipante*, quia maiorem indicat comitum frequentiam. *Pierius.*

502 *Eurota ripis*] Flaviæ Lacœniæ. *Servius.*

*Cynthi*] Cynthus mons Deli, in quo natam Dianam constat. Sane Dianam veteres ideo melius producebant, quia sub divo Dea sit, venandi gratia. *Idem.*

*Qualis in Eurota*] Comparatione explicat formam Didonis, imitatione Homeri, Ulyssem VI. Quem locum Critici lancinant atque exagitant, quasi improspere hosce versus transulerit Virgilius: ut est videre apud Agell. IX. 9. Contra vero J. C. Scaliger Poët. v. 3. accuratissime per omnes partes eodem examinat, atque argumentis convincit, hos quidem a magistro, Homericos vero a discipulo esse confectos. Rationes quas ibidem affert, dignæ sunt, quæ a doctis etiam legantur, et cum cura attendantur. Sub finem istius disputationis ait: quemadmodum igitur Diana in montibus; ita Dido in urbe. Illa inter Nymphas; hæc inter matronas. Illa instans venatibus; hæc operi. Quæ isti argotiphli scire noluerunt. Jam, *Pharetra*, quas carpunt hic, sunt epitheti loco: qualia apud Homerum multa sunt: a quo Achilles vel dormiens, *πῶδας ὤκεις* dicitur. Nec temere appendit humeris pharetram: soli enim Dianæ et Apollini id licebat: Nymphæ ad latus gerebant: sicut soli Dii *ἀμφοφεία*, (id est, circumquaque tectam) alii vero detectam eam habebant. Vide et P. Victor. VII. 15. *Taubmann.*

503 *Exercet Diana choros*] Hoc non ad comparisonem pertinet: sed est poëtica descriptionis evagatio; quod chori neo personis hic, nec locis congruunt. Saltantium enim et cantantium dicuntur. *Servius.*

*Exercet Diana choros*] Sequitur (admonente Turneb.) veterum religionem, qui putabant, Dianam, nisi venaretur, semper in montibus tripudiare, et saltare solitam. Argumento est proverbium, *πῶτε Ἀφροδίτην ἐν ἔχθρῳ*

*poore*; Quando Diana non saltavit? Apud Callimachum eadem Dea sexaginta comites saltatriculas ab Jove poscit Oceanitidas, ὅδς δέ μοι ἐξήκορτα χορηγίδας ὤκεανίδας. *Cerda*.

[*Mille*] Finitus numerus pro infinito: nam de Nympharum numero varia est opinio. *Servius*.

504 *Oreades*] Nymphæ montium *Oreades* dicuntur: sylvarum, *Dryades*: quæ cum sylvis nascuntur, *Amadryades*: fontium, *Napeæ*, vel *Najades*: maris vero *Nerïdes*. Idem.

*Oreades*] Sic dictæ Nymphæ montium, ἀπὸ τοῦ ὄρους. Calpur. ecl. iv. 'Per juga siccato velox pede currit Oreas.' Ab Homero dicuntur Νύμφαι Ὀρεσσιδῆδες, (monente Lilio) ab Hesychio ὄροδεσμιῶδες, καὶ ἀγροσσίλαι, ἀπὸ τῶν ὄρων, καὶ δεσμιῶν, a cubilibus montium, in quibus quiescunt; vel ἀπὸ τῶν ὄροδῶμων, a ramis et germinibus stirpium. Idem scribit Phavorinus. De his Hom. II. vi. et Strabo I. x. *Cerda*.

*Pharetram Fert humero*] *Homerus* et *Orpheus* Dianam appellant gaudentem pharetris, λοχέαιραν. Eadem a *Diphilo* apud Athen. I. vi. dicitur παρθένος τοξόδαμος, virgo domans arcu. Neque vero temere, sed ex summa doctrina appendit Poëta pharetram humeris Dianæ. Soli enim huic Deæ, et *Apollini* id licebat, nymphæ ad latus gerebant. Notavit hoc *Jul. Scaliger*. Inde illud supra, 'succinctam pharetra.' Notam hanc *Scaligeri* firmo ex *Livio Andronico*, qui apud *Terentianum* de Diana: 'Pressaque jam gravida crepitent tibi terga pharetra.' De eadem *Claudianus* Rapt. II. 'pendent post terga sagittæ.' Sed videndum, o *Scaliger*, an perpetuum hoc sit, dicente eadem Diana, *Æn.* XI. de *Camilla*: 'Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam Profruit, aut nostras humero gessisse pharetras.' De *Atalanta* etiam *Ovidius* Met. VIII. 'Et humero pendens resonabat eburnea lævo Telorum custos.' Ab *Heliodoro* etiam Hist. *Æth.* I. I. inducitur

*Chariclia* cum pharetra, pendente ab humeris. Porro de habitu venatricis Dianæ, nam ad hunc respicit Poëta, vide, quæ dicta sunt in libro hoc, ubi sermo est de *Venere*, et adjice *Græcum* epigramma hoc initio, Ἀρεμὶ, τοῦ σοι τόξα, &c. cujus epigrammatis versio hæc apud *Natalem Mythol.* III. 18. *Cerda*.

506 *Gradiens*] Incessus plane militaris, atque ideo ferarum jaculatrici conveniens. Sic et *Phæbus* frater, qui in feras sævit, in *Æn.* IV. 'jugis Cynthi graditur.' Idem.

*Deas supereminet omnes*] Retuli hoc ad cothurnos: possum: sed vide, an alia sit mens. Diana veteribus credita est fuisse staturæ procerae. De illa *Homer.* Παρθὸν δ' ὅτις ἦγε κέρη ἔχει, ἥδ' ἐμύρτα: Omnes vero ipsa capite supereminet, atque fronte. Neque vero solum ipsa magna fuisse credita est, sed aliis quoque fœminis dare corporis proceritatem. *Homerus* *Odys.* XX. Ἦν δ' ἀνθρώπων περὶ παρθὸν δίδασκε γυναικῶν ἔλδος καὶ πινυτήν, μήκος δ' ἔσπε' Ἀρεμὶς ἀγρή: *Juno* autem ipsis præ omnibus dedit mulieribus Speciem et prædantiam: magnitudinem autem præbuit Diana casta. Sententiam Poëtæ sic extulit *Ovid.* Met. III. 'colloque tenus supereminet omnes.' Porro de præstantia et magnitudine formæ, quæ posita est in laude fœminarum, vide, quæ ego supra ad illud, 'præstanti corpore nymphæ.' Idem.

*Deas supereminet*] In *Rom. codice*, et nonnullis aliis antiquis, legere est, dea supereminet omnes: ut dea sit κατ' ἐξοχήν. Nam ipæ locus syllabam omnino communem reddit: cæterum hoc in medio sit. *Pierius*.

506 *Tacitum*] Pro tacite: major enim est taciturnitatis affectus: ut supra, 'Hæc secum.' Sic *Terentius*, 'Ut mecum tacita gaudeam.' Ergo tacitum, pro tacite; ut, 'Tacitumque obsedit limen amatæ,' aut tacita gaudet. *Servius*.

*Latone tacitum*] Occasione compa-

ationis expressit poëta, quam læti  
sint parentes successibus filiorum.  
*Donatus.*

*Latona tacitum*] Epiphonema, quod  
plerumque Comparationibus solet addi;  
nec est necesse, id omni ex parte  
comparatæ rei convenire. Interim  
tamen significare Poëta voluit, quam  
gaudeant parentes successu et re læta  
sæbolis. *Tacitum*, dicit: quia major  
(ut ait Serv.) taciturnitatis est affectus.  
Sic Terent. 'ut mecum tacita  
gaudeam.' Illud vero, *pertentant gau-*  
*dia pectus*, non de levi et pigro atque  
in superficie natanti gaudio, ut Gram-  
matici nugantur, intelligendum est:  
sed de gennino ac solido gaudio, quo  
omnes partes occupantur. Hanc enim  
vim habet frequentativum *Tento*: quæ  
et augetur in compositione *Pertento*:  
quæ ultima perfectio designatur. Etiam  
Servius notat, *Pertentant* hic esse, ve-  
hementer tentant. Quam emphasin  
quoque habet in Ge. III. 'Nonne  
vides, ut tota tremor pertentet equo-  
rum Corpora, si tantum notas odor  
atrat lit auras?' Neque adeo gaudium  
modo intimum, sed et vicissitudines  
illas ac titillationes gaudii, quæ mo-  
mento in animis intenduntur et re-  
mittuntur, Poëta significavit. Igitur  
voluptas et gaudium valide crebroque  
Latonam titillabant, cum filiam forma  
ac majestate Nymphis superiorem  
videret. *Taubmann.*

*Pertentant*] Modo vehementer ten-  
tant. Alibi, leviter: ut, 'Blanda  
vicissim gaudia pertentant mentem.'  
Sunt enim multa, quæ pro locis intel-  
liguntur, ut *impotens*, et satis et mi-  
nus, et nihil potens significat. *Serv.*

*Pertentant gaudia*] Efficacius Poëta  
dixit, pectus *pertentari gaudio* (meta-  
phora sumpta a citharædis) quam  
simpliciter, gaudere. Omnes enim  
partes occupantur gaudio, non minus  
atque omnes chordæ percurruntur a  
citharædo. Ad hæc, frequentativum  
est verbum, et *per* significat perfecti-  
onem, quo fit, ut voluptas et gaudium

sæpius Latonam titillet. Sic expli-  
cant et defendunt Virgilium inter-  
pretes contra calumniam Probi. Ger-  
manus quoque emphasin agnovit in  
verbo *pertentant*. His adjuuge, eodem  
verbo significari titillationem istam  
amoris blandam, quo in Georgicis  
titillatio equi appetentis coitum:  
'Nonne vides ut tota tremor perten-  
tet equorum Corpora?' Quo satis ap-  
paret, huic verbo hanc esse amoris et  
blanditiarum potestatem. *Cerda.*

*Pertentant gaudia*] Dubito, an P.  
Victorii subscribendum sit sententiæ,  
judicantis minus poëtice hic locutum  
Maronem var. lect. VII. 15. quam  
Lucretium, cujus sit ingenio adjutus,  
et imitatus verba: 'tacita pectus dul-  
cedine tangunt:' qui hunc locum Ho-  
mero debet Od. I. VI. γέγηθε δέ τε φρένα  
λήρω. De gaudio Latonæ, admiran-  
tis prolem, reliquam Drarum coh-  
ortem superantem, vide Juvenal. Sat.  
X. 290. 'Formam optat modico pue-  
ris, majore puellis Murmure,' &c. et  
vs. 292. 'pulchra gaudet Latona Dia-  
na.' *Emmeness.*

507 *Talis erat Dido*] Applicatio  
rei comparatæ. *Læta* autem est ex  
successu eorum, qui diversarum fabri-  
carum moles urgebant. *Taubmann.*

*Se læta ferebat*] Pro ibat. Scalig.  
IV. 16. *Idem.*

508 *Instans operi*] Zeugma est, ad  
sequentia pertinens. *Servius.*

*Instans*] Una cura testabatur reli-  
gionem perficiendi templi, altera im-  
perantis justitiam ostendebat. *Donat.*

*Instans operi*] Ἐπιστατοῦσα, urgens  
operarios, regnumque Carthagini ma-  
turans. Sic enim Græci *Operum cu-*  
*ratores* ἐπιστάτας et ἐπυροδωκτας vocant.  
Et noti illi Jctorum *Servi institores*.  
Quomodo et Plin. I. VII. dixit, 'in-  
stituisse fratris funeri,' hoc est, here-  
ditatis prendendæ cupidine curasse,  
ut rapidissime efferretur, ignique com-  
mitteretur. Æneid. VIII. 434. Accu-  
sandi casu dixit, 'Instabant currum  
Marti.' Quem locum illustravit Jo-

soph. Scaliger ad versum in Phallicis: 'Institi Homericas edidicque notas.' Ita alio sensu, *Instare merces*, dicitur. Nonius: 'Instat mercatura: credo, rem faciet:' inde *Institores*. Taubmann.

*Regnisque futuris*] Regnaturæ Carthagini: urbi ergo nam ipsa jam regnabat. *Servius*.

509 *Tum foribus divæ*] Instans præcipue foribus: et hoc loco distinguendum est. Magno enim studio et labore templorum fores fiebant, quas quibusdam insigniant historiis: ut, 'In foribus lethum Androgeo.' Item, 'in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto:' quamvis quidam jungant, *Tum foribus divæ media testudine templi*: ut unum intelligas tectum templi, et fores: quod si est, sub medio tecto sunt fores. Sed prima melior expositio est. *Servius*.

*Tum foribus divæ*] Nisi ordinato sensu quærat intellectus, non poterit comprehendere. Erit satis incertum, quid poëta descripserit. Nesciret quippe lector, ubi sederit Dido, et ubi armis septa sit. Ordinamus ergo sic: Tum foribus divæ septa armis media testudine templi, solioque alte subnixa resedit: quomodo est judiciorum omnium consuetudo. Ducuntur iudices usque ad fores secretarii, ibidemque officium remanet. Illi vero ingressi solium ascendunt, et sedent. Omnes igitur, qui progredientem comitabantur reginam, iuvenes erant, et armati ante fores remanserunt. Illa ingressa, ubi ad mediam testudinem, id est, ad mediam aram pervenit, ascendit solium, et alte sedit. *Donatus*.

*Tum foribus Divæ media testudine templi*] Vir doctissimus Turneb. Adv. x. 11. capit has fores, non de templo ipso, sed de templi adyto, et sacrario, ubi erat Junonis simulacrum. In media enim templi parte (quam vocat mediam testudinem) erat adytum angustius, cui adyto sume fores, ad quas

Dido sedit: atque adeo stare potest, ut sedeat ad fores, et in media templi testudine. In hoc adyto erat simulacrum illius Numinis, cui sacrum templum, ac perinde erat in medio templo. Firmat hoc Turneb. ex Poëta, qui Ge. III. 'In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.' Ex istis Apuleii: 'Namque in ipso sedis sacra meditullio ante Dese simulacrum constitutum ligneum jussus asperstiti.' Ex Sedulio canente: 'Dumque sui residens media testudine templi.' Hæc ille, quæ omitti non debuerunt. Ad eundem morem mihi videtur alluisse Catullus de Nupt. Pelei: 'Pulvinar vero Divæ geniale locatur Ædibus in mediis.' Et Propertius eleg. II. 31. si quis bene expendat, nam loquens de templo Phœbi, post descriptas columnas, et alia, quæ in templo erant, subjicit: 'Tum medium claro surgebat marmore templum:' quæ accipi commodissime possunt de meditullio templi, nam frustra columnas et alia premisisset. De testudine, quæ in templis, adi Vitruvium, VI. 3. *Cerda*.

*Testudine*] Camera incurva, vel fornicata, quæ secundum eos, qui scripserunt de ratione templorum, ideo sic fit, ut simulacro cœli imaginem reddat, quod constat esse convexum. Quidam tradunt, apud veteres omnia templa in modum testudinis facta. At vero sequenti ætate divinis simulacris positus nihilominus in templis factas esse testudines, quod Varro ait, ut separatim esset, ubi religio administraretur. Bene ergo cum de templo loqueretur, addidit ei *testudinem*. Item Varro de Lingua Latina ad Ciceronem, 'In ædibus locus patulus relinquebatur sub divo, qui erat relictus, et contextus erat, appellabatur testudo.' Cicer. in Bruto. 'Commentatum in quadam testudine fuisse.' Alii locum in parte atrii volunt adversum venientibus.' Alii hunc ordinem volunt: Tum foribus divæ tem-

pli resedit, media scutorum testudine, quod septa armis erat. Hoc genus fabricem ab animalis similitudine, quæ testudo vocatur, captum est; de qua fabula talis est: Virgo quædam nomine Chelone, linguae impotens fuit; verum cum Jupiter Junonem sibi nuptiis jungeret, præcepit Mercurio, ut omnes Deos vel homines, atque omnia animalia ad nuptias convocaret: sed omnibus, quos Mercurius monuerat, convenientibus, sola Chelone inridens et derogens nuptiis, nectens maras, adesse contempsit. Quam cum Mercurius non venisse notavisset; denuo descendit ad terras, et adæca Chelonia, supra fluvium posita, præcipitavit in fluvium, ipsamque Chelonem in animal sui nominis vertit, quam nos Latine testudinem dicimus. Fecitque ut pro poena dorso lectum, velut damnum suum, prona portaret; unde incurvatis ædificiis hoc nomen impositum est. *Servius.*

*Testudine templi*] Ex ritu hoc loco poëta locutus videtur, quod ex Gellio discere est XIV. 7. 'tum adscripsit de locis, in quibus senatusconsultum fieri jure posset, docuitque confirmavitque, nisi in loco, per augures constituto, quod templum appellaretur.' Quid testudines sint, docet Non. Marcell. c. 1. 'sunt loca in ædificiis camerata ad similitudinem aqualium testudinum, quæ daris tegoribus sunt et incurvis.' *Emmeness.*

510 *Septa armis*] Satellitum scilicet, vel ut quidam volunt pro armatis: ut, 'Facta armis.' *Servius.*

*Solio*] Solium proprie est armarium, uno ligno factum, in quo uno reges sedebant, propter tutelam corporis sui: dictum quasi *solidum*. Modo jam abusive *sellam regulem* dicimus. *Idem.*

*Alto*] Alto fulta suggestu. Ac si diceret, in tribunali. *Idem.*

*Alte*] Alto fulta suggestu: τὸ πρῶτον Regine, quasi dicat: in tribunali, omnibus conspicua sedit. Eadem de causa Æneid. IX. 'Turnus sacrata

valle sedebat.' *Taubmann.*

*Subnixa*] Pro subnixa: ut supra dictum est: alii pro *innixam* accipiunt. *Servius.*

*Solioque alte subnixa resedit*] Vetera quædam exemplaria, *alto* legunt. Ut in undecimo, 'Solio Rex inquit ab alto.' In codicibus tamen probatoribus, Mediceo, et aliquot aliis *alte* adverbium est: quam lectionem interpretes agnoscunt: præcipueque Donatus, qui ait: 'ubi ad mediam testudinem templi, hoc est, ad mediam aream, pervenit, ascendit solium, quod ipsius causa fuerat collocatum, et primum alte consurgens, sedit.' *Pierius.*

511 *Jura dabat legesque*] Jus generale est: nam Lex, juris est species: non est ergo iteratio. Et bene *dabat*; primi enim Locri scriptis usi sunt legibus; nam superior ætas contenta fuit moribus. *Viris* autem ad Didonis pertinet laudem, et separatim enuntiandum est, ut sit major admiratio. *Servius.*

*Jura dabat*] Meritum reginæ. Non enim tot viri fœminæ paruissent, nisi quia egregie in ea virtutes essent. Sed specialiter ponit, *Jura dabat, legesque viris*. Quod non est exponendum, imperabat; sed constituebat jura. Præcipua ergo laus cum scriberet leges et jura: quia acquiescebant viri jussis fœminæ. Cum autem a publicis consultis ad operam veniebat, ostendebat æquitatem suam, et in consulendo prudentiam. *Donatus.*

*Jura dabat*] Repetit locutionem in VIII. 'his dantem jura Catonem.' Æmulatur Statius Theb. II. 'Jura fœrus populo trans legem ac tempora regni, Jam fratris de parte dabas.' Ait *Servius*: 'Bene, dabat: primi enim Locri scriptis usi sunt legibus, nam superior ætas contenta fuit moribus.' Observa etiam, hæc jura dari in templo, ex more veterum, quem firmo in VII. ad illud: 'tali intus templo patriaque Latinus Sede sedens.' Jura



enim in templis olim, et alla negotia expediebantur. *Cerda.*

*Jura dabat*] Locutio satis trita. Horat. de Art. p. 398. 'Concubitu prohibere vago: dare jura maritis.' Quo loco addendus Lambinus. Quod non dixerit, ut judex, sed dederit jura, nimis subtilis distinctio Stephano videtur. *Emmeness.*

512 *Partibus aequabat justis, &c.*] Quæ æstimatione justitiæ æquari poterant, distribuebat. Quæ autem natura sua ad plenum æquari non poterant, sortis judicio dabat, ut qui gravius onus subiret, fortunam suam, non reginam accusaret. *Donatus.*

*Sorte traherat*] Proprie locutus est: trahuntur enim sortes, hoc est, educuntur. Et bene tam regnantis, quam ædificantis urbem, implere ostendit officium. *Servius.*

*Sorte traherat*] Videtur hæc forma locutionis ducta ex Callimacho in Hymno Jovis: *τὴς δὲ κ' ἐπ' οὐλόμην τε καὶ ἡὶδὶ κλήρον ἐρῶσαι*, 'Os μάλα μὴ νεώηλος; &c. *Germanus.*

513 *Concursu accedere magno*] Cum magna Afrorum multitudine: et hoc est, quod formidat Æneas, incertus, qua eos mente comitentur. *Servius.*

514 *Anthea Sergestumque*] Est adimpletum, quod mater de salvis sociis dixerat. *Donatus.*

516 *Dispulerat*] Segregaverat. Et magna est inter di et dis differentia, ut supra dictum est. *Servius.*

*Penitus*] Longe a regina remotos: quæ res etiam insolentes custodes litorum fecit. *Idem.*

*Alias acceperat oras*] Ut missum faciam adduxerat, quod in uno tantum codice repertum minime placet; Mediceus, et reliqua fere omnia exemplaria, quæ tractavi abceperat ant accepit, uno consensu legunt: erant enim XII. Trojani, qui fuerant in diversum abacti. *Pierius.*

517 *Obstupuit*] Et ad admirationem, et ad timorem hic pertinet sermo, quod dicendo præoccupat. *Servius.*

*Perculsus*] Ad utrumque pertinet. *Idem.*

*Obstupuit simul ipse, simul percussus Achates*] In Ohlongo codice et quibusdam aliis, *obstupuit* habetur: ita superius dum *stipet*, et passim eodem modo: quod verbum a *stipite* nonnulli deductum volunt, mutato tamen tempore, usu vero cessisse i in u, ut ex *continaci contumax* factum: et hujusmodi pleraque. Sed et *percussus* in Romano, in Mediceo, et plerisque aliis codicibus antiquis, et hic, et alibi semper habetur: quamvis Grammatici differentiam inter *percussum*, et *percussum* statuunt. *Pierius.*

518 *Lætitiæ metuque*] *Lætitiæ*, propter socios liberatos: *metu*, propter concursum: vel quod incerti erant de voluntate Didonis. *Servius.*

*Lætitiæ metuque*] Non conjungo cum sequentibus, sed cum præcedentibus. Ut dicat, utrumque percussum lætitiæ ac metu; non, lætitiæ ac metu animos ardere, &c. *Cerda.*

*Lætitiæ metuque*] Solet Poëta in re nova ac dubia conjungere hos duos affectus. Ita Æn. XI. 'exterritus Aruns Lætitiæ mistoque metu' *Taubmann.*

*Avidi conjungere*] Ut conjungerent, vel ad conjungendum avidi. *Servius.*

519 *Ardebant*] Cupiebant: ut, 'Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.' *Ardeo* autem et accusativum regit et ablativum. *Idem.*

*Res incognita*] Id est, qua affectione populus conveniret. *Idem.*

*Res incognita*] Causa adventus sociorum: vel etiam, qua affectione Pœni concurrerent. *Taubmann.*

520 *Dissimulant*] Dissimulamus nota; simulamus ignota: ut Sallustius, 'Simulator ac dissimulator.' *Servius.*

*Dissimulant*] Consilium prudentiæ, ut eventum rei spectarent. *Donatus.*

*Nube cava*] Quod supra *obscura aëre*, nunc clarius *nube*. Vide etiam flexum orationis. Hic *nube cava amicti*: supra, 'circumfudit illos multo amictu nebulae.' *Cerda.*

521 *Qua fortuna*] Utrum prospera, an adversa: et sic ostenditur unde sit metus. *Servius*.

*Qua fortuna*] Quam evaserant, et quam essent accepturi. *Donatus*.

*Qua fortuna c.*] Quam fortunam vocet, ipse explicat: ubi naves reliquerint: quæ sit causa legationis. Nam selecti e singulis navibus Duces ad Regiam veniebant, oratum veniam, propter incendium navium. *Servius* *veniam* interpretatur *pacem*: et proprie verbum esse Pontificale, ait. Dicta autem, inquit, *venia*, ad eliciendam misericordiam: meretur enim benevolentiam Numinum, qui licet innocens sit, veniam petit, tanquam peccaverit. *Livius* l. i. 'Unam opem ægris corporibus relictam, si pax et venia ab diis immortalibus impetrata esset.' *Ovid.* *Amor.* i. 2. 'veniam pacemque rogamus.' *Cicero* pro *Fonteio*: 'Illi in bellis gerendis a diis immortalibus pacem ac veniam petunt.' Solebat autem *venia* et *pax* non modo conjunctim, sed et separatim poni, ut *Æn.* iii. 'Sed votis precibusque jubent exposcere pacem.' Vide *ibid.* *Notas*. Et: 'Exorat pacem divum.' Quo loci *Nonius* *Pacis* nomine *propitiationem*; superiori versu *veniam* significari notat. Ita *Æneid.* iv. 'delubra adeunt, pacemque per aras Exquirunt.' Vide *B. Brisson.* *Formula* l. i. *Taubmann*.

522 *Cunctis nam lecti navibus ibant*] Bene addidit *lecti*, ne penitus omnes intelligeres. Sane *cuncti*, non idem significat, quod *omnes*; *Cicero* sæpe ait, 'Cuncti atque omnes,' quia *omnes* non statim sunt *cuncti*, nisi iidem simul sint juncti. Nonnulli tamen *lectis navibus* legunt. Quod si sit, *hypallage* est: et illuc sensus recurrit. Et sciendum plerumque, ut hoc loco, addi aliquid generalitati, et fieri specialitatem: ut est, si dicas, *Omnes scholastici laborant*, generalitas est. Si addas *isti*, sit specialitas: ut *Salustius*, 'Transgressos omnes recepit

mons Balleia.' prudenter addidit *transgressos*. *Servius*.

*Cunctis*] Non absolute. Nam cum venissent, lecti non omnes venerant; sed cuncti, qui venerant. *Donatus*.

*Cunctis*] In Romano codice, et in Mediceo, *cuncti* nominativo casu legitur: eamque lectionem interpretes agnoscunt *Servius* et *Donatus*. *Pier*.

*Lecti navibus*] Similis est et vox Græcis, qui ita quoque *λεκτοὺς* vocant. *Eurip.* in *Supp.* *λεκτοὺς ἀδελφούς δούρ' ἀθναίων κόρου* et passim. *Germ*.

523 *Orantes veniam*] *Venia* pro culpa petitur, sed nunc aut pacem, aut beneficium propter incendium navium: aliqui tamen *veniam* pro impunitate accipiunt; nam mox addit, 'Prohibe infandos a navibus ignes.' Et proprie verbum pontificale est; unde est, 'Tu modo posce deos veniam.' Et paulo post: 'Pacemque per aras Exquirunt.' Dicta autem *venia*, ad eliciendam misericordiam. Meretur enim benevolentiam numinum, qui licet innocens sit, veniam tanquam peccaverit, petit: unde est confessio illa in *Terentio*, 'Quid meritis es? crucem.' *Servius*.

*Orantes veniam*] Non conveniunt. Nam *orare* est precibus petere. *Clamare* est inverecundo strepitu vocem majorem emittere. Conjiciebant igitur clamoribus, magna illos urgeri necessitate: hos effundebant antea, quam *Didonem* orare possent. Ergo justa causa, non seditione clamabant. Nam cum nullus nunciaret *Didoni*, quæ intus erat, non poterat, nisi clamore, rem percipere *Dido*, sed postquam intus fuere. Sed servatum est decorum in verbis, cum facta sit copia *Didonis*. *Donatus*.

*Orantes veniam*] *Veniam* pacemque orare, exorare, poscere, exquirere, petere, rogare, ad formulas sacrarum pertinere, jam alius monuit. *Servius* quoque hoc loci: 'venia proprie verbum pontificale est:' et firmat illo: 'posce Deos veniam:' et paulo post:

‘pacemque per aras Exquirunt.’ Utrumque est *Aeneid.* iv. Quas voces saepe auctores abjungunt. Nam Livius l. iii. ‘veniam irarum coelestium exposcant:’ et Virgilius: ‘Exorant pacem Divum.’ Jam conjungunt, ut Livius l. i. ‘si pax et venia a Diis immortalibus impetrata esset.’ Exemplorum seges est in Briss. *Cerda.*

524 *Introgressi, fandi*] J. C. Scaliger iv. 16. *Introgressi, interfata, fas, fandi, fando*, voces ait frequentes esse Virgilio, et graveis ac plenas. *Tausbm.*

*Coram*] Est vir doctus, qui vocem eorum deducat a *κόρυς*, quæ vox signat oculi pupillam: ea enim esse coram dicuntur, quæ oculis cernimus. *Cerda.*

525 *Maximus Ilioneus*] Rebus omnibus maximus. Neque enim aliquid addidit; ergo et ætate, et genere, et facundia, et omni virtute maximus: et non sine causa ipsam ubique inducit loquentem: ut enim Homerus dicit, *Phorbas pater Ilionei semper Mercurio deo eloquentia favente pugnavit*: ut Horatius, ‘Mercuri, facunde nepos Atlantis.’ Merito ergo huic datur eloquentia. *Servius.*

*Maximus Ilioneus*] Dicoerem scribendum *maximus* ex antiquis codicibus, et Augusti Octaviani consuetudine: nisi nunc mos adeo invaluisset, ut jam omnes malint hujusmodi nominum pene ultimam enuntiare per i vocalem tertiam. Hic vero animadvertendum est, quod Servius ait, Mercurium, eloquentiæ deum, Phorbanti Ilionei patri plurimum fuisse: non intelligas tamen hunc eundem esse Ilionea, qui Phorbantis filius ab Homero celebratur, sed ab ea eloquentiæ commendatione fictam hic esse personam a Virgilio: quoniam satis constat Ilionea Phorbantis a Peneleo peremptum in bello Trojano, ut apud Homerum legere est, *Iliad.* Z. *Pier.*

*Maximus Ilioneus*] Non aliter Ilioneus natus maximus, ac perinde sapientia valens, orator a Virgilio eligi-

tur, quam dictum ab Homero est *Odyss.* vii. ‘Ὅς δὲ φαιδραν ἀνδρῶν προγενέστερος ἦεν, καὶ μέθοσσι κίευσσε, πηλαυδ’ τε πολλὰ τε εἰδὼς,’ ‘Ὅς οὖν δι’ ἄρεσιν ἀγορήεσσι, καὶ μετέειπεν.’ Prudentius quoque contra Symm. l. ii. ita ad hanc rem: ‘Ultima consilii melior, sed viribus ægra Corpore succumbit, mentem purgata senectus.’ Inde apud Aristophanem in Pluto semi cuipiam objicit: ῥέπου δὲ τοι αἶα, οὐκ ὀφθαλμοῖς μοι δοκῶσι: *Senex cum aia, non videris mihi satis sapiens.* *Cerda.*

*Placido sic pectore caput*] More suo uno sermone habitum futuræ orationis expressit. Bene ergo *placido*, ne timore consternatus videretur, quem ideo ætate maximum et patientem ostendit, ut ei auctoritas, et de ætate, et de moribus crescat. Ergo *placido*, ad placandum apto; et definitio est oratoris, qui talem se debet componere, qualem curat iudicem reddere. *Servius.*

*Placido sic pectore caput*] His verbis signat, hunc vere oratorem, neque timore aliquo consternatum. Quod mirum in tanto hominum concursu, coram potentissima regina, et magno satellitio stipata, præsertim advenam ac supplicem, et nullis meritis hominem. Quotus enim quisque cum his circumstantiis eam animi placiditatem afferret, quam in Ilioneo representat Vates? Notat etiam Servius indicari his verbis habitum faturæ orationis, quæ tota destinatur ad placandam Didonem. Ergo *placido pectore*, est, ad placandum apto. Orator enim talem se debet componere, qualem vult iudicem reddere. Audi verba aurea Dionysii in proœmio: ‘Oratio, animi cuiusque imago esse existimatur.’ Ex hoc præcepto Ammianus l. xx. ‘Seuadebat placido sermone discedere Persas ad sua:’ et l. xxiii. ‘Talía ore sereno disseruit.’ *Cerda.*

526 *O regina*] Secundum artem rhetoricam, id ei dat, quod impetrare

desiderat. Nam cum per laudem, benevolam reddidit: quæ benevolentia in principiis controversiarum secundum præcepta rhetorica quantum modis conciliatur, a Judicem persona, a nostra, ab adversariorum, a se ipsa, quod hic invenitur: a Judicem persona, 'O Regina, novam cui condere Juppiter urbem:' a sua persona, 'Troës te miseri:' etiam ab adversariorum, 'Quod genus hoc hominum:' a re ipsa, 'Hospitio prohibemur areæ.' Post præparatam igitur benevolentiam, et ex sua persona, miseratione commota, adhibet preces, 'Prohibe infandos a navibus ignes; Parce pio generi, et propius res aspice nostras.' An possint, 'Non en vis animo, nec tanta superbia victa.' Quo ergo ibatis? 'Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt.' Et cur hæc venistis? 'Cum subito assurgens fluctu nimbeus Orion.' Ne autem possint timeri, ait, 'Pauci vestis ednavimus oris.' An gratiam referant, 'Officio nec te certasse priorem Pœniteat.' Quod autem Æneam laudat, occulto etiam timorem iniecit dicendo, 'Nec bello major et armis.' Dicit etiam esse, qui vindicent, si fiat injuria: 'Sunt et Siculis regionibus urbes, Armaque, Trojanoque a sanguine clarus Acestes.' An recessuri sint: 'Quassatam ventis liceat subducere classem.' Et subjunxit, Etiam à regem amissimus et Italiam non petierimus, tamen ad Siciliam necessario descendemus: 'Si datur Italiam sociis et rege recepto Tendere,' ut 'Italiam læti Latiumque petamus. Sin assumpta salus, et te, pater optime Teucrum, Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli; At freta Sicaniæ saltem.' *Servius.*

*O regina]* Magna omnino arte scribit. Primo principia summa brevitate subjungit, quæ tamen plurima necessaria continent. Primo vero personam Didonis laudat: subtilem objurgationem non emittit, et in ipsa

objurgatione benevolam reddit, inhumanitatem et superbiam rejicit in alios. Ipsam justam dicit, ne eam lædat, a qua auxilium postulat. Veniebat igitur incognitus ad incognitam, unde ignarus omnium conjectura rimatur, quomodo aliqua laude illam sibi benevolam faciat. Suspiciens autem debuit duci, cum homines impii essent, ipsam quoque, quæ imperaret, iisdem moribus esse, sed de illis aperte dixit: partem vero hujus meliore ratione argumentandi correxit, tamen illam oblique tangit ex aliena, id est, suorum reprehensione confusam. Collectis igitur contrariis omnibus, composuit duobus versibus plena laudatio. *O regina]* A difficultate laus. Difficile est enim famulam regnare. *Donatus.*

*O regina novam, &c.]* Moneo in hoc initio, orationem hanc habere maximam affinitatem cum oratione illa Dionysii l. 1. quæ inducit orationem coram Latino rege Æneam, cum la recens ad Italiam advenisset. *Corda.*

*Novam urbem]* Juxta Pænorum opinionem dixit, qui novam civitatem Carthaginem dicunt. *Servius.*

*Novam cui condere]* Alia magna laus, quod fœmina faciat, quod difficulter viris evenire solet. Duo ergo miracula: Primum, regnat mulier. Secundum, condit urbem. Additur tertium, ut regat homines, quibus natura parendi studium denegavit, et sic ostendit plenam Afrorum feritatem. Mali autem homines non paribus, sed contrariis superantur, humanitate scilicet regantis et voluntate: quas in Didone fulasse colligit Ilioneus, qui vituperando incolæ immanitatis, laudat eam, quam ostendit humanitate compellere ad id, ad quod alii, impositis frenis, impelluntur. *Donatus.*

*527 Justitia]* Bene consideravi sexum. Nec enim virtute dicere poterat. *Servius.*

*Frenare]* Non Carthaginiensium,

sed circumjacentiam barbarorum : et bene *Frenare*, quia contra, 'Et Numidæ infreni cingunt.' *Idem*.

*Frenare*] Alludit ad illud *Æneid.* iv. 'Et Numidæ infreni.' Quæ magna Reginæ laus est : ut quæ possit etiam frenare et subjugare populos feroces et jngi impatientes. *Taubm.*

528 *Trois te miseri*] Tacitis occurrat quæstionibus, ne ad populationem venisse videantur : et videtur aliud ad dignitatem, aliud ad miserationem protulisse. *Servius*.

*Trois te miseri*] Collecta ratione principiorum, quibus mores incolarum vituperat, et reginam laudat, purgat Trojanos, ne violentiam juste passi esse videantur. Ergo quam cito, et quam evidenter expressit personam et fortunam. *Donatus*.

*Miseri*] Per hoc ostendit, miseros nihil audere posse, vel potuisse contra Didonem. *Idem*.

*Ventis vecti*] Ergo non sponte venerant. *Idem*.

*Trois te miseri, &c.*] Habet cum oratione Ilionei ejecti maximam affinitatem oratio ejectarum mulierum, apud Plantum in *Rudent*. quæ oratio habita ad sacerdotem : ita enim illæ : 'Nunc tibi amplectimur genua, egen-tes opum, Quæ in locis nesciis nescia spe sumus, Ut tuo recipias tecto, servasque nos, Miserarumque ambarum uti misereat, Quibus nec locus ullus, nec spes parata est. Neque hoc amplius, quam quod vides, nobis quicquam est.' *Cerda*.

*Ventis maria omnia vecti*] Per maria : et est contra illud, sicut dictum est, cur ad Africam venerint. *Serv.*

*Ventis maria omnia vecti*] Alibi flexu isto, 'acti fati maria omnia circum.' *Cerda*.

529 *Prohibe*] Simili brevitate summam petitionis ponit justam, et sine præstantis detrimento, quibus vel durissimus flectatur. Posita autem sunt tria, ne incenderentur naves : voluntatem, et necessitatem abeundi;

et casu venisse. *Donatus*.

530 *Parce pio generi*] Quotiens invidiosæ sunt præsentis personæ, rhetoricum est, ad alias confugere : ut hoc loco confugit ad *genus*. *Servius*.

*Pio generi*] Reus erit, qui pio nocebit : et major nostra est pietas, quod illam natura sanguinis ducti, non constricti lege, servamus. *Donatus*.

*Et propius*] Id est, vicinius, ut tanquam victi accipiantur : nec tales omnes credantur, qualis Paris fuit in Spartæ expugnatione, raptique Helenæ : nam hoc veritas rei habet : non voluntate Helenam secutam, sed raptam, expugnata urbe : unde et recipi meruit a marito. Tangit autem hoc latenter Virgilius illo loco : 'Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.' Ergo bene non nos, sed res nostras dixit. *Servius*.

*Propius res aspice*] Tertia petitio generalis : ut quicquid ad commodum nostrum spectat præstes. Quam rem honestius non ponendo, per species amplexus est. *Donatus*.

*Propius*] Id est, vicinius et amicus, tanquam dea nos respice ac defende. Nam et in *Ecl.* i. *præsentem deos*, intelligit propitios. Et *Respicere*, interdum opem ferre significat : ex quo Romanis culta est *Fortuna Respiciens* : ut supra dictum. *Taubm.*

531 *Populare*] Quia apud Veteres hæc erat maxime causa navigandi. Sane antiqui et *populo* et *populor* dicebant : unde est *populare* : et, 'Populatque ingentem farris acervum Curculio.' Nunc tamen passiva tantum utimur declinatione. Quidam *populare*, pro ad populandum vel populatum accipiunt. *Servius*.

*Populare Venimus*] Eadem locutione utitur Ter. *Phorm.* i. 2. 52. 'voltisne eamus visere :' sic *Hec.* i. 2. 114. 'it visere.' consulendus de *Hellenol.* *Vechner.* i. 7. *Emmeness*.

*Non nos aut ferro*] Præmitti interdum refutatio solet ante confirma-

tionem, et adhuc ante narrationem, ut hoc loco, in Miloniana, in aliis. Hæc etiam loco similis ille l. vi. 'Nullæ hic insidiæ:' et Ovidii Met. x. apud quem Orpheus: 'non hic ut opaca viderem Tartara descendi, nec uti villosa colubris Terna Medusæi vincirem guttura monstri.' Quibus præmissis, causam aggreditur, 'Causa viæ est conjux.' Similis quoque locus Petronii: 'non sanguine tristi Persusus venio, non templis impius hostis Admoui dextram, sed inopa, et rebus egenis, Attritus.' *Cerda.*

532 *Ad litora*] In antiquis aliquot codicibus, a litore legitur: hoc est ab ora litorali in naves. Sed minime displicet *ad litora*: quia per contineptem fieri solent excursionses, indeque prædam ad litus vertunt. *Pier.*

*Vertere*] Pro avertere. *Servius.*

533 *Non ea vis animo*] Argumentum ab impossibili; sicut dictum est: ut, 'Quid Troës potuere?' *vis* autem est possibilitas: hoc est, nec volumus, nec possumus. *Idem.*

*Victis*] Volantatem et facultatem ipsis detrahit uno verbo, *victis*. His enim utrumque deest. *Taubmann.*

534 *Est locus*] Comparatione orbis totius, Italia locus est: nam provincia, locus non potest dici. Et deest *quam*, vel quem locum, sicut ibi, *Urbs antiqua fuit*. Aut ideo locus, ut ostendat parvo posse esse contentos. *Servius.*

*Est locus*] Et locorum et hominum Carthaginis plena deformatio, sed non aperta. Dicit ergo, tendebamus in Italiam fertilem terram, et potentem fortibus viris, et bonis. Itaque non venissemus ad solitudines has, et ad feros homines, nisi tempestate coacti. Ergo non est studium in nobis violentiæ inferendæ. Descriptio autem naufragii movet misericordiam. Et cum omnia violentiæ, quæ objici possent, purgarit, retorquet invidiam in calumniantes, usus anticategoria. Dicit enim, non nos fecimus, sed tui in

innoxios violenti fuerunt. *Donatus.*

*Est locus*] Versus ex illo Ennii factus: 'Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant.' Et repetuntur hi quattuor Æn. iii. Comparatione autem Orbis totius (inquit Servius) Italia locus est: nam Provincia locus non potest dici. Minus autem est, quam ut; 'Urbs antiqua fuit.' Vel ideo, *locus*: ut ostendat, parvo posse esse contentus. Porro docet Sulpitius Victor, narrationem fieri apertam magis, si a recto casu incipiat: cujusmodi multæ sunt Ciceronis narrationes, ut pro Milone: 'P. Clodius cum statuisset,' &c. Pro Quinctio: 'C. Quinctius fuit,' &c. Pro Cluentio: 'A. Cluentius habitus fuit pater,' &c. Quod et Poëta noster observavit. *Taubmann.*

*Hesperiam*] Hesperiae sunt duæ: una, quæ Hispania dicitur, altera, quæ est in Italia: quæ hac ratione discernuntur: aut enim Hesperiam solam dicis, et significas Italiam: aut addis ultimam, et significas Hispaniam, quæ in occidentis est fine: ut Horatius, 'Qui nunc Hesperia sospes ab ultima.' Et hæc est vera Hesperia, ab Hespero dicta, stella occidentali. Cæterum Italia, *Hesperia* dicitur a fratre Atlantis, qui pulsus a germano, Italiam tenuit: eique nomen pristinae regionis imposuit, ut Hyginus docet. *Servius.*

*Graji cognomine dicunt*] Bene Graji, ut et ipsa cognoscat, sicut in octavo, 'Electra (ut Graji perhibent) Atlantide cretus.' *Idem.*

535 *Antiqua*] Nobilis: nec enim nova esse potest, licet primam terram suam esse dicant Athenienses. *Idem.*

*Antiqua*] Nam a Saturno et Jano fuit habitata: vel, *Antiqua*, id est, nobilis est Italia: quia (ut addit) 'potens armis, atque uberr. glebæ.' *Uber* autem proprie est fecunditas: ut et Hom. οὐθαρ ἀπολύπηξ dixit, ἀπὸ τοῦ μακροῦ γῆς. Eustath. interpretatur τὸ πύκτων καὶ τροφίμων ἔργων

νῆς γῆς. Et recte laudat Italiam: ne Africam de industria petilisse videantur. Quis enim pro fertili sterilem eligat terram? *Taubmann.*

*Potens armis*] Dicendo *potens armis*, Trojanos laudavit, ut ostenderet, non se bellicorum timere provinciam. *Serv.*

*Ubers glebæ*] *Uber* proprie est fecunditas. Et bene Italiae virtutem fecunditatemque collaudat: ne Africam petisse videantur. *Idem.*

536 *Ænotri*] Deest *Quam*. *Ænotria* autem dicta est, vel a vino optimo, quod in Italia nascitur: vel, ut Varro dicit, ab *Ænotro*, rege Sabino-rum. Alii Itali fratrem, *Ænotrum*, tradunt ex Arcadia in Italiam venisse cum Pelasgis, et eam sibi cognominem fecisse. *Idem.*

*Ænotri coluere viri*] In antiquis oedicibus fere omnibus, *Ænotri* per synæresim, non *Ænotrii*, scribitur: quia syllaba media est *ω μέγα, οὐδ' ἄριστος*: hujusmodi vero Synæreses soluta etiam oratione fieri sæpius in antiquis inscriptionibus observavi: ut illud Romæ juxta ædem D. Basilii, VINICIA PRIMIGENIA MATER FILIS SVIS. *Pierius.*

*Ænotri*] Ab *Ænotro*, Sabinorum rege, dicti, qui in ea Italiae parte regnavit septendecim sætibus ante bellum Trojanum. De quo Plinius, Cato, Dion. Halicarnassæus, Lycophronis Interpres, Aristot. Polit. l. vii. (unde Virgilius totum hunc locum interpretatus notatur a Nannio) alique varia tradiderunt. Recte autem e Mss. (ejusdem Nannii sententia) *Ænotri* legitur, non *Ænotrii*: cum et Græci *Ὀβριπολ* dicantur. *Taubm.*

*Fama*] Subaudimus, est. *Servius.*

*Minores*] Majores et minores, quotionis de genere dicimus, numeri sunt tantum pluralis. *Idem.*

537 *Italiam*] *Italus* rex Siciliae ad eam partem venit, in qua regnavit Turnus; quam a suo nomine appellavit *Italiam*. Unde est, 'Fines super usque Sicanos.' Non usque ad Sici-

liam (nec enim poterat fieri) sed usque ad ea loca, quæ tenebantur Sicani, id est, Siculi, a Sicano, Itali fratre. Alii *Italiam* a bubus, quibus est Italia fertilis, quia Græci boves *ἱταλῶδες*, nos *vitulos* dicimus: alii a rege Ligurum Italo; alii a Corcyreo; alii a Veneris filio, rege Lucanorum; alii a quodam Angure, qui cum Siculis in hæc loca venerit, quamque his regionem inauguraverit \* plures alare tenar in pote desatura. Minois regis Cretensium filiam Italiam dictam. *Idem.*

*Ducis de nomine gentem*] *Italus*, Rex Siciliae ad eam partem venit, in qua regnavit Turnus: quam a suo nomine Italiam appellavit: ut quidem vult *Servius*: sed alii aliter. Videatur Hadr. Junius l. i. cap. ult. et Plinius III. 5. ubi etiam de ubertate Italiae pertractat, ut et Livius Belli Pon. II. J. Scoppa legit, *nunc fama minorum Italiam*, &c. *Taubmann.*

538 *Huc cursus fuit*] Vel iste cursus, vel pro illuc. Et *cursus* verbum nauticum est, ut alibi, 'Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.' *Serv.*

*Huc cursus fuit*] Nequaquam placet, quod in codicibus aliquot legitur, *hic cursus fuit*; hoc est, hæc navigatio: nam finis desideraretur, ad quem locum. *Pierius.*

*Huc cursus fuit*] Hoc est primum hemistichium, et imperfectus versus, qui occurrit in Virgilio. Sunt qui putent, versus istos detruncatos, qui in hoc vate visuntur, factos ita ex studio ad sui gloriam, ut qui sciret, fore neminem, qui posset implere. Alii rursus putant, eos non suppletos, Vate morte intercepto: et argumento est, nullum tale reperiri in Bucolicis et Georgicis, quibus imposita extrema manus, quod beneficium Æneidi non accidit. Nannius Miscell. l. vi. plures hujusmodi versus ex scripto codice replet, quos omitto, ut qui putem meras esse assutelas, et ociosum alicujus impendium. *Corda.*

539 *Cum subito*] Si subito fluctu, no-

non est; si per se subito, adverbium. *Servius.*

*Adurgens fact. nimb.]* Orion rex, cum filios non haberet, a Jove, Neptuno, et Mercurio, vel, ut quidam tradunt, non a Neptuno, sed Marte, quos hospitio susceperat, hortantibus, petit ut sibi filios darent: illi, intra corium immolati sibi bovis urina facta, praeceperunt, ut, completis maternis mensibus, solveretur. Quo facto, inventus est puer: cui nomen ab urina impositum, ut *Oëpëus* diceretur. Quod Dorica lingua commutatum est: ut *ov* diphthongus in *o* verteretur. Quod autem plerumque prima syllaba brevis invenitur et hoc loco, cum sit natura longa, Græcæ rationis est. Nam detractio sit *v* literæ, et *o* remanet brevis: quo modo *oëpëa* *re* *subëra*, pro *ëpëa*: et *oëpëon*, pro *ëpëon*. Et hoc quia aut *o* est naturaliter longa, aut *ov* diphthongus. Cæterum si sit in proprio nomine dichronos, ut omnes Latine sunt, propriorum nominum abutemur licentia, ut in Artibus lectum est. Hic vero Orion postea venator factus, velut trium parentum viribus fusus, cum Dianæ vim vellet inferre, ut Horatius dicit, ejus sagittis; ut Lucanus, immisso scorpione, occisus est; sed deorum miseratione inter sidera relatus, signum, famosum tempestatibus, fecerunt. Verisimilius autem est, a scorpione interemptum: oriente enim uno, alter occidit. Hoc signum ibi est, ubi Hyades circa frontem Tauri. Seme ipse Orion magnitudine sua multis oritur diebus, et ideo ejus etiam apud peritos est incerta tempestas: unde dictum est, *Cum subito adurgens*, ad exensationem non prævisæ tempestatis. Et multi superfluo quærent, cur ortus commemoretur Orionis; cum sit a Junone immissa tempestas? Sed Ilioneus ista non novit, quæ a poëta supra dicta sunt, per Musam, ut diximus, cognita. Et constat nomina, nisi inventa occasione, nocere non

*Delph. et Var. Clas.*

posse; quod in omni suo opere Virgilius diligenter observat. Bene autem *nimbosus*, quia et ortu suo et casu tempestates commovet; sicut ait Horatius, 'Qua tristis Orion cadit:' et quia hoc signum ibi, est ubi Hyades circa frontem Tauri. *Servius.*

*Cum subito, &c.]* Id est, ex improviso oriens. Nam Orion sua magnitudine multis oritur diebus: atque ob id apud peritos rei nauticæ incerta est ejus tempestas. Hoc autem modo excusat Ilioneus suos naucleros, qui eam tempestatem non providerint. Manilius in Sphæra barbarica: 'Orion magni pars maxima cæli.' Utrumque enim hemisphærium obsidens secundum longitudinem obtinet partes XVII. secundum latitudinem partes XXX. De quo et Jos. Scaliger in Commentario Maniliano. De tempestatibus autem, grandine, et procellis, quæ ab horridis sideribus, Arcuro, Orione, et Hædis exeant, tractat Plin. XVII. 28. et alibi. Porro multi quærent, cur ortus commemoretur Orionis, cum sit a Junone immissa tempestas? Sed Ilioneus ista non novit, quæ a Poëta superius dicta sunt, per Musam cognita. *Taub.*

540 *In vada cæca]* Incognita, latentia. *Servius.*

*In vada cæca]* Syrtes intelligit: supra: 'In brevia et Syrtes urget (miserabile visu) Illiditque vadis. *Taub.*

*Cæca]* 'Ἀπρόσπαρα. Lucr. 'Corpora cæca,' quæ cerni nequeant: ita Strabo fluvios multos *τυφλοστόμους* appellat. *Taubmann.*

*Procacibus austris]* Perseverantibus. Et *procax* proprie *petax* est. Nam *procare* est *petere*. Unde et *proci* petitores dicuntur. Alii *procacibus*, impudentibus tradunt. *Servius.*

*Procacibus austris]* Id est, obstinate urgentibus ac perseverantibus, et subinde suum in nos flatum repetentibus: vel, (ut Scaliger IV. 16.) impudentibus atque immisericordibus. Petaces enim auferunt sua importuni-

*Virg.*

7 L



tate. Lucret. l. vi. translatione gemina dixit: 'perscissa furit petulantibus Euri.' Et Horat. Od. i. 26. 'protervos ventos.' Quæ a Græco fonte cadunt. Nam et Eupolis, apud Pollucem, ventum impotentem et furiosum vocat ἀσεληγῆ. *Taubmann.*

541 *Perque undas, superante salo*] Elevato mari, et in undas diviso, ut solet in tempestate. *Servius.*

*Salo*] Venit ab eo, quod est *salum*, *sali*. Nam *sale tabentes*, ab eo quod est, *hic sal, salis*. *Idem.*

*Salo*] Quid sit *salum* proprie, apparet ex vetere Poëta, apud Tullium in Tusc. 'Nec tam ærumnoso navigassem salo.' Cicero ipse in Verr. 'Quadriremem in salo fluctuantem reliquerat.' Itaque *salum* est, ubi naves fluctuant, nec tutæ sunt. Probe itaque Lambinus: 'in salo, id est, in alto mari, undarum ac fluctuum pleno, minimeque a ventis tuto.' *Cerda.*

*Salo*] Est mare 'altum: ut hoc ex Corn. Nep. videas. V. ii. 8. 'at ille clarissimi viri captus misericordia, diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit, &c. *Emmeness.*

*Perque invia saxa*] *Invia*, id est, aspera, immania. Unde et paulo post Dido, 'Quæ vis immanibus applicat oris?' Non enim suos vituperat: sed naturam litoris culpât. *Servius.*

542 *Dispulit*] Dispersit. *Idem.*

*Dispulit*] Non multum distat locus Pindari Pyth. od. xi. *μέ τις ἀνεμος ἔξα πλοῦ ἔβαλεν: me ventus quispiam extulit extra cursum navigationis.* Nec contextus Philostrati de vita Apollonii, vii. 17. ubi ait, quasdam navium demersas in tempestate, quasdam depulsas ad fretum Siculum. *Cerda.*

*Huc pauci*] Vult intelligi, ut quidam tradunt, superesse et alios, qui sunt futuri vindices, si isti fuerint læsi; nam hoc est, quod ait: *dispulit*. *Serv.*

*Pauci*] Et misericordiam captat, et suspicionem violentiæ removet. *Donatus.*

*Adnavimus oris*] Elegit verbum ap-

tum naufragio, ad eliciendam misericordiam: quamvis et de navibus *nata* lectum sit: ut, 'Natat uncta carina.' *Adnavimus*, *adnavimus*, per synopen; et bene *adnavimus*, quasi vix et oportune. *Servius.*

*Adnavimus*] Frigidum et exile est, quod in plerisque codicibus antiquis *advenimus* legitur: sed in verbo *adnavimus* difficultas, calamitas, et clades apparent, quæ miserationem commoveant. *Pierius.*

543 *Quod genus hoc hominum*] Rhetorice vituperaturus mores, non ad Didonem loquitur, sed ad tertiam se confert personam. *Servius.*

*Quod genus*] Sub querelis et accusatione Tyriorum, suam tenet laudem: nam qui alienos mores graviter reprehendit, ab iis se alienum demonstrat. Adeo autem displicent mores, ut nomen non inveniat. Omnes enim feros immanitate vicerunt Tyrii. *Donatus.*

*Quod genus hoc hominum*] Fortasse ab Furio, qui Annal. vi. 'Quod genus hoc hominum Saturno Sancte create?' *Cerda.*

*Quod genus hoc*] Rhetorice, vituperaturus mores, non ad Didonem loquitur, sed ad tertiam se confert personam. Figuratur autem Oratio admiratione pathetica, quam et Interrogatio vehementer exangit. *Taub.*

*Quæve hunc tam barbara m. P. p.*] Bene mores accusat terræ, ut inhumanitas patriæ potius esse videatur. *Servius.*

*Quæve hunc tam barbara*] Cuius regionis est tam sæva barbaries, quam est tua? Nomen ergo, quo eos appellaret, non invenit. Exemplum non reperit, quod erat gravius. Potuissent enim defendi similitudine alterius gentis. *Donatus.*

544 *Hospitio prohibemur arenæ*] Ut alibi, 'Litiusque rogamus Innocuum.' Litus enim jure gentium commune omnibus fuit, et occupantis solebat ejus esse possessio. Cic. in Rosciana: 'Nam quid est tam commune, quam

spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? unde ostenduntur crudeles, qui etiam a communibus prohibeant. *Servius*.

[*Hospitio arma*] Quid ergo facerent, si humano more tectorum peteremus hospitium? *Donatus*.

545 *Cient*] Id est, movent. Et bene *cient* et *vetant*, permanet in certa persona, ne eque in hoc barbaros et immites appellare videatur. Sane in principio modestius, hic jam commotius. *Servius*.

[*Bella cient*] Non patiuntur, sed inferunt: nec leviter prohibent, sed bellantium more utuntur armis. *Donatus*.

[*Bella cient*] J. C. Scaliger iv. 16. docet, *ciere*, verbum grave esse: ut et *moliri*. Taubmann.

[*Prima terra*] Litore: ut alibi: 'Tuque o cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridentis.' *Servius*.

[*Prima terra*] Vel, quæ prima naufragos ceperat post naufragium, et captat misericordiam. Vel, *prima*, id est, litus, quæ terra prima est e mari egressis: ut societ illud, *hospitio prohibemur harenæ*. Cum autem de Tyriis, conqueritur etiam de Didone, quæ illos regit. Deinde, relicta hac subtilitate, aperte Didonem taxat, cum dixit: *Temnitis* et *sperate*: et non, *temnunt* et *sperant*. *Donatus*.

546 *Si genus humanum, &c.*] Similis Catulli gnome ad Alphennum, epig. xxxi. 'Si tu oblitus es, at Dii meminerunt, meminit Fides, Quæ te, ut pœniteat postmodo facti, faciet, tui.' Sententias duas Sophoclis, ad idem spectantes, jam Germanus conjunxit. Neque abludit ista Pindari, Olymp. od. i. εἰ δὲ θεὸν Ἀνὴρ τις ἐλπεταί τι λαβόμεν ἔρδον, ἀμαρτάνει: Si quis hominem sperat Deum latere quidpiam faciens, fallitur. *Cerda*.

[*Mortalia arma*] Mortalem possibilitatem. Sane per *arma*, etiam con-

silia significantur: ut, 'Querere conscius arma.' *Servius*.

[*Si genus humanum et mortalia*] Vetera quædam exemplaria legunt absque copulativa particula, *Si genus humanum, mortalia*, per appositionem, venustate tamen haud quaquam parum cum priori lectione. *Pierius*.

[*Temnitis*] Pro *contemnitis*, per aphæresin dictum, quæ est cum prima verbi syllaba detrahitur. Alii *mortalia arma* pro humanitate accipiunt. Sed terret hoc loco latenter, propter Siciliam. Nam et paulo post ait, 'Sunt et Siculis regionibus urbes:' cum unam habeant, in qua Acestes regnat: sed ad terrorem, *urbes* dixit. *Servius*.

547 *At sperate Deos*] Abusive, time: ut alibi, 'Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.' Cum speremus bona, timeamus adversa: veteres tamen *sperare* dicebant Deorum auxilia rogare. *Plantus* in *Millite*, 'Deos sperabo, teque postremo tamen.' In *Casina*, 'Dii sum fretus, Deos speravimus.' Sane oportune post blanda principia ista ponuntur: prodest enim nonnunquam subtiliter objurgare, quem roges. *Idem*.

[*At sperate Deos*] Id est, Metuite ac time: deos justique memores. Jam, *sperare*, hac ἀνυπολόγη (quantum *Jac. Nic. Loensis Miscell.* ii. 23. Atticismum esse multis probat) ter usus est Poëta. *Æneid* xi. 'Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt Tempore, cum ferro,' &c. Et *Æneid*. iv. 'Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.' Cum bona speremus; timeamus adversa. *Statius Theb.* 'hunc retro conversum ac tela petentem Dum spes nulla necis, crinito a vertice figit.' Ubi *spes* pro metu ponitur. Observatum est, *Ciceronem* pro *Sex. Roscio*, quam *Orationem* juvenis habuit, *sperare* etiam ad hunc modum usurpasse: et *Platonem* de *Legibus* l. vi. ἐλπιστον, *timendum* dixisse.

Notavit et P. Manutius Epist. Famil. v. 1. verbum *sperare*, in rebus, quas minime volumus, nonnunquam usurp. Ita Ter. Andr. act. II. 2. 'Nam quod tu speras, propulsabo facile,' id est, times. Quanquam hoc alii aliter explicare conantur. Porro, bene dixit Poëta, *memores*: nam dii, etiam non statim puniunt crimina, sunt tamen memores. Horat. Od. III. 2. 'Raro antecedentem scelestum Deservit pede pœna clando.' Taubmann.

*Sperate*] Hunc me locum citare memini Ecl. VIII. 26. Thucydidis Scholiast. *ἀλγίστην* non solum de bona re dici, scribit, sed de cujusvis rei exitu et eventu. Sic Suidas, Thomas magister et Moschopulus pro *σποδοῦν* Attice poni notant. Emmen.

*Memores fandi atque nefandi*] Id est, justitiæ et injustitiæ. Et bene *memores*: quia etiam si non statim puniant crimina, sunt tamen memores: ut Horatius, 'Raro antecedentem scelestum Deservit pede pœna clando:' et dicendo *fandi atque nefandi*, significat, prout meriti fueritis. Servius.

548 *Rex erat Æneas*] Bene medio verbo usus est *erat*; nam si *fuit* dixisset, fiduciam habuisse videretur. Idem.

*Rex*] In hoc virtutes animi laudat, scilicet justitiam et pietatem: et corporis, scilicet fortitudinem, quæ est in exercitatione bellandi. Vult enim pro benefactis consimilem vicem promittere, quæ est a justitia et pietate: et pro injuria ultionem, quæ est a fortitudine. Donatus.

*Rex erat, &c.*] Cum laudes Æneæ prædicet, posito Æneæ ipsius nomine, videtur ad ejus etymon alludere, dictus enim ἀπὸ τοῦ αἰνῶν, καὶ αἰνῶν: ita monet Julius Scal.; additque, non audiendum Homerum, qui ait, Æneam sic dictum, quasi αἰνῶν, tristiore vocabulo. Calaber laudes Æneæ has attingit, κρατερόφρωνος Ἀλκίαιου: et θαρδὸν στέρος Ἀλκίαιου, et Ἀλκίαιου

ἀλκίαιου: quibus illum commendat ut fortem, ut validum, ut magnanimum. Sed præsertim allatum ad Homeri versum, quem omnibus Iliades anteferendum esse, judicabat Alexander, 'Ἀμφότερον, βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς, κρατερὸς τ' ἀλκίμης. ubi una cum bonitate adjungitur militaris virtus. Cerdæ.

*Quo justior alter Nes pietate fuit*] Multum interest inter justitiam et pietatem. Nam pietas pars justitiæ est; sicut severitas. Nunc erga hoc dicit, qua parte sit justus, id est, pietate. Et bene duo laudat in Ænea: pietatem, quam a Didone impetrare contendit: et virtutem, qua vult eum timeri: et certe quoniam et beneficium referre potest et vindicare. Servius.

549 *Bello major et a.*] Non est iteratio: nam bellum et consilium habet; hoc est, scientia rei militaris. Arma autem tantum in ipso actu sunt, id est, viribus dimicandi, ut aliud animi, aliud corporis sit. Idem.

*Nac bello major et armis*] Non est iteratio. Nam *Bellum* et consilium habet; *Arma* tantum in actu ipso sunt: ut intelligat eum et sapientem imperatorem, et fortem esse militem: ut de Agamemnone Hom. 'Ἀμφότερον, βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς, κρατερὸς τ' ἀλκίμης. Taubmann.

550 *Quem si fata virum*] Unum sensum in tres partes divisit; et petuit reprehendi, idem dixisse, nisi ostenderet eum libenter voto suo immorari: tale est illud, 'Si numina vestra Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant.' Servius.

*Quem si fata virum*] Quam pulchre variando (idem si vivit) tripliciter profert. Magna autem arte parva petit, et magnam remunerationem promittit, et audientem terret. Nam cum demonstramus, posse multum prodesse, intelligitur asserere, posse et multum nocere, si res exigat: hoc modo: si Æneas vivit, nihil nobis est metuendum: sin contra, habemus

Acestem regem, magnum, et opulentum viria, armis, divitiis. Hic ergo proponit spem, et ingerit metum. *Donatus.*

*Si vescitur aura]* *Vescor* verbum inchoativum est, sine præterito tempore, et quod a se nascitur: *Vescor illa re* dicimus, ut alibi, 'Vescitur Æneas simul et Trojana juvenis Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.' Nec nos decipiat quod dicit Plinius, ut elocutionis ex similibus formemus. Nam ecce, *comedo illam rem* dicimus: nec tamen *vescor illam rem*. Et ipse dicit, non usquequaque hæc esse servandum. Sane hic *vescitur*, pro *fruitur*, posuit. *Servius.*

*Si vescitur aura]* Apulejus libro de Mando: 'sinceriore interdum luce vescitur.' Accium in Athamante: 'Priusquam infans esset, facinus oculi vescuntur tui.' Pub. Syrum Miorum scriptorem: 'malevolus semper sua natura vescitur.' Senecam in Ædip. qui pari metaphora dixit, 'haustus puri ætheris.' *Cerda.*

*Vescitur aura]* Est, quod supra dicebat, 'Carpere vitales auras.' Scalig. iv. 16. *Vesci* verbum vetus est. Sic Cicero, 'vesci voluptatibus.' Lucret. l. v. 'Nam quæcunque vides vesci vitalibus auris.' Etiam Græci dicunt: *βόσκεισθαι πνεύμασι*. Jam dignitatem phraseos, crudelibus occubat umbris; pro mori, et seorsim verbi, *occubat*, notavit idem Scaliger. *Taub.*

*Vescitur aura]* Frequenter apud Homerum *ἀπόβης καρὸν βόσκει*: sic Horat. od. ii. 14. 'Vesci munere terræ.' *Emmeness.*

551 *Ætheria aura]* Quia animam aëre, corpus cibo, potione et cæteris diligenter nutrimus. *Servius.*

*Neque adhuc]* In bona codicum antiquorum parte, *neque adhuc* legitur: quod nescio quid mollius et suavius sonat, quam *nec adhuc*. *Pier.*

552 *Non metus]* Hoc loco distinguendum est. Cujus autem rei, ex sequentibus probat. Nam vult eam

non timere: ne inaniter præstet. Alii *non metus officio* legunt, et hunc sensum dicunt: Non metuo pro officio nostro, id est, non timeo, ne non sit unde satisfaciam officio, ac parem gratiam reddam. *Servius.*

*Non metus]* Medicus codex, et aliquot alii *nec metus* legunt: sed omnino *non* acceptius. *Pierius.*

*Officio nec te certasse priorem Pænitateat]* Nec tibi parum videatur prima beneficia præstitisse: quum possis majora recipere. Nam *Pænitateat*, parum videatur est: ut Terentius in Heautontimorum. 'At enim quantum hic operis fiat pænitet.' Hoc est, parum videtur. Sane, *certasse*, provocasse accipiunt: ut Terentius, 'Benedictis si certasset.' Officium autem est, quod Græci τὸ καθήκον appellant. Cicero de Marcello, 'Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim aliqua, aut pravitate lapsis, sed opinionione officii falsa fortasse, certe non improba.' *Servius.*

*Officio nec te certasse priorem Pænitateat]* Id est, non est metuendum: *Charisius.* Ita Græci, οὐ φόβος. et Demosth. οὐ δέος ἐστὶ: pro, οὐ φοβή-  
τέον ἐστὶ. Varie autem legitur hic versus: *Non metus: officio nec te c.* Item: *Non metus officio: nec te cert.* Item: *Non metus, officio ne te certasse priorem Pænitateat.* Ut dicat: Hand equidem vereor, ne te piget pænitateatque in nos officia aliqua contulisse, aut potius, beneficiis Æneam provocasse. Atque ita legit et explicat cum Serv. Fuld. Turnebus x. 11. et xxvi. 23. Ita Terentius: 'Bene dictis si certasset,' &c. Officium autem est quod Græci τὸ καθήκον appellant. *Taubmann.*

*Nec te Pænitateat]* Maroniani genii locutio, qui Ecl. ii. 34. 'Nec te pænitateat calamo trivise labellum' non, *ne te.* *Emmeness.*

553 *Sunt et Siculis region. urb.]* Id est, gratiam reddere possumus: arma

latenter minatur. *Servius*.

*Sunt et Siculis*] Præoccupatio ad id, quod dici potuisset: si autem periret Æneas, quis referet gratiam? ideo subdit: In Sicilia Trojanos esse, qui gratiam possint referre. De Aceste rege Siciliæ videatur *Servius*, et *Virgil. Æn. v. Taubmann*.

554 *Trojanoque a sanguine c. A.]* Bene *Trojano*, ut necesse habeat; si passi fuerint injuriam vindicare, quod in principio bene tacuit. De Aceste autem fabula talis est: Cum *Laomedon* promissam murorum mercedem *Neptuno* et *Apollini* denegasset: *Neptunus* iratus, *Trojæ* immisit cetos, per quos vicina litoris vastabantur. Unde *Apollo* consultus, cum et ipse irascetur; contraria respondit, dicens, Objiciendas puellas nobiles belluæ. Quod cum sæpe fieret, et *Laomedontis* *Hesiona* jam esset ad scopulum religata, orta seditione; nonnulli parentes peregre mittere filias, quam domi perdere maluerunt: nam alii avehendas mercatoribus traderunt: timens *Ippoteus* vel *Ipsostratus* filiam *Egestam*, impositam navi misit, quo fors tulisset. Et hæc ad Siciliam delata, a *Crimiso* fluvio, quem *Crinisum* *Virgilius*, poetica licentia, vocat, converso in ursum, ut alii in canem, compressa edidit *Egestum*, quem *Virgilius* *Acestem* vocat, qui ex matris nomine civitatem *Trojanis* condidit: quæ ante *Egesta*, post *Segesta* dicta est. *Servius*.

555 *Quassatam ventis*] Quamvis sit justa petitio, tamen prope invidiose ostendit, quam sit res, quam petit, exigua. *Idem*.

*Quassatam ventis*] Ingerit summam petitionis, non onerosam danti scilicet, ut liceat in silvis resarcire convulsas naves: ut possint, si vivat Æneas, in Italiam tendere: sin autem non vivat, in Siciliam. *Donatus*.

*Subducere*] In terram ducere, hoc est, subductam curare. *Deducere* autem, in mari ducere: ut, 'Dedurunt

naves socii.' *Servius*.

*Subducere*] *Subducere*, est quod *Cæsar*, 'ad terram detrahere' dixit. *Deducere*, est in mare mittere: ut *Æn. III.* 'deducunt socii naves.' Ita etiam a Græcis ἀνάγειν et καθάγειν, item κάρειν et ἀνείκειν usurpatur. *Taubmann*.

556 *Aptare*] *Aptas* eligere: legitur et *optare*; sed utrumque eligere significat: vel *aptare*, adjungere, vel affigere, ut, 'Stellis ardentibus aptum.' *Servius*.

*Stringere remos*] Aut defrondare: ut agricolæ stringunt frondes: aut *Fractos stringere remos*, id est, reliigare, quia supra dixerat, *Frangantur remi*. *Idem*.

*Aptare trabes*] Id est, trabes navibus aptas legere. *Stringere* autem remos, est ligna defrondare ad remos faciendos: aut ligna incidere, ex quibus remi fiant: aut fractos stringere remos, id est, ligare. *Æn. IV.* 'Fron-desque ferunt remos et robora silvis Infabricata, fugæ studio.' *Taub.*

557 *Sociis et rege recepto*] *Syllepsis* est per numeros: ut, 'Hic illius arma, Hic currus fuit.' *Servius*.

559 *Sin absunta salus*] Hoc est, si periret Æneas, qui vel Trojanorum salus est. *Idem*.

*Pater optime*] Mira laus, cum et patrem et optimum dicit. *Idem*.

*Et te, pater*] Ex apostrophe captat commiserationem *Didonis*. *Donatus*.

*Sin absunta salus, &c.*] Mirus est ubique Poëta. Sicut supra Æneæ vitam triplici modo concepit, sic nunc tres alios modos adducit ad exitium explicandum: Si absumpta est salus, si pontus Æneam habet, si nulla est spes Iuli; involvit quippe filii fata cum paternis. Phrasin arripuit *Ammianus l. xxxi.* 'Spem omnem absumptam,' uterque fortasse a *Plauto*, qui *Mos-tell.* 'absumpta res, absumpti sumus.' *Cerda*.

560 *Nec spes jam restat Iuli*] Bene de *Ascanio* spem dicit, propter æta-

tem: ut, 'Ascanium surgentem,' et 'Spes surgentis Iuli.' Sane et hic tribus immoratur, quæ metuit, ut supra in voto. *Servius*.

*Spes jam restat*] *Spes Iuli*, id est, Iulus, Poëtica circuitione. Et bene de Ascanio *spem* dicit; propter ætatem. Etiam Casaubon. ad Persium notat, Sat. II. *Spes* Latinis familiare esse, pro pueritia aut juventute: item pro puero ac juvene. Ita Seneca apud Tacitum: 'Quartus decimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ sum admotus.' Ita Persius, 'spem macram,' infantem vocat tenellum. *Servius*.

561 *At freta Sicania*] Bene recessuros se dicunt. *Servius*.

*Freta*] Quia freto a Sicilia dividitur Italia. Sane quidam a *ferrore* dici putant, et Sicanos quidam *αὐρόχθονας* tradunt, quia ex Hiberia profugos de nomine fluminis Sicoris, quæm reliquerant Sicani, nominasse. *Idem*.

*Sedesque paratas*] Propter Acestis cognationem. *Idem*.

562 *Regem*] Aut qui nunc rex est: aut qui etiam noster futurus est. *Idem*.

563 *Talibus Ilieneus*] Aut subandis loquebatur: aut ex posterioribus fremebat intelligis. *Idem*.

*Ore fremebant*] Hoc est, consentiebant, aut probantes Ilienei dicta, aut rogantes Didonem: et bene *ore*: quia et armis possumus fremere. *Idem*.

*Cuncti simul*] Solvit Græcum *ἐμπύκτους*, reddiditque versum ex Il. I. I. *Ἐὼς ἅλλοι μὲν πάρος τευφύμηνον Ἀχαιοί*. Poëta conjungens duo hæc, *cuncti simul*, explicuit, qui sint proprie *cuncti*, ut vero Noster, *fremebant*, in exitu sermonis, ad indicandum assensum: ita Livius I. XXXIX. 'Cum fremitus post eam vocem ortus, et tandem sedatus esset: et I. IV. 'Fremitus ortus cum assensu.' Philostratus Sophist. I. II. *βύβρον* inducit ad

assensum, et landem. At Tacitus de Germanorum moribus scribit, illos fremitu indicare, quid displiceat et aspersionem: quid probent, concussione framearum: longe alii, quos jam dedi, et Græci etiam, de quibus Xenoph. *Ἀναβ. V. ταῦτα ἀκούσαντες οἱ στρατιῶται, ἀνεθορύβησαν, ὥς εὖ λέγοι*. ubi milites excitato strepitu indicant, recte dictum. *Cerda*.

*Fremebant*] Testatur hoc verbum assensum. Eo utitur noster x. 96. 'Talibus orabat Juno, cunctique fremebant Cælicolæ assensu vario.' Pro eo Ovid. in indignatione Met. I. 199. 'Confremuere omnes.' *Emmen*.

565 *Tum brevis Dido*] Atqui non brevis loquitur: sed breve et longum, parvum et magnum, perfectum nihil habent: sed per comparisonem intelliguntur: ut supra de provincia: *Est locus*, orbis (ut diximus) comparisonem. Item hoc loco *breviter*, id est, minus quam Ilieneus. Et notandum regum esse breviloquium, accedit etiam fœminarum verecundia, unde utrumque dedit Didoni. *Serv.*

*Breviter*] Potest intelligi propter personam locuturæ mulieris, et sermonem facturæ ad viros incognitos. *Donatus*.

*Vultum demissa*] Nota figura est, ut, 'Oculos suffusa nitentes:' dicendo autem *Vultum demissa*, aliud genus officii adjecit. *Servius*.

*Vultum demissa*] Non solum propter verecundiam muliebrem, verum etiam propter objecta: et eo magis erubescere, quod nec barbara fuit. Artificiose autem non negat, quæ manifesta sunt, sed purgat. *Donat.*

*Vultum demissa*] Erubescens indicium, quod probatur in pudica. Sic de Thetide Stat. Achill. I. I. 'Dixerat. Illa gravi vultum demissa repulsa.' Quod Græci *κατωπιῶν, κατὰ πρὸς*: in impudicis hæc nota certissima, quæ amant loqui recta facie, ut Juvenal. Sat. VI. 400. *Emmeness*.

566 *Solvite corde metum, Teucri*]

Sicut supra Jovis oratio, partim ob-  
jecta purgat: partim petita promit-  
tit: nam in Aëli oratione statim  
promittit. Sciendum sane, quia cum  
petatur, vel promittatur aliqua, a  
validissimis inchoandum est: ut hoc  
loco. Præcipue qui pollicetur, sta-  
tim debet promittere, deinde si qua  
vult subungere, ne expectatione  
suspensus detineatur auditor. Et  
est genus argumenti a necessario.

**Services.**

**Soluto.]** Paucis securos reddit, ut  
cetera libentius audiant. **Donatus.**

*Soluite corde metum, Teucri: secludite curas*] In antiquis plerisque codicibus *metus* legitur, numero multitudinis: et in longe pluribus, *seducite curas*: tamen *secludite* agnoscit Servius. *Pierius.*

*Secundite curas*] Iteratio est ad augmentum benevolentiae: hoc est, ad confirmandum supplicium animam.  
*Servus.*

**Secundite]** Pro *excludite*: quod fit, aut propter hiatum, aut propter snavitatem: ut, 'Ah! silice in nuda con-nixa rellequit:' pro *enixa*. Idem.

567 *Res dura*] Ac si diceret, hoc est, quiddam metuo: formidabat vicinos barbaros, et fratris adventum: quæ propter novitatem personarum, generaliter dicens, reliquit; oportebat ex aliqua parte enuntiari domus calamitatem: vel ideo *res dura*, quod formida est. *Idem.*

*Et regni novitas]* Quæ semper habet timorem. *Idem.*

*Regni novitas*] Errant, qui rem duram, et novitatem regni, mrum putant. Nam rem duram, interitum mariti, et metum fratris intelligit, ne regnum adhuc infirmum invaderet; sed nec expressit, ne narrando, quod Teucros latebat, vulnus antiquum refricaret, et scelus domus suæ detegeret. Consultit etiam Poëta negotio suo, ne quod per Venerem narraverat, iterum ponat. *Donatus.*

**Regni novitas] Et regni novitas**

semper habet timorem et difficultates. Ita Æschylus: *ἄρας δὲ τρεφὲς*  
*δοῖς δὲ νέον κρατὶ.* Pertinet autem  
ad illud: *Quod genus hoc hominum,*  
*quæve hunc tam barbara, &c. Taubm.*

*Cogunt] Expressit, quæ fecisset, esse a sua natura aliena, ut custodia litorum non ad inferendam injuriam, quod conqueritur Ilioneus, sed ad propulsandam posita videatur. Do-  
natus.*

568 *Moliri*] Bene non facere, sed  
moliri: ut terroris sit, non crudelitatis. *Servius.*

669 Quis genus *Aeneidum*] Satis  
propere dixit *Aeneas*: quamquam ab  
Ilioneo audierit, *Rex erat Aeneas no-*  
*bis*. Nec hæc in opere inemendato,  
miranda sunt. Quamvis alii prolep-  
sim velint esse. *Idem*.

**Quis genus?** Ostendit benevolentiam, ut credatur vera dixisse. Ut turbatos, congruæ honorificentiae ratione componeret: Novimus, inquit, virtutes vestras, et adversam Trojæ fortunam: quæ cum dicit, humanitatis spem præbet. Facile enim his succurritur, quorum adversa nota sunt. *Donatus.*

Quis Trojæ nesciat urbem] Ant Ilium dicit, quod in Troja, ant Trojæ urbem, ut urbem Patavi, urbem Buthroti. Servius.

570 *Virtutesque virosque*] Pro vir-  
tutes virorum: ut superius; 'Molem-  
que et montes,' id est, molestos mon-  
tes: ἐν δὲ δῖς. Taubmann.

*Incendia belli*] Aut vocat ardorem simpliciter belli, quia semper diluvio et incendio comparatur bellum: nt, 'In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit: aut rapidus montano flumine torrens:' et alibi, 'Sævis effusa Mycenis Tempestas ierit.' Aut potest subtilius dictum accipi, quod Ilium consummavit incendio. *Servius.*

**Aut tanti]** Antiqui plerique codices, **aut tanti** legunt, pro *et*. Pier.

571 *Non obtusa adeo*] *Multum, vel*

valde, ut in Terentio, 'Adolescentem adeo nobilem.' Et, 'Si adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.' Aut enim non *adeo*, ut tu dicis, ut Trojanorum famam ignoremus. *Obtusa*, non stulta, sed crudelia, ut merito Sol equos suos ab ista urbe divertat. Serv.

*Non obtusa adeo*] Non sunt corda nostra ab humanitate aliena; nec sic vivimus, ut Solis aequitas a nobis avertat cursus suos, propter facinus, quod videat. *Donatus*.

*Non obtusa adeo gestamus pectora Pami*: *Nec tam avernus equos Tyria sol jungit ab urbe*] Ut id præteream, quod in Romano codice, *obtusa* scriptam est, more suo a littera superflua: quodque in Longobardico, et aliquot aliis, *adverus*, non *avertus* legitur, contra peritorum omnium sententiam: id me magis movet, quod ad explicationem sententiæ, hæc mihi videntur considerata. Quæ gerantur in aliqua orbis parte, triplici potissimum de causa solemus ignorare. Aut quia res ipsæ, vel earum auctores, ob humilitatem, non satis digni sint, de quibus aliquis sollicitus esse debeat: aut quia tam stupido et obtuso ingenio sumus, ut nos mortalia non tangant: et res gestas, magna quantumlibet admiratione dignas, negligamus: aut propter locorum longinquitatem: unde fiat, ut ad nos fama nondum pervenire potuerit. His omnibus occurrit Dido, quum dicat neminem jam esse, qui genus *Æneadam*, qui *Troja* noverat urbem: quantaque virtute viri illi præditi fuerint, et quam late belli ejus incendium se diffuderit. Mox subjungit, se corde præstare, et eo valere ingenio, ut res mortalium perpendere potuerit: idque illud est, *Non obtusa adeo gestamus pectora Pami*. Quod vero tertio loco expetitur, de locorum interapedine, addit Tyrum, ubi se postea de Trojanis audisse dicet, Toveo narrante: non esse ita in extremis terre partibus sitam, nec

tam a circulo, quem sol ambit, vel a Trojano parallelo sepositam, ut propter immensa locorum intervalla fama tantarum rerum eo pervenire nequiverit: eoque spectat versus ille, *Nec tam avernus equos Tyria sol jungit ab urbe*. Hæc memini M. Antonium Sabellicum, præceptorem meum, ex Veneta cathedra docuisse. Ne tamen, etsi ea placeant, Servii sententiam rejiciamus, Ovidii monet Parodia, qui in eandem sententiam dixerit in amoribus, 'Aversumque diem mensis furialibus Atrei.' Quem enim diem posuit Ovidius, Maro solem apertius nominavit. *Pierius*.

*Non obtusa adeo, &c.*] Non ita crassa nobis sunt ingenia: nec adeo obtusi et hebetes ignarique sumus. Obtusiores enim putantur esse, qui longius ab aura Solis et tepore incolunt: ut populi septentrionales. Quod annotarunt Corradus, et Turneb. xviii. 82. Quibus assentiuntur hodie docti fere omnes. Philosophi certe gentium mores et studia ubique temperie plagarum et Sole metiuntur. Ita et Lucanus: 'Quicquid ad Eos tractus mundique teporem labitur, emollit gentes clementia cæli.' Quamvis hæc Philosophorum sententia possit velliari. Servius vero cum Donato, *obtusa pectora*, interpretantur non *stupidia*, sed *crudelia*: referuntque ad fabulam de Atreo et Thyesta: quorum hic filios fratri epulandos apposuit: quod facinus Sol abominatus, ne pollineretur, aufugit. Quam sententiam, quia ad confutationem obsectorum faciat, tolerari posse, Nasimbænius censet: alteram tamen illam meliorem esse. Jacob. etiam Pontanus Jesuita, præfert Servii sententiam: ne Poëta binis versibus idem dicat. Denique J. C. Scaliger iii. 26. illum versum, 'Non obtusa adeo,' &c. quasi sententiam laudat. Et v. 16. alterum; 'Nec tam avernus equos,' &c. imaginem quandam esse ait illorum Statii Thebaid. s. 'quid



nota recondis? Scimus, ait: nec sic aversum fama Mycenis Volvit iter.' *Taubmann.*

572 *Nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe*] Hoc est, Non in alio orbe habitamus. Sed fabula hoc habet: Atreum et Thyestem germanos, cum in dissensione sibi nocere non possent, in simulatam gratiam rediisse: qua occasione, Thyestes cum fratris uxore concubuit; ob quam causam Atreus fratris filium adposuit epulandum: quæ Sol ne videndo pollueretur, radios suos ab ea civitate detorsit. Sed veritatis hoc est: Atreum apud Mycenæ primum Solis eclipsim invenisse, cui invidens frater, ab urbe discessit, tempore quo ejus probata sunt dicta. *Servius.*

573 *Seu vos Hesperiam magnam*] *Μεγάλη* enim *ἑλλάς* appellata est Italia, quia a Tarento usque ad Cumas, omnes civitates Græci condiderunt. *Servius.*

*Seu vos Hesperiam*] Prosequitur summam beneficiorum suorum: propositis respondet, ut, quocunque ire voluerint, auxilio prosequatur. *Don.*

574 *Sive Erycis fines*] Eryx Veneris et Butæ filius, ut quidam Nep-tani, fuit: qui præpotens viribus, advenas cestibus provocabat, victosque perimebat; hic ab Hercule occisus, monti ex sepultura sua nomen imposuit; in quo matri fecerat templum: quod *Æneæ* adscribit Poëta, dicens, 'Tum vicina astris Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri.' In hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus: licet secundum Catonem ad Italiam venerit. Ergo *Erycis fines*, id est, Siciliam. *Servius.*

*Sive Erycis fines*] Eryx, Veneris et Butæ filius; qui occisus ab Hercule monti ex sepultura nomen imposuit: in quo matri ingens templum condiderat: quod Poëta *Æneæ* adscribit *Æn.* v. Unde et Venus dicitur *Erycina*: Atque in hoc Siciliæ monte Anchises etiam sepultus traditur.

Hodie ab incolis *Mons S. Juliani* appellatur. *Taubmann.*

575 *Auxilio tutos d.*] Non sine ordine Poëta inducit Didonem, et credentem ignotis, et tam facile tanta promittentem; si enim bene advertatur, de illo loco pendet, 'Inprimis regina quietum Accipit in Teucros animum mentemque benignam.' *Serv.*

*Auxilio tutos*] Benignitate sua Trojanorum petitum atque adeo omnem spem superat. Nam cum illi hospitium extremi tantum litoris petissent, et materiam sarciendæ classis: Dido ad summam usque liberalitatis quasi lineam excurrrens, et auxilium hominum et opes ultro ipsis pollicetur, si velint abire: sin manere, usum ditioris suæ communem, immo ipsius urbis, quam sibi edificabat, possidendæ facultatem offert. Cave autem pates, Trojanos in regni societatem a Didone vocatos: quod vult Donatus. Namque hoc nec verisimile est, nec fieri solet: cum regnum duos non capiat. Quanquam id in *Ænea*, l. iv. legatur fecisse: '*Æneam* regni demens in parte locavi.' Sed locavit ibi, ut maritum. Nunc vero non est tam demens, ut multos, eosque non plane cognitos, in regni portionem vocet. *Taubmann.*

576 *Vultis et his mecum*] Deest, vel si. *Servius.*

*Vultis*] Ecce plena benevolentia, ut in societatem regni eos vocet, qui omnia desperarint. *Donatus.*

*Mecum pariter*] Ita Cic. Verr. septima: 'Siculi mecum pariter moleste ferunt.' *Taubmann.*

*Considere*] Ita in iv. 'Nec venit in mentem, quorum conserderis arvis.' Propertius eleg. i. 8. 'Athræcis consadat in oris.' *Cerda.*

*Vultis et his mecum pariter considerare regnis*] Missum facio *considere* in codicibus aliquot antiquis scriptum, quod parum est in tantis pollicitationibus. Nam *considere* omnino quid longe majus pollicetur. Id potius

adnotandum, quod in Romano codice, non *regnis*, sed *terris* legitur. Nempe quod nonnulli pertinacius defendunt, ad asperitatem evitandam, quæ est in concursu *re*, syllabæ geminæ. Sed hoc etiam parum esset: quia potius viderentur in servitutem addicti: neque ille concursus uniformis syllabarum in *re* præsertim literis duobus ultimis pedibus declinatur a Poëtis: ut, 'Avertere Regem.' 'Toto certatum est corpore regni.' 'Loricamque manu valida lacerare revolsam.' Neque enim numero comprehendere refert, et sexcenta huiusmodi. Dicendo vero *regnis*, societatem pollicetur, ut proclivius eos alliciat promissorum magnitudine: nam et Iarbas inferius lamentabitur sua connubia repudiata, ac dominum *Æneam* in regna receptum, et ipsa etiam objiciet Dido, *ejectum litore, regentem Suscepi, et regni demens in parte locavi*. Quare omnino *considerare regnis*, legendum. *Pierius*.

577 *Urbem quam statuo, vestra est*] Multi Antiptosis volunt, accusativum pro nominativo, ut sit *urbs quam statuo*; quæ si sic intelligamus, *Quam* nihilominus sequitur: et sylepsis fit, per casus mutationem. Debuit enim dicere, *urbs, quæ statuitur, vestra est*. Melius ergo est *Vultis* bis intelligere, ut sit, *vultis regnis considerare? vultis Urbem quam statuo? vestra est*: ut est, 'Ernet ille Argos Agamemnoniasque Mycenæ, Ipsumque Æacidem:' subaudiis ille. Alter enim Pyrrhum videt: alter Mycenæ. Quamvis hoc Schema de antiquioribus sumptum possimus accipere; ait enim Cato in legem Voconiam, 'Agrum quem vir habet tollitur.' Et Terent. 'Eunuchum quem dediisti nobis, quas turbas dedit.' *Servius*.

*Vestra est*] Auget studium benevolentie, offerens plenam facultatem possidendæ urbis. Lege autem, ne sit error: *Quam statuo urbem vestra est*. *Donatus*.

*Urbem quam statuo, vestra est*] Quidam corruptas editiones et Diomedis opinionem secuti, afferunt hoc tanquam certissimum Antiptosis exemplum: ut sit, *Urbem pro Urbs* positum. Cum tamen doctiores quique per interrogationis notam hæc ita conforment: *Urbem, quam statuo? vestra est*; ut sit ζεύγμα, a superiori versu connectens sequentem: et, *Vultis*, bis repetatur, hoc modo interrogans: *Vultis mecum regnis his considerare?* immo, *Vultis urbem, quam statuo?* Deinde respondeat; *vestra est*. Proinde ac si diceret: si vultis considerare in illa ipsa urbe, quam ædifico, vestra est, atque ita legit hæc et explicat, præter cæteros, eruditissimus Donatus, in Phorm. Ter. act. v. sc. 8. atque ipse adeo Servius. Videatur et G. Fabricius, et Disputatio H. Stephani in Schediasm. Virgiliano. Facit autem Poëta Didenem hic vaticinantem; Carthaginiem Romanis cessuram: quod a Trojanis originem duxerunt. *Taubmann*.

*Quam statuo*] Eodem verbo utitur Ovid. Met. vii. 240. 'Statuoque aras e cespite binas.' *Emmeness*.

578 *Tros Tyriusque*] Miro temperavit, dicens, Trojanos cum incatis uno futuro affectu, ut honorifica juxta hospites, non illos postponeret. Neve rursus dejiciens suos, qui ex Tyro illam secuti erant, inter populos inimicitias excitaret. *Donatus*.

*Agetur*] Regetur. *Servius*.

*Agetur*] Id est, regetur: ita Servius, Corradus, H. Stephan. aliique. Vult igitur ipsa esse illorum Regina, non eis regni partem tradere. Etiam Græci τὸ ἄγαν sic accipiunt. Plato: ἄγαν ἐν τῷ τιμῇ. ἄγαν σεμνότερον ὅπως, vos præ altis honore: et, διὰ τιμῆς ἄγαν: Pimponcius. *Æneid*. x. 'Tros Rutulusve fuit, nullo discrimine habebo.' *Taubmann*.

579 *Atque utinam*] Dicendo *utinam* et humanitatem suam ostendit, et *Æneæ* se cupidam. *Servius*.

*Atque utinam*] Quia viderat Trojanos anxios de rege, optat adventum, et offert inquisitionis auxilium, et ut satiare oblati beneficii gratiam, addit: *Libya lustrare extrema jubebo*. Et in hoc loco ostendit Virgil. non solum Carthaginem, sed multas alias civitates esse sub Didone. *Donatus*.

*Noto compulsus eodem*] Aut quovis vento: aut revera Noto, qui de Syrtibus Carthaginem ducit. Supra enim Ilionens; 'In vada cæca tulit, penitusque procacibus austris.' *Servius*.

*Eodem*] O naturaliter longa est: sed si corripiatur, metri est, ut, 'Steteruntque comæ.' *Idem*.

*Compulsus*] Notat hoc verbum vim tempestatis. Adpelluntur, qui ad loca destinata perveniunt: impelluntur, vel compelluntur, qui non voluntate sua ac sponte adpelluntur, sed tempestate deferuntur, ut *compulsi* greges, id est, in anum coacti. Vide *Salmas*. Exercit. *Plinian*. p. 1117. *Emmenes*.

580 *Adforet*] Adveniat, temporis est futuri. *Servius*.

*Equidem*] In Virgilio, *ego quidem* ubique significat, sed in aliis et pro *quidem* tantum ponitur: ut *Tullius*, 'Ego quidem cæteras tempestates.' Item *Persius*, 'Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo Consentire dies.' *Idem*.

*Certos*] Aut veloces, qui cito inveniunt, aut fideles. Utramque enim hoc loco significat. Contrario, *incertos* pro *tardis*. *Salustius*, 'Et onere turrium incertis navibus.' Aliquando et firmos: ut *idem*, 'Apud latera certos locaverat:' ut *Virgilius*, 'Tam certa tullistis Pectora.' Et aliquando deliberati judicii, ut, 'Certus iter.' *Idem*.

*Certos*] Quibus unum tantum incumbebat negotium investigandi *Æneæ*. Videndus *Hadrianus Cardinal*. de Lat. serm. qui *Ciceroni* familiare probat hoc vocabulum esse. *Emmen*.

581 *Libya lustrare*] *Καταχρονιστός*. Nam *Dido* *Libyæ* regna non retinet,

sed ut ostendat voluntatem, ait, libenter se misisse qui *Æneam*, quærent.

582 *Ejectus*] *Naufragus*: ut, 'Ejectum litore, egentem.' *Idem*.

*Urbibus*] *Vicinis*, non autem *Didonis*. Neque enim regna *Libyæ* tenebat *Dido*: quod ei exprobat *Hiarbas*, *Æn.* iv. 'Fœmina, quæ nostris errans in finibus urbem *Exiguam* pretio posuit.' *Taubmann*.

583 *His animum*] Cum jam omnia tuta esse explorassent, statuunt se offerre, ne illa inquirendi negotium assumat. *Donatus*.

*Animum arrecti*] Nota figura est. *Servius*.

*His animum arrecti*] *J. C. Scaliger*: *Arrecti* potius dixit, quam *Erecti*. Tantum valet tum *Vocalis* illa, tum geminatio *Consonantis*. Ita supra, 'arrectis auribus adstant.' et *Æn.* ii. 'Arrecta pectora serpentum.' *Taubman*.

*Et fortis Achates*] Venuste geminatur copula *Et*. *Idem*.

584 *Pater Æneæ*] *J. C. Scaliger* v. 3. Quod *Virgilius* *patrem* vocat *Æneam* multis in locis: id eo modo faciat, quo dictum est cognomen *Jovi*: quippe *Jovem Patrem* sunt venerati: propterea quod (ut ait *Porphyrus*) ad eum omnes familiæ referrentur: sic *Æneam patrem* vocat, qui *Romanorum principium* esset: quod et manifestius *Æn.* xii. 'At pater *Æneæ* *Romanæ* stirpis origo.' Præterea cum in *Augusti* gratiam conderet *Opus* istud; voluit ejus quoque acta attingere. Idcirco in *Clypeo* multa: et in i. et in vi. et in iii. illud, 'Actiaque *Iliacis* celebramus litora ludis.' Et scimus, ejusmodi cognomen adacivisse sibi. Legimus etiam in numismate, quod habemus, *AUGUSTUS PATER*. Ita vides, nullum epitheton in nostro Poëta otiosum: cum *Homeri* sæpe sint frigida, aut puerilia, aut locis inepta: quid enim convenit *Achilli* flenti, *ῥόδῳ ἑκός*? Hæc ille. *Xenophon*: *Βοῦς*

*Cyros, bonus Princeps nihil differt a bono Patre. Idem.*

*Jamdudum]* Et cito, vel quamprimum significat, ut, 'Jamdudum numite pœnas.' et olim: ut hoc loco. *Servius.*

*Jam dudum erumpere nubem]* In codicibus aliquot antiquis, *abrumpere* legitur. Sed quia consilium est ex obscuro clausoque loco in apertum et clarum prodire, magis placet *erumpere*, ut in Mediceo, et plerisque aliis. Signant vero Grammatici elocutionis genus, quum accusativus jungitur verbo, cui sit coalita præpositio, quæ ablativum sejuncta sibi deposcebat. *Pierius.*

*Erumpere nubem Ard.]* Erumpere e nube: rupta nube exire ardentissime cupiebant. Ita active et Tibullus: 'Fontibus ut dulces erumpat terra liquores.' Et Cic. ad Attic. 'Ne in me stomachum erumpant.' Alii l. *abrumpere.* Taubmann.

585 Prior Æneam] Τὸ πρῶτον. Minor majoris sententiam quærit. *Idem.*

586 Nate dea] Quia inferior, non proprio nomine appellat, sed honorifico. Et quamvis prior loquatur, nihil jubet, aut consulit. Sic enim Æneæ prudentia inferior fuisset, et ille arrogans, sed interrogat tanquam prudentiorem. *Donatus.*

*Nate dea]* Periphrastice Æneas dicitur. Sed nescio quid majus concipi videtur! inquit Scal. III. 77. *Taubm.*

*Surgit]* Oritur. Est translatio corporis ad animum: ut alibi, 'Stat conferre manum Æneæ.' *Servius.*

587 Omnia, classem sociosque receptos] Sylepsis per numeros. *Idem.*

*Receptos]* De maris periculo liberatos; ut, 'Frugesque receptas.' vel a Didone, nam et ab ea timuerant, ut supra ait, 'Lætitiæque metuque.' *Idem.*

*Omnia tuta vides]* Ne prolixitate moram afferret, quam breviter omnia transiit. *Donatus.*

588 Unus abest] Orontem signi-

ficat. *Servius.*

*Unus abest]* Orontes ductor classis Lyciæ, supra; 'Unam, quæ Lycios,' &c. *Taubmann.*

*Quem vidimus ipsi Submersum]* Quod ante doloris fuerat: ut, 'Ipsius ante oculos.' nunc consolationis est, cum cernit omnes incolumes. *Servius.*

589 Dictis respondent cetera matris] Modo congruunt: quia dixerat supra, 'Namque tibi reduces socios.' Alibi respondet, respicit: ut, 'Respondet Gnosis tellus.' *Idem.*

591 Scindit se nubes] Nubes tantum dicimus, non nubis: licet dicamus *traba, trabes: stirps, stirpes; prex, preces; plebs, plebes.* Sed hæc de his tantum quæ legimus sunt ponenda. Non enim sunt artis ista, sed usurpationis: qua metri causa utuntur Poætæ, ut vel minuunt, vel augent nominativum. Inde et *supellex, supellectilis.* *Servius.*

*Scindit se nubes]* Non ipsi ex nube progressi sunt, sed nubes discessit: ut ostendatur rerum natura commodis Æneæ inservire. Ergo tam diu fuit teetus, quamdiu opus fuit, deinde discessit nubes. *Donatus.*

*Scindit se nubes]* Od. H. καὶ τότε δὴ β' αὐτοῖς πάλιν χέρο θάλασσαν ἀήρ. Videtur autem Poëta δμίχλην potius quam νέφος describere, si rata est differentia, quam inter nubem et nebulam Meteor. I. I. constituit Aristot. nebula serenitatem, eodem auctore, portendente, his verbis: ἐστὶ δ' ἡ μὲν ἐξ ὕδατος ἀναθυμίασις, ἀτμῆς, ἡ δ' ἐξ ἀέρος εἰς ὕδωρ, νέφος· δμίχλη δὲ νεφέλης περίττωμα τῆς εἰς ὕδωρ συγκρίσεως, διὰ περ σημεῖον μᾶλλον ἐστὶν εὐδίας, ἢ θάλασσης. ἐστὶ γὰρ ἡ δμίχλη ὁλοὺ νεφέλης ἄγανος. *Germanus.*

*Et in aethera purgat a.]* Quia aër collectus nubes fecit: ut, 'Atque in nubem cogitur aër,' quæ puriore vento dissolvitur in aërem. *Servius.*

*Et in aethera purgat apertum]* J. C. Scaliger hoc additamentum appellat divinum, v. 9. ubi totum hunc lo-

cum cum altero Ulyssem VII. et XXIII. componit, atque adeo præponit; ut et illum præcedentem, ubi Venus Æneam a Punica perfidia tegit: 'At Venus obscuro gradientes,' &c. Jam, apertum Nonius interpretatur *purum serenumque*. Taubmann.

593 *Restitit Æneas*] Abecedente scilicet nube. *Servius*.

*Restitit*] Ut dictum est, sed pulchrior quam fuit. Nam hoc curavit mater propter Junonia auspicia. Comparat auro et argento, quæ cum per se splendeant, arte tamen meliora fiunt. Comparat deo, quia nepos Jovis est et Veneris filius, et Cæsaris perinde affinis, quem omni occasione Poëta laudat. Virorum autem forma et splendor corporis junguntur fortitudini. Pulchritudo enim sola plurimorum obfuit famæ. *Donatus*.

*Restitit*] Idem quod simplex. Phædrus Fab. I. 14. 'cervus cum bibisset restitit.' Scefferum adi. *Emmeness*.

*Claraque in luce refulsit*] Laus est nimis pulchritudinis, cui nec lucis claritas derogavit. *Servius*.

*Claraque*] Dicit Æneam splendore suo, lucem diei fecisse meliorem. *Donatus*.

593 *Os humerosque Deo similis*] Similes humeros habens deo. Et est Græca figura: ut diximus supra. *Servius*.

*Humeros*] Ad fortitudinem. *Donatus*.

*Os humerosque Deo similis*] Labet hic adnectere verba Isidori, l. cap. 10. 'Pulcher a specie cutis dictus, quod est rubens pellis' (quam hoc verum, non quæro) 'postea transiit hoc nomen in genus. Nam pulchritudo hominis aut in vultu est, ut: *Os humerosque Deo similis*: aut in capillis, ut: *Namque ipse decoram cæsariem*: aut in oculis, ut: *Luctos oculis adflarat honores*: aut in candore, ut: *Quale manus addent ebori decus*.' Subjicit alia. *Cerda*.

*Os humerosque Deo similis*] Id est, oris venustate, et humerorum latitu-

dine: ut *Æn. II.* Et hæc similitudo illius est generis, quod Græcis *εικας* dicitur. *Taubmann*.

*Os humerosque, &c.*] *Os* pro *facie*, hoc loco, ut Non. Marcell. c. 15. quantum humeri ad formam conferant docet Junius de pictura veterum l. III. p. 278. *Emmeness*.

*Ipsa*] Aut quod sequitur, *Nato genitrix*: aut certe ipsa, id est, pulchritudinis dea. *Servius*.

*Namque ipse decoram*] Ad pulchritudinem pertinet. *Donatus*.

*Decoram Cæsariem*] A cadendo dicta *cæsaries*. Ergo tantum virorum est. Quod autem dicit *decoram*, vult etiam in Ænea naturalem fuisse pulchritudinem: ne si totum tribuat Veneri, nihil Æneæ sit reliquum: vel contra, nihil relinquatur matris favori: quod sequens melius indicat comparatio: ut Horatius, 'Fortes creantur fortibus.' Magna arte, nec eruditioni aliquid, nec natalibus derogat. *Servius*.

594 *Cæsariem*] Volunt aliqui (in his Turneb. et Jul. Scalig.) representatum a Poëta morem veterum Romanorum, quibus promissa coma. Morem istum firmabis ex Ovid. Fast. II. qui 'avos intonsos,' ex Horat. od. II. 15. qui, 'intonsi Catonis.' De eodem Catone Lucanus l. II. 'Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore Cæsariem, deoque admisit gaudia vultu. Ut primum tolli feralia viderat arma, Intonsos rigidam in frontem descendere canos Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.' Audis in Lucano, promissam quoque solitam barbam. Cui adnecte Livium l. V. 'M. Papirius dicitur Gallo barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso, iram movisse.' Eadem scribit Valer. Max. l. III. Sed redeo ad comas, quæ promissæ decori olim fuerunt: ad quam rem facit Apuleji locus, A. l. II. quem advocarem, nisi esset longissimus. Ex Artemidoro

L. 19. clare colligas, id regibus et principibus ornatui fuisse: sicut ex Philosophis, ex Dione Chrysost. orat. 36. Nam prior ait, bonum esse regi ac principi, si somniet habere se *τῆρας μεγάλας*. A posteriore inducantur Philosophi, *κοιμῶντες, καὶ τὰ γίνεσθαι ἀφῆκοντες*. Quando primum Romani desiderint esse intonsi, lege in Plinio, VII. 59. Sed cum dicat Scaliger, *cæsariem* esse rem militarem, firmabis hoc his, quæ dicam Æn. VIII. hic tantum accipe verba Livii l. XXVIII. in descriptione P. Scipionis: 'et præterquam, quod supapte natura multa majestas inerat, adornabat promissa cæsaries, habitasque corporis, non cultas munditiis, sed virilis vere, ac militaris.' Sed quid, si etiam representatus mos ipsorummet Trojanorum, cum scribat Herodotus l. IV. Maxyas (sunt hi populi Libyæ) solitos nutrire comam, saltem ad partem dextram capitis, nam sinistram radebant; et addit moris hujus rationem, quia prædicabant, esse se a Trojanis oriundos. *Corda*.

*Genetrix*] In Romano codice, *genetrix* media syllaba per *e* passim scriptam invenias. Eandem scribendi rationem in titulis antiquorum, marmoreisque monumentis non semel observavi, quin etiam in nummis, qui fuerint eruditis adhuc sæculis cussi, utpote *Julia Pia*: ubi Venus est leva hastæ innixa, dextera exportrecta cum inscriptione *Venus genetrix*. Romani enim genus a Venere propter Æneam, ejus filium, se ducere asseverabant: et Julia gens, condente dicanteque Julio Cæs. templum erexit *Veneri genetrici*: quod Plinius et Tranquillus tradidere. Vidimus autem Romæ scriptum, *genetrix* per *e*, non uno loco, in eo vero monumento maxime placuit, quod in hortis Caroli Stallæ habetur undecunque mutilatum: cujus quidem eam partem tantum, quæ ad rem,

qua de loquimur, facit, hic inseruasse sufficiat:

PATER MEI ET GENETRIX  
GERMANA ORO ATQ O  
DESINITE LVCTV QUESTV LA-  
CRVMAS FUNDERE  
SEI IN VITA JVCVNDV VOBES  
VOLVPTATEI FVEI  
VIRO ATQVE AMEICEIS NOTE-  
ISQUE OMNIBVS.

Ne vero quis hujusmodi ascriptiones, ut jam obsoletas, exigit, animadvertendum est Probum Grammaticum non temere observasse, *genitor* per *i*, et *genetrix* per *e* scribi: non ita autem in *Monitor* et *Monitrix*, quorum utrumque per *i* scribi constet. *Pierius*.

*Juventa*] *Juventus* est multitudo juvenum. *Juventas* dea ipsa: sicut Libertas. *Juventa* vero, ætas: sed hæc a Poëtis confunduntur plerumque. *Servius*.

*Juventa*] Omnis venustas a Venere profisciscitur, sine qua nec *Juventas* nec *Mercurius satis comis*, teste Horatio od. I. 30. sed non pro Dea, quæ *Hebe* etiam nominatur, et expressa numismate Augustin. tab. 45. at hic pro *ætatis flore* positum arbitror, de qua notione adendos Torreat. ad Horat. loco citato. *Emmenes*.

696 *Purpureum*] Pulchrum, ut Horatius, 'Purpureis ales oloribus.' *Servius*.

*Lumenque juvenæ Purpureum*] Nempe et Pind. Nem. od. Z. *ἀγλαόγυιον ἤβαν* vocat. Quod autem hic *Servius lumen juvenæ purpureum* pulchrum simpliciter interpretatur ex illo Horatii, quo olores purpurei dicuntur: certe specialius accipiendum videtur: cum color et juvenæ lumen fere pulchrum sit; quod rubens et rubicundum subluceat: unde et *ἤβη* et *ἀφροδίτη* passim *ἰρυθροπόδης* et *φαινοκοπόδης* vocitatur: et in Epigr. puella *μυρτοπόδης* et Anacreon pictorem admonet Bathylli genam et faciem referre et depingere his ver-

his: *ποσειδῶν δ' ὀπὸν μέλινον χρύσειον πολεῖν παρῆνεν, ἐρύθημα δ' ὡς ἂν αἰδοῦς θύνασαι βαλεῖν, ποίησεν. Germanus.*

*Purpureum]* Pulchrum: locum Horatii illustrat Torrentius od. i. l. a Servio monstratum, et Erythræus in indice: in eo significatu habuimus Ge. i. 405. 'Et pro purpureo penas dat Scylla capillo.' Albinovanus: 'brachia purpurea candidiora nive: quam notionem probat Tarnab. xv. 22. et xxvii. 10. *Eumeneus.*

*Latos honores]* Non terribiles, ut esse in viris fortibus solent. *Servius.*

*Latos oculis affl. honores]* Oculos sedem amoris Poëtæ faciunt: et ob id *Cupidinis fores* appellant: deque iis fluere dicunt *ῥυεσθαι*. Est autem *ῥυεσθαι* desiderium amatorium: item illud in oculis, quæ intuentiam amor conciliat; quod amoris illicium, et *oculorum philtrum* dicitur. Docet autem Philostratus in Heroic. Æneam talem adaspectum habuisse; ut eo milites, qui locum desererent, retineret. Ita Sæton. de Augusto c. 79. 'Oculos habuit, claros et nitidos: quibus etiam volebat existimari inesse quiddam divini vigoris.' Denique notatur a Servio, Reges semper formosos describi; ut dignitas et auctoritas magis ad sui contemplationem observantiamque alliciat. Videatur et Jovian. Pontanus lib. de rebus celestibus: ubi hos versus laudat, et inter cætera ait, Jovem in forma efficere dignitatem, Venerem autem *ernustatem*: quarum hanc pulchritudinis speciem Cic. Offic. i. muliebrem ducit, illam virilem. Taubmannus.

*Latos honores]* *Latos*, id est, gratia plenos, interprete Non. Marcell. qui *ἔνθεον διαφαίνονται*, vel ut Scipione Sil. Ital. 'flagrabant lumina miti Aspectu, gratusque inerat visentibus honor.' Sæpe *honor* pro nitore et pulchritudine, ut passim *florum, ruris, silvarum honores*. sic Horat. de art. v. 243. 'Tantum de medio sumtis acce-

dit honoris.' Sic Stat. Thebaid. l. xv. 'Quantas honos,' id est, pulchritudo: et Sil. l. ii. 'gentis Optatus honos.' *Eumeneus.*

596 *Manus]* Vel artificis: vel ars ipsa. *Servius.*

*Quale manus]* Egrege manus pro artifice, et exquisite. Homerus simpliciter *χρυσὸν περιχέβεται ἀργύρεον ἄλγος* obvium ἄλγος, non manus: obvium *περιχέβεται*, non, *addunt decus*. Ita censuit jam Scalig. Posuisse vero Virgilium *manum* pro artifice illustrari potest versu Martialis epig. ix. 60. 'Pocula Mentorea nobilitata manu.' *Cerda.*

*Addunt]* Bene *addunt*, quia et ipsa materies habet naturalem pulchritudinem. *Servius.*

*Ebori decus]* *Ebur*, a *barro* dictam, id est, elephanto: ut Horatius, 'Quid tibi vis, muller nigris dignissima baris?' Sane naturam hujus nominis, nec derivatio, nec obliqui casus reseruant. Et *eboris* enim facit, non *eburis*: sicut *murmuris*. *Idem.*

597 *Parissus lapis]* Lapis *Lydinus* nomine, qui apud Parum nascitur, et candidissimus est, ut in seq. x. 'Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum.' *Idem.*

*Parus lapis]* Fuit in pretio hic lapis ad res similes. Pausanias in Attic. simulacrum Veneris exhibet ex hoc lapide, opus Phidiæ. Apulejus Dianæ as. ii. 'Lapis Parus in Dianam factus, &c.' Omitto loca alia, observata in Cedreno, Philostrato, Libanio. *Cerda.*

598 *Tum sic]* Quid est *sic*? Et sui gratia præpotens, et matris auxilio. *Servius.*

*Tum sic]* Debit loqui prior, ut et se indicaret, et ageret gratias, et ut ostenderet se affinis. *Donatus.*

599 *Inprociis]* Bene, quia majora nobis, et pulchriora solent videri, non paulatim aliqua, sed subito stupenda conspiciere. *Servius.*

*Inprociis]* *Ἀνδρογύρος. Germanus.*

*Corum, quon queritis, edum]* Hoc loco distinguendum. Nam si unus esset, *Ades* diceret, non *edum*. *Corum* nominis ad personam, ut *corum* vis: *Palam* ad omnes referri voluit; ut, *palam* omnibus. Varro, '*Corum*, de presentibus nobis, *palam*, de absentibus dicit.' Sane *corum*, quidam ad verbum putant, quia non subsequitur casus: quidam prepositionem loquuntur, non casibus servitorem. Servius.

*Corum]* Uno verba omnibus respondet, ut properaret ad gratias agenda. *Donatus*.

*Corum, quon queritis, edum]* Sic et Ulysses ex improvise se subdicit prodit Od. 6. *ἔδω μὲν δὲ δὲ σὺν ὅλοις ἐγὼ καὶ πολλὰ παρήμεν*, 'Hædow edum sy troy es parhēma yaiw. Germanus.

*Corum, quon queritis, edum]* Silius l. ii. non satis Poëtam expressit, cum cecinit, 'Has inter species orbatam classe, suisque, Æneam pulum pelago, dextraque precantem Carnore erat: fronte hunc avidè Regina serena Infelix, ac jam vultu spectabat amico.' *Cervus*.

600 *Ereptus]* Liberatus: et utitur Poëta familiaris hoc verbo: 'Eripe me his, invicte, malis.' Et, 'Eripui, fateor, letho me.' *Servius*.

601 *O sola]* Propter Polymnestoris factum: qui fide violata, defecit ad Græcos. *Idem*.

*Sola]* Laudat factum, quod sit sine exemplo; et occulte miratur inventam ibi requiem, unde periculum fuisset timendum: causas adventus, quia Ilioneus dixerat, præterit. *Donatus*.

*O sola infandos]* Summa arte loquitur, et habet rationem loci, temporis, et personæ. Loquebatur Carthagine, urbe inimica, propter Junonem, et in templo ipsius, apud eam quæ summam teneret imperii, et eo tempore, quo post naufragium terras cupiebat. Ergo nihil de Junonis factione con-

*Delph. et Var. Clas.*

queritur est: gentis agit, nullum culpam. *Idem*.

*Minerva]* Et *minervæ* et *minervæ* unum significant: sed *minervæ* accretivum regit, ut hoc loco: item: 'Nec *minervæ* amantem est.' *Minervæ* genitivum. Unde est, 'Minervæ animi non digna forentis:' et facit participium *minervæ*. *Serv.*

*O sola infandos]* Oratio generis demonstrativi. *Cajus* arctifidus dicitur ex *Endolpho Agricola*. *Mendak* et *J. G. Sculig. Poët. l. xi.* Sed *corum*? cum *ipsum* videtur, ut *corum* etiam *Euripides* vocat, *Venus* passim, *Apollo* *En. vi.* *Helenus* *En. iii.* item *Acastes*, atque alii *autorelli* sint. Respondetur: illi fuerunt aut dii, aut propinqui. *Dido* autem *sola*, scilicet et inter mortales, et alienos. *Sch. Corradus* plures affert rationes: sed hæc mihi pollentior visa est. *Taubmann*.

602 *Quæ nos reliquias Danaum]* Pro *Danaorum*. Si *Trejanos* significat, simpliciter intelligit: si ad se refert: quod *Achilleum* evasit favore *Neptuni*. *Servius*.

*Quæ nos reliquias Danaum]* Reliquias terre, reliquias maris. *Danaum*, quia infiniti perierant, et urbs ceciderat. *Donatus*.

*Terraque marique]* Terra; propter Cretensem pestilentiam. *Maris*; propter *Orontis* interitum. *Servius*.

*Terra]* Propter pestem Cretensem, quæ multi perierant. *Donatus*.

*Marique]* Quia naufragio *Orontes* perierat. *Idem*.

*Terraque marique]* Ita supra; 'Multum ille et terris jactatus et alto.' *Taubmann*.

603 *Omnibus exhaustos]* Sic Veteres dicebant *clade haui*, id est, perituli. *Servius*.

*Casibus exhaustos]* Ostendit inopiam non esse originalem, quam adjecta personæ, sed fortunæ violentia provenisse. Docet, quæ sint evadenda in

*Virg.*

7 M



laudibus. Nam imparem se in reciproci beneficiis, ut debuit, demonstrat. Invenit tamen in hoc occasione, a laudis officio non alienam, qua multitudine quoque Trojanorum laudaret, qui per orbem sparsi, exigui in numero Carthagine erant. *Donatus.*

*Casibus*] Supra: 'tot casibus actos.' *Taubmann.*

*Omnium egenos*] *Eget*, honestius genitivo jungitur, quam ablativo; cui jungit Cicero, ut, 'Eget ille senatu.' Item contra Virgilius, 'Quorum indiget usus.' Quidam autem *egenos* pro *egentes* dictum tradunt, nomen pro participio. *Servius.*

*Omnium egenos*] Vide supra: 'sic nam fore bello,' &c. *Taubmann.*

604 *Urbe, domo, sociis*] Hoc est, publico et privato dignaris hospitio. *Servius.*

*Urbe, domo*] Currit per amplificationem, extollens præstitum in majus, ut non solum in hospitium suscepti sint, sed etiam in societatis fœdera vocati. *Donatus.*

*Grates persolv.*] Beneficia Didonis artificiosè exaggerans, suas vires facultatesque, et cunctorum adeo Trojanorum, extenuat; statimque κατ' ἐμφύλην, deos δαίμονας ἰδὼν precatur, ut ipsi eadem velint compensare. *Taubmannus.*

605 *Non opis est nostræ, Dido*] *Opis*, id est, possibilitatis. Et secundum Attejum Philologum, *Opes* numero tantum plurali, *divitias* significant: ut, 'Trojanas ut opes.' Numero vero tantum singulari, *auxilium*. Terentius, 'Juno Lucina fer opem: serve me obsecro.' Ab utroque possibilitatem. *Servius.*

*Non opis est nostræ*] *Res* vel negotium subaudio. Cæs. de b. civ. l. 1. 'docent sui iudicii rem non esse:' auctorem habes Sanctium in Minerva pag. 335. Cic. Catil. iv. 4. 'non putet esse suæ dignitatis.' *Emmeness.*

*Nec quicquid ubique est*] Meminit historiæ: multi enim post excidium Trojæ, orbis diversa tenuerant: ut Helenus Epirum: Antenor Vænetiam: alii Sardiniam, secundum Salustium: alii vicina Syrtibus loca, secundum Lucanum: 'Portaque quietos Ostendit Libyæ Phrygio placuisse magistro.' *Servius.*

606 *Gentis Dardanijæ*] Signate: quoties Virgilius mentionem inducit errorum, et transmigrationum Trojanorum, ad Dardanum ut plurimum confugit, qui ex Italia in Asiam migravit. Sic in iv. *colonos Dardaniæ* dixit: sunt enim coloni, qui e domibus suis egressi, alias sedes quærant: et in iii. erroneos Trojanos oraculum alloquens, 'Dardanidæ duri,' &c. *Cerda.*

607 *Di tibi*] Quoniam beneficiis tuis singularibus, et in æternam præferendis, humana vox respondere non potest, Dii pro nobis, quæ mereris, exolvant. Ne omnem reciprocam vicem referendæ gratiæ omittat, deos rogat, ut quod ipse non potest, illi præstent: quod autem ipse potest, non tacebit. *Donatus.*

*Si qua pios respectant numina*] Si quidem: ut Horatius, 'Si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt vada.' Nec enim congruit optare dubitantem. Aut certe ad se retulit: qui cum pius esset, tot laborabat incommodis: aut certe *qua*, aut *quid* addidit; erat enim integrum: Si pios numina respiciunt, et justitia usquam est. *Servius.*

*Di tibi, &c.*] Homerus Il. l. xxiii. Ζοὶ δὲ θεοὶ τῶν δ' ἀπὶ χάρων μαρτυρεῖται δοῦν: Tibi autem Dii pro his gratiam plurimam referant. Idem, θεοὶ δὲ τοὶ ἑλβια δοῦν: Dii tibi dent gloriam. Alibi: Ζεὺς τοὶ δολὴ ζῆνι, καὶ Ἀθήνηναι θεοὶ ἄλλοι Ὅρτι μάχῃσ' ἐθέλει: Jupiter tibi det, hospes, et dii alii immortales, Quod cupis maxime. *Cerda.*

*Si quid Usquam justitias est*] Si valet

sped homines justitia. *Servius.*

606 *Et mens sibi conscia recti*] Secundum Stoicos, qui dicant ipsam virtutem esse pro præmio: etiam si nulla sint præmia. *Idem.*

609 *Ferant*] Adferant vel tribuant. *Idem.*

*Quæ te tam læta tulerunt Sæcula*] Alibi, 'Nati melioribus annis.' Felicitas enim temporum, ex nascentium meritis comprobatur: ut e contrario Terent. 'Hoccine seculum, o scelera, o genera sacrilega' Et digna laus regibus, ut bono tempore nati esse dicantur. *Servius.*

*Quæ te tam læta, &c.*] Quasi dicat, cur tu sola talis, et non alii similes his sæculis nati sunt: ut supra: 'O sola infandos' et occulte innuit sæculorum esse, ut aut boni, aut mali nascantur. Querit igitur sæcula, quibus Dido talis potuit nasci, quia per totum orbem jactati Trojani, solam benevolam et liberalem illam invenerunt. *Donatus.*

*Quæ te tam læta*] Ita Æn. vi. 'nati melioribus annis.' Felicitas enim temporum e nascentium meritis comprobatur. Et quidem parentes ignotos secundum artem laudat a liberis. *Timæus.*

610 *Qui tanti talem genuere parentes*] Secundum artem rhetoricam, parentes quos ignorat, laudat ex liberis. Simul sciendum, omnia hoc loco laudis præcepta servata. Nam et a parentibus laudat: ut, *Qui tanti talem genere parentes.* Et ab ipsa: ut, *Urbe, domo socias.* Et a futuro: ut, *Nomenque tuum, laudesque manebunt.* Talem autem, tam justam, tam piam. *Servius.*

*Qui tanti*] Quia nascendi ratio per parentes provenit. Horum est felicitas, si præcipuos auscipiant liberos. Querant sæcula, querant parentes. Dido sola in toto orbe justissima memoratur: ut quod summum est, etiam totum suum sit, nec habeat parem. *Donatus.*

611 *In freta*] Abusive modo maria. Nam proprie *fretum*, mare naturaliter mobile: ab undarum fervore dictum. *Servius.*

*In freta*] Ostendit omnium rerum finem saturum, cum illius homines non stabit. Simile illud: 'Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.' *Donatus.*

*Dum montibus umbra Lustrabant convexa*] Alii hoc loco distinguunt: et dicunt, quandiu inclinata in montibus latera umbræ pro Solis flexu circumibant; ut, 'Lustrat Aventini montem.' Aut *lustrabant*, inumbra-bunt. Unde *lustra* et ferarum cubilia, et lupanaria per contrarium dicimus: quia parum illustantur. Alii autem *convexa sidera* volunt, id est, pendentia: ut, 'Et cæli convexa per auras,' id est, suspensa. Planetasque intelligunt: quia non sunt fixi, sed in aëre feruntur. Alii *sidera convexa* nobis imminetia, vel quæ per convexum polum pascuntur; vel quæ per convexum disposita exhalatione terræ ali credantur. Quamvis Physici, pasci aquis marinis sidera, id est, ignes cælestes dicant, secundum quos Lucanus ait, 'Atque undæ plasquam quod disgregat aër.' Quidam radios Solis pasci asserunt humore terreno. *Servius.*

*Dum montibus umbra Lustrabant convexa, polus dum sidera pascet*] Sæpe etiam accidit, ut et comæ, et puncta alia, sententiam non parum immutent huc vel illuc translata: quare si quando circa hæc quoque, ubi usu veniat, immoremur; nihil ab instituto alienum fecisse videamur. In Oblongo itaque codice, et in aliquot aliis antiquis, post dictionem *convexa*, punctus est: ut legas: Dum umbræ lustrabant ea, quæ sunt convexa montibus, montium quippe ambitus: tuberositas enim illa convexa in montibus umbram efficit. Quare ita separatim membrum alterum accipiendum, Po-

*lus dum sidera pascet*: quæ lectio quadrat cum Tl. Donati sententia, dicentis: Qnam diu fluvii currendo miscebuntur flectibus maris, quam diu stabit cum sideribus cælum, quam diu Solis umbra vel Luse convexa lustraverit montium. Jam et comæza per m ante v digammon scribendum esset, ex Victorini præceptione, nisi obstaret consuetudo. *Pierius*.

*In freta dum fluvii current, &c.*] Non dissimili modo locutus est Homerus apud Herodotum, si modo Homero versus illi tribuendi sunt: *μῦθα δ' ἐνὶ σήματι κείμεαι ἔδν' ἀκ' ὕδαρ τευέη, καὶ δένδρεα μακρὰ τευέλην, Ἡελίος τ' ἀνιδὼν λάμπει, λαμπρὰ τε σελήνη.* et quidam epigramm. scriptor l. iv. *Κόλρανοι, ἐμπετέρην ἀρετήν, κάρτος τε καὶ ἔργα Ἀδ-δῆσει χρόνος αἰὲν, ἕως πόλος ἀστέρας ἔλκει.* e quibus versibus expressa sunt illa Tibulli in l. iv. 'Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus, Dum cælum stellæ, dum vehet annis aquas.' *Ursinus*.

*In freta dum fluvii current, dum montibus, &c.*] Æternam Didonis memoriam futuram his verbis designat poeta. Sio Ecl. v. 76. 'Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit, Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ, Semper honos, nomenque tuum, laudeaque manebunt.' Similis locutio apud Horat. Epod. xv. 'Dum pecori lupo et nautis infestus Orion,' &c. Stat. Thebaid. in fin. l. v. 'Dum Lernæa palus, et dum pater Inachus ibit, Dum Nemeæ tremulas campis jaculabatur umbræ.' *Emmenes*.

612 *Polus*] Cælum dixit. *Servius*.

*Polus dum sidera pascet*] Consent Stoici, sidera, cum igne sint et ferventis naturæ, pasci humore. Quare aliqui *palus* legunt, non *polus*. Sed nihil censo esse causæ, cur hic novitatis studiosi simus. Nam cum cælum verset astra tanquam palantia et errantia, et tanquam alimentum sequentia, dum volvuntur; fit perinde,

ut tanquam pastor ea pascere videatur Cælius ii. 23. et Cic. Tuscul. i. Turneb. v. 5. *Taubmann*.

*Polus*] Brodæus Miscell. ii. 17. legit *palus*, quia non circuitus cæli pascit sidera, sed aquarum vapores: plura ille. *Emmenes*.

*Hones*] *Honor* et *hones* queritur quia nominativus pluralis, *res*, terminatus, singularem in *or* mittit, ut *amores amor*, *honores honor*, exceptis monosyllabis, ut *flos*, *mos*, *res*. *Servius*.

*Nomen*] Pro fama creberrimum. Ovid. Am. Eleg. i. 17. 'Et multum per me nomen habere volunt.' Et Fast. l. iii. 'Et pudet in parvis nomen habere casis.' Propert. eleg. iii. 13. 'Non juvat in media nomen habere via.' *Corda*.

614 *Quæ me cunq̃ue vocant terræ*] Id est, ubicunque terrarum habitavero. Est autem Tmesia, *Quæcunque*. *Servius*.

*Quæ me*] Subtiliter se, nec cessaturum dixit, nec est pollicitus habitaturum, ne Didonem læderet urbis societatem offerendo. Ingenium enim mulierum semper variat: ut, cum velis, nolint; cum nolis, velint: ergo temperavit utrunque. *Donatus*.

*Quæ me cunq̃ue*] Hæc tmesis est in vetere cippi inscriptione, 'Quæ tibi cunq̃ue mei potuerunt pignora amoris Nata dari, populo sunt lacrumante data.' *Corda*.

*Quæ me cunq̃ue*] Sic Ter. A. i. l. 36. 'Cum quibus erat cunq̃ue una.' *Emmenes*.

*Anticum*] Quod probavit amici absentis causam defendendo. *Donatus*.

615 *Ilionea*] Penultimam naturæ brevem, licentia, qua in nominalibus propriis, omnis syllabæ postremæ communes, produxit. *Servius*.

*Ilionea petit dextra laevaque Serestum*] In Longobardico codice, pro *Serestum*, *Sergestum* scriptum est. Nam superius, 'Antea, Sergestum, fortemque Cloanthum' viderat. Quod si admittas, vel erit versus Scæntia

hemistichius, more veterum, qui varios interdum numeros, alienique generis versus Heroicis immiscebant: vel Creticus sede quinta statuatur. Neque quidem exempla desunt, præsertim ex Lucretio, qui pedem huiusmodi quinto loco posuerit, ut l. III. 'Præter enim quam quod morbis quom corpus ægrotat.' Peritiores enim nonnulli *ægrotare*, eadem analogia, eodemque modo cum nomine *ager*, primam producere syllabam ajunt: quam alii quidam communem statuunt in verbo *ægrotato*, eodem hoc ipso citato carmine. Poteram et ex VI. ejusdem exemplum proferre: 'An cælum nobis intra natura corruptum.' quod in antiquis habetur exemplaribus. Sed obstabunt aliqui, vel detritam unam ex geminatis consonantibus, et *corruptum* factum, vel adhuc non constare, dicent: quia vulgatis in exemplaribus versus sex spondeorum dimensione legatur: 'An cælum nobis natura ultro corruptum.' Non secus ac Ennianum illud, quod circumfertur, 'Cives Romani, tunc facti sunt Campani.' Quæ fuit rudis adhuc sæculi licentia. Sed ut ad Virgilium revertamur, posset quidem legi spondaico versu: *Ilionea petit dextra, leva Sergestum*, quum in eo codice Longobardico, quæ particula sæpe superflua reperiatur. Quam lectionem ne quis superstitiosam nimis arbitretur, in Ti. Donati commentariis, *Sergestum*, non *Serestum* scriptum animadverti. Sed enim aliorum codicum auctoritas facit, ut vulgata sequamur exemplaria, in quibus *levaque Serestum* habetur; qui et ipse primores inter enumeratur: ut l. IX. 'Conveniunt Tencri Mnestheus acerque Serestus:' et eodem libro superius, 'Instant Mnestheus acerque Serestus: Quos pater Æneas, siquando adversa vocarent, Rectores juvenum, et rerum dedit esse magistros.' Ad reginam enim cuncti delecti navibus adcurrerant. *Pier.*

*Ilionea petit dextra, levaque, &c.]* Vide studium. Sic fieri solet in adventu. Sidonius epist. II. 3. 'irruentiam tumultuoso diriperis amplexu:' et epist. II. 11. 'Protinus cuncti non modeste, neque singuli, sed propere ac catervatim oscula ac dexteræ mihi dederunt.' Sed Æneas, qui tam avidus in amplexandis amicis, vide, ut nunquam Didonem attingat. Hoc jam expendi; sed revocavi notans Homerum, apud quem parum caute Ulysses tetigit genua Aretæ reginæ: 'Ἀμφὶ δ' ἄρ' Ἀρήτης βάλε γούνασι χεῖρας Ὀδυσσεύς. Si quis defendat ex more supplicum, nescio an possit, præsertim præsentē Alcinoο. *Cerda.*

*Ilionea petit dextra, levaque, &c.]* Hoc effusum gaudium attingit Sil. Ital. l. II. 'Has inter species orbatum classe suisque, Æneam pulsum pelago, dextraque precantem Cernere erat: fronte hunc avide regina serena Infelix, ac jam vultu spectabat amico,' &c. *Emmeness.*

617 *Obstupuit]* Animo perculsa est: quod jam futuri amoris est signum. *Servius.*

*Obstupuit]* Visa ejus forma, et cum casum ejus vehementer miraretur, quomodo liberari potuerit, et ad ipsam, nulli visus, pervenire. *Donatus.*

*Primo aspectu]* Id est, pulchritudine. *Servius.*

*Sidonius]* Pro Tyria, a vicinitate. *Id.*

*Obstupuit primo, &c.]* Piget dicere, pendere ista ex imitatione Homeri, imo superant Homerum longissime, apud quem, cum e nube Ulysses prodit, qui aderant, θαύμαζον admirabantur. Noster stuporem maluit. Sed præcipua victoria posita in his, quæ sequuntur. Nam post stuporem Dido, magna affectibus omnia interserit, ab illo versu, *Quis te, nate Dea, per t. &c.* Non sic Alcinoos; primum enim hujus verbum post casum illum admirabilem, hoc est, Ποντόνος κρητήρα, &c. ubi jubet Pontonoum craterem miscere, et distribuere omnibus, ut

fiat libatio Jovi (nescias cur hic *ῥεπρί-  
κηπαύω*) qui supplices benigne prose-  
quitur. Lege quæ sequuntur, et fri-  
gus merum invenies, nihil fervens af-  
fectibus. Pari frigore rem eandem  
exsequitur Apollonius, Arg. l. iii. Hic  
volo scias, Asperum explicantem Sa-  
lustii locum hunc, *rumore primo*, sen-  
tire, *primo* poni adverbialiter, quod  
firmat Virgiliano hoc *primo aspectu*,  
ubi etiam *primo* adverbialiter ponitur.  
Defendi potest, inest enim concinni-  
tas inter *primo*, et *deinde*. Cerdæ.

618 *Casu deinde*] Id est, misera-  
tione. Servius.

*Et sic ore locuta est*] Pleonasmos.  
Ut, 'Vocemque his auribus hansi.'  
*Idem*.

619 *Quis te, nate dea*] *Quis, qualis*.  
Admirantis enim est, non interrogan-  
tis: ut, 'Quis globus, o cives?' Non  
enim interrogat ille, qui nuntiat: hoc  
autem Dido, ut post indicat, ex Teu-  
cri narratione cognovit. *Idem*.

*Quis te, nate dea*] Ex his verbis os-  
tendit, aliquam sui generis notitiam  
habere, et quamvis hoc apud Æneam  
possit esse mirabile, ait indigne illum  
pati, ut, dea genitis, tempestate ad  
regiones sævas delatus sit. *Donatus*.

*Per tanta pericula*] Miratur pericula  
in eo, quem potentia nominis tueri  
debut. *Idem*.

*Quis te, nate dea, per tanta pericula  
c. Insequitur*] Quæ, vel quanta fortu-  
na te exercet! *θαυμαστικός*. Nova lo-  
cutio, ait Scaliger iv. 16. *Taubmann*.

620 *Quæ ris*] Qualis. Servius.

*Inmanibus oris*] Ut Salustius, 'Mare  
sævum,' (id est) *importuosum*. Non  
ergo de suo regno ait, sed illas oras  
significat, quas Ilioneus ait, 'per in-  
via saxa dispulit.' *Idem*.

*Applicat*] Secundum præsentem  
usum, per *d* prima syllaba: secundum  
antiquam autem orthographiam, quæ  
præpositionum litteram consonam, in  
vicinam mutabat, per *p*: secundum  
vero euphoniā, per *a* tantum. Præ-  
positio enim, cum ad compositionem

transierit, aut vim suam retinet, ut  
*Indico*: aut mutat ultimam litteram,  
ut *Sufficio*: aut perdit, ut *Coëmo*. *Id*.

621 *Tunc ille Æneas*] Et hoc admi-  
rativum, non interrogativum. *Ille*  
autem honoris est; ut, 'sic Jupiter  
ille monebat:' vel *tunc ille* videtur  
beneficium Veneris admirari in eo,  
quem adamatura est. *Idem*.

*Dardanio Anchisæ*] Bene *Anchisæ*,  
cum multis enim Venus concubuit.  
Sed sciendum Anchisem, ut fabula  
loquitur, pastorem fuisse, et cum eo  
amato Venerem concubuisse. Unde  
Æneas circa Simois fluvium natus est:  
Deæ enim vel Nymphæ enituntur  
circa fluvios, vel nemora: quod cum  
jactaret Anchises, afflatus est fulmine,  
oculoque privatus est. *Idem*.

*Anchisæ*] Sunt qui *Anchisæ* casu sep-  
timo legant: verum antiqua exem-  
plaria, *Anchisæ* scriptum habent ac-  
quisitivo casu. *Picrius*.

*Anchisæ*] Æneas ortus a Venere et  
Anchisa, notior, quam ut hic debeat  
firmari, ex Ovid. in Fast. ex Homero  
sæpe, ex Ennio, Annal. i. ex infinitis.  
Cerdæ.

622 *Genuit Simoëntis ad undam*] Ri-  
pas multas fluviorum ortus heroici  
non pauci insignes fecerunt; sicut et  
Homeri natales Meletis ripam, unde  
Melesigenes Poëta dictus fuit; quem-  
admodum Heroum multorum incerta  
origo ad auctores fluvios passim a  
Poëtis et historiographis relata est.  
*Gignere* autem proprie patris, ut *pa-  
rere* matris: ut tamen *γεννῶν* et *τίκτειν*  
Græcis confunduntur; ita et Latinis,  
cum utrique parentes *τοκεῖς* et *γονεῖς*  
dicantur promiscue. *German*.

*Genuit Simoëntis ad undam*] Simois  
ab Idæo monte demittitur, fama quam  
natura majus flumen, de quo Mela i.  
18. Æneam filium esse Anchisæ et  
Veneris annuit Hesiod. in Theog. vs.  
1008. sed *Ἰδῆς ἐν κορυφῇσι*, enixam Ve-  
nerem. De iis, qui ex diis concepti  
sunt, vel provenisse dicuntur ad ripas  
fluminum, Poëtarum testimonia quam

plurima sunt, ut facilius esset ablutio. Stat. Thebaid. l. i. 'Namque ut passa Deum Nemeæi ad fluminis undam, Bis quinos plena cum fronte resumere orbes, Cynthia, sidereum Latonæ feta nepotem Edidit.' Sic Homerus ad Melesis fluminis ripas, ut Valer. Argonaut. l. vi. editus fertur: 'Scythicis quem Juppiter oris Progeniuit, viridem Maracen, Tibisenaque juxta Ostia.' *Emmeness.*

623 *Atque equidem*] Exponit quomodo hæc scierit. *Donatus.*

*Teucrum Sidona venire*] Quidam *memini venire*, pro *memini venisse* accipiunt. Historia tamen hoc habet: Herculem cum Colchos iret, perditio Hyla, qui aquatum profectus, ut fabula loquitur, a Nymphis adamatus, raptus est; ut veritas habet, lapsus in fontem altissimum necatus est; et post peragratam Mysiam, navibus Trojam venit. A cujus portu, cum eum Laomedon arceret, occisus est: et ejus filia Hesiona, belli jure sublata, comiti Telamoni tradita est, qui primus ascenderat murum; unde Teucer natus est. Nam Ajacem, ex alia constat esse procreatum. Tunc Hercules, Priamum quoque redemptum a vicinis hostibus, in paterno regno locavit. Unde et Priamus dictus est, ἀπὸ τοῦ πριάμει, *emo*. Cæterum quæ de liberata dicunt Hesiona, constat esse fabulosa. Sed Teucer, cum, Troja eversa, sine fratre esset reversus, qui se furore, propter perdita Achillis arma, interemerat; vel, ut alii, quia non defenderat Ajacis fratris interitum, vel quia ossa fratris non retulisset; ut nonnulli, quod Theomissam concubinam, vel ejus fratris filium Eurysacen ad avum Telamona de Troja secum non reduxerit; quia ille alia navi vectus, felicitus navigaverat; Salamine pulsus a patre, Sidona venit: ex quo Dido cuncta cognovit. *Servius.*

*Atque equidem Teucrum, &c.*] Præoccupatio, quomodo illa sciat genus

*Æneæ.* De Teucris autem exilio, et cur Salamine urbe et insula pulsus sit a patre, et quomodo item Sidonem venerit, et Beli minoris, qui pater erat Didonis, auxilio urbem patriæ cognominem in Cypro condiderit, deque aliis multi multa passim tradidere. Horat. Od. i. 7. Cicero De Orat. i. et ii. Lactant. i. 21. Enripides de Helena. Plutarchus, Hyginus, Sophocles in Ajace. Dictys Cretensis, et quis non? *Potentem* autem dicit: quod certa erant illa regna et oraculo promissa. De incertis enim dixisset, *Quærentem*. Bene Horat. 'Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucro: Certus enim promisit Apollo Ambiguam tellure nova Salamina futuram.' Et bene Cyprum *opinam* dixit: ut enim insularum maxima, quippe novemolim regnorum sedes; ita dives erat et miræ fertilitatis: unde et *μακρῖος* Græcis dicebatur. Erat et luxur dedita; et proinde Veneri sacra, quæ etiam a potissima ipsius urbe Cythera, nomen est sortita. Dicebatur et *Deliciarum mater*. Quam et Romani, ob gravem rerum opulentiam, postea ceperunt. *Taubmann.*

*Sidona*] Urbem esse Phœniciæ, inque Assyrii maris littore positam scribit Achilles Alexandrin. l. i. consentit Strabo l. xvi. *Σιδὼν ἐν τῷ εὐφρατὶ λιμένι τῆς ἡπείρου τὴν Ἰδρυσὺν ἔχει: Sidon situm habet in pulcherrimo continentis portu.* Eadem Ptolemæus scribit, et esse urbem Palæstinæ. Congruit nomen. *Sidon* enim Phœnicum lingua placem significat, inde hoc nomen urbi datum, quæ juxta mare. Nulla in Vate est contradictio, si expendatur. Venit Teucer Sidonem, ad Belum pro auxilio, sed, ibi Belo non invento, ivit ad Cyprum, ubi tunc Belus: vel quod potius duco, venit Teucer Sidonem, ubi vere erat Belus, qui cum tunc per suos duces, et exercitum Cyprum vastaret, eo Teucrum misit, ut urbem conderet. *Cerda.*

*Sidona*] Πόλις ποικίλη] Stephano, Pomponio Mela II. 12. 'opulenta Sidon, antequam a Persis caperetur, maritimarum urbium maxima.' *Emm.*

625 *Genitor tum Belus*] Quidam alium patrem Elisæ dicunt. *Serv.*

*Opimam*] Pro opulentam nonnulli accipiunt. *Idem.*

626 *Vastabat Cyprum*] Quam subactam, concessit Teucro: ex responso Apollinis illuc perrexerat, ut in ea conlocaret imperium, qui eam civitatem Salaminem ex nomine patriæ ibi condidit; licet alii dicant, ab ipso Teucro Cypri superatos incolas, et sic conditam civitatem; unde *Auxilio Beli* accipi potest, etiam Teucro auxilium a Belo ad occupationem Insulæ præstitum. *Idem.*

*Vastabat Cyprum et vict. &c.*] Errorem Servii arguit P. Victor. var. lect. XII. 12. non enim concessit Teucro hanc insulam, sed filio Pygmalioni possidendam reliquit. Teucer autem oppidum tantum illius insulæ tenuit, cujus descriptionem tradit Mela II. 7. 'Cyprus ad ortum occasumque se immittens, recto jago inter Ciliciam Syriasque porrigitur ingens, ut quæ aliquando novem regna ceperit, et nunc aliquot urbes ferat,' &c. *Emm.*

*Ditione*] Potestate; omnis enim potestas dictis constat, id est, imperio, et quærendus nominativus hujus nominis, sed de hac re historia longe aliud continet. *Servius.*

627 *Casus*] Hoc loco, ruinæ: ut, 'Ceciditque superbum Ilium:' non fortunæ intelligendus est casus. *Id.*

628 *Pelasgi*] A Pelasgo Jovis et Larissæ filio. *Idem.*

629 *Ipsæ hostis Teucros*] Trojanorum laudis exaggeratio: qui etiam ab hoste laudantur, et quidam *hostis* singularem, quidam pluralem legunt. *Servius.*

*Laudē*] Pro virtute accipiunt; ut, 'Primam merai qui laude coronam.' *Idem.*

*Ferebat*] Laudabat, præferebat. *Id.*

630 *Timoribus à stirpe cælebat*] Propter genus matrum: ut supra dictum est. Et plus æt, quod dixit volebat, quasi materno gaudens, refutaret genus paternum. Sane stirpem, cum de origine dicimus, generis femini est; ut, 'Hen stirpem invisam:' cum de ligno masculini, 'Sed stirpem Teucris nullo discrimine sacrum.' *Id.*

631 *Quare*] Scilicet, cum videatis vos non esse incognitos, et morem esse familiæ meæ, ut venientes excipiat, ut Teucer a patre susceptus est. *Donatus.*

*Tectis succedite nostris*] Ad convivium vocat. Nam jam supra dixit, 'Urbe, domo sociis:' dicitur autem et tecta succedere; ut, 'Succeditque gemens stabulis;' et, 'Tecto adsueta coluber succedere.' *Servius.*

*Tectis succ.*] Pro eo Apulejus, 'tectum et larem nostrum lætæ succedite.' Utrique jungitur casus, ut ex Servio, ad ecl. v. 6. 'Sive antro potius succedimus.' *Emmenas.*

632 *Me quoque*] Quemadmodum vos. *Servius.*

*Me quoque*] Quam nunc videtis felicem, aliquando fortuna decessit, ut non pudeat calamitatum, quæ sunt æquo animo ferendæ. Et quoniam non præsentibus solum consulendum erat, mittit ad absentes munera. Laudat a magnitudine, quod tauri: et a numero, quod viginti. Si enim boves dixisset, imminuisset gratiam. *Donatus.*

*Me quoque per multos*] Proverb. 'Conciliant homines mala.' Cælius xxv. 2. Cic. pro Mur. 'Hoc natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur.' *Hartung.*

*Similis fortuna*] Scilicet adversa. *Servius.*

633 *Demum*] Postea. *Idem.*

634 *Non ignara mali, miseris succurrere disco*] Quare non disco? Quia non sum ignara. Bis enim intelligimus non, ut supra diximus: sic Salustius,

'Segnior, neque minus gravis et multiplex cura.' *Idem*.

*Non ignara mali*] In meis paupertatibus quid sit malis conflictari, disco miseris succurrere. At Servius rō Non bis intelligendum ait. Q. d. Ideo non disco: quia non sum ignara: quemodo et supra: *Vultis his mecum considere regnis? Vultis urbem, quam statui?* At Donatus; Non disco, inquit Dido, nunc primum, quantos sustineant labores, quos adversa fortuna persequitur. Didici enim jam pridem malis meis, quemadmodum miseris succurrere debeam. Vide et Scalig. III. 49. *Taubmann*.

635 *Simul Æneam in regia ducit Tecta*] Et hoc, quod sequitur, videtur auspiciū nuptiarum. *Servius*.

636 *Simul dicum templis indicit honorem*] Apud majores nostros mos fuit, ut magistratus post res serias, quæ consulto peragebantur, in fine actus adderent, *Diis honorem dico*, vel alio modo, *hinc ad Deos*: quod Poëta, amator antiquitatis, subtiliter docet; infert enim Didonem, post habitum cum Ænea colloquium, et junctam hospitalitatem: 'Quare agite o tectis, juvenes, succedite nostris:' ut supra, 'urbem quam statui, vestra est:' et, 'Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur;' post actum publicum Diis sacra jussisse: nam subjungit, 'simul Æneam in regia ducit Tecta: simul Divum templis indicit honorem:' id est, jussit fieri supplicationes. Et bene *Indicit*, quia Trojani inopinato venerant. *Ferie* aut *legitimæ* sunt, aut *indictæ*. *Indici* autem dicuntur, quia paupertas majorum ex collatione sacrificabat. Et iterum *Indictivæ sacrificia* dicebantur, quæ subito ad præsens tempus indicebantur: aut certe de bonis damnatorum. Unde et *supplicia*, dicuntur *supplicationes*, quæ sunt de bonis supplicia pauperum. Salustius, 'In suppliciis deorum magnifici.' Hinc etiam sacrum et venerabile et execrandum in-

telligimus: quia sacræ res de bonis execrandorum fiebant, dicebantur *sacra* et *honoraria*, quod utrumque hoc loco complexus videtur. *Idem*.

*Templis indicit honorem*] Id est, ferias: ut esset publica congratulatio, et deorum favor accederet: *Corradus*. Servius ita: Jussit fieri supplicationes. Nam feris aut sunt *Legitimæ*, aut *Indictivæ*. Ita *Indictivæ sacrificia* vel *supplicia* erant, quæ subito ad præsens tempus indicebantur. Val. Flaccus l. III. 'lætosque rapit: simul hospita pandi Tecta jubet, templisque sacros largitur honores.' *Taub.*

637 *Ad litora*] Scilicet ad illos quos reliquerat Æneas: et ad illos quos Ilioneus. *Donatus*.

638 *Magnorum horrentia centum Terga suum, pinguis cent. &c.*] 'Ἐκατόμυαυ ἔθιρο: quæ facere solebant qui navigarant, vel qui navigaturi erant. Quæ hecatombæa sacra a Laconibus profecta sunt, quia *λακωνικὴ τὸ παλαιὸν ἑκατόμυαυ ἦν*. ut *Menisius Miscell.* Lacon. II. 14. duplicia fuere, vel centum animalium, quod sacrificium majus, vel tot pedum, quod minus appellabatur: vide *Scholiasten Homer.* Iliad. A. 65. nec *ἑκατόμυαυ* tantum bonum fuit, nam apud Diodorum *καμήλων ἑκατόμυαυ*, apud Homerum *ἄγνων*, apud veterem *Scholiast.* *δυνν*. Sic hoc loco, *suum* et *agnorum*. *Horrentia*, id est, ingentia, aspectu horrorem incutientia. *Emmenes*.

639 *Terga suum*] Non declinatio, u, litteram hoc loco geminat: sed ratio nominis, in quo est u; sicut et rum mittit genitivum pluralem, non per declinationem, sed quia est in nomine r, ut *patrum*. *Alitum* vero ubi legimus, epenthesis est: sicut *Mavortis*, vel *induperatoris*. Nam *alatum* facit, vel *Martis*, aut *imperatoris*. *Servius*.

*Pinguis*] Et ergo pingues erant, et ducenta ostendit capita. *Donatus*.

640 *Munera, latitiamque Dei*] Id est, Liberi patris: ac per hoc vinum:



aut certe, ut multi legunt, *Lætitiæque die*, id est, diei. Nonnulli *Dii* legunt, sicut veteres *famæ* fami. Planctus in Mercatore, 'Quia aut nocti, aut dii, aut Soli, aut Lånæ.' Sane quidam hunc versum intelligi non putant posse, ut est ille, 'Quem tibi jam Troja.' *Servius*.

*Munera, lætitiæque Dei*] Vinum, quod sufficeret omnibus. *Donatus*.

*Munera, lætitiæque Dei*] Scil. Bacchi, hoc est, vinum: ut vult *Servius*. At *Corradus*, Mittit, inquit, hæc omnia, ut Neptuno sacrificent: quæ res munera lætitiæque Deo, id est, Neptuno afferat. Quid hic sint munera, V. N. Georg. iv. 534. Alii leg. *die*: alii *dii*, pro *diei*: quasi reliqua missa sint ad usum noctis! De quo copiose Agell. ix. 14. Janus tamen Parrhasius, Epist. 33. contra Agellium cæterosque clarissimis docet argumentis, per *Munera lætitiæque Dei*, *περὸ φαστικῆς* intelligendum esse vinum, quod Liber invenit, et quo Trojanorum animi in hilaritatem lætitiæque diffunderentur. Silius: 'Bacchi dona volunt.' Virgilius infra: 'Adsis lætitiæ Bacchus dator,' &c. Vide ibidem plura. *Taubmann*.

641 *At domus*] Ostendit, quod cum hospites recepimus, domus pro eorum meritis est componenda. Ergo cum accipiendus esset Æneas, tantus vir, domum regali luxu per se splendidam, tamen additis multis repentinis ornavit: ergo legendum, *Domus splendida regali luxu*: et interjecta mora dicamus, *Instruitur*. *Donatus*.

*Interior*] Quia interim in exteriori partem Trojanos induxerat: interior melius solito ornabatur. *Idem*.

*At domus interior*] Dum superiora fierent, pars domus interior, non ea in quam Æneas cum sociis ductus fuerat, regalibus ornamentis instruitur, et fit splendida. Vel dic: quantumvis sit splendida, tamen instruitur: *Corradus*. Constat autem hic locus imitatione illius Catulli, in nuptiis

Pelei: 'Ipsius ac sedes, quacunque opulenta recessit Regia, fulgenti splendent auro atque argento, Candet ebur soliis: collucent pocula mensæ. Tota domus gaudet regali splendida gaza,' &c. sed cur, *Interior*? Quia cœnæ luxuriosiores secreto parabantur et in intima domus parte. *Sueton.* in August. c. 70. 'Cœna quæque ejus secretior in fabulis fait, quæ vulgo *δεδεικνύσθαι* vocabatur,' &c. unde Juven. Sat. ii. 95. 'quis fercula septem Secreto cœnavit avus?' De quo loco vide Laur. Ramiretz ad Martial. i. 6. *Taubmann*.

*Splendida Instruitur*] Pro *instruitur*, ut *splendida sit*. *Servius*.

*Splendida*] Aptè et signatè, nam *splendor* de conviviis sæpe. Apud Athen. l. i. Antiphanes *λαμπροῖσι δειπνοῖς*: et Athenæus ipse l. iii, *λαμπρότατον δειπνον παρασκευῆς*, *splendissimum apparatus convivii*. Bacchylides Hymnos amatorios in convivio dixit *φλέγεσθαι*. Demum magnificæ epulæ dictæ sunt *θαλαί*, inde et *θαλαί* *κατὰ τὸ δάλλειν*, a floribus, quibus convivia florida, opipara, festiva. *Cerda*.

*Luxu*] Modo abundantia: alibi luxuria. Et notandum, quia affluentiam ubique exteris gentibus dat; Romanis frugalitatem, qui et duobus cibis tantum utebantur, et in atrio edebant sedentes. Unde Juvenalis, 'Quis fercula septem Secreto cœnavit avus?' Et Virgilius, 'Perpetuis soliti patres considerare mensis.' *Servius*.

642 *Mediis tectis*] Juxta cottidianam consuetudinem, ait, *mediis*: et si dicamus, 'in media domo sua sedens, turbatus est.' *Idem*.

*Mediis tectis*] Nam cum multa turba esset accipienda, alibi tot triclinia sterni non poterant. *Donatus*.

*Mediisque parant conviv.*] Triclinia enim in media cœnatione strata erant, ut ministris liberrimus locus relinqueretur. Ita Æn. iii. 'Aulæ in medio,' &c. *Corradus*. *Taubmann*.

643 *Laborate vestes*] Labore perfectæ, ut 'Laboratasque premunt ad pectora ceras.' Et est sermo in compendium coactus: sicut, 'Rapuitque in fœmite flammam,' id est, raptum fecit. Et sane vestes non illas dicit, quibus induimur, sed stragulas, supra quas discumbitur; sic enim dicebantur vestes stragulæ. *Servius*.

*Arte laborata*] Dissolvit Græca vocabula *τεχνοειρηνα* et *τερηνα*. *Cerda*.

*Laborate vestes*] i. e. labore perfectæ. Ita Græci, *εργαστα* et *εργαστα*: *τερηνα* *χρυσονομα* *φαινη*. Ciceroni, 'vestes stragulæ:' nostro inferius *aules* dicuntur. *Ostro* autem *superbum* vocat, purpuram nobilem: *Ostro* enim, id est, sanie illa, sive liqnore muricis aut conchilli, purpura tingebatur. Laudat igitur vestes ab artificio, et materia. *Taubmann*.

*Ostroque superbo*] Claro, pretioso: id est, per se superbo, aut quia superbos faciat. *Servius*.

*Laborate vestes, ostroque superbo*] Non. Marc. has stragulas vocat *toral* et *toralium stragulum*: potentiores utebantur peristromatis, acn pictis: de his consulendus Ciacconius de tricliniis p. 19. *Emmencus*.

644 *Ingens argentum mensis*] Aut subandis exponunt: aut mensas argenteas accipe. *Servius*.

*Argentum mensis*] Adjecit *mensis*, ut ostenderet oscarium argentum, ne putaretur in ea specie esse, quæ longe esset ab usu mensarum. Est multiplex argenti laudatio. Nam fuit magna, insignitum auro, et miro artificio, ut ars enim ipsius precio certaret. Sculptura autem gesta majorum continebat, quorum contemplatione mœrnit longissimum tempus conservari. *Donatus*.

*Ingens argentum mensis*] Hic *argentum*, et statim *auro* dicit doctissimus Poëta, cum tamen argentea, et aurea pocula intelligat. Nota Pet. Ciaconii huic loco utilis erit. Admonet ille,

argentea aureaque vasa mensarum a veteribus simpliciter *auro* et *argentum* nominata. Scævola in L. qui uxori. ff. de auro et argent. leg. 'auro legato vasa aurea continentur, et gemmis gemmea.' Plinius xxxiv. 11. 'hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quod nunc in mensarum est apparatus.' Hactenus ille. Adjungo Senecam de vita beat. c. 17. 'Quare ars est apud te ministrare? nec temere, et ut libet, collocatur argentum, sed perite servitur, et est aliquis scindendi obsonii magister?' Tullium in Verr. iv. 'Cœnabat apud Eupoleum, argentum ille apposuerat.' Integra Tullii de sequenti nota: et Fabium declamat. 301. 'apud vos illi greges ministrorum, apud vos aurum et argentum.' Loquitur in re conviviali. Plinium epist. l. iiii. 'Apponi hoc cœna non minus nitida, quam frugi in argento puro et antiquo.' Poëta ipse in iii. 'impositis auro dapibus.' Catull. de Nupt. Pel. 'fulgenti splendent auro atque argento.' Ubi sermo est de convivio. Demosthenes de fals. leg. clare dixit, *εργαστα* *ἀργυρά*, καὶ *χρυσά*. Porro morem alium, quem Poëta attingit, observavi jam Ge. l. iv. Exemplis ibi adductis adjice versum, in quo sum, in mensis enim argentum ponit Virgilius, et per argentum intelligit pocula, hæc ergo in mensis apud veteres, non in abacis. Sed et de hoc more postea etiam in hoc libro. *Cerda*.

*Cælatæque in auro*] Insculpta, tamen hoc nomen in principali aliam habet naturam: in derivatione mutat. Nam *Cælum* est, unde operantur argentarii: quod producit naturaliter. Sed in derivatione mutatur: diphthongus namque est, *cælatæque in auro*. *Servius*.

645 *Fortia facta*] Veteres enim in convivili solebant fortia parentum facta narrare, quæ hic etiam insculpta dicit. Et hic resolvit Poëta

illud, quod reprehenditur, cur in templo Junonis, non Penorum et Græcorum facta depinxerit; scilicet quod suorum res pretiosiore materia signatas habuerit: quæ ibi etiam sculpta erant, mos enim erat veterum. *Servius.*

*Calataque in auro Fortia facta patr.]* Mos hic fabricandorum in vasis emblemata notior est, quam ut multis egeat. Tantum itaque subijciam o Latinis Tullium, qui in Verr. iv. 'Cœnabat apud Eupoleum, argentum ille, ceterum parum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula non magna, verumtamen cum emblematis: iste, quasi festivum acroama, ne sine corollario de convivio discoderet, ibidem convivis spectantibus, emblemata evellenda curavit.' *Cerda.*

646 *Series]* Ordo connexus. *Serv.*

*Per tot ducta viros]* A Belo, primo rege Assyriorum: ut, 'Ab antiquo durantia cinnama Belo.' A Belo usque ad Belum, patrem Didonis: qui et ipse Assyrius fuit, quamvis alio nomine pater Didonis fuisse dicatur; sed hic ait, 'Quam Belus, et omnes a Belo soliti:' cum inter patrem et filiam medius nullus existat: et regis nomen ratione non caret. Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipsorum lingua *Hel* dicitur. Unde et *Helois*. Ergo addita digammo, et in fine facta derivatione, a Sole regi nomen imposuit. *Idem.*

*Antiqua]* In Longobardico exemplari, et in Mediceo, *antiqua* legitur: quod et in aliis aliquot animadverti: idque forsitan non inepte. Malunt tamen multi, *antiqua gentis* legere: neque id indecenter. *Pierius.*

647 *Æneus]* Sequitur, *Rapidum ad naves*. Cætera per parenthesim dicta sunt. *Servius.*

*Consistere mentem]* Ab nonnullis legi *mente* Germanus notat, quoniam Cicero *mentis consistere*, et in Ant. et ad Q. Frat. dicit: loca sunt obvia.

Sed certe vulgaris lectio defendi potest. *Cerda.*

*Æneus, neque enim patrius, &c.]* Amor non sinit patrem mente esse quietam. Alii l. *mente*. Ita Cicero in Anton. 'Te neque vigilantem, neque in somniis, credo, mente posse consistere.' Item, 'consistere ejus animum, non sinunt.' Notetur *philosophia* *Æneæ*. *Taubmann.*

648 *Rapidum ad naves præmittit Achatem]* Non *præmittit* (nec enim ipse sequitur) sed *prærapidum*: quod ex affectu patris, id est, ejus qui mittit, intelligendum est, non ex Achatis velocitate. Et sic *prærapidum* dixit, quomodo Terentius, 'Per pol quam paucos.' Hoc est *perquam paucos volo*. Pol enim, per se plenum est jurantis adverbium: cui præpositio separatim nunquam coheret. *Servius.*

*Præmittit]* Non quia esset secutus: nec intelligitur, *prærapidum mittit*, sed *præmittit*, id est, ante prandium mittit, ut materius videret filium, et ut afferrentur munera, quæ Didoni dare volens inter epulandum commodissime dabantur. Major enim erat futura convivii voluptas, et presentia Ascanii, et oblatione munerum. *Donatus.*

649 *Ferat]* Afferat, nuntiet: ut, 'Feret hæc aliquam tibi fama salutem.' *Servius.*

650 *Stat]* Modo est: ut, 'Grajo stant nomine dictæ:' alias horret; ut, 'stant lumina flamma;' et, 'Stabat acuta silex.' Item plenum est: ut, 'Jam pulvere cælum stare vident.' Item positum est: ut, 'Stant manibus aræ.' Item placet: ut, 'Stat conferre manum.' Pro loco ergo hic intelligendus est sermo. *Servius.*

*Omnis in Ascanio]* Nam reliquæ curæ jam semotæ erant. *Donatus.*

651 *Munera]* Hæc convivium gratius factura erant, et poterant ostendere, quanta urbis fuisset felicitas. *Id.*  
*Iliacis erepta ruinis]* Commendat ex loci difficultate: ut, 'Nec tuta mihi

valle reperti.' Item ex longinquitate, ut, 'Iliacis erepta ruinis:' ut Terentius, 'Ex Æthiopia est usque ancilla hæc.' *Servius*.

*Erepta*] Ostendit valde pretiosa, quæ meruerunt ex ruinis civitatis eripi. Laborat autem Poëta hoc sermone probare, ab Ænea non esse proditam patriam, si ornatus Helenæ ex incendio eripuit, bellorum casu, quam cum Antenore Trojam prodidisse manifestum est, non pro præmio proditionis accipit. *Idem*.

652 *Pallam rigentem*] Duram propter aurum, sicut et novas vestes videmus. Significat autem tunicæ pallum: quod secundum Varronem *palla* dicta est, ab irrogatione, et mobilitate: quæ est circa finem hujusmodi vestium, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. *Idem*.

*Pallum*] Fuit hæc promissa ad pedes. Tibullus eleg. i. 7. 'Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.' Inde credo ab Horatio *honestæ* dicta, facit enim ad honestatem promissio, in epist. ad Pison. 'Post hunc personæ, pallæque repertor honestæ Æschylus.' De forma ejus notat Junius, eam divisa fuisse antrorsum, et nodis, ac plurimis fibulis astringi solitam. Fuit sæmbarum, ut apparet ex Virgilio hic: fuit aliquando virorum, ut ex Statio Achill. ii. 'Si decet aurata Bacchum vestigia palla Verrere.' Eadem induit Mercurium Theb. i. vii. 'crepat aurea grandine multa Palla, nec Arcadii bene protegit umbra galeri.' *Cerda*.

*Signis auroque*] Signis aureis, ut, 'Molemque et monteis.' *Servius*.

*Signis auroque*] Id est, explicante Servio, signis aureis, ut illud, 'pateris libamus, et auro.' Ab auro, quo palla intertexta, dicta est Statio *aurata*, Tiballo *lutea*. Loca jam attuli. Huc pertinet nota Lillii dictam, φλογειδῆ. est color aureus flammeus. *Cerda*.

*Rigentem*] Propter duritiem auri. Vel alludit fortasse (ait Germ.) ad rectam tunicam, quæ ὀρθὴ ἐσθῆς, quæ

ita erat contexta, ut veluti rigens staret, quæ novæ nuptæ inducebantur, quamque liberis parentis omnis causa conficiendam curabant. Rectæ tunicæ elegans testimonium est in Plinio viii. 48. ut Virgilius *rigentem auro*, ad verbum Pindarus φοδῶν χρυσῷ νεφευγίων. *Idem*.

*Pallam signis auroque rigentem*] Id est, signis aureis asperam. Palla vestitus mulieribus proprius, et quidem honestis, ut Non. Marcell. post ad Citharedos, Tragedos, Saltatores translatus. Describitur accurate a Ferrario de re vestilaria iii. 18. Figuram esse docet Salmasius in *signis auroque* ἔν δὲ δυν, pro signis aureis. Notatur Darii luxus a Curtio iii. 8. 'pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se cornuerent, adornabant:' pro eo Maro *signa et aurum* ponit: illas notas sive signa Latini *clavos* nominant (ut Quintil. viii. 5.) *phumas*, Gr. σφῆραι, ποικιλματα. Plura, quem unum in his recte consulis, Salmasius ad Scriptor. Hist. Aug. vol. ii. p. 86. apud Hackios. *Emmeneso*.

663 *Et circumtextum velamen*] Cycladem significat. *Servius*.

*Acantho*] Herba, *Acantho*, id est, flexibili virgulto; in cujus imitationem arte vestis ornatur. Varro ita refert, 'Cteasias ait in India esse arbores, quæ lanam ferant. Item Epicados in Sicilia, quarum floribus cum dempti sunt aculei, ex his implicitis mulieres multiplicem conficere vestem: hinc vestimenta acanthina appellata.' *Id.*

*Et circumtextum croceo velamen Acantho*] Erroris insinuat Salmasius in Plinian. Exercit. p. 300. Servium male interpretantem de *vestimentis Acanthinis*, quæ tota ex lanugine florum texta fuerunt, cum hic croceo Acantho velamen circumtextum, vel ut vs. 711, *picum*, tunica sit per extremitatem oræ infimæ limbum habens croceum, ad instar acanthi flexibilis virgulti. Immo ἁκανθῶν Græci etiam vocavere hujusmodi limbos vestium,

teste Hesychio, apud quem ἀρωτοὶ περίγραμμα ὑφασμένον. *Emmeness.*

654 *Ornatu Argivæ Helenæ*; quos illa *Mycenæ*] Hic quoque commendatio muneris a persona, quæ et in fuga magni fecerit. *Servius.*

*Argivæ*] A vicinitate dixit *Argivæ*. Et paulo post *Mycenæ*: cum Spartana fuerit, quæ civitas est in Laconia. Nam legimus, 'Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.' Et vide jam omen infelicitatis futuræ: cum adulteræ suscipit munera. *Idem.*

*Argivæ Helenæ*] Hanc adeo formosam fuisse dicunt, ut ejus forma, redacto maximo peritissimorum pictorum in unum numero, propositis etiam formosissimarum mulierum nudis corporibus, pingi nequiverit: ergo quæcumque erat formosa, ab ea appellabatur *Helenæ*. Sed Virgil. *Argivæ* dixit, ut de illa sola intelligeretur. *Donatus.*

*Argivæ Helenæ*] Lycophr. ἀργείαν κίονα, τριάντορα κέρην eandem vocat. Argivam autem Helenem vocat, non quod Argis nata sit, oppido, non ita longe Mycenæ distante, in Peloponneso, sed quod Argos non solum pro urbe, sed pro Peloponnesi tota regione usurpatum sit, ut docet Strabo l. VIII. Helena autem filia Tyndari regis Laconicæ fuerit, Lacedæmonem autem Peloponneso contineri non dubium sit; sed non solum Peloponnesiacos, sed Græcos omnes Argivos dictos ex æquo, est auctor Plutarch. ἐν βωμαῖ. in cap. διὰ τοῦ τοῦ μαύου μὲν ἐκ τῆς ξυλῆς γεφύρας εἰδὼλα βριτούντες ἀνθρώπων εἰς τὸν ποταμὸν ἀργεῖου τὰ βριτούμενα καλοῦσι. Hom. Il. B. ἀργήην, ἑλένην, ἥς εἵνεκα πολλοὶ ἀχαιῶν ἔν τρωτὶ ἀπόλοντο ubi Eustathius: ἐνταῦθα δὲ καὶ ἀργεῖαν τὴν λακεδαιμονικὴν ἑλένην λέγει, ὥς καὶ τῆς λακεδαιμονος ἄργους καλουμένης, καθάπερ καὶ ἄλλῃ ποτὶ ἡ πελοποννησος. Et idem in eum locum Od. Δ. καὶ κέν οἱ ἀργεῖ νύσσα πόλει, ἰστέον δὲ ὅτι ἀργεῖοι κἀνταῦθά φησιν, ἡ τὴν πελοποννησον, ἡ καὶ τὴν ὑπὸ τῷ μενέλαῳ χεῖραν,

ὅθεν καὶ ἑλένη ἀργεῖα ἔντε διαβῆ, καὶ μετ' ἄλλα δὲ, ἡ ἑλλὰς μὲν λάκαινα, κατὰ δὲ τὸ ἑλὸν πελοποννησία. Notat insuper idem Enstathius Peloponnesum et Spartam a dignitate partis dictas, Argos autem Achaicum, Pelasgicum, Iason, Hippiion, et Hippoboton, ad differentiam Amphiloehici, Thessalici, Cilicij, Macedonici, Nisyrici, Troezenii, et aliorum nonnullorum. *Germanus.*

655 *Pergama cum peteret*] Eo tempore, quo a Paride sollicitata est Helena, Venere faciente, quæ ei in præmium pro victoria, quam de mato aureo acceperat, alienum matrimonium concilians, sicut nota fabula omnibus traditum est: quamvis vera historia hoc habere dicatur, non sollicitatam a Paride Helenam, sed cum non ei consentiret, ut, absente eo tempore Menelao, sponte eum sequeretur ad Trojam, expugnata civitate, vi a Paride sublatam: unde factum est, ut Paris, timore, ne, qui eum sequerentur, non recto itinere properaret ad patriam, sed diverteret ad Ægyptum, et ad regem Proteum veniret; qui cum esset sacrificus, et agnovisset alienam uxorem, a Paride raptam, duci eam dicitur subtraxisse, et nescio quibus disciplinis phantasma, in similitudinem Helenæ formatum, Paridi dedisse, quod in II. plenius invenies. *Servius.*

*Inconcessioque Hymenæos*] Et fato et legibus. Hymenæus autem, ut alii dicunt, deus est nuptiarum. Ut alii, quidam juvenis fuit, qui die nuptiarum oppressus ruina est: unde expiationis causa nominatur in nuptiis. Sed falsum est: nam vitari debuit magis nomen extincti. Sed hoc habet veritas: Hymenæus quidam apud Athenas, inter bella sævissima virgines liberavit: quam ob causam nubentes ejus invocant numen, quasi liberatoris virginitatis. Hinc etiam apud Romanos Talasio invocatur. Cum enim in raptu Sabinarum, plebejus quidam raptam pulcherrimam duceret: ne ei

inferretur ab aliis, Talasionis eam dæcia nobilis esse simulavit: cujus nomine fuit puellæ tata virginitas. *Idem.*

*Inconcessæque Hymenæe*] Historia de Hymenæo, adolescente Atheniense: qui raptas a piratis virgines in libertatem vindicaverit: in antiquis ple-risque Servii codicibus manu scriptis non reperitur: quare vereor, ne illa sint adulterina. *Pierius.*

*Inconcessus*] Hac forma Arnob. l. i. 'inconcessi amoris flammæ, et furiales immittere cupiditates.' *Cerda.*

656 *Extulerat*] Secum exportaverat. *Servius.*

*Extulerat*] Nam cum esset regis uxor et locupletissima, et iret ad Trojam, hæc, ut præcipuas, secum abstulit, non redituram se sperans, propter admissum adulterium; propterea addidit *inconcessus Hymenæus*. *Don.*

*Extulerat*] Ita et Greci ἐκράπειν dicunt. Alii l. *Abstulerat*. *Taubmann.*

*Matris Leda mirabile donum*] Vel quod ipsa filiæ; vel quod ei Jupiter dederat. *Servius.*

*Leda mirabile*] Ut tam pulchra, nisi a matre, donari non potuissent: et cum donarentur, miratos esse, qui viderent. Adduxit autem, ut his uteretur, quotiens adultera formosior videri volebat. Ergo superabant formam, quæ pingi non potuit, pulchriorumque reddebant. *Donatus.*

*Leda mirabile donum*] Vel, quod ipsa filiæ; vel, quod ei Juppiter dederat. Leda a Jove in cygnum converso, imprægnata ovum peperit: unde prognati sunt Castor, Pollux, et Helena. Dum dicit, *mirabile*; notat artificii excellentiam: videturque insuere, manibus Leda textum fuisse. Et solet Poëta in ejusmodi muneribus plerumque artificum meminisse. Ita *Æn.* iii. Andromache clamaydem Ascanio donans ait, 'Accipe, et hæc manuum tibi quæ monumenta mearum Siat, puer,' &c. et *Æn.* iv. 'Tyrioque ardebat murice læna Demissa ex

humeris; dives quæ munera Dido Fecerat, et tenui telas discreverat auro.' *Taubmann.*

657 *Præterea sceptrum, Ilione*] Bene offert munera, apta personis: sicut etiam Latino, in septimo. *Servius.*

*Ilione quod gesserat olim*] Quia etiam feminæ sceptro utebantur. *Gesserat* autem, ut, 'hoc Priami gestamen erat.' Et quæritur utrum hoc sceptrum de Thracia, an de Troja sublatum: quidam Æneæ ab Iliona datum dicunt; sed quamvis apta nupturæ reginæ sint munera, tamen futurorum malorum continere omen videntur. *Servius.*

658 *Maxima natorum Priami*] Quia ante etiam fœminæ regnabant: præsertim primogenitæ; unde ait *Maxima*. Hæc autem uxor Polymnestoris fuit, quæ post captum Ilium, ejecta a viro, manu sua interiit. *Idem.*

*Maxima*] Solent enim religiosi parentes, quæ habent optima, filiis deferre majoribus. *Donatus.*

*Maxima natorum*] Sic Hom. II. 2. de Hecuba: λαοδίκην ἐσθλόνουσα θυγατρὴν εἶδος ἀρίστην. *Idem* II. A. προσβυδάτην δὲ θυγατρὶν εἶχε ξανθὴν ἀγαμέμνην. Ut autem hic sceptrum dat Ilionæ; sic et Hom. Od. 2. Nausicaam vivo utroque parente reginam vocat: σφαῖραν ἔπειτ' ἔρριψε μετ' ἀμφιπόλων βασιλεια. Vide eum locum *Æn.* ix. 'Tumidusque novo præcordia regno:' et illum: 'regina sacerdos,' 'regis filia.' *Germanus.*

*Maxima natorum Pr.*] Erat *Ilione* filia Priami, uxor Polymnestoris Thracum Regis. De qua Pacuvius fabulam scripsit. Vide Hyginum c. 109. *Gesserat olim*, dicit: ut intelligatur vel jam nupta; vel, antequam nuberet. Ferebant enim ea et inferiores personæ, teste Homero. *Taubmann.*

*Colloque monile*] Ornamentum gutturis: quod et *segmentum* dicunt: ut Juvenalis, 'Segmenta et longos habitus.' Licet *segmentatas vestes* dicamus: ut ipse, 'Et segmentatis dormisset

parvula cunis.' *Servius*.

[659 *Baccatum*] Ornatum margaritis. Dicimus autem et *hæc margarita*, et *hæc margaritum*, et *hæc margaritis*, quod Græcum est; quo modo Nais. Sane multi separant gemmam et margaritum: ut Cicero, 'Nullam gemmam aut margaritam:' et *gemmas* volunt dici diversi coloris: *margaritas* vero albas: vel *gemmas* integras, *margaritas* pertusas. *Idem*.

*Baccatum*] Neque hæc dissimilia esse debebant, quæ optimus pater et ditissimus, maximæ filię dederat. *Donatus*.

*Monile Baccatum*] Perspectum habuit Æneas feminarum ingenium, quæ solent esse *φιλόσομοι*. Una Eriphyle, Talai filia, exemplo est, et instar omnium, quæ maritum, latentem, ne ad bellum proficisceretur Thebanum, prodidit, corrupta monill, quod Veneris olim fuerat, cujus impotentiam perstringit Ovid. in Ibiu. 354. et legendus Cic. de invent. i. 50. et in Verr. iv. 18. *Baccatum* est *gemmosum*, ut Apulej. i. v. vel ut Suet. in Galba c. 18. 'monile margaritis gemmisque consertum,' Gr. *λιθοκόλλητος ὄρμος*, et apposite admodum Ælian. var. hist. xii. 1. tale monile, quale hoc loco describitur *ἄγιον* esse dicit *ἢ θυγατρὸς βασιλέως ἢ μητρός*, vel filia vel matre regis dignum esse: *baccatum* a *baoca* dicitur, id est, margarita, ut Salmas. Plin. exerc. p. 531. et 1124. *Emm*.

*Duplicem gemmis auroque coronam*] Duplicem, aut latam: ut, 'Duplici aptantur dentalia dorso.' Item, 'aut duplex agitur per lumbos spina.' Aut re vera, duplicem gemmis et auro. Sane immiscet Romanam consuetudinem, coronis enim fœminæ utebantur. *Servius*.

*Duplicem gemmis auroque coronam*] Hic videtur Maro alludere ad gemmis contextas coronas, quæ Chrysostomo *λιθοκόλλητοι στέφανοι*. Scilicet præcipuum inter hospitalia dona coronam veteres habuerunt: unde Tacit. Ann.

i. xrv. 'Nec multo post legati Tygranocerta missi patere mœnia afferant, intentos populares ad jussa, simul hospitale donum coronam auream tradebant.' *Germanus*.

*Duplicem gemmis auroque coronam*] Notat Passchalius de coronis ix. 7. reges regibus talia dona misisse. Cyaxares inter alia munera, Cyro missa, voluit esse coronam regiam, auream, distinctam pretiosissimis lapillis: in hac autem corona, Didoui dono data, auro etiam intertextæ fuerunt gemmæ. Duplex ejus fuit contextus, unus aureus, alter gemmeus, sed uterque ita mixtus et compactus, ut unus esset. Turneb. autem duplicem coronam ab antiquis nuptialem dici suspicatur xxix. 4. ad differentiam virginalis, quæ simplex forte fuit. *Emmense*.

600 *Hæc celerans*] Celeriter facere cupiens. *Servius*.

*Hæc celerans*] Laudat hominis diligentiam. *Donatus*.

*Hæc celerans*] Ut supra active sæpe *properare*, exemplo Græcorum, qui *σπεύδω* et *ταχύνω* ita usurpant. *Germanus*.

*Hæc celerans*] Ubi Grammaticorum neutra? Ex Vechner. Hellen. p. 79. expromo Maronis Æn. viii. 90. 'Ergo iter inceptum celerant,' &c. Cui adijunge hoc, quod v. 609. 'Illa viam celerans,' &c. sic 'accelerare sibi aliquid' apud Corn. Nepotem vita xxv. 22. *Emmense*.

661 *At Cytherea*] Ab insula, quæ numero tantum plurali dicitur: ut, *Sunt alia Cythera*. *Servius*.

*At Cytherea*] Id est, dum hæc gererentur. Necessaria metuentis Veneris deliberatione, cujus æstus agebat consideratio loci, temporis, et personæ, erant ab Achate perficienda jussa. Et periculosum erat credere nepotem eidem periculo, in quo erat Æneas: ne tota simul progenies interiret. Nam quamvis Trojani essent humane suscepti, motuebatur tamen,

fallax natura Tyriorum et stimulus  
Jumonis : ne ipsa opportunitatem  
loci, et occasionem temporis nacta,  
terra opprimeret, quos mari extin-  
guere non poterat. Artes ergo novæ,  
id est, consilia elaborata exquiruntur,  
ut Ascanius non pergeret, et tamen  
Achates jussa faceret. Fallit ergo  
omnes, et profert Æneæ amorem,  
sibi concilians Didenem : nam neque  
Æneas iratæ resistere potuisset exi-  
gua substantia, neque convulsis navi-  
bus et in hieme effugere. *Donatus.*

[*Novas artis*] *Ἀρς τὰν νέων* est : un-  
de sine epitheto male ponitur. Vete-  
res autem artes pro dolis ponebant.  
Et Terent. in Heautont. 'Quendam  
offendi ibi militem, Ejus noctem oran-  
tem : hæc arte tractabat virum.'  
Item in Phormione, 'Artificem pro-  
bum : nam et Græci dolos, technas  
dicant, ut in Æn. II. 'Perjurique arte  
Sinonis : ut bonas artes, malasque  
artes dicamus. *Servius.*

[*Versat*] Pectus esse sedem sapien-  
tiæ et consilii, efficiunt verba Valer.  
Max. VII. 2. ubi loquens de Biante,  
qui fugiens portabat secum omnia  
sua bona, id est, sapientiam ; signate  
ait : 'pectore enim illa gestabat, non  
humeris.' Planti Epid. 'sapit hic  
pleno ore : in Milit. 'cui sapiat pec-  
tus : in Mostell. 'mihi in pectore  
consilii quod est : et Bacchid. 'ver-  
sipellem frugi convenit esse hominem,  
pectus cui sapit.' Idem jam cor,  
jam animum usurpat ad eandem rem.  
Nam in Mostell. 'Dum mihi senatum  
consilii in cor convoco : et in Milit.  
'Dum ego mihi consilia in animum  
convoco.' *Cerda.*

662 *Faciem mutatus*] Non figura  
est. Quod autem addidit et ora, pe-  
rissologia est. *Servius.*

663 *Donisque furem Incendat re-  
ginam*] Incendat et furere faciat ; ut,  
'Animumque labantem Impulit.' Im-  
plicitè proprie ait : *Impliciti* enim mor-  
bo dicuntur, nam et amor morbus.  
*Servius.*

*Delph. et Var. Clas.*

*Virg.*

664 *Omnibus implicit ignem*] Scalig.  
IV. 16. Multa alia verba sunt, inge-  
rat, induat : sed illud plenius. Ita  
paullo post, et 'cingere flamma.'  
*Taubmann.*

665 *Quippe domum timet ambiguum*]  
Modo incertam. In qua habitat muta-  
bilis fœmina : ut, 'Varium et mutabile  
semper Fœmina.' Item Juno in quar-  
to, 'Suspectas habuisse domos Car-  
thaginis altæ.' Alias, *ambiguum*, pro  
gemina duplicique accipitur : ut,  
'Agnovit prolem ambiguum.' *Serv.*

[*Ambiguum*] *Παλιβαλον καὶ ἄπιστον* :  
de qua ambigas, Græcisne an Troja-  
nis faveat. Atque hanc suspicionem  
egregie Veneri exprobrat Iuno Æn.  
IV. 'Nec me adeo fallit, veritam te  
mœnia nostra Suspectas habuisse do-  
mos Carthaginis altæ.' Et sane Pla-  
to monet IV. de Legibus, Vicinitatem  
etiam maris officere morum integri-  
tati. *Taubmann.*

[*Tyriosque bilinguis*] Fallaces. Nec  
enim ad linguam retulit, sed ad men-  
tem. *Servius.*

[*Tyriosque bilinguis*] *Διγλῶττους, δι-  
χουόθους, διπλούς*, fallaces et subdolos.  
Et potest allusum videri ad duplicem  
linguam, qua Pœni utebantur, Ty-  
riam et Libycam. Inde et Plautus  
in Pœnulo, V. 2. Hanonem ut bilin-  
guem, dicit esse, 'bisulca lingua,  
quasi proserpentem bestiam.' Et  
tales qui sunt, plerunque habentur  
veteratores. Jam, *Punica fides*, et  
*Phanicum pacta*, proverbio locum fe-  
cere. Vide Turneb. X. 24. *Taubm.*

[*Tyriosque bilinguis*] Sic homo bilin-  
guis apud Plædr. fab. II. 5. non ea  
notione, qua Ennius dixit 'bilingues,'  
'brutates,' qui et Osce et Græce lo-  
qui erant soliti. Vide Sext. Pomp.  
de sign. verb. *Emmenceus.*

666 *Atrox*] Primo quantum ad Ve-  
nerem pertinet, sæva ; non quia ita  
de ea Poëta judicet. *Servius.*

[*Sub noctem cura recursum*] Circa noc-  
tem. Et sciendam, quia cum tempus  
significatur, *Sub*, præpositio accusati-

7 N



vo cohæret: ut, 'Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese Diversi rum-punt radii.' Et bene *Sub noctem cura rec.* quia vehementiores curæ, vel circa noctem, vel per noctem sunt. *Recurrat*, recurrit et revertitur, quasi semper in mentem venit. *Idem.*

*Cura recurat*] Cura illa, quæ propter Iunonis odia nata erat, recurat quotidie sub noctem: *Corradus.* Ποῦτα παλιμπερεῖς μελεδῶνας, q. d. *retro-lapsas curas* vocat. Ita δυσκρήδης νύξ ἢ δούφροντις καὶ δυσφύλακτος, καὶ μὴ ἀναπαύσιμος dicitur. Propert. l. iv. 'At mihi cum noctes induxit vesper amaras.' Jam vox *recurrat*, inquit Scaliger, et frequentiam recurrendi notat, et sonum dat. *Taubmann.*

667 Ergo his uligerum dictis affatur Amorem] *Aligerum*, compositum a Ποῦτα nomen. Sane Latini deum ipsum Cupidinem vocant: eo quod facit amorem. Sed hic imitatus est Græcos: qui uno nomine utrumque significant. Nam Amorem dixit deum: sed discrevit epitheto. Sane nomen hoc, ratione non caret. Nam et quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur: ut, 'Inter quas curam Clymene narrabat inanem,' id est, amorem. Item, quia imperfectus est in amantibus sermo, sicut in puero: ut, 'Incipit effari, mediaque in voce resistit.' Alatus autem ideo, quia amantibus nec levius aliquid, nec mutabilius invenitur: ut in ipsa probatur Didone. Nam de ejus interitu cogitat, cujus paulo ante amore deperibat: ut, 'Non potui arreptum divellere corpus.' Sagittas vero ideo gestare dicitur, quia et ipsæ incertæ velocesque sunt.' Et hæc ratio pene in omnibus aliis numinibus, pro potestatum qualitate formatur. *Serv.*

668 *Nate, mea vires*] Aut quia Veneria voluptas exerceri sine amore non potest: aut, secundum Simonidem, qui dicit Cupidinem ex Venere tantum esse progenitum. Quamquam alii dicant, ex ipsa et Marte: alii ex

ipsa et Vulcano: alii vero Chai et primæ rerum naturæ eum esse filium velint. Sane et hic persuasorium agit, sicut superius, ubi Juno ad Æolum loquitur, *Æole namque tibi*: sed ibi, quia dea cum homine loquebatur, principio opus non fuit: hic vero principio usus est, quia Dea cum Deo loquitur, ad benevolentiam comparandam. *Nate*, ab indulgentissimo nomine causa amoris, *Mea magna potentia.* Quid possit facere, *Qui tela Typh. tenuit.* Pro quo, *Frater ut Æn. pelago tuus.* Contra quem, odiis *Jun. iniq.* Nam quod dicit Frater tuus, non filius meus, ostendit ei etiam profuturum, qui rogatur. Nam ex eo genere est illud, *Et nostro docti sæpe dolore.* Quæritur causa, *Huma Phænissa tenet D.* Timor ipsius, *Et vercor quo se Jun. v.* Rem ipsam, *Quocirca cap. a. d.* Modus, *Qua facere id. p.* Quamdiu, *Noctem non ampl. u.* An difficile sit, *et nolos pueri p. i. v.* Quomodo, *ut cum te gremio a. l. D.* Subito amabit, *Occultum inspires ig. f. q. v.* Nihil promisit, quid enim promitteret Deo? *Servius.*

*Nate*] Id est, solus, qui Jovis cætemnis fulmina, quæ diis cæteris solent esse terrori. *Idem.*

*Nate*] Breviter omnia consilia sua exprimit, et, quomodo fieri possit, ostendit: et honestum facile, et necessarium demonstrat. *Donatus.*

*Mea vires*] Vindicat sibi necessitudo parentum, quicquid liberi possunt. Et docet inter filios et parentes tale debere esse volendi et nolendi studium, ut, in multis licet corporibus voluntas una et necessitudinis vinculum indistinctum, integrumque perduret. *Donatus.*

*Nate*] Scribendum hic *gnate*, non *nate*, Pierius notat, et Achilles Statius c. 18. observationum: juvat Catullus, ad quem in geminatione aliosit procul dubio Noster. Ille de Nup. Pel. 'Gnate mihi longa jucundior unice vita, Gnate.' Atqui in Catullo

doeti omnes legunt *gnate*. Cerda.

*Nate, meæ vires, mea sola potentia]* Hand dissimilem legas locutionem apud Stat. Silv. l. i. 'Sed dabitur juveni, cui tu, mea summa potestas Nate, capis:' et sic Venus amorem appellare introducitur ab Ovidio Metam. v. 363. 'videt hunc Erycina vagantem Monte suo residens, natumque amplexa volucrem, Arma, manusque meæ, mea, nate, potentia, dixit.' *Emmenes*.

*Solus, Nate, patris]* Hic locus contra vulgum ita distinguendus est, cum Servio, Donato, Fabricio, aliisque, ut dictio *Solus* ad posteriora referatur: *Solus Nate, &c.* Taubmann.

*Solus Nate patri]* Hic vocativus cum recto; ejus structuræ exempla dabit Sanct. in Minerva p. 82. *Emmenes*.

669 *Patris nuntius]* Nunc quidem de Jove proprie dixit. Sciendum tamen pro qualitate rerum, vel personarum, summum deum dici, vel patrem. Nam summum unusquisque putat esse eum, quem colit: ut, 'Summe deum sancti custos Soractis Apollo.' *Servius*.

*Typhœa]* Multi *Typhœa* legunt: ut *Cerealia*, et *Cerealea*. *Typhœa* autem dixit, non quibus Typhœus usus, sed quibus Jupiter in Typhœum: epitheton, ab spoliis, id est, virtute et victoria posuit, ut Scipio Africanus et Metellus Creticus. *Idem*.

*Tela Typhœa]* Facile ostendit esse, quod petit. Qui enim potuit Jovis fulmen contemnere, facilius poterit fœminæ mentem possidere. Ergo ita dixit, ne ille excusaret propter Junonem. Fecit autem benevolam filium dicendo, *nate*. Item, quod potior esset Jove, et esset potentia sua. *Donatus*.

*Temnis]* Aphæresis, pro *contemnis*. Hac autem laude hoc dicit, facile eam posse Junonem contemnere, qui Jovem contemnit. *Servius*.

670 *Ad te confugio]* Personarum ratio facit landis augmentum. *Idem*.

*Ad te]* Quasi dicat: Non est, qui

tantum aut debeat, aut possit. *Don*.

*Supplex]* Admonuit pietatis, ut filium: rogavit, ut Deum. Quid igitur accessit oneris, cum est rogatus ab ea, quæ auctoritate parentis jubere poterat? *Idem*.

*Tua numina]* Possibilitatem: et notandum est, unum deum plura habere numina; ut supra dictum est de Junone. *Servius*.

671 *Frater ut Æneas]* Conciliatio a qualitate personæ. *Idem*.

*Ut]* Est *quemadmodum*: quod in pronuntiatione extenditur, quando temporis non est. *Idem*.

*Frater ut Æneas]* Fecit benevolam et attentum: nunc facit docilem, subjuncta narratione totius negotii. Dixit *frater tuus*, ut appareat operam non in extraneo ponendam, sed in fratre esse necessariam. Ergo honestum et pium: ut frater pro fratre laboret, præsertim in causa salutis. Adjungit labores, ut moveat commiserationem: et ostendit injuste pati, et deformat personam adversariæ, quæ prosequatur innoxium. *Donatus*.

*Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum Litora jactetur odiis Junonis iniquæ]* Omnia prorsus exemplaria manu scripta, quæ hactenus legerim, scriptum ostendunt, *jacteturque odiis*, particula *que* tantum ad sustinendum versum interjecta, ut plerunque alias. Nam quod ajunt quidam ita ordinem explicandum, ut dicamus, *nota tibi ut tuus frater Æneas jactetur pelago, jacteturque circum omnia litora*, nimium tortuosa mihi videtur oratio: quare omnia circum litora, ampliationem potius esse dixerim, quod parum erat, pelago dixisse. *Jactetur* vero absque particula *que* libenter legerim. Nam pentimemereos locus omnino communis est, cui tamen isti passim ita consultum voluere, ut nullam pene reliquerint, cui non particulam eam obtruderent. Nisi dicamus figuram esse brevitatæ per detractionem, quam alio loco Quintilianus adnotavit

ab aposiopesi diversam, quum scilicet unum tantum siletur verbum, idque manifestum, ita hic detractum sit; *erret*, quippe, *pelago*, *circum omnia litora*, *jacteturque odiis Junonis*: quod codicum antiquorum reverentiæ concedamus. Demum quod in aliis legitur *Junonis iniquæ*, in Longobardico legere est, *Junonis acerbæ*; quasi dicat implacabilis, quæ nulla possit ratione mitescere. Sed enim id admittendum, quod in pluribus et minus corruptis exemplaribus habetur, *iniquæ*: cui lectioni Ovidii etiam congruit parodia, 'Dira lues populis ira Junonis iniquæ.' *Pierius*.

672 *Jacteturque*] Vacat *que*. *Serv.*

*Odiis Junonis iniquæ*] Justa causa petitionis ostenditur. Odium autem, o in nomine breve est, in verbo vero longum, ut *Odit*. Quemadmodum *liquor*, li brevis est: *liquitur* longa. *Servius*.

673 *Nota tibi*] Græca figura est: ut Terentius, 'Mira vero militi quæ placeant.' *Idem*.

*Nota tibi*] Hoc ad laudem Cupidinis pertinet. Maximum enim crimen esset ejus, si fratris periculum nesciret. *Donatus*.

*Et nostro doluisti sæpe dolore*] Nostro autem, eo quo et ego: ant doluisti, ideo, quia me dolentem vidisti; ut *doleo illa re*. *Servius*.

*Doluisti*] Si præterea doluit, debet cavere ne rursus dolenda succedant. *Donatus*.

674 *Hunc*] In codicibus plerisque antiquioribus, *nunc* legitur: quod minime displicet: præsertim quum Ti. Donatus exponat, *jam tenet*. *Pierius*.

*Phœnice*] De Phœnice. *Servius*.

*Dido tenet*] Ostendit facilitatem petitionis. Nam si amore jam *Æneæ* affecta est, non est opus initio amoris, in quo magna est difficultas, sed augmento. Desideratur autem augmentum, quia timetur Juno: a qua amor talis posset abrumpi: ergo opus erat tali amore, qui non posset abrumpi a Junone. *Donatus*.

*Tenet*] Moratur. *Servius*.

*Tenet*] Julius Scal. 'verbum clarius, ac minus plebejum hoc loco, quam si, ut in Bacolicis dixisset, Postquam nos Amarylilis habet.' *Cerda*.

*Blandis Vocibus*] Ideo dixit *blandis*, ut ostenderet Didonem facile amore incendi posse, quæ ante jam blanda est, quam amet. *Servius*.

675 *Quo se Junonia vertant Hospitia*] Quo: in quam partem. *Junonia* autem *hospitia* Carthaginem dicit: ubi habitabat Juno; ut, 'Hic illius arma.' Aut certe hoc ipsum vereor, quod *Æneæ* Carthago in hospitium patuit; ut est, 'Timeo Danaos et dona ferentes.' *Servius*.

*Junonia vertant Hospitia*] Id est, Punica, ideoque omnia suspecta. Junoni enim Carthago dicata erat: quæ ob id *Junonia* quoque vocata est. Turneb. XVIII. 32. *Taubmann*.

676 *Haud tanto cessabit cardine rerum*] Aut *δευτερός* dixit, ne in tantum quidem: hoc est, *brevis occasione cessabit*. Ant simpliciter intelligendum, non poterit in tanta rerum opportunitate cessare: ut sit de proverbio tractum, quod dicitur; *Res in cardine est*, hoc est, in articulo. Quidam sic intelligunt; cum in incerto statu res sunt, in *cardine* esse dicuntur, et translationem verbi a janua tractam volunt, quæ motu cardinis hac atque illac impelli potest. *Servius*.

*Cardine*] Hic fidem facit, cum fores clauduntur: et tribuit firmitatem: ergo dixit: 'Tanto cessabit cardine rerum.' Erat enim in potestate absolvere amorem, quem voluntate susceperat: sed divinitus impactus, non potuit humano arbitrio summoverti. Asserit ergo necessarium remedium, quo omnis illa factio succumbat. *Donatus*.

*Haud tanto cessabit cardine rerum*] *Servius* *cardinem* hic pro opportunitate accipit: ut sit ἀκμή, καρπός, ἐκκαύλα, quod proverbium jactetur, *res in cardine est*. Nec multum possum ab ea ego sententia deflectere: cum

videatur mihi Maro ab ostiorum cardinibus, hoc est, *στροφεῖναι*, vel *στροφῆς*, metaphoram duxisse; vel cæli duas illas sibi oppositas partes respexisse, quæ immotæ immobilesque Astronomis dicuntur, et Græcis *πόλοι*, ut res Trojanorum prosperas et secundas significaret, ac velut in vado, et tuto esse, et ea constitutione compositas, ut Junoni iniquæ suspectæ esse deberent. *Germanus*.

*Cardine rerum*] Cardio ipsum punctum est ac momentum occasionis et opportunitatis, quæ nisi rapiatur, effluit statim. Hoc loco: in tanta occasione rei faciendæ non cessabit. Vide Salmas. Plin. exerc. p. 1249. *Emmeness*.

677 *Quocirca*] Quapropter. *Serv.*

*Capere ante dolis*] Ostendit melius esse, ventura propulsare, quam iis, quæ venerunt, remedia quærere. *Donatus*.

*Quocirca capere ante dolis*] Quapropter meditor præoccupare et implicare Didonem amore doloso: ne ad nutum alicujus Numinis animum suum mutet. Servius pro adverbio habet *quo*, id est, aliquam in partem. *Cingere autem flamma*, *φλογὶ ἀμφιβέλλειν*, vox militaris est, et metaphorica, ab obsessis igne ferroque urbibus. Ita *Æn.* vi. 'Mœnia lata videt,' &c. et x. 'et mœnia cingere flamma.' *Taubmann*.

*Cingere flamma*] Dicitur Metaphora a militaribus urbium obsidionibus: ipse in x. 'Interea Rutuli portis circum omnibus instant, Sternere cæde viros, et mœnia cingere flamma.' Totus Poëtæ locus desumptus apparet ex Apollonio Arg. l. iii. ubi Venus Cupidinem sollicitat, ut Medeam incendat in amorem Jasonis. *Cerda*.

678 *Meditor*] Mente pertracto. *Servius*.

*Ne quo se numine mutet*] Quo, vel vacat, vel pronomen est. Et bene supprimit numen Junonis, ne ejus frequenti commemoratione, Cupidinem terrest: magis enim vult, eum intel-

ligere, quam audire Junonem: aut certe adverbium est: ut sit, timeo ne se numine Dido aliquam commutet in partem. *Idem*.

679 *Mecum*] Id est, cum officio Venerio; vel *mecum* per meos amores, me adnitente. Nec potest intelligi, quemadmodum ego. Aliter enim a matre Æneas, aliter amatur a Didone. *Idem*.

*Mecum*] Tanto amore amet, quanto mater amat filium: cujus amor noli violentia numinis valet abrumpi. *Donatus*.

680 *Qua*] Id est, quomodo. *Serv.*

*Qua*] Servius legit *qua*, id est, quo modo. In veteribus tamen exemplaribus plerisque *quo* habetur. In Mediceo, *qua*: ut agnitum a Servio. Quod vero *posses*, in Romano codice est, vitium id familiare. *Pierius*.

*Accipe*] Audi: ut, 'Accipe nunc Danaum;' ut contra, *Da*, dic: ut, 'Da, Tityre, nobis.' 'Da, non indebita posco.' *Servius*.

*Mentem*] Dispositionem, consilium. *Idem*.

681 *Accitū*] Evocatione, et est quartæ declinationis. *Idem*.

*Urbem Sidoniam*] Quam tenent Sidonii. *Idem*.

682 *Puer ire parat*] Ostendit in commutatione formæ, ætatis commutationem non fore difficilem. *Donatus*.

*Mea maxima cura*] Et Æneas cura est: sed Ascanius maxima: 'cui regnum Italiæ, Romanaque tellus Debetur.' et ubique Ascanius maxima cura Veneris introducitur: ut, 'Veneris justissima cura.' Item, 'Hunc tegere, et diræ valeam subducere pugnæ.' *Servius*.

*Maxima cura*] Nolebat mittere Ascanium, ne duorum sollicitudine frangeretur: vel, ne is mitteretur, qui, exoriente tumultu, sibi per ætatem cavere non posset. *Donatus*.

*Mea maxima cura*] Quod ei regnum Italiæ et Romana tellus deberetur. Vel, quia ultra liberorum affectum nepotes haberi dicuntur. Sed et ali-

oqui cura pro liberis omnium est maxima. *Taubmann.*

683 *Dona restantia*] Quia restiterunt, superfueruntque, et *pelago* posuit, cum post Trojæ eversionem navigaverit Æneas. *Servius.*

*Flammis restantia Trojæ*] Quod alibi: 'reliquias Danaum terræque marisque.' Scalig. iv. 16. Intelligit autem Pallam illam, Cycladem, Sceptrum, Monile, et Coronam. Atque hoc ideo, ut viderentur interiisse meliora. *Taubmann.*

684 *Hunc ego*] Ne diceret Cupido, Quid fiet de Ascanio, si ibo. *Donat.*

*Sopitum somno*] Unum quidem est *sopor* et *somnus*: sed modo *sopitum*, irrigatum intelligimus. *Servius.*

*Sopitum*] Nam illa ætas multum profundeque dormit. Ergo erit sat temporis ad capiendos mulieris animos. Designat etiam tempus et locum amoribus aptum. *Donatus.*

*Cythera*] Sicut dictum est genere neutro pluraliter, ut alibi, 'Sunt alta Cythera.' *Servius.*

685 *Idalium*] Cypri nemus est, in quo oppidum breve; ut paulo post, 'Idaliæ lucos.' Item, 'Idaliumque nemus.' *Idem.*

*Sacrata sede*] Vel templi, vel oppidi. *Idem.*

686 *Ne qua scire dolos*] Qua vacat, ut frequenter diximus. *Idem.*

*Ne qua scire d.*] Ne qua ratione Ascanius dolos præsentire possit, aut *Medius*, hoc est, intempestivus, ac negotio molestus interveniat. *Taubm.*

*Medius*] Importunus, incongruus. *Servius.*

687 *Tu faciem illius*] *Faciem* pro *vultu* posuit. Nullus enim potest faciem alterius accipere: sed vultum, qui pro mentis qualitate formatur. Unde infra est, *Et notos pueri, puer, indue vultus*: aut certe quia difficile numini non est, ut in faciem mutetur alterius. Sane *illius* in Georgicis corripuit; ut, 'Illius immensæ.' *Id.*

*Noctem non amplius unam*] Ut supra diximus, artis Poëticæ est, non om-

nia dicere. Unde nunc præmisit *Noctem unam*. Nec enim dicturus est, aut abscessum Cupidinis, aut adventum Ascanii. *Idem.*

*Noctem unam*] Erat spatium breve, sed erat properandum, ne longi temporis opera esset necessaria: quia Ascanius longiori somno teneri non potuit. *Donatus.*

*Tu faciem illius noctem, &c.*] *Faciem falle dolo*, est dolose simula, et fallendo assume. Pompeius: *Faciem fallere* dixit, ut Sophocli. *μορφήν δολοῦν*. Siquidem hic *Fallere faciem*, est *τροπλῆσθαι*, mentiri et simulare: ut infra, 'mentitaque lana:' et supra, 'Et varios discet mentiri lana colores.' Tusanus et illud citat; 'faciem mentita Creusæ,' id est, *ψευσαμένη*, vel *τροκρομένη*. Pari forma Propert. el. iv. 5. 'Audax cantatæ leges imponere Lunæ, Et sua nocturno fallere terga lupo.' ubi *λυκανθρωπίαν* respexit: quam et Maro Ecl. viii. 'His ego sæpe lupum fieri et se condere silvis Mœrim . . . vidi.' Scalig. iv. 16. interpretatur, falsam habeas: præ te feras. Inusitatus, inquit, dicendi modus. Dicimus enim, *Cupido fallit Eliam*: *σφάλλειν*. Fallit autem falsa facie, id est, non sua: ergo non vera. Quare si facies falsa est, ergo aliquis eam fefellit, *ἔσφηλεν*: quod est, dimovit a natura sua. Non, quod Ascanii facies immutata sit; sed quod ab alio representata. Etiam apud Hesych. scriptum est, *σφάλλον, κολλάων*. Igitur etiam *simulare* significavit. Hoc non animadvertenter Grammatici: et Servius male interpretatus est, *faciem* pro *vultu*. Nemo, inquit, alienam faciem potest accipere. Profecto nemo homo: at Potestatum dii possunt. *Æn. xi.* 'Juturna in faciem mutata Metiaci.' et *Æn. v.* 'Fit Beroë Ismarii conjux longæva Dorycli.' Nisi Ascanii faciem sumpsisset sibi Cupido, frustra vultu illius se suosque texisset dolos. Hæc ille. *Taubmann.*

688 *Pueri puer*] Argumentum a fa-

cili. *Servius*.

*Pueri puer*] Ἰδύοντες habent argumentum a facili. Et lepida est colusio, sic infra: 'puerique puer dilectus Inlo.' *Taubmann*.

689 *Latissima Dido*] Non est epitheton perpetuum: id est, cum læta esse cœperit. *Servius*.

690 *Regalis inter mensas*] Epulas intemperantes, in quibus castitas rara est, et facilis amoris occasio: unde est illud Terentii, 'Sine Cerere et Libero friget Venus.' *Idem*.

*Regalis*] Epithetum ad conviviorum splendorem augendum frequentissimum: ita Ovid. Met. vi. 'Regales epulæ mensis.' et Stat. Theb. l. ii. 'regales epulas et gaudia vulgi.' Hieron. epist. 83. 'regias paret epulas.' Ammianus l. xviii. 'mensæ regales.' sic Æn. vi. 'Regifico luxu.' Val. Arg. ii. 'mensæque paratu Regifico.' Silius l. xi. 'Regifice extractis celebrant convivia mensis.' Quicquid enim regium est, ita magnam plerumque est, ut locum dederit his locutionibus. Philo quoque l. i. de vita Mosis in re convivii φιλοτιμία βασιλικαῖς. Græca quoque voce Plautus Pers. *Basilico accipere victu*. Inde (quæ nota Brissonii est de Reg. Pers. l. i.) cum Horatius dixit, 'Persicos odi puer apparatus,' intellexit *regales*. Nam vetus interpres: *Persicos, regales*. *Cerda*.

*Regalis inter mensas*] Huc facit illud Terentii: 'Sine Cerere et Libero friget Venus.' Utrumque enim in hoc convivio regali suppetebat, ideoque facilius esse potuit mentis inclinatio. *Latex Lyæus* autem vinum est: itaque Bacchus dicitur, ἀπὸ τοῦ λῆων: quod curas ac membra solvat. Poëta: 'Cura fugit multo diluiturque mero.' Unde λυσιμελής appellatur; quomodo et Venus: λυσιμελής βάκχος καὶ λυσιμελής ἀφροδίτη. Petronius: 'Aniculæ solutæ mero ac libidine.' Dictum autem, *latex Lyæus* ea forma, qua alibi *Arcadius magister*; pro, *Ar-*

*cadicus*, et *Lyæus*. Horat. *Stertinium acumen*, pro *Stertinianum*. Vide Casaub. ad Theocrit. c. 1. *Taubmann*.

*Laticemque Lyæum*] *Latex* proprie aqua est, ab eo, quod intra terræ venas lateat: sed et vinum latet intra uvam. Unde nunc dixit *laticem*. *Lyæum* autem pro *Lyæium* figurate; ponens principalitatem pro derivatione. *Servius*.

*Laticemque Lyæum*] Dabo hic Notam Hartungi Decur. 3. Solent Græci duo substantiva conjungere, quorum alterum pro adjectivo capiendum. Ut νηοὶ πρυμψοί, *navibus puppibus*, pro navibus postremis. Ita Homerus ll. x. νηὶ παρὰ πρύμνῃ. et Odyss. ii. νηὶ δ' ἐνὶ πρύμνῃ. Ergo, *laticem Lyæum* pro liquore Bacchico. Hic enim non est, *Lyæus*, αἶμα, æum: sed nomen substantivæ. Ita l. xi. 'ferro sonat alta bipenni,' id est, ferro bipennato, et utrinque acuto. Placent ista, sed qui volet tamen accipere nomen adjectionis, possit: ut sit quod Aristoph. dixit, βάκχιον ρῆμα. Præsertim cum *bipennis* nomen sit adjectionis, non substantivæ, ut liquidum ex Terentio Varrone in Pharrnone: 'Ferens ferream humero bipennem securem.' *Cerda*.

691 *Oacula figet*] Phrasis Lucretii, qui l. iv. 'Foribus mæser oscula figet.' ibidem, 'labellis affigunt oscula.' Repetit Noster ii. 'oscula figunt.' *Idem*.

692 *Occultum inaspres ignem*] Definitio amoris est, ignis occultus. *Serv.*

*Occultum inaspres ignem*] Periphrasis amoris, per definitionem. Videatur P. Victorius xxxviii. 8. ubi hoc ita vult dictum, ut ab Hom. ἐμπνέον μένος. *Taubmann*.

*Veneno*] *Venenum* dictum, quia per venas eat; ideo post ait, 'longumque bibebat amorem.' *Servius*.

*Fallasque veneno*] Epig. l. iv. λοβολεῖς ἐς κραδίην, sive de sagitta, sive de veneno accipias. *Germanus*.

*Veneno*] De amore etiam Proper-

tius l. ii. 'Intactos isto satius tentare veneno.' Non abludit, vocari Amorem a Val. Arg. l. vii. pestem latentem ossibus. Est satis sagax in imitando Propertius, sæpissime ad Poëtam alludit, et sæpe ita clanculum, ut vix assequari. Rem hic locus indicabit. Ut enim Poëta ignem, et venenum conjungit: ita ille libro i. eleg. 5. in re simili amoris: 'Et miser ignotos vestigia ferre per ignes, Et bibere e tota toxica Thessalia.' Est hoc genus imitationis illustrissimum. *Cerda.*

693 *Paret Amor dictis*] Ut supra, pro Cupidine amorem posuit. Sane notandum, quod interdum, ubi inducit minorem festinantem parere, majori respondentem eum non facit, ut hoc loco Cupidinem, ut in iv. 'Ille Patris magni parere parabat Imperio.' Et in vii. 'Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis.' *Servius.*

*Paret*] Non respondet: quid enim personæ matris, vel maxime in tali causa, responderet: et tempus facta, non fabulas exigebat: ergo se officiosum matri præstat. *Donatus.*

*Alas Exiit*] Hoc est, deposuit. Laus ingens Ascanii per transitum. Siquidem, alis tantum depositis, Ascanius fuit. *Servius.*

694 *Gaudens*] Vel, ut filium exprimeret ad patrem euntem: vel, quia plena voluntate jussa matris implebat. *Donatus.*

695 *At Venus*] Natura puerorum tangitur, qui securius et diu dormiunt, si etiam accedant alia oblectamenta: ut secessus, flores, et odores, et mollicies, opacitasque umbrarum. *Idem.*

*Placidam per membra quietem*] Aut epitheton est quietis: aut ideo *placidam* dixit, quia est quies, quæ potest etiam somniorum terrore turbari. *Servius.*

*Placidam per membra quietem*] Est ubi *placitam* legatur: quod non æque placet. *Placida* enim proprium est

quietis epitheton. *Pierius.*

696 *Inrigat*] Infundit, proprie quia somnus sic pingitur, quasi cornu infundat. *Servius.*

*Inrigat*] Pulchra metaphora. *Fabius Antias* Annal. l. i. apud Macrobi. 'mitemque rigat per pectora somnum.' *Lucretius* l. iv. 'Somnus per membra quietem Inriget.' *Cyprianus* in Genes. 'Illius irriguo perfundit lumina somno.' Ego puto opus hoc esse *Tertulliani*. Non abit *Hom.* Il. ii. Γλυκὺν ὕπνον ἔχοντες: *Dulcem infudit somnum.* Nam fundo de liquidis proprium. Ad hæc pertinent, quæ dicuntur l. v. de Deo Somno, qui fingebatur ramum gestare madentem Lethæo rore. Ad sermonem transtulit *Lucilius Satyr.* l. xxiii. 'Per aures pectus irrigarier.' *Cerda.*

*Inrigat*] Sic noster *Æn.* iii. 511. 'Corpora curamus, fœsos sopor inrigat artus.' inde Somnus dicitur *irriguus*. *Persio* Sat. v. 56. 'irriguo mavult turgescere somno.' quid verbum *inrigare*, id est, aquam rivis inducere, *Salmas.* *exerc.* *Plin.* p. 918. *Emmeness.*

*Fotum*] Sublatum, complexum. *Servius.*

*Fotum*] Id est, sublatum, complexum. *J. Jov. Pontanus* in extremo *Actii*, pæne e singulis trinn horum carminum verbis, eque *Veneris* gestibus et voluptatem et admirationem gigni, docuit. *Taubmann.*

697 *Idalie lucos*] *Turnebus* xxiv. 44. *Idem.*

*Amaracus*] Hic puer regius unguentarius fuit, qui casu lapsus dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creavit. Unde optima unguenta, *amaracina* dicuntur. Hic postea in herbam *sampsuchum* dicitur versus, quam nunc *amaracum* dixit. *Servius.*

*Amaracus adspirans*] *Scalig.* l. iv. *Amaracus adspirans*, est quod supra dixit, 'sertisque recentibus halant.' Omnia odorifera *Veneri* dica-

ta sunt. Est autem amaracus herba, quam et *sampuchum*, et vulgo *majoran* dicant: ex qua conficitur unguentum amaracium, quod Plinius XII. 4. inter nobilissima recenset. Oleum quoque inde fieri, quod *sampuchum* vocatur, aut *amaracium*, &c. Laeret. 'Denique amaracium fagitat sus et timet omne Unguentum,' &c. Neque pejus ullum animal edit Venus, quam suam: ob interfectum Adonia. *Amaracus* vero puer regis unguentarius fuit, inque herbam sui nominis mutatas est. Ita ut hoc loco puer puerum complecti videatur. *Taubmann.*

*Umbra*] In qua rectius dormitur. Atque hinc est, quod Ovidius domum Somni scribat esse, quam Sol nunquam adeat. *Idem.*

699 *Jamque ibat*] Cum vix Venus ista dixisset. Sane neque festinantibus personis, neque minoribus est respondendi facultas; ut hoc loco Cupidini: ut, Mercurius supra, item in quarto; ut in septimo, Furie. *Servius.*

*Dicto parcas*] Pro eo in soluta oratione passim dicto audiens. *Emmeness.*

700 *Portabat*] Portanda curabat. *Taubmann.*

701 *Cum venit*] Aut pro *cum veniret* ait: ut *cum* sit adverbium temporis, pro *dum*. Nec enim potest conjunctivi modi particula jungi indicativo. Sane sciendum, malo errore, *cum* et *dum* a Romanis esse confusa. *Serv.*

*Cum venit*] Executus est jussa matre: quia prævenit convivium, et venit cum jam discumbent in aptissimo tempore. *Donatus.*

*Cum venit, &c.*] Quando Ascanius venit, jam Dido auratis ornata vestibibus, vel aurea sponda, eoque in lecto, qui *Medius* erat, accubuit. Jam si *Aurea* dicitur *Regina*, dactylus erit: si *sponda*, fit Synæresis: idque maluit quidam docti. Et Cælius quidem *spondam* interpretatur *sedilia discumbentium*. Videtur expressum illud Pindari χρυσόσπονδος κοῦρα. Sappho

quoque χρυσόσπονδος vocat ἀπώκω, forte a variegata veste. Verbum autem, *Compositis*, Ge. IV. somno tribuit: 'thalamis se composere.' Et Propert. I. II. 'Et tabula una deos poterit componere amantes,' &c. Porro medium se locat Dido, ut decebat Reginam. Medium enim locum honorificentissimum habitum, argumentis firmat imprimis Lipsius Antiq. Lect. I. III. Vide tamen Notas Æn. II. 2. *Taubmann.*

*Aula*] Velis pictis; quæ ideo *aulea* dicta sunt, quod primum in aula Attali, regis Asie, qui populum Romanum scripsit heredem, inventa sunt. Ideo autem etiam in domibus tendebantur *aulea*, ut imitatio tentorium fieret, sub quibus bellantes semper habitare majores. Unde et in thalamis hoc fieri hodie conspiciamus. Varro tamen dicit, vela solere suspendi ad excipiendum pulverem: quia usus cameræ ignorabatur. Unde Horatius, 'Interea suspensa gravis aulea ruinas In patinam fecere, trahentia pulvis atri, Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.' Sciendum sane Græca nomina in *y* exentia, cum derivationem faciant, *y* in *æ* diphthongum convertere, ut *αἶλη*, *aulea*, *ἰδὴ ἰδεα*, *ἀτρη*, *ætrea*. *Servius.*

*Superbis*] Nobilibus: ut, 'Ceciditque superbum Ilium.' *Idem.*

*Superbis*] Sic Stat. Thebaid. I. 1. 'Jam ipse superbis Fulgebat stratis.' Stat. Theb. I. 1. 'Pars ostro tenues auroque sonantes Emunire toros, altosque inferre tapetas.' *Emmeness.*

702 *Aurea*] Si Dido *aurea*, pulchram significat: et est nominativus. Si *sponda*, septimus quidem est: sed synæresis fit, et spondens est. *Serv.*

*Aurea*] Potest esse rectus, ut jam explicui. Quod firmat imitatio Propertii, eleg. IV. 7. 'Hac Tyburtina jacet aurea Cynthia terra.' Potest etiam esse Latinus casus, ut fiat synæresis *aurea sponda*. *Cerda.*



*Sponda*] Antiqui stibadia non habebant: sed stratis tribus lectis epulabantur. Unde et triclinium sterni dicitur: sic Cicero, 'Sterni triclinia et in foro jubebat.' Unde apparet errare eos, qui triclinium dicunt ipsam basilicam, vel cœnationem. *Servius*.

*Sponda*] Erat hæc, reclinatorium, quo veteres sustinebant mediam partem superiorem corporis in accubitu (ex Nota Ursini) ab Spartiano *anactinerium*, ab aliis *pulvinus*. Ad hoc pertinet illud Martialis l. iii. 'Cubitis trudit hinc et inde convivas Effultus ostro, sericisque pulvinis.' Scribit etiam Ciacconius, in marmoribus videri plurimos accubantes, cubito innixos pulvinis. Ergo Dido componit se in sponda, id est, pulvino illo, qui illi erat pro fulcro, ut sine ulla molestia epulis operam daret. Notat Pollux l. vi. quod reliquis est ἀνδρακλυτρον, uni Aristophani esse ἐν κλυτρον. *Cerda*.

*Mediamque locavit*] Collocavit. Ipse enim apud majores domini fuerat locus; ut aperte Salustius docet, 'Igitur discubuerunt. Sertorius inferior in medio; supra L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo Antonius; infra scriba Sertorii Versius. Alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquiliū et dominum Perpernam.' *Servius*.

*Mediamque locavit*] Dignissimus locus pro opinione gentium censetur: de eo disputantem adi Salmas. exercit. Plin. p. 1254. et Turneb. vi. 21. *Emmeness*.

703 *Jam pater Æneas*] Religiosus: quia *pater* proprie omnium deorum epitheton est, ut Virgilius ostendit. *Servius*.

*Jam pater Æneas*] Discernitur ipse et Trojani sedibus purpureis. *Donat*.

704 *Ostro*] Pro purpura posuit, unde et tingitur. *Servius*.

*Stratoque super discumbitur ostro*] Apud C. Julium Ro. ubi de præposi-

tionibus agitur, quæ a Suetonio Tranquillo in ordinem digestæ fuerint, versus citatur ex Marone, ita scriptus, *structoque super discumbitur ostro*. Nam *Extruimusque toros*, alibi dictum, et *instruimusque mensas*. Quanquam *strato* minime displiceat, quod de tapetis intelligendum est. *Pierius*.

*Stratoque super discumbitur ostro*] Id est, lectis discubitoriis ostro sive purpura stratis. Æschylus etiam πορφύρεον πορρον πόρον vocat. Ita Cicero, 'lectos conchyliatis peristromatis stratos' dixit: item, sternere triclinia, &c. Sunt, qui malint legere, *structo*, quia Æn. iii. dixerit, 'Extruimusque toros:' et, 'Extruimus mensas.' *Taubmann*.

*Stratoque super discumbitur ostro*] Ad hunc locum consule Ciacc. de triclin. p. 17. pro eo Stat. Theb. Achil. l. iv. 'et picto discumbitur ostro.' *Emmeness*.

705 *Dant famuli manibus lymphas*] Humilis character, qui *τοχρος* dicitur. Villia enim describuntur. *Servius*.

*Dant*] Describit familiæ ordinem. *Donatus*.

*Dant famuli manibus lymphas*] In Romano, in Longobardico, et aliquot aliis codicibus antiquis, transportatis dictionibus, legere est, *dant manibus famuli lymphas*: sed isti Lambdacismum evitare voluerant, quum tamen auctores plerumque hujusmodi syllabarum concursum venustati ducant. *Pierius*.

*Dant famuli manibus lymphas*] Postquam in lectis ordine collocaverant, manus lavabant. Vide Feithium iii. 5. ant. Hom. Ciacc. de Triclin. p. 42. et de lotionibus post cœnam in appendice Fulv. Ursinum p. 305. ubi formula κατὰ χυρὸς. *Emmeness*.

*Cerereque*] Hic panem, alibi triticum: ut, 'Tum Cererem corruptam undis.' *Servius*.

*Canistris*] Mos apud veteres festerat fuisse, ut panis, non argenteis, sed vimineis vasculis inferretur. *Donat*.

*Canistris*] *Ex quibus*, ferebant *ot-*  
*ter*, id est, panem, quod jam in antiq.  
 Hom. observavit Feithius III. 1. Stat.  
 Thebaid. I. 1. 'His cumulare canistris  
 Perdomitam saxo Cererem.' Ejus-  
 que distributio alicui ex servis triclini-  
 ariis incumberebat: ut Pignor. de  
 Servis p. 58. *Emmenes*.

706 *Espediant*] Proferunt. *Serv.*

*Tonsisque ferunt mantelia villis*] Vel  
 minutis: vel compositis, ut, 'ton-  
 sa corona.' Constat enim majores,  
 mappas habuisse villosas, quibus  
 etiam in sacris utebantur; sicut in  
 Georgicis, 'Manibus liquidos dant  
 ordine fontes Germanæ, tonsisque fe-  
 runt mantilia villis:' de supplicatu-  
 ris enim hoc dixit: *mantilia* vero a  
*tergendis manibus* dicta; et est nomi-  
 nativus *mantile*, quo modo *torale*.  
 Quod autem legimus *Ne turpe toral*,  
 apocope est. *Idem*.

*Mantelia*] Romanus codex, et hic,  
 et in Georgicis, *mantelia* per *e* tertia  
 a fine syllaba legit: ac ne quis putet  
 ex familiari quodam scribendi more,  
 quo plurima toto opere in eo codice,  
 i in *e* mutant, ita hoc etiam loco fac-  
 tum esse: sciendum in aliis quoque  
 veteribus plerisque codicibus, *man-  
 telia* scriptum esse. Nam in Oblongo  
 apparet id manifeste. In Longobar-  
 dico vero abrasa dictio est: sed  
 enim *mantelia* omnino prius scriptum  
 fuisse discernitur. Sane *mantellum*  
 apud Plantum, et apud Lucillum  
*mantella* legitur. 'Mappas Mantella,  
 merumque:' atque ita *mantelia*. *Pier-*

*Mantelia*] Vide notas nostras Ge.  
 IV. 377. quibus adde quæ de Manteli-  
 bus observavit Ciaccon. de Triclin.  
 p. 28. *Emmenes*.

707 *Quinquaginta intus famulæ*] Hoc  
 est, multæ. *Servius*.

*Ordine longo*] Id est, dispositione,  
 secundum Tullium: qui in *Æconomi-*  
*cis* dicit, quid ubi ponendum sit.  
 Nec enim debent universa confundi.  
*Idem*.

*Ordine longo*] Ubi fuerant quinquaginta, ad quarum curam pertinebat procuratio cellarii, et deorum Penatum cultus: illas sine dubio vicissitudo longo ordine tangebatur. *Donatus*.

*Quibus ordine longo Cura penum struere*] Est et ubi *longam penum* le-  
 gas. Dictum enim *longam penum* a  
 Virgilio Fl. Sosipater auctor est:  
*Penum* porro fœminino genere Lucil-  
 lium quoque dixisse constat, eo car-  
 mine: 'Magna penus parvo spatio  
 consumpta peribit.' Eodem genere  
 usos Pomponium et Nævium, ait No-  
 ninus, qui non probari ait auctoritatem  
 eorum, qui neutro genere dixerint,  
 quamvis Festus *penora* ponat. Quan-  
 tum vero pertinet ad vulgatorem  
 lectionem, quæ est *longo ordine*, ea in  
 pluribus ex vetustis exemplaribus ha-  
 betur, et agnoscitur a Donato. *Pier.*

*Ordine longo*] Donatus, Servius,  
 Charisius legunt, *longam Cura penum  
 struere*. Et quia *penus longa* est, rec-  
 te structores ait esse curiosos et dis-  
 positos. Quid sit *Penus*, docet Agel-  
 lius IV. 1. *struere* autem est ordinare  
 et componere. Unde et *structores*  
 dicuntur ferculorum compositores,  
 seu *sciendendi obsonii magistri*. De  
 cujus munere, ut et de arte structo-  
 ria, videatur Seneca epist. 47. item  
 De Brev. vitæ c. 12. Inprimis Juve-  
 nalis Sat. 11. et v. *Taubmann*.

708 *Cura penum struere*] Inter *pe-  
 num* et *cellarium* hoc interest; quod  
*cellarium* est paucorum dierum: unde  
 et in cella dicitur importatum fru-  
 mentum. *Penus* vero, temporis longi.  
 Sane dicimus, et hic et hac et hoc *pe-  
 nus*: sed a masculino et fœminino ge-  
 nere quarta est declinatio, a neutro  
 tertia, quo modo est *pecus pecoris*.  
 Unde Horatius, 'Portet frumenta  
 penusque.' Masculino vero genere  
 Plantus, 'Nisi mihi annuus *penus*  
 datur.' Fœminino Lucilius posuit,  
 'Uxori legata *penus*.' Quartæ autem  
 declinationis, Persius docet: ut, 'In  
 locuplete *penu* defensis pinguis

umbris.' *Servius*.

*Struere*] Ordinare, componere. Unde et *Structores*, dicuntur ferculorum compositores. *Idem*.

*Cura penum struere*] Ancillæ, quibus cura penum struere, Græcis dicuntur *σηκίδες*, vel *σηκίλαι*, atque etiam fortasse *ἄβραι*. Primas duas voces aliqui contrahunt tantum ad penum in agro, postremam dilatant ad omnia munia ancillarum. *Cerda*.

*Struere*] Cibos, a coquo elaboratos, collocabat structor, qui Græce *τραπεζοῦρος* vel *τραπεζοκόμος* appellabatur: de iis, qui penum struebant, et flammis adolebant penates, meminit Macrobi. Saturn. 1. 24. 'inter hæc servilis moderator obsequii, cui cura vel adolendi penates, vel struendi penum,' &c. vide Pignor. de Servis pagina 66. 67. *Emmeness*.

*Et flammis adolere penates*] Id est, Colere. Sed *adolere*, proprie *augere*. In sacris *Adolere* per bonum omen dicitur. Nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur et consumuntur; quia veteres in focis sacrificabant, ut ipse alibi, 'Hortor amare focos.' *Servius*.

709 *Centum alie*] Eleganter atque breviter divitias expressit, laudavitque. Voluit enim demonstrare, ducentos, et sexum, et ætatem discernere. Numerus autem non est res magna in rege, sed parilitas ætatis, quæ ostendit quanta sibi servorum esset multitudo: ex qua ducenti pari ætate eligi potuerint digni, qui curarent supra dicta. *Donatus*.

*Totidemque pares ætate ministri*] Non numerus: sed ætatis qualitas habet admirationem. *Servius*.

*Centum alie*] Nihil fuit magnum, si ducentis ministris ad hanc officii partem utebatur: nisi fuissent *Pares ætate*. Non enim numerus, sed ætatis qualitas hic habet admirationem. In evidenti enim est, quanta servitorum fuerit multitudo, ex qua centum ministri, et totidem ministræ pares

ætate deligi potuerunt. Imitatur hunc locum Val. Flaccus: 'Stant gemmis auroque tori, mensæque paratu Regifico: centumque pares primæva ministri Corpora: pars epulas manibus; pars aurea gestant Pocula.' *Taubmann*.

*Centum alie totidemque, &c.*] In numero servorum convivii ponebant magnificentiam veteres. Pignorius p. 57. hanc infertorum et pocillatorum turbam fuisse credit: et hi singulari nomine *ministri* vocabantur. Eundem consule p. 47. 48. eo nomine Stat. Theb. 1. 1. 'adolere focos epulasque recentes Instaurare jubet: dictis parere ministri Certatim accelerant.' De his etiam Ciacc. de Tricli. p. 68. *Emmeness*.

710 *Qui dapibus*] Quidam *dapes* regum volunt esse, *epulas* privatorum. *Servius*.

*Onerent*] Potest et abundantiam retulisse, et de veterum more dixit, quibus cum accubuissent, omnis cæna semel adponebatur. Et quidam volunt hoc secundum veterem ceremoniarum ritum adverti debere, quod Flamini diali mensa inanis non adponebatur: nam cum dicit, *Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant*, et alibi, *Et vina reponite mensis*, quid aliud ostendit, quam mensam vacuum non antepositam Æneæ, quem ubique omnia sacerdotia inducit habuisse? *Idem*.

*Onerent, et pocula ponant*] In Romano codice, et plerisque aliis pervertustis, legere est utrunque verbum indicandi modo, numero etiam variato: scilicet hoc pacto, *qui dapibus onerant mensas et pocula ponunt*, quod nescio quid picturatus habet, quum res ipsa ita geri videatur: quod in priori illo indefinito modo significaret tantum paratos esse ad onerandas mensas, et ponenda pocula. Unicuique tamen integrum sit, quam maluerit lectionem sequi. *Pierius*.

*Et pocula ponant*] Similiter more

antiquo dixit, quia veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur, ut hodie apud plures; pocula in canistris argenteis apponuntur, quæ *canistra siccaris* dicuntur. *Servius.*

*Pocula ponant*] *Κόπελλα παρατίθου.* *Germanus.*

711 *Nec non*] Supra ostrum Trojani, qui magis essent honorandi, sederunt: Tyrii vero in vestibus pictis. *Donatus.*

*Nec non et Tyrii per limina lata, &c.]* Ab his verbis non abludit mos Persarum, quem late probat Brisson. de Reg. Pers. l. 1. quo procerae, et optimates terebant Regum limina; et inde aulicos omnes, et magnates generali hoc nomine τῶν ἐν τῷ βασιλείῳ, comprehensos. *Cerda.*

712 *Toris pictis*] Pro in toris pictis; et torus dictus est, quia veteres super herbam tortam, vel sedebant, vel discumbebant: ut Æneid. v. 'Viridante toro consederat herbæ.' *Servius.*

*Jussi discumbere*] De regis satellitibus dixit, qui utique subjecti erant imperio, nec tantum quod hospites fuerant; *discumbere* autem juxta consuetudinem suorum temporum dixit, quia olim sedentes vescebantur; ut ipse alibi, 'Gramineoque viros locat ipse sedili,' et, 'perpetuis soliti patres considerare mensis.' *Idem.*

713 *Mirantur dona Æneæ*] Hoc ad Tyrios retulit. *Idem.*

*Mirantur*] Per hoc ostenditur, regina quanquam ditissima et ditissimi viri uxor fuisset, talia nunquam habuisse, cum hæc ipsa et sui Tyrii mirantur. Alius intellectus est: mirantur dona Æneæ, id est, mirantur talia Æneam vel habere, vel donare potuisse. Mirantur ergo substantiam animi largientis. *Donatus.*

*Mirantur lulum*] Quem putabant Iulum. *Servius.*

714 *Flagranteque Dei vultus*] Ardentes divinitate. Hoc ad poetam refertur. *Idem.*

*Simulataque verba*] Composita in Ascanii similitudinem. Et hoc ex persona poetæ accipiendum. *Idem.*

716 *Præcipue infelix*] Propter casum futurum, ut probant sequentia. *Servius.*

*Infelix*] Quia benignum animum exhibebat, quem deberet inimicum exhibere, cum ex eo pararetur sibi mors. *Donatus.*

*Pesti devota futuræ*] Ideo ergo infelix, *pesti* autem vel amoris, vel malo. *Devota* vero de oratione Augusti translata est locutio, quem habuit in laudatione funeris Marcelli; cum diceret illum 'immuturæ morti devotum fuisse.' *Servius.*

*Pesti devota futuræ*] Id est, pernicioso et exitiali amoris penitus addicta. Ita Cicero Tuscul. iii. 'Devotus et donatus studiis.' Ita Phædrus Fab. iii. 4. 'Devotam vino filiam,' dixit, id est, deditam. *Taubmann.*

717 *Expleri mentem nequit*] Græca figura est. *Servius.*

*Expleri*] Pari forma infra, 'implevit genitoris amorem.' Pari Tacitus l. 1. 'cum oculis, cum lacrymis dolorem meum implevero.' Sic *saturio*, et *satio*, consimilia verba ad animum referas. Sic Catullus de Nupt. Pelei, 'Lumina sunt gnati chara saturata figura.' Tacitus, 'Velata parte oris, ne satiaret aspectum.' Videtur autem Poëta institisse Catullo de Nupt. Pelei, 'Nec prius ex illo flagrantia declinavit Lumina, quam toto concepit pectore flammam Funditus, atque imis exarsit tota medullis.' Sic *Cedrenus*, θυμὸν ἐμπιπλάς. *Cerda.*

*Expleri mentem*] Græcissans constructio, cujus exempla suggerit Sanct. in Minerva pag. 400. ut noster *expleri mentem nequit*, sic Longus in pastoral. l. ii. ἀπλήστως ἐνεφύρουτο τῆς ἡδονῆς. *Emmeness.*

*Tuendo*] Dum intuetur. Et omnis gerundii modus, tam ab agentis, quam a patientis significatione similiter profertur: ut, 'Cantando tu il

tām,' id est, dum cantas. Et, 'Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis,' id est, dum ei cantatur. *Servius*.

*Ardescitque tuendo*] Contrarium posuit. Nam considerationi intenta, fastidium incurrere debuit. *Donatus*.

*Ardescitque tuendo*] Advocat, quæ dicta eclog. viii. 'ut vidi, ut perii.' Et illis adijce Græcum versiculum, Γνωαὺς ὁμμα τοῖς ἀκμάζουσιν βέλους: *Mulieris oculus est juvenibus spiculum*. Et Propertium eleg. ii. 32. 'Qui videt, is peccat: qui te non viderit ergo, Non cupiet: facti crimina lumen habet.' Et Terentium in Eunuchio: 'Totus tremo, horreoque postquam illam aspexi.' *Cerda*.

*Ardeat. tuendo*] Id est, incenditur amoris flamma, contraria significatione illi Georg. iii. 'uritque videndo Fæmina.' Nam ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ γίνεσθαι τὸ ἄρδν. Eurip. Hippol. Ἔρως, ἔρως, δ' καὶ ὁμμάτων σπάρξαις πόθον! O Amor, Amor, qui per oculos instillas desiderium! Quippe Amor habitat in oculis. 'Oculi sunt in amore duces,' auctore Propert. el. ii. 12. Et in Bucol. 'Ut vidi, ut perii.' Quia vero oculi amoris illices sunt, animi sedem in his putavere. Quare et Poëtæ *Cupidinem* ibi excubantem, suæque jacula inde mittentem finxerunt. *Taubm.*

*Ardescitque tuendo*] Illud tueri Longus in pastoral. appellat ἀπλήστως βλέπειν: de hoc perpetuo adspectu Catull. in Nupt. Pelei: 'Nec prius ex illo flagrantia declinavit Lumina, quam toto concepit pectore flammam, Funditus, atque imis exarsit tota medullis.' *Emmeness.*

718 *Et puero pariter donisque movetur*] In antiquis plerisque omnibus exemplaribus legere est, hoc dictionum ordine, *et pariter puero donisque movetur*. Movebatur vero puero, quæ jam animo agitare cœpisset, posse se talem concipere ex *Aenea*. *Donis*, quia muliebree generis proclivius est in avaritiam: est enim magis infirmum,

ac perinde magis opum appetens, et auxilii. *Pierius*.

719 *Ille ubi*] Postquam, ut Horatius, 'Nos ubi decidimus.' Hoc est, *postquam*: nam si loci esset, quæ diceret. Ergo ubi interdum adverbium loci est, interdum temporis. *Servius*.

*Colloque pendit*] Imitantur Ovidius, et Valerius. Prior Fast. ii. 'Deque vberi collo dulce pendit onus.' Posterior Arg. ii. 'Nec minus Orphea tristis cervice, tanque Æacide, et gremio conjux a Castore pendet.' Propertius eleg. iv. 12. flexu alio videlicet: 'Fungere maternis vicibus pater, illa meorum Omnis erit collo turba ferenda tuo.' et alio Ovidius in epist. Hermion. 'Non ego captavi brevibus tua colla laceratis, Nec gremio sedi sarcina grata tuo.' *Cerda*.

720 *Et magnam*] Arduum. Difficile est enim imitari verum filii affectum. *Servius*.

*Falsi genitoris*] Non veri, pro eo, qui fallebatur; ut sit, implevit amorem ejus, quem decipiebat simulando, eum esse patrem suum: et est magis absolutum participium, nam illie nomen est, 'Falsi Simoentis ad undam.' *Servius*.

*Falsi*] Magna res, ut etiam pater deceptus sit. *Donatus*.

*Falsi genitoris*] Dissolvit Callimachi vocem in Cerere, ψευδοπάτρα. Merito Scalig. eludit hic quæpiam Serviana. Hic falsi potest esse ψευδοπατρός, decepti: fallebatur enim decipiebaturque Æneas, putans illum suum esse filium. *Cerda*.

*Falsi*] Quem falso suum esse dicebat. Ita Catullus, Herculem *falsiparentem* vocat, passive; cujus pater is esse creditur, qui minime sit. Callimachus ψευδοπάτρα vocat. *Taub.*

*Inplevit*] Pari forma Tacitus l. i. 'Quum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube.' Ita Cicero: 'explevit desiderii expectationem.' *Idem*.

721 *Regimen petis*] Non simpliciter dixit, *petis*. Nam *petere*, proprie est insidiari. Servius.

*Oculis hæret*] Arripuit Propertius eleg. l. 19. 'Non adeo leviter uostris puer hæret ocellis.' Pulcherrime Horatius od. iv. 13. de Cupidine: 'Polcra excubat in genis.' Et *hæret* quidem in re simili obvium. Ovidius in epist. 'Hærebat gremio turpis amica tuo.' *Cerda*.

722 *Gremio fovet*] Sustinet: ut, 'Et foveo gremio.' Servius.

723 *Insidat*] In sinu sedeat: legitur tamen et *insidat*, id est, ut quidam volunt, insidias faciat. *Idem*.

*Insidat quantus*] Tanto libentius imprudens complectebatur, quantum nesciebat qualem deum amplecteretur. *Donatus*.

*Insidat*] Sunt qui, *insidat* trisyllabum legant: et ita apud Ti. Donatum scriptum est. Id ego nusquam alibi, neque in veteribus codicibus inveni: alii *insideat*. Pierius.

*Inscia Dido Insidat quantus*] Hunc locum videtur Ovid. de Europa imitatus: 'ausa est et regia virgo, Nescia quem premeret, tergo considerare tauri.' Ut autem hic dativo *insidere* junxit; sic et Hes. *δενδρέφ' ἐφεζήμενος* et Æsch. in *χορηφ. Ἰδὼν νεοσσὸς τοῦς δ' ἐφημέρους τάφῳ*. Nam et huic verbo aliquando accusandi casum dat, ut in illo: 'insedissem supremos patriæ cineres:' et, 'summas Pallas insedit arces:' ut Eurip. in Oreste: *πίθιον ὑπέσθονα καθίζων*. Æn. xi. 'et sylvis insedit iniquis.' Respondet hæc phrasis illi in Symp. Plat. de Amore: *ἐναθεὺν γὰρ καὶ ἀνηθηκότες καὶ σώματι, καὶ ψυχῇ καὶ ἄλλῳ ὁρροῦν οὐκ ἐνίζει ἔρως*, hoc est, *οὐκ ἐνιζάνει*, non insidet amor. *Germanus*.

*At memor ille Matris*] Hoc est, *ceptorum matris*. Servius.

724 *Acidalia*] *Acidalia* Venus dicitur; vel quia injicit curas, quas Græci *ἀκιδας* dicunt, vel certe a fonte *Acidalio*: qui est in Orchomeno Bæ-

otiae civitate: in quo se Gratia abluunt, quas Veneri constat esse sacratas. Ipsius enim et Liberi filia sunt, nec immerito. Gratia enim per horum fere numinum munera conciliantur. Ideo autem nudæ sunt, quod gratia sine fuce esse debent. Ideo connexæ; quia insolubiles esse gratias decet. Horatius, 'Segnesque nodum solvere Gratia.' Quod vero una aversa pingitur, dum nos respicientes, hæc ratio est: quia profecta a nobis gratia duplex solet reverti: unde est supra, 'Nec te certasse priorem Pœniteat.' Sane Veneri, multa nomina pro locis vel causis, dicuntur imposita. Nam *Venerem* vocari quidam propter promptam veniam dicunt; alii *Suadam* appellant, quod ipsa conciliatio *Suada* sit: dicitur etiam *Obsequens Venus*, quam Fabius Gurges post peractum bellum Samniticum, ideo hoc nomine consecravit, quod sibi fuerit obsecuta; hanc Itali *Postvotam* dicunt; dicta est etiam *Equestris Venus*; dicta et *Cloacina*, quia veteres *Cloacæ* pugnare dixerunt; dicitur et *Myrica* et *Myrtea*, et *Purpurissa* et *Erycina*, quam Æneas secum advexit: dicitur et *Salacia*, quæ proprie meretricum Dea appellata est a veteribus; et *Lubentina*, quæ libentiam mentibus novam præstat; quamvis alii hanc *Lubiam* dicant, quod eo numine consilia in medullas labantur: alii *Mimneriam*, vel *Meminiam* dicunt, quod meminerit omnium. Est et *Verticordia* et *militaris Venus*. Est et *Limenesia*, quæ portubus præest, ipsa et *Victima* et *Netrix* ex Cæsaris somnio sacrata. Est et *Venus calva*, ob hanc causam; quod cum Galli Capitolium obsiderent, et deessent funes Romanis ad tormenta facienda: prima Domitia crinem suum, post cæteræ matronæ imitatae eam, excuerunt; unde facta tormenta: et post bellum statua Veneri hoc nomine conlocata est; licet alii *calcam* Venerem, quasi

puram tradant; alii *calviam*, quod corda amantium *calviam*, id est, fallat, atque eludat. Quidam dicunt porrigine olim capillos cecidisse feminis, et Ancum Regem suæ uxori statuam *calviam* posuisse, quod constitit piaculo, nam mox omnibus feminis capilli renati sunt; unde institutum ut *Calva Venus* coleretur. Apud Cyprios Venus in modum umbilici, vel ut quidam volunt, metæ colitur. Apud Ephesios Venerem *Automatam* dixerant, vel *Epidetiam*. Ratio autem eorum nominum talis est. Melibœes et Alexis amore se mutuo dilexerunt, et juramento se adstrinxerunt, ut cum tempus nuptiarum venissent sibi met jungerentur: sed cum virginem parentes sui alii despondissent, et hoc Alexis vidisset, spontaneum subiit exilium. Virgo autem ipso nuptiarum die, semet de tecto præcipitavit; quæ cum illæsa decidisset, in fugam conversa pervenit ad litus, ibique scapham ascendit, ex qua sponte funes soluti esse dicuntur: voluntate itaque Deorum pervecta est, ubi amator morabatur; quam cum ille, parans cum sodalibus convivium, suscepisset, pro ipso rei eventu, templum constituit. Quod ergo sponte fuissent solati, *Automatæ Veneri* nomen sacravit; quodque cum epulas pararet, virgo ei aquis fuisset advecta, *Epidetæ* sacrum dicavit. *Servius*.

*Abolere Sichæum Incipit*] Ordo naturalis; prius enim est evellere inhærentia, et post nova inferre: sic Terentius, 'Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio.' *Idem*.

*Abolere*] Prius enim debet removere amorem pristini viri, et paulatim: quia cum vehementer hæreret, non poterat uno impulsu dimoveri. Idecirco autem Didonem castam, divitem, pulchram, deceptam inducit per Cupidinem, ut non solum Didonis, verumetiam *Æneæ* existimationem ostenderet, ne illum ignobilis

fœmina, projecti pudoris, sponte amasse, aut provocata muneribus videatur, aut ille malis submersus numeris, de amoribus sollicitè cogitasse. *Donatus*.

725 *Vivo amore*] Aut vivi hominis, aut certe vehementi. *Servius*.

*Prævertere*] Præoccupare: propter Junonem sine dubio. *Idem*.

*Et vivo tentat prævertere amore*] In Romano codice, *amorem* legitur: quod minime placet. Solet vero ea littera in fine ibi sæpius abundare: tametsi in veterum monumentis tale aliquid sæpe legas: ut in æde Lateranensi antiquo monumento, *pro salutem imperatoris*. Quod in memoriam redigit Diomedis dictum, gavius non nunquam veteres quedam per barbarismum proferre: hoc autem loco omnino amore legas. *Pierius*.

*Vivo tentat prævertere*] Vivido ac vehementi amore inertes et pigros ad amandum animos tentat præoccupare, Junonem scilicet præveniendō. *Æn.* vi. 'residesque movebit Tullus in arma viros, et jam desuetæ triumphis Agmina.' Alio modo *Æn.* ii. 'arma desueta.' Vide Scalig. iv. 16. *Tausmann*.

726 *Resides*] Pigros ad amandum, inertes. Juraverat enim nulli se esse nupturam. *Resides* sane milites otiosi et pigres dicuntur: ut *Æneid.* vi. 'Residesque movebit Tullus in arma viros.' Unde contra instantes dicimus industrios. *Servius*.

727 *Quies epulis*] Propter regalem affluentiam. Contra supra, ubi de necessitate loquitur; 'Postquam exempta fames epulis.' *Idem*.

*Postquam prima quies*] Convivii prolixi mos describitur: nam, confectis epulis, studium bibendi prosequuntur. *Donatus*.

*Postquam prima quies*] Non declarant hic Grammatici, quare *primam* dixerit *quietem*: quia repetebant potationes: ut in iv. 'Instauratque diem donis:' sic hoc loco, *epulis*. *Se-*

cundæ mensas diis statuebant: ut apud Horatium. *Satig.* iv. 16. Quis autem *epulis* hic dicitur, propter regalem affluentiam: alio modo supra ait, 'Postquam exempta fames,' propter naturæ necessitatem, non autem luxuriam. *Tambmann.*

*Mensæque remotæ*] Licet sub extranea persona, Romanorum tamen exequitur morem, apud quos dæ mensæ erant: una epularum, altera poculorum: nam ideo sequitur *crateres*. Et Græcam est, ab eo quod est, *hic crater*. Nam Latine, *hæ crateres* dicitur. Unde Persius, 'Si tibi crateras argenti incusæque multo Auro dona feram.' *Serrius.*

*Mensæque remotæ*] Non *τράπεζαι*, sed *οἷα*, καὶ *παρθέροις*. Ferula (inquam) remouentur, lances, edulia; non mensæ ipsæ, nam statim, 'in mensa latium libavit honorem.' Non ergo illa amota: tantum edulia, et *παρθέροις*, quæ etiam dicebantur mensæ. Pollux, *τραπέζας δ' ἀπὸ τοῦ καὶ τὰ οἷα τὰ ἐκ τῶν παρθέρων*: mensas vocantur ferula in ipsis impostæ. Athenæus l. ii. *τῶν τραπεζῶν καλοῦνται τὰ παρθέροις τράτας*. Poëta ipse *Æn.* iii. 'Ambosq; subigat malis absumere mensas,' id est, edulia: lausit enim Harpya ambiguitate pecia. Denum accipiunt Virgilium Pet. Ciconius in *Tric.* Turnebus *xxi.* 22. atq;que. Sed et Philander in *Annotat.* ad Vitruv. vi. 5. conjicit ex Diphilo apud Athenæum l. ix. et ex Plutarcho in Pelopida, *mensas* dici, quoties repositoria, ferula, et obsonia mutarentur. Idcirco ego supra illud, *regales inter mensas*, accepi de cibis. Venus enim Didoni ingeri affectum amoris voluit, dum cibi ederentur, dum vinum biberetur. *Cerda.*

728 *Crateras*] De usu craterum in convivis alibi. Sed cur *magnæ*? Allusum ad formam craterum, qui magni; hoc clarum: sed deinde alius ad computationem ipsam, quæ

*Delph. et Var. Clas.*

hilarior, liberior, et major sebat in secunda mensa, quæ post quietem, in qua nunc est Poëta, sequebatur. Itaque necessaria erant magna pocula, ubi præcipue poculis, vino, invitationibus indulgendum. Inde de secunda mensa dicebatur, *majoribus potere, et Græco more bibere*, id est, potere majoribus poculis. Certa verba illa Servii *Æa.* i. 'Romanorum exsequitur morem, quorum dum erant mensæ, una epularum, altera pomorum:' in lib. ms. legi *poculorum*, non, *pomorum*, *Lævinus* testatur in *Hor.* od. iv. 5. Idem verba ista Agellii *xix.* 9. ubi *eduliis suis, et poculis*, explicat primam et secundam mensam: per edulia primam, per pocula secundam accipiens. *Horat.* *Sat.* ii. 8. 'Et calices poscit majores.' *Idem.*

*Crateras magnas statuant*] Sic Theocr. *Idyll.* v. *Ἄρδον δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος*. Recte *magnos*: sic Valerius Flaccus *Argon.* l. v. 'Æolidem magno cratere lacessit:' id est, capaci vase visario. *Juvenal.* *Sat.* ii. 87. 'Et magno cratere Deam,' &c. et *Sat.* xii. 'Urns cratera capacem.' Apud Ovid. *Metam.* l. v. 'ingentem cratera:' et l. xii. *castum*. Immo stupendæ magnitudinis crateribus uti sunt veteres, cum se copiosius aspergere flore Liberi Patris, et largius lavitare constituerant, præcipue vocato hospite. Inde Cic. in *Verr.* i. 26. 'Fit sermo inter eos, et invitatio, ut Græco more biberetur. Hortatur hospes: poscunt majoribus poculis.' Præter Arrianum l. vii. narrante, ex uno eodemque cratere Alexandrum et novem millia convivarum libasse Diis, vide Athenæum v. 7. ubi crater describitur argenteus amphorarum sexcentarum, quem curru trahebant viri sexcenti. *Emmenses.*

*Crateras magnas stat. et vin. coron.]* Eurip. in *Ion.* *χρυσέας τ' ἐν μέσῳ σπονδῆς κρητῆρας ἱστῆσε* et *Il.* A. *κοῖροι μὲν κρητῆρας ἐπεσέφοντο ποτοῖο* quod Turnebus explicat, vinum coronis

*Virg.*

7 O



*floris ornant*, assentiente alio Virgilio loco: 'At pater Anchises magnum cratera corona Induit, implevitque mero.' quamvis interpretes Græci ἐστεφάνωτο exponant, ad summam coronam et marginem implent. Tibul. 'coronatus stabat et ipse calix,' more inde convivali ducto, ut se comesatores duplici voluptate, et saporibus et odoribus inter pocula exhilararent: quamvis Aristot. lib. de sens. eam improbet consuetudinem eo loco, ubi de odoribus disputat, per se eos suaves dicens, qui ex floribus halant, quique nihil ad stimolandum palati illecebras conferant, sed ad hebetandum, etiam si in conviviis a Græcia adhiberi soleant, quasi vim voluptati afferentibus. *Germanus.*

*Et vina coronant*] *Vina* pro poculis posuit, et est tropus synecdoche; ut *Cerere* dicimus, pro frumento. Sic Plautus, 'Vinum precemur: namque hic dens præsens adest.' *Coronant* autem est, aut implent usque ad marginem; aut quia antiqui coronabant pocula, et sic bibebant. Unde est, 'Magnum cratera corona Induit, implevitque mero.' *Servius.*

*Et vina coronant*] Utrumque significat *coronare* et implere vino pocula, et cratera coronis ornare. Sententiam Servii firmant Turnebus XXI. 13. Lipsius antiq. lect. l. III. Fulv. Ursinus in append. de triclin. p. 366. et distinctius Paschalius de coronis l. 4. versus hi desumpti ex Hom. sunt II. A. 469. Ἀβράρ ἐναι πρόας καὶ θήρας ἐξ ἔπος ἔστω, κοῖποι μὲν ἀπὸ τῆρας ἐστεφάνωτο ποτόιο. Quos me citare memini Ge. II. 528. Ut hoc loco *vina coronant*, sic *meri coronati* meminist Statius Theb. l. VIII. pro cratere mero impleto. *Emmenes.*

729 *Fit strepitus tectis*] Id est, ad tecta; ut, 'It clamor coelo.' Legitur autem et, *It strepitus*. *Servius.*

*Fit strepitus tectis*] Sic Stat. Thebaid. l. I. 'Vario strepit icta tumultu Regia.' Quam paullo post obsequio

*fervere* dicit. et Achill. l. IV. Pro eo Phædrus f. IV. 14. 'Splendebat hilare poculis convivium; Magno apparatu læta resonabat domus.' *Emmenes.*

*Per ampla*] Nonnulli codices antiqui, *per ampla* unica dictione legunt. Sed in Longobardico, et aliquot aliis, *per alta* legitur: ut in quarto Æneidos, 'It clamor ad alta atria.' Vulgata tamen lectio receptior. *Pierius.*

730 *Atria*] Ut supra dictum est, tangitque morem Romanorum. Nam, ut ait Cato, et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui. Unde ait Juvenalis, 'Quis fercula septem Secreto cœnavit avus?' Ibi et pecunias habebant. Unde qui honoratiores erant, liminum custodes adhibebantur: ut, 'Qui Dardanio Anchisæ Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.' Ibi et culina erat: unde et *atrium* dictum est, quod atrum erat ex fumo. Alii dicunt, *Atria* Etruria civitatem fuisse, quæ domos amplis vestibulis habebat; quæ cum Romani imitarentur, *atria* appellaverunt: alii *atria* magnas sedes et capacissimas dictas tradunt, unde *atria Licinia*, et *atrium Libertatis*. *Servius.*

*Lychni*] Græco sermone natus est. A *lychno* enim lucerna dicta est; unde et brevis est *ly*, ut Juvenalis, 'Dispositæ pinguem nebulam vomnere lucernæ.' Horatius, 'Ungor olivo, Non quo faratis immundus Natta lucernis.' Si enim a *luce* diceretur, non staret versus. *Idem.*

*Laquearibus*] Principaliter *lacus* dicitur: ut Lucilius: 'Resultant ædesque lacusque.' Diminutio *lacunar* facit. Horat. 'Nec mea renidet in domo lacunar.' Inde fit alia diminutio *lacunarium*, et per Antistoichon *laquearium* facit: legitur et *lacuaribus*. Cicero Tusculanarum, 'Tectis cælatiis, lacuatibus.' *Idem.*

*Dependent lychni laquearibus*] Od. II. ἀλβούρας δαίτας περὶ χερσὶν ἔχοντες, φαιδύοντες δούκας κατὰ δάμνατα δασυμένους. *Lauret.* v. 'Pendentes lychni

claræque cornucis Fulguribus pingues  
multa caligine tædæ.' Videtur autem  
omnino respondere huic Hom. loco  
ille Lucretii l. II. Περὶ λυχνούχων. 'Si  
non Aurea sunt juvenum simulacra  
per ædes Lampadas igniferas manibus  
retinentia dextris, Lumina nocturnis  
epulis ut suppeditentur, Nec domus  
argento fulget,' &c. Germanus.

*Dependent lychni laquearibus aureis]*  
Idem Stat. Thebaid. l. I. 'Ast alii tenebras,  
et opacam vincere noctem, Aggressi,  
tendunt auratis vincula lychnis.' Græcum  
origine est vocabulum, ut notavit Servius.  
Macrobius vi. 4. Maronem imitatum esse auctorum  
veterum audaciam testatur, eumque non  
esse primum docet, qui Græca inseruerit  
operi suo: ubi plura de Lychnis. De aureis  
laqueariis scribit Isidorus xix. 12. qualia se non  
habuisse dicit Horat. od. II. 18. quem  
luxum notat Plin. xxxiii. 4. 'laquearia  
nunc et in privatis domibus auro teguntur;  
post Carthaginem eversam primum inaurata  
sunt in Capitolio censura L. Memmii. Inde  
transiere in cameras: in parietes quoque,  
qui jam et ipsi tanquam vasa inaurantur.'  
Pamphilus Brietis F. primus lacunariis  
pingere instituit: eodem teste xxxv. 11.  
quibus laquearibus, si convivium protrahebatur  
in multam noctem, lychnos appendebant,  
quos vocat Horat. lucernas vigiles. od. III. 8.  
et Feith. antiq. Homer. III. 5. quo lychni seu  
lucernæ sustentabantur, λυχνούχοι appellabantur,  
quorum meminit Suet. in Cæs. 37. 'adscenditque  
ad Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis  
dextra, atque sinistra lychnuchos gestantibus.'  
Petronius: 'lucerna bilychnis de camera pendeat.'  
Vide Grapald. de part. ædium. Emm.

731 *Noctem vincunt]* Luminis est exaggeratio. Servius.

*Funalia]* Quæ sunt intra ceram: dicta a funibus,  
quos ante usum papyri, cera circumdatos  
habuere majores. Unde et funera dicuntur. Alii

*funalia* appellarunt, quod in cicendula  
lucet, quos Græci πυρός vocant: Varro de vita P. R. 'Facibus aut  
candela simplici aut ex funiculo facta,  
cera vestita, quibus ea figebant appellarunt  
*funalia*.' Nonnulli apud veteres  
*candelabra* dicta tradunt, quæ in capitibus  
umcinos haberen, quibus affigi solebant:  
vel candela, vel funes pice delibuti;  
quæ interdum erant minora, ut gestari manu  
et præferri Magistratibus a cæna remeantibus  
possent. Servius.

*Funalia]* Faces ex funibus procreatae. Donatus.

*Et noctem flammis funalia vincunt]*  
Sic noctem vincere ex Statio superius. Funalia  
sic describit Isidorus xx. 10. funalia  
candelabra apud veteres exstantes  
stimulos habuerunt aduncos, quibus  
funiculi cera vel hujusmodi alimento  
luminis oblii figebantur: idem igitur  
et stimuli præacuti funalia dicebantur:  
inde illustratur Ovid. xii. 246. 'et  
primus ab æde Lampadibus densum  
rapuit funale cornucis, Elatumque alte,  
&c. illisit fronti Lapithæ.' Hisce  
funalibus utebantur plurimum, cum  
nocturno tempore convivæ domum  
deducerentur: ut nota Historia Duillii  
ex Floro II. 2. et Cicerone de senect. xiii. et  
F. Ursino in app. p. 378. Emmenese.

732 *Hic]* Tunc: ergo adverbium temporis est. Servius.

*Hic Regina, &c.]* Ex hoc loco Statius  
Theb. I. 'Victa fames, signis perfectam  
auroque nitentem Isides patram  
famulos ex more poposcit, Quæ  
Danaus libare Deis, seniorque Phoronens  
Assueti, tenet hæc operum celata  
figuras.' Cerda.

*Gravem]* Landat a pondere et a materia,  
deinde quod eo majores Didonis  
usi sint, et durante mero transierit  
ad Didonem. Donatus.

*Gravem gemmis]* Ornabant veteres  
sua pocula gemmarum magnificentia.  
Plinius in procemio l. xxxiii. 'Nec  
hoc fuit satis, turba gemmarum pota-

mus, et smaragdis teximus calices, et temulentis causa tenere Indiam juvat, et aurum jam accessio est.' Sardonius epist. II. 18. 'spumarent Falerne gemmæ capaces.' Clemens Alexand. Pæd. II. 3. meminit 'argenteorum, aureorum gemmeorumque poculorum.' Athenæus I. IV. loquens de convivio Cleopatæ: *παρεσκεύασεν αὐτῇ συμπόσιον, ἐν ᾧ πάντα χρυσῶν, καὶ λαδοκόλλητα περιττῶς ἐκουργημένα ταῖς τέχναις*: Apparuit illi convivium, in quo omnia erant aurea, gemmis magnifice distincta arteque laborata. Sed de hoc jam ego Ge. II. Cæda.

733 *Implevisque mero pateram*] Signate et docte juxta leges convivales, quas Athenæus dat I. X. quas alii. Dabatur vinum mixtum ad cavendam temulentiam: inde solennis vox, *miscæ puer*; et Græcia, *κέρσων ναι*. Libatio tamen Deorum mero fiebat, Inde hic *implevit mero pateram*, quam Dido libationi Jovis destinabat. *Id.*

*Quam Belus*] Primus rex Assyriorum: ut supra dictum est: quos constat Saturnum, quem eundem et Solem dicunt, Junonemque coluisse: quæ nomina etiam apud Afros postea culta sunt. Unde et lingua Punica *Baldus* dicitur. Apud Assyrios autem *Bel* dicitur, quadam sacrorum ratione et Saturnus et Sol. Alii hunc Belum Saturni temporibus regnasse, ejusdemque Dei hospitem fuisse tradunt. *Servius.*

734 *Tum facta silentia tectis*] Mos erat apud veteres, ut lumini incenso silentium præberetur, ut optativam sibi laudem loquendo nullus averteret, Apud Romanos etiam, cæna edita, sublatrice mensis primis, silentium fieri solebat, quoad ea, quæ de cæna libata fuerant, ad focum ferrentur et igni darentur, ac puer Deos propitios nunciasset, ut, *Diis honor haberetur*, tacendo; quæ res cum intercessit inter cenantem, Græci quoque *θεῶν παρρησίαν* dicunt. *Servius.*

*Facta silentia*] Rem enim divinam

actura silentium induxit. *Donatus.*

*Tum*] In Longobardis, *dum*: sed tum melius. *Pierius.*

735 *Juppiter*] Rogat Jovem, et ejus virtutem narrat, ut ostendat pleno voto Trojanos excepisse, cum initam societatem testimonio hospitalis Jovis confirmet. Cum autem ipsa esset Sydonia, quasi mortis suæ præsagio, Tyriorum solum et Trojanorum meminit: et merito diei meminit, quæ confirmabat societatem per sacra et convivium. Triste autem fuit, tenebras nominare, vel noctem, vel maxime, quia continuationem diei nocti conjunxerat, et nondum itum erat ad requiem. *Donatus.*

*Hospitibus nam te dare jura loquuntur*] Scilicet exemplo Lycaonis: qui cum hospites susceptos necaret, a suscepto Jove, postquam ei epulas humanas apposuit, versos in lupo; ostendit hospitii jura non esse violanda. Græci τὸν ξένον Δία appellant, *Servius.*

*Juppiter hospitibus nam, &c.*] Oratio bene ominantis. Alludit autem ad Jovis cognomen, *Xenii* sive *Hospitalis*, De libatione et precatione in mensam secunda, vide Turneb. XXIV. 35. ubi explicat illud Horat. Od. IV. 5. de Augusto: 'et alteris Te mensis adhibet deum. Te multa prece, te prosequitur mero Defuso pateria.' *Turneb.*

*Juppiter hospitibus*] Cic. ad Qu. Fratr. non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis Hospitalis. Sed de Jove Hospitali, sive Xenio, quem antiquitas hospitii vindicem et præsidem putavit, Thomasius adevendus de tess. hospital. c. 6. et Feith. Hom. antiq. III. 112. Plures fuere, ut ex Ovid. Metam. V. 45. 'testatus jusque fideique Hospitalis Deos.' Sed Juppiter eorum princeps: inde *jura Jovis*, id est, Hospitalis, apud Stat. Thebaid. I. III. *Emmenes.*

736 *Tyriisque diem*] Atqui nox erat; sed per diem accipimus et noctem: et quidam volunt masculini generis

dicam totum significare, feminini, malum. Servius.

*Trojaque profectū*] Bene noluit profugis dicere. *Idem.*

*737 Ence ocellis*] Secundum Hetruscum disciplinam locutus est. Sic enim dicunt, *volens, propitiusque sis.* *Idem.*

*Ence ocellis*] Plinius: 'Deos ante obtestantur, UT VELINT.' Ovid. de Arte l. iii. 'O ita, Phœbe VELIS!' Livius l. i. 'Pacem precibus exposcant, UTI VOLENS PROPI TIUS SUAM SOSPITET PROGE NIEM.' Vide Barn. Brisson. Form. l. i. *Tandem.*

*Nostroque hujus*] Sic factum: ut etiam nunc duret de actibus Didonis fabula. *Donatus.*

*Minores*] Posteror. Quod votum potest videri impletum, quando fœdus ictum est a Carthaginensibus cum Romanis; de quo Livius l. vii. *Tand.*

*738 Adsit lætitiæ Bacchus dator*] Alii *adsis* legunt. Secundum quos Bacchus, aut antiptosis est, aut antiquus vocativus, ut, 'Socer arma Lætiæ habeto.' *Servius.*

*Bacchus*] Vinum, sine quo lætitia in conviviis esse non potest. Nam si alibi est Bacchus, et ad culpam causas dedit: id non vini vitium est, sed hominis vino uti nescientis. *Donatus.*

*Adsit*] Antiqua omnia exemplaria quæ versamus, *adsit*, vel *assit* persona tertia legunt: alia in secunda *adsis*. *Plerius.*

*Adsit*] Utique præsentem deos optabant: ideoque precabantur, UT VENIRENT, item: UT ADESSENT. Ita Æn. iv. 'ADSIS o, placidusque juves.' Tibullus el. i. i. 'Candide Liber ADES' idem el. iv. 3. Sêneca in Medea act. i. i. 'ADESTE, ADESTE accleris ultres Deæ.' Arnob. l. iv. ADESTE, ADESTOTE DII Penates, Apollo, Tuque Neptune, &c. Sed de his luculenter Brisson. *Thubmann.*

*Dator*] Bene autem addidit, *dator lætitiæ*, quia est et dator furoris. *Serv.*

*Lætitiæ Bacchus dator*] Bene addit, *dator lætitiæ*: ὁ χαρῆς δωτὴρ, quia est et dator furoris. Sine vino autem lætitia in convivio esse vix potest. Itaque et a Plutarcho δίδωρος vocatur χαρνοδόρης. Et hanc vim exortandæ lætitiæ Baccho tribuit etiam Plato de Legibus l. ii. Itemque in Cratylo. *Thubmann.*

*Et bona Juno*] Aut propitia, id est, non irata Trojanis; ut, 'Sis bonus o fœlixque tuis.' Aut magis bona: celestis est enim et inferna: ut, 'Jannoni infernæ dictus sacer:' aut sicut supra dictum est χαρῆς, quod est *bona*, quam inter Penates Trojanis habuisse dicuntur. *Servius.*

*Bona Juno*] Nam notat illam inimicam Trojanis: ergo ut sit bona et benevola. *Donatus.*

*Bona Juno*] Refero hoc ad convivium: usurpat quippe Virgilius vocem convivalem. Plautus Stich. 'bene vos, Bene nos, bene te, bene nostram etiam Stephanum, bibe si bibis.' Tibullus eleg. l. i. 'Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat.' Bacchum vini Deum ἀγαθὸν vocat Athen. l. ii. per initia. Ibidem ex Poëta quodam, ἀγαθὸς ἐν πρὸς ἀγαθὸς ἀνδρας 'Εὐνοιοσύμενος ἦτορ: Bonus ad bonos viros hic conlocaturus. Apud eundem Alexis l. vi. ἀγαθὸν τὴν κόλωνα μεσθὴν πίνωμαι: Bonorum plenum calicem bibam. Notam Cœlii Rhod. xxi. 8. ipse leges. *Cerda.*

*Bona Juno*] Sic apud Æl. Lamprid. in vita Anton. 'dii faxint et bona Juno:' quam μεγάλην, χρηστὴν, δυνατὴν Græci appellant, ut Macrobius. iii. 4. *Emmeneses.*

*739 Catum*] Modo convivium, et bono verbo ad dignitatem duorum in uno populi usus est. *Servius.*

*Tyrii*] Ne esset aliqua incolarum adversus peregrinos emulatio. *Don.*

*Celebrate*] Athen. in re conviviali l. iii. ἐορτὴν, ἐκτελεῖν: celebratam perficere: de favore alibi. *Cerda.*

*740 In mensa*] In conviviis enim,

cum hujusmodi honorificentia numinibus exhibetur, pro ara, mensa succedit. *Donatus.*

*In mensam]* In Oblongo codice, quem Pomponii Læti delicias fuisse dicunt, *immensum* legitur: idem in Longobardico, et aliquot aliis perventus. In Romano, in Mediceo, et nonnullis emendationibus, *in mensam* habetur accusativo casu: ut in octavo eadem elocutione dictum, 'In mensam læti libant: eandemque lectionem videtur Ti. Donatus agnovisse, dum in convivii, cum hujusmodi honorificentia numinibus exhibetur, pro ara mensam succedere dicit. Sed enim vulgata exemplaria Donati, loco hoc valde corrupta habentur: apud nonnullos invenias *in mensa*. De libatione vero hujusmodi lege apud Macrobiū Saturnaliū. III. *Pierius.*

*Laticum libavit honorem]* More sacrorum. Diis enim hospitalibus et Jovi in mensa libabatur: et tangit ritum Romanorum, qui paniceas, sacratasque mensas habebant, in quas libabant: ut est, 'Hens etiam mensas consumimus, inquit Iulus.' *Serv.*

*Laticum libavit honorem]* Id est, vinum, quod tamen non perpetua libationis materia, pro eo mulsum, lac, sanguis et alia libata: vide Saubert. de sacrificiis c. 25. an in aram, an in mensam libare debuerint, contendit Macrob. Saturn. III. 11. *Emmeness.*

741 *Prima]* Vel quia ipsa libabat, vel quia potior omnibus fuit, utpote regina. *Donatus.*

*Libato summo tenuis attigit ore]* Usque ad labra. Et verecundiam reginæ ostendit: et morem Romanum. Nam apud majores nostros feminæ non utebantur vino, nisi sacrorum causa certis diebus. *Servius.*

*Summo tenuis]* Summis labris, ut religionis, et non vini cupidam demonstraret. *Donatus.*

*Libato summo tenuis attigit ore]* Tibull. eo loco l. iv. ad Messalam:

'Quod tibi si versus noster notusve, minusve, Vel bene si notus, summo vel mœret in ore, Nulla mihi statuet finem te fata canendi.' Ea, inquam, parte, *summo vel mœret in ore*, visus est mihi alludere ad sententiam hujus Maroniani loci, vel *πρὸς τὰ ἐκτελέλαι φιλήματα*, vel ad segnem degustationem poculi, qua in vino defunguntur minus generosi compotiores, nec se justo haustu perluere soliti, ut similiter Tibullus intelligat, sive versus suus Messalæ sit exacte probatus et notus, sive perfunctorie lectus, et summo ore, hoc est, primoribus labris tantum a Messala degustatus mœreat, futurum ut quoque modo ipse ejus laudibus perpetuo insistat. Alii tamen non, *mœret, sed ineret in ore.* Germ.

742 *Tum Bitiæ]* Per transitum, Pœnorum ducum nomina introducit. Nam Bitias classis Punicæ fuit præfectus: ut docet Livius. *Iopas* vero unus de prociis Didonis: ut Punica testatur historia. Servavit autem τὸ *πρῶτον*, quare non Æneæ dedit, ne aut contumeliosum videretur, aut petulans. *Servius.*

*Increpitans]* Inclamans: ut, 'Æstatem increpitans seram.' Aut certe arguens familiariter segnitiam tarde accipientis, cum esset avidus in bibendo. Nam sequitur, *ille impiger*; melius tamen accipimus clara voce hortatum: ut Plautus, 'Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo;' et Horatius, 'Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepet?' *Idem.*

*Increpitans]* Clara voce exhortans. Hunc autem elegit, quia sciebat vini esse amatorem: unde sequitur, *ille impiger hausit.* *Donatus.*

*Hausit]* Modo accepit: nec possumus intelligere *bibit*, cum hoc sequatur. *Servius.*

*Hausit Spem. pat. et pleno se proluit auro]* *Proluit*, bibendo profudit. Alibi vidit: ut, 'Hansit cælum mentemque recepit.' Alibi audivit: ut,

‘Vocemque his auribus hausi.’ Alibi vulnerat: ut, ‘Latus haurit apertum.’ Et multa alia pro loco significat. *Serv.*

743 *Pleno se prohiit auro*] In codicibus aliquot antiquis, *pleno se prohiit ore* legitur: non *auro*. Tl. Donatus super hoc ait Bitiam ideo se etiam perfudisse, quod auide biberet: et tantum infunderet, quantum fauces ejus transmittere non possent. *Pierius.*

*Et pleno se prohiit*] Et pateram, inquit, vacuum fecit: et cum auide biberet, et tantum infunderet, quantum fauces transmittere non possent, perfudit etiam se. *Donatus.*

*Pleno se prohiit auro*] Multi putant alludere Maronem ad antiquam ἀμυστία et τὸ ἀμυστὶ πίνειν. Utcunque sit, quamvis mihi θεωρημαστέον, et cornicum oculis configere religiosum sit, tamen et pace doctorum, cum Plutarcho accipi posse aliorum ἀμυστος et ἀμυστίζεω quam hactenus a Grammaticis videtur, qui ἀμυστίζεω, ingurgitare, affatim et sine respiratione bibere interpretantur, utpote ἀνευ τοῦ μῦσαι τοῖς χείλεσιν, cum contra ἀμυστίζεω ipse Plutarch. συμποσ. γ. in cap. διὰ τὰ γυναικες ἥκιστα μεθύσκοιται, &c. τὸ ἀμυστίζεω ἀπὸ τοῦ καὶ ἀμπευστὶ πίνειν accipiat, non ἀνευστὶ, ut vulgo, sitque eleganter et manifeste tam in Aldino, quam Germanico codice ἀμπευστὶ scriptum: ubi inter alias causificationes docere videtur, senes citius quam mulieres inebriari, quod tractim mulieres et cum respiratione bibant, ita ut instillatim paulatim vinum minus in defluxu immoretur, nec tam vehementer tumultuari in corpore possit, quam si præcipiti ingurgitatione et haustu copiosius infunderetur. *Germanus.*

*Prohiit*] Sic Horat. Sat. II. 4. ‘leni præcordia malo Prolueris melius,’ et Sat. I. 5. ‘absentem cantat amicum Multa prolutus vappa nauta.’ eleganter Plant. Curc. I. 2. 28. de eo qui dactim liquores iuergit, et gutturi gaudium dat, tanquam infundibulum

esset: ‘effunde hoc cito in barathrum: propere proluce cloacam.’ Tales belluones perstringit jure Aristot. I. III. ad Nicomachum teste Mureto variar. lect. IV. 8. *Emmeness.*

744 *Post alii procures*] Ergo et Bitias unus est de proceribus. Nam Exoche sine similitudine nunquam fit. Sane *procures* de his est, quæ nominativum in usu non habent: ut supra, ‘Et victor ditione tenebat.’ Nam nec hoc in usu habet nominativum: licet in compositione dicamus *conditio*. *Servius.*

*Post*] Intellige, ritum executi sunt post acta convivia: post consecrationem fœderum. Ladorum autem fit descriptio, quibus reges per voluptatem ad producendum potationem utuntur. Ladi autem Didonis nihil turpe factu, nihil obscœnum dictu habuerunt. Nam Citharæ artem inter honestas numerari constat, per hanc Orpheus plurimum potuit: hanc graves et prudentes amant, hanc diligunt Musæ, quibus tradentibus in usum hominum venit: hæc in agnibus, id est, in sacris certaminibus coronatur. Ars ergo honesta, convivium quoque non dissimile. *Donatus.*

*Procures*] Ideo secundum Varro- nem, principes civitatis dicuntur: quia eminent in ea, sicut in ædificiis muruli quidam, hoc est, ‘Capita trahium, quæ procures nominantur.’ *Servius.*

*Crimitus Iopas*] Aut puerum intellige: aut imitabatur Apollinis formam, cujus fuerat etiam artis imitator. *Servius.*

*Citharæ crimitus Iopas*] Inter cœnandum aut symphonia personabat tricinium aut instrumenta, organaque varia concinebant: vide Ciac. de triclin. p. 74. et appendicem F. Ursini p. 373. ubi delineationem quorundam instrumentorum harmonicorum habes. Vates, *scopol* dicti sunt musici. Quintilianum consule de antiquitate et veneratione musices, qui

hunc Maronis locum profert i. 10. et Voss. de nat. art. *crinites, comatos, capillatos* nominari cultiorem et juniorem familiam docet ex veteribus Pignorias de Servis p. 28. *Emm.*

745 *Personas*] *depulſe.* Pertendit M. Ant. Majoragius, Præfat. in Pind. apud antiquos eandem omnino fuisse *Lyram* et *Citharam*. Sed tamen diversa fuisse instrumenta, licet valde cognata, accuratissime docuit Jos. Scalig. in Manilium novæ edition. item Yvo Villiomarus in Locos Controv. Roberti Titii lib. i. 3. Vide et Jul. Cæs. Bulengerum De Theatro, ii. 36. et seqq. *Taubmann.*

*Personas*] Sic Phædr. Fab. iii. 17. 'Sonare cithara quos putes Apollinis.' Horat. od. i. 13. 'Sonantem aureo plectro.' *Emmeness.*

*Docuit quem maximus Atlas*] *Quæ legendum est, non quem.* Id est, quæ ipse scit, quæ ipse modulatus est. Nec enim istum docuit, qui fuit temporibus Didonis. Hic Atlas Japeti filius in Africa natus dicitur: hic quod ansum in tempora diviserit, et primas stellarum cursus, vel circulo- rum, vel siderum transitum, naturas- que descriperit, cælum dictus est sustinere; quia nepotem suum Mercurium et Herculem docuisse dicitur; unde et Hercules cælum ab Atlante susceptum sustinuisse narratur, propter cæli scientiam traditam. Constat enim Herculem philosophum fuisse. Et est ratio, cur omnia illa monstra vicisse dicatur. Sane *Atlas* Græcum est, sicut et Nilus. Nam Ennius dicit Nilum *Melonom* vocari: Atlantem vero *Telamonem*. *Servius.*

*Docuit quem maximus Atlas*] In Romano codice, et quibusdam aliis legere est, *docuit quem maximus Atlans*: sed cur *Atlans*, dictum superius, ubi de *Thesuro* disputatum. Quod vero legitur *docuit quem*, mos est Poëtis præstantis aliqua doctrina viros a Diis, vel ab Herodibus doctos asseverare. In quinto talis elocutio, 'Tri-

tonia Pallas quem docuit.' *Servius* quæ legit: ait enim: videamus qualia canebat: *Docuit*, inquit, *Quæ maximus Atlans*: hoc est, non turpia, aut obscena, sed venientia ex philosophiæ fonte, quæ docuerat *Atlans* maximus, plenusque virtutum. *Pier.* *Maximus Atlas*] Ita in l. viii. 'Electram maximus Atlas Edidit.' et Claudian. Rapt. ii. in prolog. 'te maximus Atlas Horruit.' Nam, ut canit Ovidius: 'Hic hominum cunctis ingenti corpore præstans Japetionides Atlas.' *Cerda.*

746 *Hic canit*] Bene philosophica introducit cantilena, in convivio reginæ adhuc castæ: contra, inter Nymphas, ubi solæ feminæ erant; ait, 'Vulcani Martisque dolos et dulcia furta.' *Servius.*

*Hic*] Scribere nonnulli, *Is canit*: Verum illi decepti sunt ex paraphrasi: si quidem hoc loco Sosipater Carisius in Solæcismo præpositivam particulam pro conjunctiva pronuntiatam ait: *Hic* quidem, pro *is*. *Pier.*

*Errantem lunam*] Quia *ἀνακλινῶς*, id est, obliquo incedit cursu, non recto, ut Sol: scilicet ne incidat in centrum terræ, et frequenter patiatur eclipsim. Vicinus enim est ejus circulus terræ. *Servius.*

*Errantem lunam*] *Luna* enim omnium septem Erronum (qui quidem *lapon certe spatique feruntur*) naturam varietate motus exasperat. *Taub.*

*Solisque labores*] *Canit* per omnia intelligimus. Sane septem sunt Planetæ, Sol, Luna, Mars, Mercurius, Jupiter, Venus, Saturnus. Sed quæque et contra mundum feruntur, et cum mundo quandoque retrogradi sunt: Sol vero et Luna semper contra mundum. Ideo dixit, *Solis labores*. Laborat enim, nitens contrariæ sphaeræ volubilitatem. Nec nos debet Homerus movere, qui ait, *ἄλιν ἀνδραγύρα*. Non enim eum dixit non laborare, sed laborem non sentire: amat sane ubique Solem et Lu-

nam jungere. *Servius.*

*Satisque labores*] Id est, defectus. *Lucretius*: 'Solis item quoque defectus, Lunæque latebras,' &c. *Taub.*

*Errantem Lanam solisque labores*] Fere idem *Georg.* II. 478. 'Defectus solis varios, lunæque labores.' Ad quem locum *Macrob.* in somnio *Scip.* I. 15. ut hoc loco *errantem Lanam*, sic *Horat.* Sat. I. 8. 'simulac vaga Lana decorum Protalit os.' *Emm.*

*747. Unde hominum genus*] Si fabulam respicia, a *Prometheo* intellige: vel a *Deucalione* et *Pyrrha*. Si autem veritatem requiris, varia est opinio philosophorum. Alii de humore: alii de igne: alii de atomis: alii de quatuor elementis. *Servius.*

*Unde hominum genus, et pecudes, unde imber, et ignes*] In *Mediceo* codice legere est, unde ho. ge. et pecudes genus unde ferarum: sed cum vulgatis exemplaribus veteres plerique codices conveniunt. *Pierius.*

*Unde hominum genus*] Si Fabulam respicias; a *Prometheo*, vel a *Deucalione* et *Pyrrha*: quam elegantissime describit *Ovidius Met.* I. 11. Si veritatem requiris, varia est Philosophorum opinio: at *Christianorum* de his est explorata certitudo. *Taubmann.*

*Pecudes*] Pro omnibus posuit. *Serv.*

*Unde imber*] Scilicet de nubibus fit, quæ secundum *Lucretium* de terræ alitu nascuntur, qui nebulas creat: quæ cum altius elevatæ fuerint, aut Solis calore resolutæ, aut vi ventorum compressæ, mittunt leves pluvias, vel exprimunt concitatores. *Idem.*

*Unde imber*] 'Quo pacto pluvius crescat in altis Nubibus humor, et in terras demissus, ut imber Decidat?' expedit copiose et erudite etiam *Lucret.* I. VI. *Taubmann.*

*Et ignes*] Scilicet ex nubium collisione. Nam omnium rerum conluisio, ignem creat: ut in lapidibus cernimus: vel attritu rotarum, vel in silvis arborum. *Servius.*

*Ignes*] Id est, fulgura et fulmina: quæ ex nubium collisione gignantur. De quibus *Physici* et *Lucret.* ibidem. *Taubmann.*

*748 Arcturum*] Stella est post caudam majoris *Ursæ*, posita in signo *Bootæ*. Unde *Arcturus* dicta est quasi ἀρκτοῦ ὄψιδ: hanc quidam agere *Arcton* dicunt, quia arceram veteres vehiculum vocabant. Hæc autem, ut fabulæ loquuntur, *Callisto* fuit, comes *Dianæ*, quam *Juppiter* mutatus in *Dianam*, stupravit; ex qua natus est filius nomine *Arcas*. Cætera in *Georg.* I. plenius narrata sunt. *Servius.*

*Arcturum*] *Plinius* II. 39. 'Arcturi sidus non ferme sine procellosa grandine emergit.' Vide *Plaut. Rud. Prologo.* *Taubmann.*

*Pluviasque Hyadas*] *Hyades*, stellæ sunt in fronte *Tauri*: quæ quotiens nascuntur, pluvias creant. Unde Græce *Hyades ἀρό τοῦ βου* dictæ sunt: Latine *Sucula* a succo. Sic ergo ait, *Pluviasque Hyadas*: ut, *Plemmyrium undosum*. Alii *Hyadas* ab *y* littera dicunt; vel ἀρό τοῦ ὕδωρ, id est, sue: in cujus formatæ sunt faciem. Nam ideo eas quidam *Suculas*, sues scilicet dici tradunt. Has quidam *Vergilias* dicunt, quod vere florido oriantur. Hæc autem fuerunt, ut alii dicunt, *Atlantis* filiæ: ut alii, *Liberi* nutrices, quæ se in pelagus sænore præcipitaverunt. Alii *Erechthei* filias pro patria se morti obtulisse ajunt, quas *Priadas* vocant, quod *Prionis* filiæ esse dicantur. Quidam *Hyadas*, ab *Hyante* fratre, quem inventum extinctum usque ad mortem doluerunt, dictas putant. *Servius.*

*Pluviasque Hyadas*] Unde *Ovid. Fastorum* V. 'Ora micant *Tauri* septem radiantia flammis, Navita quas *Hyadas* Grajus ab imbre vocat.' Videtur *Pimponio* abiectione epitheti ignorantiam eorum perstrinxisse *Maro*, qui *Hyadas* Latine verterunt *Suculas*, tanquam ἀρό τῶν βου, id est,



subis, non *few*, id est, *pluere*, dice-  
rentur: faciens cum doctissimo Ti-  
rone Ciceronis, qui eam absurdita-  
tem ipse quoque notavit: de quo  
apud Agellium XIII. 9. Servius et  
Bassus a *succo* dictas ajunt *Succulas*:  
quod propter ortum et occasum cum  
Sole succos, imbres ac pluvias indu-  
cant. *Taubmann.*

*Pluviasque Hyadas*] Sic *pluviis dic-  
tus*, et apud Catonem de re Rust.  
'tempestates pluvie.' Vide Sanct.  
Min. p. 285. *Emmeness.*

*Geminoseque Triones*] Septemtriones,  
id est, Helicem, et Cynosuram. Et  
proprie *triones* sunt boves aratorii,  
qui terram terunt. Non ergo incon-  
grue dixit *Triones*: quia septem tri-  
ones a nonnullis plaustra dicuntur. *Ser.*

749 *Quid tantum Oceano properent  
et tingere soles Hiberni*] Quid, quam  
ob causam properent. Hemisphærii  
hoc facit ratio: quia hieme Sol bre-  
vior utitur circulo. *Idem.*

*Tingere soles*] Demergere. *Soles*  
vero pro diebus posuit, ut, 'Tris  
adeo incertos cæca caligine Soles Er-  
ramus.' *Idem.*

*Se tingere soles*] In antiquis dubio  
procul fere omnibus, *tingere* legitur  
pro *tingere*: u inter *g* et *e* litteras  
medias sita, ex instituto Attii, neque  
Grammatici plerique ab hoc verbo u  
litteram rejiciant: quum in *urgeo* et  
*ungo* eam nequaquam admittant. Ut  
apud Velium Longum est. Adversus  
tamen cujus sententiam stat omnis  
pene veteris scriptionis consuetudo.  
*Pierius.*

750 *Vel qua tardis mora noctibus  
obstat*] *Tardis*, non longis, sed æstivis,  
id est, tarde venientibus. *Vel* enim  
disjunctiva est conjunctio: nec pati-  
tur bis eandem rem dici: ergo hoc  
dicit, quæ causa est longorum dierum.  
*Servius.*

*Tardis*] Non longis, causa ergo  
longorum dierum ratio similiter hemi-  
sphærii est. *Idem.*

751 *Ingeminant plausu Tyrri, Troës-*

*que sequuntur*] Imitantur, et bono est  
usus ordine, ut prius plauderent ci-  
ves. Nec enim poterant aliter au-  
dere *peragrinis*, qui expectabant, ut  
noscerent morem. Unde et supra,  
'Et vos, o, cœtum, Tyrri, celebrate  
faventes.' *Idem.*

*Ingeminant plausu Tyrri*] In Roma-  
no codice, in Mediceo, et aliquot aliis  
antiquissimis, *plausu* casu septimo,  
quod nequaquam displicet. Sunt ta-  
men codices, qui *plausum* agnoscunt.  
*Pierius.*

752 *Nec non et vario*] Arte poetica  
utitur, ut præmittat aliquid, quo se-  
quens liber videatur esse conjunctus:  
quod in omnibus servat. *Servius.*

753 *Longum*] Hic, permaturum:  
aut qui non erat nisi ipsius morte  
finiendus. *Servius.*

*Bibebat amorem*] Allusit ad convi-  
vium. Sic Anacreon, *ἔπρωα πλῆρω*.  
*Servius.*

*Longumque, &c.*] *Longum amorem*  
interpretatur Corradus, *magnum*, et  
donec ipsa viveret, duraturum. Ita  
et Servius in Schedis Fuldens. vel  
certe, *permaturum*. Nonius, *secum et  
perniciosum*. H. Stephanus, *longum*,  
adverbialiter accipit. De industria  
autem verbum *bibere* usurpavit in  
Computatione: tanquam reliqui vi-  
num bibissent, Dido amorem. Sed  
et Theocr. dixit: *πλῆρω ἔπρωα*; et  
Anacreon *πυθῶν ἔπρωα*. Ovidius: 'Ve-  
nus in vinis, ignis in igne.' *Taubmann.*

754 *Super Priamo*] De Priamo.  
Nam ejus præpositionis officio fungi-  
tur, pro qua ponitur, ut supra; 'Et  
sub noctem cura recursat,' id est,  
circa noctem. Et sciendum, quod  
cum tempus significatur, *sub* præpo-  
sitis accusativo hæret semper. *Ser.*

*Super*] Id est, de. *Æn. x.* 'Multa  
super Lauso rogitat.' Cicero: 'Hac  
super re ad te scribam.' Plant. Cist.  
'Quid nuntias super anni' Vide Fest-  
um in *Supercæci*. *Taubmann.*

*Rogitans*] Scilicet, quo modo sit  
venditus rex, vel qui eum post decem-

nale bellum exitus tulerit. *Servius.*

755 *Aurora filius arma.*] Quia etiam ei fecerat arma Vulcanus, qui cum auxilium Trojanis ferret, apud Trojam occisus est. Hic in tanto honore apud suos socios fuit, ut post ejus mortem, cum eam nimium deflerent, miseratione Deorum in aves conversi dicantur, et quotannis venire ad tumulum ejus, et ibi lamentatione et fletibus se dilacerare, donec aliquantisper ibidem moriantur. *Idem.*

*Aurora v. filius Memnon, Rex Orientalium:* quem Tithonus, Laomedontis frater, ex Aurora suscepit. Allegorice significatur, Tithonum noctu Astronomiæ vacasse; dormisse autem interdiu, &c. Etiam Pind. Olymp. od. 11. Memnonem *ἀοῦς τὰδ' αἰθέρα* vocat. Ideo autem querit, *Quibus armis;* quia Memnon Vulcani armis usus fuisse narratur. *Taub.*

756 *Quales Diomedis equi.*] Non debemus eos equos intelligere, quos *Æneas* sustulit: nec enim congruit, sed de his interrogat, quos sustulit Rhæso. *Quales* autem dixit: ac si diceret, anne sic feroces, ut illi a quibus ducebant originem. Diomedes enim rex Thracum habuit equos, qui humanis carnibus vescebantur. Hos Hercules abduxit, de quibus dicuntur supra memorati equi originem ducere: aut ideo *quales* qui potuerint esse, ita divini, ut inter fatalia Trojana numerarentur: nam ideo et supra *ardentes* ait. *Servius.*

*Diomedis equi.*] I. Parrhasius ad illud Claud. in præfat. l. II. de raptu Proserp. 'Diraque sanguinei vertit præsepia regis, Et Diomedeos gramine pavit eqnos.' Diomedes, inquit, Rex Thracum equos habuit admodum ferros, qui humanis carnibus vescebantur. Hos Hercules, occiso tyranno, Argos abduxit: Junoni consecravit Eurystheus; genusque eorum propagatum usque ad Alexandrum Magnum, tradit Diodorus: alii etiam ad Antonij tempora, qui Triumvir con-

stituta Reipublicæ fuit: unde manavit equus ille *Scjennus*, calamitatis adagio nobilis: auctore Agellio. Ab iis præterea genus ducebant Argivi Diomedis equi: de quibus Virgil. 'Nunc quales Diomedis equi!' q. d. ita feroces, ut illi Thracæ, ad quos originem referebant. Servius in Schedis Fuldens. Ideo etiam, *quales:* qui potuerint esse ita divini, ut inter fatalia Trojana numerarentur: nam ideo supra etiam *ardentes* dixisse ait. *Taubmann.*

*Quantus Achilles.*] Non interrogat Dido, qua virtute, quove corporis et animo robore; sed *quantus*, id est, quam magnus Achilles fuerit. Nam, ex fabulosa Lycophronis historia, novenis cabbitis adolevisse dicitur. Ibidem: Existimant quidam, Poëtam in his τὸ *ὑπέρον* mulieris ex amore insanientis observasse: quem inaniter querat; non, qua virtute Memnon fuerit, sed quibus armis indutus: non, qualis quantusque Diomedes, sed cujusmodi illius equi: non, quam fortis, sed quam procerus Achilles fuerit. Quin et superflue querit hæc omnia ex pictura, de qua superius dictum. *Idem.*

757 *Immo age.*] Vidit specialia cito posse finiri: et contulit se ad generalitatem. *Servius.*

*Immo age.*] Hom. ἀλλ' ὅγε. Ad procurandum temporis tractum, quo animus de præsentia *Æneæ* satiatur, ad generalitatem se convertit. *Taub.*

*Et a prima, dic, hospes, origine nobis.*] Id est, a raptu Helenæ. Quod quidem Dido cupit: sed excusat *Æneas*. Et dicit ruinam se Trojæ breviter esse dicturum, habita ratione temporis: ut, 'Suadentque cadentia sidera somnos.' *Servius.*

758 *Insidias Danaum.*] Hoc ad favorem Trojanorum, ne videantur esse superati virtute: et laudandum quod *insidias* tantum dixerit, non et captum Ilium; nam et ipse *Æneas*, 'Accipe nunc Danaum insidias.' *Idem.*

*Casusque tuorum*] Ut eventi Troja corruerit: non fâti necessitate. *Idem.*

759 *Errorumque tuos*] Et responsio hunc ordinem sequitur. Nam primo dicit Trojæ ruinam: post errores suos. *Idem.*

*Septima ætas*] Per ætates, annos intellige. Nam sic ante Olympiadas computabant. Septem autem esse annos Dido cognôvit ex Teacro. *Id.*

760 *Omnibus errantem terribet fluctibus ætas*] In antiquis aliquot exemplaribus legere est, *omnibus errantem, et terribet, et fluctibus*, quod sententiam reddit ubertorem. *Pierius.*

*Ætas*] Septem annos intellige. Simili figura Accius in Philoctete apud Nonium: 'Contempla hanc sedem, in qua ego novem hiemes saxo stratus pertuli.' et Silius l. XIII. 'oetava terebat Arentem cultus messem crepitantibus ætas.' Tu ex his exemplis, et aliis, quæ subijciam, animadvertes quiddam non vulgare. Annus veteribus in duas tantum partes divisus erat, videlicet in hiemem et æstatem; hinc est, ut frequenter has duas partes pro anno sument Auctores; non ver, non autumnum: nam si qui, ver, aut autumnum, illi certe aut non graves sunt, aut novitii respectu antiquorum: subiectam aliqua alia præter Accium et Silium, ut res clarior sit. Valer. Arg. vi. 'cum Scythiæ jam tertia viderat ætas.' Ovidius in Halieut. 'Tertia Phœbei referunt hiberna jugales.' Fragmentum hoc Ovidii reperies in Hieronymo Colum. in Ennium tomo II. per initia. Petronius: 'Jam decima mæstos inter ancipites metus Phrygas obsidebat messis:' ubi *messis* pro æstate. Seneca Troad. 'decies nivibus Cannit Ide, Ide nostris Nudata rogis, et Sigæis Trepidus campis decies secnit Messor aristas:' vides hiemem tantum, et æstatem. Ut apud eundem in Theb. 'Bruma ter posuit nives, Et tertia jam falce decubuit Ceres, Ut exul errat natus, et patria caret.'

Plinius vi. 19. 'Umbrae ad septem trionsem cadunt hieme, ætate in æstrum per senos menses.' Ubi nulla facta veris, aut Autumni mentione, annum æque dividit in hiemem et æstatem. Sicut et Demosthenes orat. III. in Philip. ubi annum discriminat in *thépos* et *χαρμῖνα*. Seneca etiam ep. 36. 'Ætas abit, sed alter annus illam adducit: hiems cecidit, referent illam sui menses.' et Rhetor Suas. I. 'Annus hiemis atque æstatis vices.' Plato Leg. vi. ubi ait urbes custodiendas ab armatis hominibus toto anni tempore, ne vis externa ingruat, tantum ait, *thépos* et *χαρμῖνας* οὐδὲν τοῦ ἐπιδυῖς. Sed signatissime omnium Virgilius supra in hoc libro: 'Tertia dum Latio regnantem viderit ætas, Ternaue transierint Rutulis hiberna subactis.' Rationem hujus acceptionis, et usus inter auctores videor ex Plinio ducere, nescio an errem. Ejus verba vii. 48. hæc sunt: 'Annum alii æstate unum determinabant, et alterum hieme:' ubi sententia est, veteribus duplicem annum fuisse, qui nobis est unus. Itaque anni apud veteres habuere tantam sex menses. Quia ergo illi suum annum integrum vocabant jam æstatem, jam hiemem, factum ut hæc duæ partes samantur pro anno potius, quam ver, aut autumnus. De hac re si memini, locutus sum in Ge. inde cum Ge. IV. legis, 'Quod superest, ubi pulsam hiemem sol aureus egit sub terras, cœlumque æstiva luce reclusit;' existima loqui illam ex hac opinione: nam cum ver signet, tamen ait, *æstiva hæc*. Et hæc fortasse mellior ratio expediendi Poëtæ. Hinc etiam habeo, solares annos, qui constant mensibus duodecim, dici *magno* cum discrimine ad hos annos. Quod fortasse aptius, quam cum discrimine ad lunares. Adjunge huic doctrinæ aliam adhuc strictiorem. Uni Arcades annum suum terminabant spatio tantum trium mensium.

Auctores sunt Macrobius, et Plinius: ille Sætur. I. 12. hic VII. 48. Cur non ergo annus magnus; id est, solaris;

dicatur cum discrimine ad annum Arcadum brevissimum? *Cædæ.*

## ÆNEIDOS

### LIBER II.

[*Conticuere omnes*] Quia supra dixit, 'Fit strepitus tectis.' *Conticuere* autem, pro *contiquerunt*: metri causa, vel ratione clausularum. Nec est, ut quidam dicunt, dualis numerus, qui apud Latinos nunquam penitus invenitur. Et bene *omnes* addidit. Poterant enim simul quidam, sed non omnes, tacere. *Servius.*

[*Conticuere*] Quia dixerat: 'Fit strepitus tectis:' et, 'cythara crinitus Iopas Personat aurata:' et, 'ingemunt plausu Tyrri.' *Conticere* partim, propter ejus honorificentiam: partim, quia mens hominum cupida est audiendi novas res, et regina indixerat silentium. *Donatus.*

[*Conticuere omnes*] Hoc libro Poëta secutus videtur Hom. Od. H. quo a cæna Ulysses errores suos Aretæ narrat Alcinoi uxori. *Germanus.*

[*Conticuere*] Hic Liber, qui *ἄλυσιν* Illi describit, ex iis est, qui præcipuam palmam mereri judicati, atque ipse Augusto a Poëta recitati sunt: narratque Agellius, II. 8. hunc librum viginti aureis emptum esse. Cæterum dicendi genera, quos *χαρμάρχας* Græci vocant, cum tria sint probabilia; *Uber*, sive generosum; *Gracile*, sive subtile; et *Metium*, sive mediocre; hic Liber in *summo genere* scriptus est. Refertur autem ad locum communem, quo omnes Tragediæ et Historiæ occupantur: 'Dis-

cite justitiam moniti, et non temnere divos.' *Taubmann.*

[*Conticuere*] Sic infra 131. 'Conversa tulere.' Dausiquis ex Tullio in Oratore *scripserunt* verius dici quam *scribere* testatur. Multis tamen probat sine discrimine usurpári. Maro 'devenere locos.' Ovid. Met. I. XIII. 'consedere duces.' Plura ille: sed, cum Cicerone citato loco c. 47. consuetudini, auribus indulgenti, libenter obsequor. Quantum ad argumentum hujusce libri secundi Petrus Victor. var. lect. I. XXVIII. arbitratur Virgilium, ut fuit studiosus valde Euripidis, accuratissime tamen evolvisse illius Tragicæ Troadas, quia in hunc librum secundum Æneidos, multa ex illa fabula transtulit: exemplar hujus libri extitit mirandæ vetustatis quod A. Gellio monstratum et euntum viginti aureis est, ut idem testatur II. 8. Trojæ Halosin etiam Graphice versibus enarrat Petronius. *Emmen.*

[*Intentique ora tenebant*] Id est, ora intuebantur loquentis; aut immobiles vultus habebant: ut, 'Tenuitque inhians tria Cerberus ora,' id est, immobilia habebant: aut intenti tenebant, ut sit figura, et intelligamus, *intenta habebant*: ut Terentius, 'Nam Andriam illi id erat, nomen, teneo.' Ideo autem hoc addidit: quia potest quis tacere, nec advertere. *Servius.*

[*Intenti*] Desiderio inducebantur au-

diendi. *Donatus.*

*Intentique ora tenebant*] Pro, *Intenta ora habebant*, id est, defixa in loquentem: ut sit hypallage. Vel, intenti ad ejus verba ne quidem hisebant. *Æn. viii.* dicit: 'defixique ora tenebant.' Ideo autem hoc addidit: quia potest quis tacere, nec tamen animum advertere. *Taubmann.*

*Conticuerunt omnes intentique ora tenebant*] Hunc versum debet Homero, qui hunc habet *Iliad. i. 29.* 'Ὡς ἔπαθ', αἰδ' ἔπα πάρος δὲν ἐγώνοιο σιωπῇ. Vide *Macrob. Saturn. v. 5.* Silentium erat necessarium post strepitum et ingeminatum plausum. *Emmeness.*

2 *Inde*] Aphæresis est, pro *deinde*, vel, ut quidam volunt, *tunc*. *Servius.*

*Toro ab alto*] Summus enim semper est pontificalis locus. Non licebat enim supra regem sacrificulum quemquam accumbere. Cum enim dicit de *Didone*: *Aurea composuit sponda mediamque locavit*: ostendit illam regali, non sacerdotali loco discubuisse. *Æneas* autem ubique quasi sacratus inducitur. *Torus* autem ab *herbis tortis* dictus est; et videtur hic ostendisse, 'Ostroque superbo.' Et 'Aulæis jam se regina superbis', ut aulam significaret. *Idem.*

*Ab alto*] Pro *ex alto*: mutavit præpositionem. *Idem.*

*Sic orsus ab alto*] In *Mediceo* codice una plus dictione scriptum est, *ab alto est*. Sed magis *Virgilianum* est, ut verbum id subintelligatur potius, quam adscribatur. *Pterius.*

*Toro ab alto*] Qui gerebat se sacrorum regem, accumbebat supra omnes, *Turnebo* teste advers. vi. 21. Quod illustriorum personarum lectuli fuerint altiores, et ad eos gradibus ascendendum fuisse, edocet *fusus Ciacc. de Tricl. p. 13.* *Fulv. Ursin.* non ad altitudinem tori referendum esse *torum altum*, sed ad loci dignitatem, quod iscumbebat *Æneas*: eum vide p. 260. *Hyemeness.*

*Pater Æneæ*] Hoc honoris nomen

est. *Servius.*

*Orsus*] Hic cœpit: alibi finivit; ut, 'sic Juppiter orsus.' *Idem.*

3 *Infandum*] Quia viro forti victum se dicere, et doloris est, et pudoris. *Idem.*

*Infandum*] Quoniam gravissima erant in convivio lætissimo narranda; non aliena mala, sed sua narrabat. *Donatus.*

*Jubes*] Vis: ut, 'Jubeo Chremetem.' Nam aliter hoc verbum, *Æneæ* persona, non recipit. *Servius.*

*Renovare*] Retexere, iterare. *Idem.*

*Infandum, &c.*] Ante omnia *Homeri* locum subijcio ex *Odyss. ix.* Ergo *Ulysses Alcinoos* obtemperans sic loquitur: *Χολ δ' ἐμὰ κῆδε θυμὸς ἐνεγρέπετο σπονδάρτα* Εἰρεσθ' ὅφρ' ἐτι μᾶλλον ὀδυρόμενος σπονάχῃω. Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὀστέριον καταλέξω; Κῆδε' ἐπεὶ μοι πολλὰ δόσαν θεοὶ οὐρανίαιες. In his *Homerus*, ἐμὰ κῆδε, meos dolores, pro fundamento ponit. *Æneas* longe aliter; nam prius universam calamitatem, deinde suam: tantorum enim malorum, ipse quoque partem magnam habuit: non statim confugit ad aram communem: Deos malorum auctores. Sed quæ vidi et quidem miserrima et quæ passus sum ipse: deinde per interrogationem πῶδες explicat: quando ne hostes quidem sine miseratione denarrare posse, profiteatur. A temporis quoque incommoditate augeat difficultatem narrationis. Ergo non tam imitatus est *Homerum* (ait *Jul. Scal.*) quam nos docuit, quomodo ille dicere debuisset. *Seneca* in *Agamem.* *Virgilio* his versibus adhæret: 'Acerba fatu poscis, infaustum jubes Miscere læto nuncium: refugit loqui Mens ægre, tantis atque inhorrescit malis.' Quod vero *Virgilius* *renovare*, *Sophocli.* in *Col.* dixit πάλας ἐνεγείρειν, *turnebo* excitare: et *Callim.* δάκρυον ἐγείρειν, excitare lacrymas: *Eurip.* in *Orest.* ἐβήη' ἀναμετρήσασθαι, *infanda recensere.* Quod Latini *infandum.* *Eurip.*

Sophocli. et Homer. ἄφρων. Isocr. ἀφύπνῳ. Pindarus Isthm. ed. vii. ad verbum, ἄφρων ἐκ γένος. Cerdæ.

*Infandum, regine, jubes, &c.*] Illud Horatianum diligenter observavit in hoc suo libro Poëta noster, quod invenias in l. de art. poët. vs. 105. 'tristia monstum Vultum verba decant.' De voce in re tristi agit Cic. de orat. iii. 58. Recte *infandum*, ut apud Apulejum l. x. 'demonstrant infandum gulam:' et hanc versum ex Homero sumtum monet Macrob. Saturn. v. 6. *Emmenes*.

4 *Trojanæ ut opes*] Ut, *quoniam* medium. Sic Horatius, 'Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.' *Servius*.

*Trojanæ*] Quasi dicat, magnas. *Don.*  
*Trojanæ ut opes*] Legit Lambinus, 'aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.' De Mygdoniorum opibus Horat. ed. iii. 16. *Emmenes*.

*Et lamentabile regnum*] Id est, magnam, quasi dignum multa lamentatione: ut, 'Hi multum fletu ad superos.' *Servius*.

5 *Danaï*] Dicti a Danao rege. Nam Græci propriis sunt Thessali a Græco rege. *Idem*.

*Danaï*] Abjecte legendum, quasi imbelles. *Donatus*.

*Miserima vidi*] Est enim pœna et in atrocitate spectaculi, ut, 'Ætnæos vidit Cyclops Ulysses:' et, 'Vidi ego duo de numero.' *Servius*.

*Quaque ipse miserima vidi*] Simili affecta Ulysses Odyss. xii. Οὐκ ἴστωρ ἐν νῆει ἑποῖς ἴδω δακρυόεν: *miserimum illud vidi meis oculis*. Cerdæ.

6 *Pars magna fui*] Propter conjugem amissam. Et hoc se commendat: ut paulo post, 'Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?' *Servius*.

*Pars magna*] Quia perdidit regnum. Vidit miserandam Priami et Polytæ mortem. Amisit uxorem, et denique patrem. Certe neque Dido deberet audire, quod mala sua fieret. *Donatus*.

*Et quorum pars magna fui*] Talis locutio Æn. x. 427. 'Laus pars ingens belli.' et Sil. Ital. l. v. 'Italæ

pars magna ruinae, Appian.' Bene duo dicit et vidi et fui: videndo enim et patiando rerum scientes evadimus, ut Donat. ad Ter. Ad. iii. 1. 3. *Emmenes*.

*Quis talis*] Queris me narrare, quem etiam hostis si audiret, non abstinere a lachrymis. Ibi enim fuit unus ex Græcis Achemenides, quem fleturum dicit. *Donatus*.

*Fando*] Dum ipse dicit: alibi dum dicitur: ut, 'Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures.' Quia gerundii modus est: quidam per infinitivum modum dictum accipiunt. *Serv.*

7 *Myrmidonum*] Myrmidones sunt Achillis socii. A Rege Myrmidono dicti, Jovis et Eurymedusæ filio. *Id.*

*Dolopum*] Dolopes, Pyrrhi socii: quos, ut quidam volunt, de Feste insula, duxit ad Trojam: dicti autem *Myrmidones* propter hanc causam: Æacus Jovis et Æginæ filius, cum vellet matris suæ perpetuam memoriam permanere; insulam in qua regnabat, a nomine ejus Æginæ appellavit: hoc indignata Juno, pestilentia cives ejus omnes absumpsit; quod cum vidisset, petit a Jove, ut formicæ, id est, myrmices, quas casu animadverterat plures, in homines et suos socios verterentur. Qui statim mutati in homines, *Myrmidones* appellati sunt. Sed hoc fabula est; nam Eratosthenes dicit, *Myrmidones* a rege Myrmidono Jovis et Eurymedusæ filio. Sane amat hos exercitus jun gere; nam et post ait, 'Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles.' *Idem*.

*Aut duri miles Ulyssæ*] *Duri*, non laboriosi, sed crudelis: ut, 'quam dat tua conjux Dura.' Nam Virgilius pro negotiorum qualitate dat epitheta, quem Homerus eadem etiam in contrariis servet. Sensus autem est, sine lachrymis hæc nec a quovis hostium dicerentur. Illud autem quod Asinius Pollio dixit, caret ratione, de Achemenide dictum *Miles Ulyssæ*. Myrmidones vero et Dolopas præ-

sentes esse acceptos ab Heleuo. Si sic enim dicit, frangitur dignitas. Sæpe quædam si singulariter proferrantur, interdum gratiora sunt, ut, 'Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetas.' *Ulysi* autem vetus genitivus est; ut, 'Atque immitis Achilli.' *Idem*.

*Quis talia fando Myrmidonum, &c.*] Similem habes locum apud Sil. Ital. l. 11. 'Quis diros urbis casus, laudandaque monstra, Et fidei pœnas, et tristia facta piorum Temperet evolvens lacrimis? vix Punica fletu cessassent castra, ac miserescere nescius hostia.' et Ter. Hec. 1. 2. 53. 'Ibi demum ita egre talit, ut ipsam Bacchidem, si adesset, credo ibi ejus commiseresceret.' *Eumeness*.

8 *Temperet*] Abstineat. *Servius*.

*Temperet a lacrimis*] Præpositio non male exprimitur: sic legendum Geo. 1. 360. 'Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis.' Ita gaudet loqui Cæsar de Bell. Gall. 1. 1. 'temperare a maleficio, ab injuria.' *Emm*.

9 *Præcipit*] *Præcipitatur*, Verbum pro verbo, ut dictum est: et duas causas prætendit, quibus dicit non posse universa narrari, dolorem et tempus. *Servius*.

*Jam nox humida cælo Præcipit, &c.*] *Nox præcipit*, pro *præcipitatur*. Sed lege, 'Nox humida cælo Præcipit somnos, suadetque cadentia sidera.' *Nox humida cælo præcipit*. Hoc voluit dicere: Jam media nox assumpta est: aliquid aura humida jam cœpit, et sidera in occasum labuntur: hæc enim non sunt nisi maxima parte noctis transacta. *Donatus*.

*Et jam nox humida cælo Præcipit*] Od. E. ὁράει δ' οὐρανὸν ῥέει. et Od. A. πρὶν γάρ κεν καὶ νῆξ φέει ἄμβροτος, ἀλλὰ καὶ ἤρῃ εἴδω. et eod. ἤρῃ μὲν πολλὴν μέδων, ἤρῃ δὲ τε θνῆν. Ut autem, *Sed si tantus amor, &c.* idem Hom. εἰδ' ἔ' ἀκούμεναί γε ἀλάεα. Non omitendum autem, quod ad hunc locum notavit Turne-

bus vi. 21.: Cadere sidera diluculo, albescente cælo, exortu auroræ, exacta fere nocte: ut et illo loco intelligendum contendit: 'primisque cadentibus astra.' Sunt tamen, qui putent, contextum illius loci *Æn.* iv. et repetitionem versus hujus, non videri auroræ, diluculo, aut diei convenire posse, si Poëtæ menti ex ipso orationis curriculo, præcedentibus, et subsequentibus advertamus, quæ ita se habent: 'Nunc eadem habente die convivia querit. Post ubi digressi, lumenque obscura vicissim Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos, Sola domo mœret vacua, stratisque relictis Incubat.' Aliis tamen videtur Servii Turnebique sententia sustineri posse, si accipiamus, produxisse Didonem in multam noctem convivium, et ita invaluisse noctem, ut bona pars transacta videretur: unde et Græci non modo grassatores nocturnos, sed et comessatores et amatores ἀμειβομένους vocarunt. Sed et Propertii versus et auctoritas penitus sententiam Turnebi fulcire videtur: Propertii, inquam, diluculum respicientis. 'Et jam quarta canit venturam buccina lacem, Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.' Ut autem absolute *præcipit* usurpavit, sic et Cæsar bel. civ. l. iii. 'Multi jam menses transierant, et hiems præcipitaverat.' Sed neque hic ex sententia ejusdem Turnebi *præcipit* in ea significatione accipiendum, ut infra eodem hoc libro: 'Vertitur interea cælum, et ruit Oceano nox, Involvens umbra magna terramque polumque:' et *Æn.* viii. 'Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.' Inferius etiam neutraliter: 'effusa grandine nimbi Præcipient.' *Germanus*.

*Et jam nox humida cælo Præcipit, suadentque, &c.*] Ad explicationem hujus loci facit illud Ciceronianum, cujus meminit Salmas. exercit. Plin. 719. 'Jam propè præcipitante licebit

vixisse nocte: id est, cum minima noctis pars transacta est. Sic pro-  
prie enim, quæ fœmæ exacta est.  
Propterea ver, quod finem spectat. Hic  
subiicitur accusatio: Principat  
pro principat ac: quod supponitur et  
eleganter fieri docet Sanctius Mi-  
nerv. p. 278. quando suppositum  
agit in se: ut hoc loco nos principat,  
sic apud Cicer. de orat. lib. 35. 'ad  
principat nos admovent.' De verbis  
activis passivis sive absolute usurpatis  
cœnæ Vechgrum Hollen. l. 12.  
Emmenes.

*Calentis sideris*] Aut epitheton est  
siderum, quæ semper et oriuntur et  
occidunt: aut certe majorem partem  
noctis dicit esse transactam. Per si-  
dera autem noctem significat, quæ  
somnos auget. Servius.

19 *Caus cognoscere*] Cognoscendo-  
rum casuum; est autem Græca fi-  
gura. Caus autem fortuna, pericula:  
nam si mortem dixit, nostrorum debuit  
dicere. Et breviter præscribit: quia  
Dido dixerat, 'a prima die, hospes,  
origine nobis.' Ergo non ad Didonis  
voluntatem, sed narrantis officium.  
Et quibusdam hystorologia videtur;  
prius enim est, ut Trojæ laborem,  
post *Æneæ* casus agnoscat. *Idem.*

*Cognoscere*] In exemplaribus aliquot  
antiquis, *agnoscere* legitur: sed *cog-  
noscere* Servius agnoscit: neque non  
Donatus, et reliqua litteratorum col-  
legia. *Pierius.*

*Sed, si tantus amor casus cognoscere  
nostris*] Pro eo Stat. Thebaid. l. 1.  
'Sed si præcipiant miserum cogno-  
scere curæ:' hic *cognoscere* pro *cog-  
noscendi*, infinitivus pro gerundio, ut  
Grammatici: sic Cic. pro Sestio:  
'Dignitas reip. minora relinquere  
hortatur.' Vide Macrobius in li-  
bello de differenti. Græc. Lat. verbi.  
c. de infinito modo. Si cum Sanctio  
loqui velimus, infinitum poni pro ge-  
nitivo affirmabimus: ejus adi Miner-  
vam, p. 216. *Emmenes.*

11 *Supremum*] Postremum, ulti-  
mum dicit; eversionem enim Trojæ  
tantum, omnis superioribus, narrat.  
Servius.

*Supremum* [ab eo] Ita in v. 'sorte  
suprema Trojæ.' Nam imperium illud  
nunquam revixit in posterum. Itaque  
locutio sumpta est a mortuis, quibus  
omnia, quæ contingunt, suprema sunt,  
id est, ultima. Sic *supremum* locus  
pro exequiis. Ita et Calaber l. xii.  
de *suprema* nocte Trojæ, *terramq. ult.*  
*Corda.*

12 *Quamquam animus meminisse hor-  
ret*] *Quamquam*, melius præcæti jam-  
gitur tempori: ut, 'Quamquam scio,'  
'quamquam lego.' Quod autem dicit,  
*meminisse horret*, defectivi verbi ra-  
tio est. Nec enim potuit dicere *me-  
minisse*. Et in his, quæ corrupta sunt  
naturaliter, ut edit, nosci, capi, me-  
mini: et omnia tempora, quæ inveni-  
untur, et suo et aliorum funguntur  
officio: ut, 'Memini videre, quæ  
æquior sum Pamphilo,' præteritum  
est: et, 'Memini, me turribus altis  
Corycium vidiisse senem.' Quod si  
fit et in verbis integris, ut, 'Jurat  
evasisse tot arbes;' quanto magis in  
corruptis? *Servius.*

*Quamquam animus meminisse horret*] Ita Cic. in Anton. xiv. (notante Mu-  
reto) 'Refugit animus P. C. eaque  
formidat dicere, quæ,' &c. Adjungo  
Tacitum, et Livium: ille Hist. iv.  
'horret animus tanti flagitii imagine:'  
hic l. ix. 'reformidat animus,' et alibi  
'horret animus referre.' Sed signa-  
tissime ad Virgilium Fabius decla-  
mat. 270. 'Horret animus recordari,  
refugiunt cogitationes.' Calpurn. etiam  
declamat. 10. 'horret referre ani-  
mus.' Seneca in Agamemnon. 'En  
horret animus, et pavor membra ex-  
cutit.' Iterum: 'Refugit loqui Mens  
ægra tantis atque inhorrescit malis.'  
Nazianzenus Orat. 19. ita lo-  
cum istum amplificat, *φρίττειν ἐπὶ φ-  
ρηταί μοι τοῖς ἔξῃς προσιδόντι τοῦ διωφύ-  
ματος, φρίττειν δὲ καὶ βραὺς οἱ ἀκούον-  
τες: Mihi ad eorum, quæ sequuntur,*

*Virg.*

7 P



narrationem progredienti subit herrescere: ac non oculum, cum auditis, corroborare. Cerdia.

*Refugit*] Propter metrum, pro præsentis præteritum posuit. Servius.

*Luctusque refugit*] In codicibus nonnullis sane quam vetustis, luctum habetur: quod ego factum credebam ob notam, productæ syllabæ signum; quæ fasset antiquitas super syllabam ultimam dejecta: sed animadverti Ti. Donatum quoque luctum legere quarto cæso: et apud Carisium, ubi verum in citatur, luctus scriptum esse. Piorius.

*Incipiam*] Deest, tamen: quæ cum præponitur *quantum*, necesse est subijungi tamen. Servius.

*Incipiam*] In hoc principio narrationis, loci, temporis, et personarum memor est Æneas. Ergo proposita retinet: sed ostendit esse prolixa et multa, nec temporis, nec loco, nec personis congrua: sed quia cupiebat id regina, cujus voluntas pro ratione esset, recurrit ad brevitatē: ut neque ipse multa dura narrando dolores incurreret, nec Didonem multum vigilare cogeret. Hoc loco docet, quod quamvis omnis narratio brevis esse debeat, tamen illa brevissima, cum propria mala narrantur, nisi necessitas cogat: ergo contra erit, cum narrantur bona. Nam prospera et referre juvat, et exigunt audientem. Donatus.

*Fracti bello*] Bene defendit causam suorum, quod in bello non impares fuerint. Duplex ergo est in hoc libro intentio, ne vel Trojæ, quod victa est; vel Æneæ turpe videatur esse, quod fugit. Sane amat in adversis hoc verbo uti, ut '*Fractæ vires*,' et '*Frangimur* heu fati, inquit.' Servius.

*Fracti bello*] Subtilis narratio hominis victi, et ejus, qui patriæ adesse nequiverit. Cujus auxilium, Didoni omnia metuenti videri debent necessarium: quod in spem certam venire

non potuit, nisi Æneas prius personam suam juxta defensione purgaret, quod ab occasione temporis et personæ sumit: non nos strecent, sed imbelles vicerant. Argumentum ergo a persona, *Fracti bello*. Multum bello frangitur, nisi imbellis, et nisi fortis sit qui resistit. A tempore, *tot jam labentibus annis*. Nam tandem restitimus, quando fata imperium stare consenserunt. Donatus.

*Fracti bello, &c.*] Sic Horat. od. 12. 4. 'et ademptus Hector Tradidit fecsis leviora tolli Pergamæ Grajæ.' Frangi eleganter dicuntur, bello audiuo qui premuntur. Corn. Nepos in Themist. c. 2. 'primum Corcyraeos fregit': sic apud eandem 'avis frangi' Eumenasse.

*Fatigue repulsi*] Oracula: (ut est, 'Cum virgo, Poscere fata,') secundum Plantam, tribus, vix scilicet Troill, et si Palladium mansisset in Troja, integre sepulchro Laomedontis, quod in Scæa porta fuit: ut in Baechidibus lectum est. Secundum alios vero, pluribus: ut de Æaci gūto aliquis interesset. Unde Pyrrhus admodum puer evocatus ad bellum est: ut Rhesi equi tollerantur a Grecis: ut Heculis interessent sagittæ; quas misit Philoctetes, quibus Fæcia peremptus est. Servius.

*14 Ductores*] Sonantius est, quam duces: ut, 'regnatorem Asin': quod heroum exigit carmen. Idem.

*Labentibus*] Velocibus cursu: ut, 'Labere, nympha, polu,' et 'Labere pennis.' Cursu enim lapsus celerior est. Idem.

*Tot jam labentibus annis*] Ex Lucretii modulo l. 1. 'Tot jam volventibus annis, Ductores Danaum delecti prima virorum.' Cerdia.

*15 Instat*] Nomen est idealissimè, licet Prebus *instans* declinaverit, ut *sectaris*. et caret præpositione, ut *peragere*: quamvis Sereus Lyricus *ad instar* dixerit. *Instat* tantum est ad similitudinem. Unde non

restaurata, sed instaurata dicantur edificia ad antiquam similitudinem facta. Servius.

*Equum*] De hoc equo varie in historicis dictum; ut enim Hyginus et Tubero dicunt: machinamentum bellicum fuit, quod *equus* appellatur, ut *aries* et *testudo*, quibus mari disenti, vel subui solent: unde est, 'Aut hæc in nostros fabricata est machinamuros.' Ut alii, porta, quam eis Antenor apernit, equum habuit pictum: nonnulli signum equi datum, ut interirent Græci suos, vel hostes. A quibusdam dicitur, facta proditione predictum, ne quis eas domos violaret, quarum ante januam equus esset depictus: unde et Antenor et cæterorum agnitus est. Aut quia Equestri prælio victa est Troja. Aut a monte Hippiu, post quem se absconderant Græci. Unde et alludit: 'Instar montis equum:' ut, 'Pelago credas innare revulsa Cycladas.' Aut revera hoc fuit, quod Virgilius sequitur: sed melius machinamenti genus accipimus. Servius.

*Instar montis*] Fracti bello se ad insidias converterunt. Donatus.

*Equum*] Maximas insidias. Nam quod abscondere non poterant, specie religionis contexerunt. Idem.

*Instar montis equum*] Hic fabulosus equus a Poëtis natus *doepeus*, nunc *doephreus* dicitur: unde et Lucret. 'Nec cum Duratens Trojæ Pergama partu inflammasset equos nocturno Grajægenarum.' Car autem *doepeus* dictus sit, docet in Troad. Eurip. *ὅθεν ὑπὸ δόπεον τοτέπον ἀντιθέρεαι δόπεος ἱστος κρηττόν ἀντιόχου δόπον*. De eo vide Hour. Od. 6. German.

*Instar montis equum*] Mitte hic digladiationes Grammaticorum de voce *instar*. Quod Virgil. *instar montis*. Pindarus Isthm. Od. v. *ὄψις ἱστος*. Sermonem ipsum hyperbolicum in mente credo habuit Apulejus l. x. ubi *Romulum* pegasus *montem ligneum* vocat. Cæterum totum hoc belli

conditum de equo construendo, de insidiis, de Sinone, denum omnium, quæ longissime sequuntur in Vate, desumpta sunt ab Tryphodoro, et Calabro, sed ego imprimis Calabri acumen demoror, qui Ulyssem sapientissimum facit eleganti quodam invento, nam ad verba Calchantis attente implicata, auguriumque illius, inducit Ulyssem excogitantem equi machinam, quæ omnino Calchantis augurium intelligatur. Inde verba illa, *τὸν πόδες ἐπὶ πῶρ κάλχας μὲν βαίμεζεν*: omnes illum laudabant, Calchas ipsum mirabatur, videlicet Ulyssem. Ut, quæ hic dixi, intelligas, opus est Calabro: adite. Volo etiam scias, Rhetores, qui verum istam Virgilianum adducunt pro exemplo catichreos, mire decipi. Dicunt enim *κατάχρησιν* positam in voce *equum*, quasi Maro *καταχρηστικός* appellet istam machinam *equum*. Cerda.

*Instar montis equum divina Palladis arte*] *Ἰὼν Ἀθήρ*: aut ingeniose, aut dolose: ne si diceret; consilio irato deæ, quæ fuit inimica Trojæ. Hunc autem Equum fabricasse traditur *Epeus*, Panopei filius, qui genuit suam ad *Æacum* referebat, Jovis filium. Nec memis fuit Græcas, sed barbaras *Semi-Cres*: quippe *Lycephron* in Cassandra, *ἡμκρίττα βάρβαρον ἱστος*, appellat hunc *ἱστορίκτορα*. Finitque Equo isti inscia ejusmodi inscriptio; *DANAI MINERVÆ ILLADI DONO*: vel, ut Actius in Delphobo, quod Serv. Fuld. notat: *MINERVÆ DONUM ARMIPO-TENTIS DANAI ABEUNTES DICANT*. Abisse porro Equum Trojanum (ut hoc etiam obiter notemus) in Proverbium, docet Cælius xix. 25. et *mensuri* pro societate, non in perniciem modo cuiuspiam inite, verum et ad bonam frugem aliquam. Cicero in Philipp. 'In hujus me consilii societatem, tanquam in Equum Trojanum, includi cum Principibus non recuso.' Idem De Orat. ii. 'Ex Isocratis ludo, tanquam

ex Equo Trojano, innumeros Principes exivisse, scribit.' De quorum verborum sententia vide P. Victor. xviii. 5. Legetur et *Porcus Trojanus*; quem lepida similitudine ita vocabant, quasi aliis animalibus inclusis gravidum, ut ille Trojanus Equus viris armatis. De hoc denique Equo varia in historiis lecta sunt. Hyginus et Pausanias machinam fuisse dicunt, subruendis muris; Plinius arietem, quem Epeus ad Trojam invenerit. Ab aliis traditur porta, quam Antenor, patriæ (ut opinio est) proditor, Græcis aperuerit, Equum pictum habuisse. Nonnulli dicunt, signum Equi datum, ut internoscerent Græci suos et hostes. Nonnulli, facta prodictione prædictum, ne quis eas domos violaret, quarum ante januam equus esset depictus. Unde et Antenor, et cæterorum, agnitæ sint. Vel dicamus, Equestri prælio victam esse Trojam. Vel, a monte Hippius, post quem latentes Græci in insidiis, urbem oppresserunt: ut noster alluserit; 'Instar montis equum.' ut alibi: 'credas innare revulsas Cycladas.' *Taubmann.*

*Palladis arte*] Aut ingeniose, aut dolose: ac si diceret consilio iratæ deæ: quæ fuit inimica Trojanis. *Servius.*

*Palladis*] Quo possent ab insidiarum suspicione abduci. *Donatus.*

16 *Edificant*] Translatio. *Edificari* enim habitacula hominum dicimus. Nam ideo hic de equo *edificant*, qui erat homines recepturus, vel propter magnitudinem: ut Cicero, 'Navem tibi edificatam esse Messenæ.' *Servius.*

*Interunt*] Quia naves dicuntur *texi*: nam ubi naves fiunt *textrinum* vocatur. Ut ipse, 'Bis denas Italo texamus robore naves.' *Idem.*

*Interunt*] Verbum *texo* traduxerunt vet. ad fabricam omnem e ligno. Ovid. 'Textitur in costis panda carina suis.' Catull. 'Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.' Ennius:

'Idem campus habet textrinum navibus pandis.' Ita legit hunc versum Scal. in Not. ad Catullum. Vegetius iv. 33. 'classem Romani principes texuerunt.' Sulpitius Severus Hist. l. i. de Noë: 'arcam e lignis contextuit.' Pari indole Græci τὰ ἔπη *vobis*. Ab hoc contextu tabularum dictæ naves *caudicariæ*, a Seneca de Brevit. Vit. c. 12. quasi a caudicibus. et a Sall. in fragm. Hist. *codicariæ*. *Cerda.*

*Abiete costas*] Non sine ratione Virgilius hoc loco *abietem* commemorat. Item *acerem* et *pinum* paulo post. Nam *fulminata abies*, interitum domine significat: et Troja per feminam perlit. *Acer* vero in tutela Stuporis est: et viso equo stupere Trojani: ut, 'Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ.' *Pinus* in tutela quidem est matris deum: sed et frandum et insidiarum: quia ejus poma cadentia per fraudem interimunt: et hic equus plenus insidiarum est. *Abiete*. Solutio spondæi, nunc in proceleusmaticum, alias in dactylum; ut, 'Arma virum tabulæque, et Troia gaza per undas:' alias in anapæstum, ut, 'Fluviorum rex Eridanus.' Sciendum autem Virgilium servasse sibi ubique in solutione ista, excusationem synalæphæ: quod alii contemnunt. *Servius.*

*Abiete*] Non sibi contrarius Poëta, quamvis equum hunc infra *acerem* vocat, et deinde *pinum*. Ergo dicamus hanc machinam contextam ex variis arboribus, non ex acere solum, et pino; sed ex robore, quod voluit Petronius, et Poëta ipse, cum ait: 'molem roboribus textis:' atque etiam ex cornis, quod Pausanias in Laconicis: costas autem, et statumina, quibus machina firmaretur, sumpta ex abiete. Inde Propertius eleg. iv. 1. de hoc equo loquens: 'Læserat abiegni venter apertus equi.' et eleg. iii. 1. 'Nam quis equo pulsas abieigno nosceret arces.' Tryphiodorus, qui plurimus est in hoc equo describendo, præter materiam lignorum, adi-

cit alia quampiam, videlicet oculos ex lapidibus pretiosis, unum ex beryllo, alterum ex amethysto, dentes ex argento, jubam auro aspersam, ungulas ex testudine. Adi illum. Quæ Tryphiodorus dixit de beryllo, et amethysto explicant Calabrum, qui huic equo dat *ἰσθαλμοὺς διαδάας, ὀφθαλμοὺς περσπικίους*. Inde ab eodem Tryphiodoro hic equus *αἰόλος* vocatur, propter hanc varietatem. *Cerda*.

*Abiete*] An i in *abiete* sit vocalis, an vero consonans, contenditur inter Grammaticos: iis, qui consonas fieri putant i et u, assentitur H. Stephanus in lect. Virgil. idem statuendum in *perietibus*, *abietibus*, *arietat*, *tenuis*, *gemis*, *omnia*, et similibus. A contrario argumentatur, per disyllabam enim *siliæ* dicitur pro *silvæ*; *silvæ* pro *Suavæ*. Versum autem esse *προκατασκευασμένον* asserit Nobilias. Heins. Metam. vii. 151. 'Custos erat arietis aurei.' *Emmen*.

17 *Votum*] Oblatum. Nam participium est, id est, votiisse pro reditu. *Servius*.

*Votum pro reditu simulant*] Probe nasc. 'Hinc levis emergit Græcorum deturpatio ab impietate, qui per speciem religionis insidias moliantur.' Hæc non dissident ab ingenii Græcorum, qui fraudulentis, et dolosis. Curt. i. iv. Græcorum ingenia vocat *temporaria*: Cassiod. Var. ep. xii. 4. Græciam *multifariam*. Cic. ad Q. Fr. 'fallaces, et leves; et diuturna servitate ad nimiam assentationem eruditos.' iterum, illorum amicitias parum *fideles*: Livius i. viii. 'gentem lingua magis strepsuam quam factis.' Similem illis impietatis notam innotuit Homerus, Græcus ipse, per initia Il. xii. quod Spondanus et notat, et miratur animum hoc Græcum hominem. Tangit autem Poëta veterum morem, apud quos vota suscipi consueverunt pro reditu patriam: quod Briss. monuit Form. l. i. Tib. l. iii. 'Ac si pro dulci reditu quæcumque voveatur.' Ovid. Amor. l. ii. 'pro reditu victima vota

cadet.' Sueton. in Calig. c. 14. 'cum deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas trajecisset, vota pro reditu suscepta sunt.' Corn. Tacit. l. iii. 'decrevere patres vota pro reditu ejus.' Eleganter Petron. ad hoc votum alludens dixit: 'Danai in voto latent.' Sed et de hoc strategemate belli ita loquitur Vegetius iv. 26. 'Frequenter dolum excogitant obsidentes, ac simulata desperatione longius abeunt.' Julius Front. iii. 6. de Scipione: 'simulato metu refugiebat Annibal, ratus veram esse ejus trepidationem,' &c. Vide, quæ late idem scribit c. 10. et 11. ejusdem libri. *Cerda*.

*Votum*] Simulant, atque etiam sermones spargunt, istum Equum pro felici in Græciam reditu ab ipsis votum et oblatum esse. Nam, *Votum*, participium est. Eleganter Petronius in halosi Ilii: 'Huc decenni prælio Jurata virtus abditur: stipant graves Equi recessus Danai: et in voto latent.' Id est, in Equo, quem voverant. Tacite autem impietatis accusat Græcos, qui per speciem religionis insidias moliti sint. *Taubmann*.

*Votum pro reditu simulant*] Inde Horat. de hoc equo od. iv. 6. 'Ille non, inclusus equo Minervæ Sacramentito.' Vide Thomasinum de tab. Votivis c. 25. *Emmen*.

*Ea fama vagatur*] Hoc est pro reditu, fama tamen fuit, non et simulationis: nam incipiunt et insidiæ patefactæ esse. Bene ergo excusat, ne reus sit conscientiæ. Accius in Delphobo inscriptum dicit: 'Minervæ donum arripotentes Danai abeuntes dicant.' *Servius*.

*Ea fama vagatur*] Silentiar. Epigr. *ὅτε μῦθος ἀλάται*. German.

18 *Huc*] Pro illuc in equum, vel in hanc rem. *Servius*.

*Delecta corpora*] Delectorum virorum. *Idem*.

*Delecta*] Non ergo plebeja: et est ad excusationem Trojanorum. Elegerunt ex ducibus plurimos: et quo

niam periculosa nos possunt sponte appeti, sors dedit ex pluribus fortibus, quas equus caperet. Ostendit autem Poëta, peccorum pericula providendum omnibus; neque debere homines refugere mortem, pro salute patriæ. *Donatus.*

*Virum*] Pro citorum, qua figura et in pressa utitur. Dicit sane Plinius in naturali historia, sic in neutro faciendum esse, scilicet propter casuum similitudinem, nisi forte nimia metri necessitas cogat. *Servius.*

*Sortiti*] Contraria sunt *delectus* et *sors*. Sed intelligimus ipsidem plures electos, sorte tamen ex ipsis ductos, qui includerentur. *Idem.*

*Furtim*] Num a plebe, hoc est, nullo sciente, id est, latenter. Nam et *furtim* ideo dicitur, quod magis per tenebras admittatur: unde *fures*, quoniam quasi per furtum tempus, hoc est, migrum, aliquid subripiant. *Idem.*

19 *Cæco lateri*] Pro *cæcis lateribus*. Et notandum aliter dici, *cæcum hominem*, non videntem, aliter *cæcum latum*, absconsurum et obsecaturum. *Idem.*

*Cæco lateri*] Si dativum agnoscas, non te facile expadias: accipi potest Latinius cæsus, ut dicat in *cæco latere* ex more veterum, qui ablativos in *e*, desinebant sæpe in *i*. Sic et hodie resperi pro *vespere* in probatissimis auctoribus. Hujus rei alibi testimonia conjungo. Si malis dativum, explicabis in *latum cæcum*. *Cerda.*

*Cavernas*] Loca quæ præter utrum cava essent: ut circa armos, et collum, et illa. *Donatus.*

20 *Ingentis*] Nonnulli omnia loca concava *cavernas* dictas a veteribus adserunt; ut, 'Et umbrosæ penitus patuere cavernæ.' alii fustes curvos navium, quibus extrinsecus tabulæ adfiguntur, *cavernas* appellarunt. Unde quia naves texti dicuntur, et cavernæ navium sint; permansit in metaphora navium, ut *integrum* diceret et *cavernas*. Alii quodeunque in arcum formatum est, quod flexum et

in altitudine curvatum ad sedem ducitur, *cavernas* dici tradunt. Sane dicendo *ingentis*, epitheto levavit tapinosam. *Servius.*

*Cavernas ingentis*] Indicant hæc equi magnitudinem, non minus atque illa Petron. 'Aperitur ingens antrum, et obducti specus, Qui castra caperant. Hæc decemal prælio, Irata (alii jurata) virtus abditur, etipant graves Equi recessus Danai, et in voto latent.' Profunditatem quoque equi, Homeri interpretes, et cum illis Plutarch. in eo lib. qui de Homero inascribitur, expendant, quod vates dixerit, armatos in illum descendisse. Expendi etiam potest ex numero illorum, qui intus abdit, de quibus infra. Denum ex adagi forma, quam indicat Rhod. lect. XXIX. 26. equos magnos staturosque dici posse *durios* ex Trojani equi magnitudine. Adjuvat illud Aristoph. in Avib. δὲ ἔρματι ἴσταν ὑπόταν μέγας, ἔρον δ' ἀνέπας: duo curvus equorum, qui casus magnitudine, quanta equus Trojani. Sed nemo melius Virgilio magnitudinem hæc indicavit: nam quanta illa, quæ instar montis? Calaber l. XII. de hoc equo, μέγ' ἔργον: opus magnum: ἔργον ὀργάνον: opus admirandum: et μεγαλήτερος ἴστρον, quæ voce ingens vastitas inuitur. *Idem.* *βυβρῖμον ἔργον*, et *εὐπῶς ἴστρον*. Dat etiam illi *πτόχος*, id est, *recessus*. De hac etiam magnitudine multis Tryphiodorus. Vocat illum *τελόριον ἴστρον*, *immemum equum*: de eodem *εὐπῶς δ' ἑπῶδες*: *latus*, et *cæcillus*. ut signet etiam amplissimum, ait, *εὐπρόσπερος πλεονῆς*. Dat denum illi ventrem *ἐπῶρον πῶς*: *instar natis*. Dio Chrysost. oration. XI. μέγα ἔργον, ut et Calaber. *Cerda.*

*Uterumque*] *Uterus* est mulierum: nam prægnantis propria est, quem modo ideo dixit, quia dicturus est, *fata armis*. Alvus, est quo defluunt sordes: ut Salustius, 'Simulans sibi alvum purgari.' Venter qui videtur. Juvenalis, 'Montani quoque venter

adest abdomenis pinguis.' Sane et in Tragedia de hoc equo \* *δρῶπῶν* legitur; hanc ergo hic iterum dixit. Servius.

*Armato milite*] Ex hoste scilicet, et singularem numerum pro plurali posuit: ut, 'Ultras Inachias venisset ad urbes Dardaneas,' pro *Dardani*; et alibi pluralem pro singulari; ut, 'Daviste manum committere Teucris,' cum solus esset Æneas. *Idem*.

21 *Est in conspectu*] Locus est, qui hostiles insidias facile celaret. In conspectu erat, sed insula, quo non facilis esset transitus, et mare interjectum occultabat insidias. *Dona*.

*Tenedos*] Insula est contra Ilium, quæ ante Leucophrya dicta est. Nam Tennes Oysis, infamatus a noverca, quod cum ea veluisset concumbere, cultoribus vacuum tenuit, unde *Tenedos* dicta est. Alii dicunt, quod se propter supradictam causam, ex ipsa insula in mare præcipitaverit; hujus soror Hemithea fuisse dicitur. Ideo ergo ait *antiquissima fama*. Sic Cicero in Verrinis, 'Teucra ipsam, cujus ex nomine Tenedos nominatur.' *Serv.*

*Tenedos*] Quamvis nomina Græca, præsertim locorum propria, multum in carmine venustatis habere, suo idiomate posita, non ignoremus: ea quo de causa vulgatos pene omnes codices, *Tenedos* scriptitare coepisse: in antiquis tamen aliquot, præsertimque in Romano scriptum est, *Tenedus* Latina voce. Et in antiquissimis M. Tullii oodicibus manus scriptis, *Tenedus* legi eodem modo: ut in Verrinis, quod ad hunc locum facit, libro III. 'Teucra ipsam, qui apud Tenedos sanctissimus Deus habetur; qui urbem dicitur condidisse; cujus ex nomine *Tenedus* nominatur.' Cæterum in reliquis exemplaribus, *Tenedos* plurimum habetur. *Picinus*.

*Tenedos*] Est hæc insula post Sigæam promontorium, alii *Calydnam* dicunt, alii *Leucophrym*. Aperit Muretus Var. lect. I. 12. cur nomen

mutaverit, et dicta sit Tenedos. Lege in illo. Illa hic solai, quia ad rem Poëta nihil; illa etiam invenies apud Pausaniam in Phocicis. Sed cum in narratione illa Muretus novercam quandam Peribœam nominet, Pausanias Philonomen dicit. Vide Plutarchum in *Ἑλληνικ.* ubi jocosam historiam de Tene, Tenedis, et Achille: Diodorum V. 17. Strabonem I. XIII. Quod Virgilius, *est in conspectu*, Calaber de eadem loquens insula I. XII. dixit, *ἄρτια Τροίης. Cæda*.

*Tenedos*] Græcis *Λεύκοπρυς*, ut Lycophron. in Cassandra: mutati nominis causam reddit Muretus var. lect. I. 12. non *Tenedus*, ut Dausquius in Orthogr. Priscianum testem adducit, qui in Periegesi: 'Terminat hunc Imbros pariter, Tenedosque coercens;' et recte *est in conspectu*, nam Mela hæc habet II. 7. 'Tenedos Sigæis adversa litoribus;' de hac insula Staph. de arb. *Εμμενέως*.

22 *Insula, dives opum*] Hic genitivo jungit. Statius, quod raram est, et ablativo, 'Ut satis ostro dives et auro.' *Servius*.

*Dives opum*] Cum divitem appellat Tenedon, respicit vel ad privatas hujus insule divitias, quæ magnæ esse creduntur. Cicero enim in Verrem III. hæc objicit, quod pecuniam inde multam eripuerit, sed et Tenem ipsam Deam pulcherrime factam cum ingenti omnium gemitu abstulerit. Ergo, Poëta quod suo ævo viderat, attribuit temporibus Priami, quod illum sæpe alias fecisse, viri docti merito exultimant: vel si mavis, respicit ad generalem omnium insularum abundantiam et copiam nam quicquid pretiosum est gemmarum, lapillorum, odorum, auri etiam, ex insulis solet ad nos afferri. De opibus insularum quarundam lege Plin. VI. 31. De Fortunatis insulis amœnissime Horatius Epod. XVI. Itaque *insulares opes* abire in proverbium possunt pro magnis opibus. *Cæda*.

*Priami dum regna m.]* Qui et ipse a Græcis est. *Servius.*

**23 Sinus]** Reductus littoris secus. *Idem.*

**Statio]** *Statio* ubi ad tempus stant naves: *Portus* vero ubi hiemant. *Idem.*

**Male fida]** Periculosa scopulis; vel a Græcis. Aut minus fida propter periculum navium: quia *statio* est, quam *pelagiam* dicunt: aut certe fida Græcis. *Male*, in nostram perniciem. ut Lucanus de Syrtibus, 'Sic male deseruit.' Et hanc significationem raro invenimus. Sane *male fidus* non *infidus*, sed *minus fidus* intelligitur. *Male* enim minutionem habet, non negationem. *Servius.*

**Male fida]** Ergo credendum illos enavigasse. *Donatus.*

**Statio male fida]** Videtur ingeniosus Poëta alludere ad Græcorum insidias, perinde ac si dicat: Locus ille, ubi insidiæ factæ a Græcis sunt, adhuc retinet eandem infamiam, insidiosusque est omnibus, et semper infidus carinis: quid enim nisi hoc arriperet a Græcorum perfidia? Quod autem Poëta *male fida*, Sophocli. in Ajace de portu, *ἄπιστος*, dixit, *infidus*, et Æschyl. in Pers. de insula *Βαυὰ*, καὶ δόστροπος ναυοί: *parva et incommoda navibus*. Græcos duos Germanus conjunxit, et ego utrique Æschinem, qui contra Ctesiphontem ita ait: *λίμνη δὲ τὴν ἐξάγιωτος, καὶ ἐκράτος ἀνομασμένος*: *portus, quem jam nunc nominant, devotum, et execrabilem*. *Cerda.*

**Statio male fida carinis]** Quid *Statio*, dictum Ge. iv. 421. *male fidæ* opponitur *tutissima carinis*, id est, navibus, ut noster Ge. i. 360. 'Jam sibi tum a curvis male temperat unda carinis.' proprie est infima pars navis: vel infima trabs, qua navis fundatur. Græce *ῥόπη*: vide Bayffum de re navali p. 126. et Lil. Gyrald. de navig. p. 95. *Emmeness.*

**Provecti]** In antiquo exemplari Longobardico, *projecti* legitur: qui

mos est sese occultantium, et in insidiis latitantium. Sed melius de navibus intelligere, quum in aliis plerisque omnibus codicibus, *provecti* legatur. *Pierius.*

**Deserto]** Vel ab his, qui Trojanæ partis erant: aut certe ideo *deserto*, ut facilius latere possint. *Servius.*

**Conduunt]** Pro *abcondunt*. *Idem.*

**25 Abiisse, petiisse]** *Abiisse* dicimus et *petiisse*; sed propter metram epenthesis facta est. *Idem.*

**Nos abiisse]** Cum et littus reliquissent, et malefida esset *statio*, non mirum si crediderunt *abiisse*. *Donatus.*

**Mycenas]** A parte totum, id est, Græcia. *Servius.*

**26 Ergo omnis]** Mortalitas plena monstratur. Ubi enim creditum est bellum amotum, solutus est longi temporis luctus. *Donatus.*

**Omnis Teucris]** Subandi *gens*: et absoluta est elocutio. *Servius.*

**Solcis]** Quasi ante æreanis vicis easent. *Idem.*

**27 Panduntur portæ]** Signum pacis est: ut Salustius, 'Apertæ portæ, repleta arva cultoribus:' ut clausis portis signum belli est: 'Quæ mœnia clausis Ferrum acuant portis.' *Id.*

**Panduntur portæ]** Idem hemistichium habes in vi. Hoc fieri in pœce solet, hostibus jam amotis. Horat. ad Pison. 'apertis otia portis.' Inde idem Carm. l. iii. ut significet securitatem Carthaginiensium, qui Romanos jam contemnebant, scribit: 'Vidi ego—Portasque non clausas, et arva Marte coli populata nostro.' Turnebus Advers. xix. 9. in antiquo (inquit) *Lexico Panda θεὰ εὐφρονης exponitur*: id est, *Dea pacis*: nam nimium, belli tempore clauduntur, pacis aperiuntur. Huc spectat illud Æn. i. 'pateant Carthaginis arces,' quo verbo innuitur pacis habitus. *Cerda.*

**Juvat ire]** Exire, aut ire longius. *Servius.*

**Dorica castra]** Mala est compositio, ab ea syllaba incipere, qua superio

finitus est sermo. Pierunque et cacophaton facit, ut hoc loco. Sane Dorus, Neptuni filius fuit: unde Dori originem ducunt. *Idem*.

*Dorica castra*] Coniunge, ut Poëta, *Dorica castra*, et observa genus non *κασιόφρων*, ut male Ursinus; sed leporis, et venustatis, ut bene Pontan. in Actio. talia illa, 'fama malum.' 'date tela:.' 'Oceano nox.' 'stupea flamma manu.' 'ipsa satis tellus, glauca cænentia fronde salicta.' 'huic a stirpe pedes.' 'neque te teneo.' 'siliqua quassante.' 'adverso sole.' et plura alia. Mulcet hoc aures sua complosione. Homer. *λευκὰ κάπρη*. Op. Hal. 1. *δόπρα πλάσσειν*: quo loci Rittershusius Grammaticos reprehendit, qui censent hoc esse cacophaton, 'quasi vero,' ait 'si hoc vitium esset, non potuisset Virgilius, vel agnoscere, vel vitare.' *Cerda*.

*Dorica castra*] Cacophaton: quod tamen Tibullus, politissimus auctor, propemodum affectasse videtur: cum præsertim genus hoc complosionis ex concursu earundem syllabarum aures implere sentiatur. Ita et Ovid. in Epist. Paridis: 'Aut cedent Marti Dorica castra meo.' Vide et Scalig. II. 82. *Doris* autem media est, inter Thessaliam, Æoliā et Helladen, quasi totius Græciæ umbilicus, ad montem Parnasum. *Taubmann*.

28 *Lituaque relictum*] Quod nostrum fuerat. *Servius*.

29 *Hic*] Pro *Illic*, et totum hoc ita accipiendum. *Idem*.

*Hic Delopum, &c.*] Verba sunt visentium, et *δευκνός* invicem loca monestranium. Quintil. IX. 2. *ἔδος τῆς ἀποστρώσεως*, *Per detractionem*, vocat. Detractum enim ait, quis diceret: vel, quidam dicebant. Dicitur etiam *Jactus sine persona sermo*. *Taubmann*.

*Tendebat*] Tentoria habebat, ut, 'Et latis tendebat in arvis.' *Servius*.

*Tendebat*] Id est, tentoria habebat. Ita Æn. VIII. 'legio latis tendebat

in arvis.' Lucan. I. VII. 'Parcite ne castris: vallo tendetis in illo, Unde acies peritura venit.' Item Tacitus I. XIII. 'Milites tendere omnes extra vallum jussit.' *Idem*: 'Principia, ea castrorum loca sunt, ubi tendebant magistratus, erantque signa legionum.' *Taubmann*.

*Tendebat*] Deest tentoria vel pelles, ut Sanct. p. 346. Ovid. Epist. Heroid. I. 'Illic Æacides, illic tendebat Ulysses.' *Emmeness*.

*Servus Achilles*] Propter Hectorem: Et talis ubique induendus est: ut Horatius, 'Jura neget sibi nata.' *Servius*.

30 *Classibus hic locus*] Magis ad equites debemus referre: ut 'et ordinem classes.' Unde et *classica* dicuntur. *Idem*.

*Classibus*] Non navibus, sed exercitibus: veteres enim classem pro exercitu sumpserunt. Festus in *Classis*. 'Classis procincta, exercitus instructus: et in Procinctam: 'Procinctam classem, id est, paratam ad bellum militum multitudinem.' *Servius* in Æn. I. 'Classis ἀρὰ τῶν κέλων, unde et calones, qui ligna, et fustes et *καλοπῆδια* portant.' De exercitu capiendus Lucret. I. II. explicatore Giffan. 'Si non forte tuas legiones per loca campi Fervere cum videas classem lateque vagari.' *Cerda*.

*Classibus*] Id est, manipulis. Isidorus: 'Classes dictæ propter divisionem exercitus, qui postea Manipuli dicti sunt: unde et Virgil. *Classibus hic locus*. nam postea *classica* navium dicta.' Etiam *Servius* ad equitum turmas refert: et Turnebus *Classes* hic de exercitu pedestri, potius quam de navali, interpretatur: XXVI. 22. *Taubmann*.

*Classibus*] Errorem Titi Livii ostendit Tanaq. Faber Epist. 47. qui non vidit *classes* in veterum historicorum scriptis pro equitibus sumi. *Emm*.

*Hic acies*] Hic exercitus. 'Huc geminas nunc flecte acies.' Legitur et



*acie.* Nam potest utrumque. *Serv.*

*Hic acie certare solebant]* Non displicet, quod in Romano codice, *acie certare solebant* legitur: quæ quidem elocutio apud Cæsarem frequentissima est, sicuti apud Livium *acie conficere*, ut obiter locum apud eum ex veteri codice recognoscamus de 2 bell. Pun. l. III. 'cum sex consularibus exercitibus acie conflixisse.' *Legitar et acies.* *Pierius.*

31 *Pars]* *Figurate*, ut, 'Pars in frustra secant.' *Servius.*

*Inempta]* Quæ nunquam nubit. Nam virgo potest et nubere. *Idem.*

*Pars stupet, &c.]* Mirabantur aliqui et subtilitatem artis, et fabricæ magnitudinem. *Inempta* autem *Minerva*, vocatur, quæ nunquam nubit: ita et Daphnen, ἀνερπύραμον, ἀνερπύρον, φερρὸν, ἀνερπύραμον, ἑρπύρον, nominant. *Taubmann.*

*Donum]* 'Amphibolia, non quod ipsa dedit, sed quod ei oblatum est. *Serv.*

*Exitiale]* Quantum ad Trojanos. *Idem.*

32 *Primusque Thymetes]* Ut Euphorion dicit, 'Priamus ex Ariete filium vatem suscepit.' Qui cum dixisset quadam die nasci puerum, per quem Troja posset corrui: pepererunt simul et Thymetia uxor et Hecuba, quæ Priami legitima erat. Sed Priamus Thymetiae filium uxoremque jussit occidi. Inde ergo nunc dicit, *sive dolo*: quia habuit justam causam proditiōis. Alii volunt *dolo*, scilicet Græcorum, quo omnes decepti sunt. *Idem.*

*Primusque Thymetes]* Hunc Thymeten Homerus etiam Iliad. l. III. inter senes cum Priamo in Scæis portis sedentem, ac pugnam spectantem facit. Fuit huic uxor (ut Scholiastes Lycophronis annotat) Cilla nomine, soror Hecubæ: atque hanc ipsam tradunt ex Priamo clandestino coitu filium suscepisse, cui nomen Munippo inditum sit. Forte accidit, ut Priamus, de regni statu in Zelia

Oraculum consulens, responsum acciperet, ut parentem, id est, matrem et filium interimeret. Quare, cum quodam casu eveniret, ut simul perirent Hecuba et Cilla; hæc Munippum, illa vero Alexandrum; pepercit Hecuba et Alexandro Priamus; Cillam vero cum filio interfecit. Hinc ergo liquet, cur vane Poëta dicat, *sive dolo*: quia justam causam proditiōis habere Thymetes videbatur. Docte igitur hortationis partes huic tribuuntur, ut doli conscio, ad stirpem Priami delendam. Alii *dolo* volunt, quo omnes decepti sunt: quod tamen minus placet Nascimbrenio. *Taubmann.*

33 *Arce locari]* Velut tutamen, et non incensum arcis Trojanæ prope multis locis mentio fit. In hac enim arce hujusmodi saxum fuisse dicitur, quod ab alio contritum, sanguineum existeret, atque Helenam, ad incitandos in se amatores, sæpe ex hoc saxo lapillis uti fuisse solitam. *Serv.*

34 *Sic fata forebant]* Ut etiam cives contra patriam sentirent. *Idem.*

35 *At Capys]* Quidam: non pater Anchisæ. Et bene nec se, nec patrem huic consilio dicit interfuisse, per quod interitus patriæ imminabat. Quanquam Æneas, quasi obtrectator Priami, non adsit, ut Homerus dicit: Anchises vero propter cecitatem, ut docet Theocritus. Alii hunc Capym affinem Æneæ tradunt, et ideo ei ab Æneæ dari recti consilii principium. Hic est, qui Capuam condidit; sed hoc post multa secula claruit. Nam his temporibus, quibus Cæsar occidit habuit, Capus juvenæ æneæ dicitur inscriptum fuisse, 'hisdem temporibus, usum de genere conditoris periturum.' *Servius.*

*At Capys]* Sententia Thymetæ suppositose tracta est: Capys autem sententia non nunc melior, sed post factum cognita est. *Donatus.*

36 *Pelago]* Pro in Pelagus. *Serv.*

*Danaum insidias]* Bene qui eandem

ut præcipitetur, non dicit donum Minervæ, sed *Danum* insidias et suspecta dona. Idem.

*Aut pelago Danaum, &c.*] Locus plane Homeri. Odys. I. VIII. Ἡ δὲ διατρέψαι πολλὸν δῖον γὰρ ἡ χάλυξ, Ἡ κατὰ τερπλὴν βαλλέον ἱρὸν αὐτὰς ἐπὶ θυρᾶς, Ἡ δὲ μὲν ἔγκλιμα θαλὺν θελακτήριον εἶναι: *Aut peracindere carum lignum auro ferro, Aut de rupe dejicere protrac-tum in summitatem, Aut cinere ingens assuclacrum Dædorum placamentum esse.* Sed nota hæc consilia agitari, postquam equus jam est in arce, et intra muros. Quanto aptius antequam dæcatur. In hoc sane, ut in multis, Virgilius Homerum correxit. *Cerda.*

*Pelago*] Id est, in profundam maria. Cic. de orat. I. III. 'undique omnes venti erumpunt, sævi existunt turbines, fervet æstu pelagus.' *Enn.*

*Suspectaque dona*] Utpote hostium. Recte enim Sophocles in Ajace: ὄχθῃν δῖονα δῖονα. *Taubmann.*

*ST Subjectiveque urere flammis*] *Que*, copulativa conjunctio est, aut disjunctiva: quomodo ergo per aut adjunxit; cum non utrumque; sed alterutrum fieri poterat quod suadebatur. Poëtarum est, partem pro parte ponere: ut *ferreum pro ferre, et volentibus pro volubilibus.* Ergo conjunctionem pro conjunctione posuit: ut, 'Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum,' id est, *que*, pro *re*. Nam sonantius visum est. Antiqua tamen exemplaria se habere inventuntur; *re* enim proprium significatum habet, ut interdum pro *vel* accipitur. *Servius.*

*Subjectiveque*] Pro *subjective*. Copulativam enim conjunctionem *que*, pro disjunctiva *vel* posuit: quæ et sonantior visa est: ut annotant, præter cæteros, *Servius*, *Erythræus*, *H. Stephanus*, qui etiam, *Subjective*, in contextum velit referri. Sane et *Servius Fuld.* signate dicit, antiqua exemplaria quædam habere *re*, *vel* *que*. *Taubmann.*

*38 Terebrare*] Quidam *aperire* ac *acindere* accipiunt: alii *terebrare* simpliciter accipiunt: quis adjecit *terebrare*; et hic ostenditur adversa sententia, non enim ab omnibus creduntur insidie. *Servius.*

*39 Scinditur*] Nam cum totum suspicionibus ageretur, nihil potuit recte firmari. *Donatus.*

*Scinditur*] Præclare et ex natura vulgi, cui varietas et inconstantia; et crebra, tanquam tempestatum, sic etiam sententiarum, commotio; quod acripit Cic. pro domo sua. *Tacitus Hist.* I. I. 'vulgo mutabili subitis:' et *Ann.* I. sic mores vulgi: 'Pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere.' *Sidonius epist.* VII. 5. 'frenit populus per studia divisus.' *Symmachus epist.* VI. 7. 'divisus in studia partibus.' Præclare *Livius* I. XL. ad signandos hos vulgi mores: 'Nihil tam incertum, nec tam inestimabile est, quam animus multitudinis:' et *Persius Sat.* V. 'Velle eum cuique est, nec voto vivitur uno.' *Boethius Episc. Seleucis Tectæ.* I. I. φῶτα μὲν γὰρ ἄνθρωποι δῖονα ἑκαστὸν τι, καὶ ἀντάμνητον ἑαυτοῦ χρεῖα: *Natura enim populus varium quid, et inconstans est.* Sed nemo melius rem hanc aperit, quam *lectus* et perustratus *Dionysius* variis in locis. *Sæpiissime* enim attigit naturam vulgi, euntis in varia. Sed adeandus præsertim I. IV. ubi *Romani* post eandem *Lucretiam* consultant de expellenda tyrannide, ubi sit magna mentium altercatio. Forma *Virgilianna*, *Fabius declam.* 365. 'in partes scinditur.' *Cerda.*

*Scinditur incertum*] Id est, vulgus inabile distrahitur animis dissentientibus. Cum enim totum suspicionibus ageretur, nil potuit recte firmari. Ab isto autem *scinditur* non abludit *Græcorum διχορρασία*. Porro videtur *J. C. Scaliger* III. 12. ubi de *Multitudine Agræti, Urbani et Militari*, Poëtam informat. Idem V. 3. hos veros

cum Homericis Ulyssæ VIII. 'ὄς δ' ἦν ἐλκόμενος, &c. componens; noluit, inquit, nugari hic Virgilius in divisione consiliorum: sed, *pars stupet*: et; *mirantur*: et, *jussa Tymætæ*. Alii, in *pelagus præcipitem dari*: (nam quorsum, aut quibus viribus subvectio in summas rupe montium? quod ait Homerus) præterea, quod facile factum fuerat, *verere*. Postremo, explorare quid intus ageretur. Solus ille versus palmam poscit; 'Scinditur incertum studia in contraria volgus.' At cætera, quibus verbis! vel cum dixit *tentare latebras*, signatissimo verbo usus est in tenebris, et re dubia. *Taubmannus*.

*Incertum*] Instabile: unde est, *Studia in contraria*. *Incertum* ergo aut temporale est, aut perpetuum epitheton vulgi. *Servius*.

*Volgus*] Tam masculini generis est, quam neutri: quia in us exeuntia neutra, in ris mittunt genitivum: excepto *pelagus*: quod in hoc nomine creavit errorem. *Idem*.

40 *Primus ibi*] Non erat Laocoon inter ambigentes, sed descendit ab arce, excitus contrarietate sententiarum; et cupiebat prævenire, ne quid in perniciem Reip. decerneretur. *Donatus*.

*Ante omnis*] Aut Perissologia est, quasi dixisset, *Primus*. Aut *ante omnes*, id est, videtibus omnibus. *Servius*.

*Ante omnis*] In vetustis aliquot codicibus, *ante alios* legitur. Sed *omnis* agnoscit *Servius*. *Pierius*.

41 *Laocoon*] Omnia in *on* exeuntia, tertiæ sunt declinationis: ut *Laocoontis*, *Demophontis*, *Hippocoontis*. *Servius*.

*Ardens*] Omnis affectus tribus rebus ostenditur, vultu, voce, gestu; sicut hic futura dicturo, primum iram et commotionem animi, quæ vultu ostenditur, dedit; dein celeritatem corporis: inde vocis magnitudinem. *Id.*

*Ardens*] Vel ingenio vigilans, aut vehementer pro statu publico com-

motus. *Donatus*.

*Ab arce*] Videlicet Palladis. Et cum potuisset, templo, maluit *arce*, alludens ad doctrinam, qua credebatur Pallas præsidere urbibus. Ad quam rem sæpe alludit in hoc libro, ut cum ait de serpentibus: 'summasque petunt Tritonidis arces:' et iterum: 'Fatale adgressi sacro avellere templo Palladium, cæsis summæ custodibus arcis.' Ovidius etiam dixit: 'Arcis ut Actææ, vel eburna vel ærea custos, Bellica Phidiaca stat Dea facta manu.' Quod enim Græci de Pallade dicunt, *πολιούχος*, et signatus *ἀκροῦχος*, Ovidius dixit *custos*. *Cerda*.

42 *Procul*] Quidam hoc loco *procul*, unde primum exaudiri potuit tradunt: alii juxta volunt, ut, 'Serta procul.' *Servius*.

*Et procul*] Nisi arderet, verba donec adventaret, distulisset. *Donatus*.

*O miseri*] Bene hoc cæpit, quia non erant suadenti utilia credituri. *Serv.*

*O miseri*] Invectio ardentis animi, non contumeliosa in cives, sed pro statu publico necessaria. *Miseri*. Qui ea quærent quibus efficiantur *miseri*. *Donatus*.

*Quæ tanta insania*] Quia insanorum est, contra se sentire, aut *insania*, dementia. *Servius*.

43 *Creditis avectos*] Vehementius est, quam si dixisset, Non navigaverunt. *Idem*.

*Avectos*] Qui per tot annos bellum gesserunt. *Donatus*.

*Aut ulla*] Quasi dicat: Creditis id tutum, quod reliquerint hostes, aut aliud quippiam, quod benevolentie simulationem afferat? *Idem*.

44 *Dona carere dolis Danaum*] Ordo est, *Dona Danaum*: non *dolis Danaum*. Non enim quæcunque sunt dona, Danaum sunt. *Servius*.

*Danaum*] Quasi callidorum et versutorum. *Donatus*.

*Sic notus Ulyxes*] Quod, ut ait Homerus, verberatus voluntate; et sub

habitu mendici Trojam ingressus, exploravit universa: hic sane Vlyxes filius Laërtæ, Penelopæ maritus fuit; qui filios habuit Telemachum ex Penelope, ex Circe vero Telegonum; a quo etiam inscio, cum ipse patrem quæreretur, occisus est. Huic Vlyxi primus Nicomachus pictor pileo caput texisse fertur. Hujus post Iliense bellum errores, Homerus notos omnibus fecit. De hoc quoque aliæ fabulæ narrantur. Nam cum Italiam post errores fuisset reversus, invenisse Pana fertur in penatibus suis, qui dicitur ex Penelope et proci omnibus natus, sicut ipsum nomen *Pan* videtur declarare: quamquam alii hunc de Mercurio, qui in hircum mutatus cum Penelope concubuerat, natum ferunt. Sed Vlyxes, posteaquam deformem puerum vidit, fugisse dicitur in errores; necatur autem vel senectute, vel Telegoni filii manu; aculeo marinæ belluæ extinctus. Dicitur enim cum continuo fugeret, a Minerva in equum mutatus. *Serv.*

*Ulyxes*] Quasi, si non essent dolosi, ab hoc magistro addiscere potuerunt. *Donatus.*

45 *Hoc*] Oportebat ostendere, si in contraria jam raptos, avertere a proposito volebat: ergo notissima fraude unius universam gentem vituperat. *Idem.*

*Ligno*] Merito, quasi dissuasor, affectavit Tapinosim, dicens *ligno*, non simulacro. Infirmare enim vult fictam eorum religionem, ut paulo post, 'Ducendum ad sedes simulacrum.' Nam in suasionem vel dissuasionem, tam sensus, quam verba considerantur. *Servius.*

*Aut hoc inclusi ligno*] Cum equum *lignum* appellat, animum procul dubio adjicit ad vocem Græcam: equus enim Trojanus *Durius* vel *Durateus* dictus, id est, *ligneus*. Lucret. l. i. 'Nam cum Duratens Trojanis Pergama, partu inflammasset equus nocturno Grajugenarum.' Sic et Ho-

mer. *Odyss.* viii. *Δουρδρεον ἵππου*: et Dionysius Antiq. l. i. *δουρδρεον ἵππου*. inde Flacco Arg. l. ii. dictum: 'manet immotis nox Duria fati.' Sic enim legit hunc versum Politianus, et laudat Rhodig. l. xxix. 25. quod tamen non placet viro docto Gifan. in Lucret. legitque ex vetere codice, *nox Dorica*, ut Virg. *Dorica castra*, et Romani scriptores, *Dies Aliensis*, ut signet Poëta noctem, qua Doreis, id est, Græci, ceperunt et inflammaverunt Pergama. Præfero Politianum. Quamvis autem verum sit, *Durateum* sic dictum a lignis, quibus compositus; non omittendum ab Eurip. in Troad. rem alio detortam, quod observavit P. Victor. Var. l. xix. 18. vult enim Tragicus dictum a ligneis hastis, quæ intus incluse. *Cerda.*

47 *Inspectura domos*] Sentit Vegetius iv. 19. Maronem de equo Trojano loqui, ut de machina oppugnatoria; scribit enim, 'præterea partem muri, ad quam conatur machina accedere, cæmento atque lapidibus, postremo tabulatis extruendo faciunt altiore, ne defensores mœnium desuper urbi ventura possit opprimere.' *Idem.*

*Venturaque desuper urbi*] Oppressura civitatem. *Servius.*

*Venturaque desuper urbi*] Id est, superventura, et oppressura urbem; utpote mœnibus ejus editior atque altior. Eleganter de Equo, ut de machina oppugnatoria loquitur, quæ ex alto ingruit, et suo casu gravitateque subjecta premit, et ruina involvit. Vide Turneb. xii. 5. et xiv. 15. *Taubmann.*

48 *Error*] Dolus, ut, 'Et inextricabilis error.' Et est figura ab eo, quod præcedit, id quod sequitur. Distinguendum sane error: et sic dicendum, 'Equo ne credite Teucrî.' Item, 'Quicquid id est, timeo.' Hoc enim melius est. *Servius.*

*Equo*] Quia originem ducit a fraudulentis hostibus, qui tunc maxime

timendi sunt, cum benevolentiam simulant. *Donatus.*

*Aut aliquis latet error; equo ne credite, Teucri*] Vulgata omnia exemplaria, Servio adstipulata, ita legunt, ut sententia sit, *Equo non credendum*, ideoque ante dictionem *equo*, puncta adlinunt. Tl. *Donatus* distinguendum monet *ne credite* ab dictione *equo*, legendumque autumat, *Aliquis latet error equo*. Neque hoc tantum distinguit, verum etiam suspendit particulam *aut*, utpote qui asserat *Laocoonta* evidenter dixisse, quid primo et secundo loco sentiret: quippe aut Græcos eo ligno inclusos occultari, aut eam machinam in Trojanos muros fabricatam esse. Tertio vero dixisse, *aut*, et quum non suppeteret sequens dictum, confugisse ad generalem suspicionem, dixisseque, *Aliquis latet error equo*: quod quum ita sit, separandum est *aut*, et sic dicendum: *Aliquis latet error equo*, ut de eo, quod fuit incertius, iudicasse videatur: quo genere firmavit quicquid illud fuisset, esse debere suspectum: quia originem dacebat ab hostibus. Ex quibus *Donati* verbis illud etiam colligitur, *ne credite* affirmative legendum: *ne* enim hic non prohibentis, sed intensioris particulam esse. Illud quoque minime dissimulandum, licet paucissimos habeat fautores: quod apud *Probum* in arte, ubi agitur de *ne* particula, pro *Ne credite, Teucri, Quicquid id est*, scriptum habetur: neque quidem id semel, *Ne credite veri, Quicquid id est*. Idne errore factum sit, an quia ita legeret *Probus*, mihi non constat: id magis apertum, quod *Ne*, acuto accento scribendum monet. *Pierius.*

49 *Quicquid id est, timeo*] Omnis subita liberalitas, et præcipue hostium, suspecta sic oportet. Hujus rei elegantem fabellam tradit *Phædr.* fab. i. 24. de *cane* et nocturno fure, cujus subita benignitas causam eo magis jubebat vigilare, ne sua culpa

fur faceret lacrum. *Emmeness.*

50 *Sic fatus*] Non verbis solum, sed re voluit affirmare sententiam. *Donatus.*

51 *Latus*] Quidam inter ventrem et latus percussum intelligunt: multi ita volunt intelligi, *In latus*. *Servius.*

*Fer]* Quadrupedis: ab eo quod toto corpore feratur; ut, 'pectebatque feram.' *Idem.*

*Fer]* Id est, equi, ut apud *Ovid.* Met. vi. 77. 'medioque e vulnere saxi Exluisse feram.' Inde, *semifer* pro Centauro: vide not. *Fabr.* ad *Phædr.* p. 17. *Bochartum* ii. 8. in nominibus equi p. 99. et *Berneg.* ad *Justin.* xxxvii. 2. *Emmeness.*

*Curvum abum*] *Plautus* masculino genere protulit, quo non utimur. Percussum sane intelligimus inter ventrem et latera. *Serbius.*

*Hastam in abum contorsit*] Quidam deesse putant affixid, ut sit sensus, *inclinans se in latus, ad ictum vehementiorem contorsit hastam*: nam si *latus equi* accipias, contrariam erit, quod subjunxit *abum feri*. *Idem.*

52 *Stetit illa tremens*] Exaggeratio, quæ *Horatius* habet. *Taubmann.*

*Uteroque recusso*] Pro conculso: præpositio pro præpositione. *Sere.*

53 *Cava cavernæ*] Græca figura: ut vitam vivere, mortem mori. *Idem.*

*Cava*] *Poichre* *Homer.* *Odyss.* viii. de hac re loquens *κῆλον λόγῳ*, dixit, id est, *cavas insidias*. *Cerda.*

*Genitumque dedere cavernæ*] Hanc equi genitum *Petron.* ad eos refert, qui intus latebant: 'fremuit Captiva pabes intus, et dum mormurant, Roborea moles spirat alieno metru.' Ad quos cavernarum sonitus intellige excitatum quoque intus armorum strepitum: hoc enim est, quod mox dicit: fore ut hoc indicio explorarent, quæ intus latebant, nisi mens esset *cæca*. *Idem.*

54 *Fata deum*] *Fata* modum participium est; hoc est quæ *Idi* loquuntur;

ut Statius, 'Et vocem fata sequuntur.' Servius.

*Fata*] Deorum voluntatem accipere debemus, quasi dicat: Nisi dii avertissent intentionem nostram, statim insidias has cognovissemus.

*Donatus*.

*Lava*] Modo contraria. Et sciendum *lavum* cum de humanis rebus, esse contrarium: cum autem de celestibus, prosperum; ut, 'Intonnit lavum:' quia sinistra numinum, dextra sunt intuentibus. Servius.

55 *Impulerat*] Est hoc, quod Græci *fermo údnpæ* & *θέδς*. Cæda.

*Impulerat*] Enallage Modi: pro *impulset*; vel, *impellere poterat*: id est, inducere Trojano, ut equo vim facerent. Taubmann.

*Fardare*] Dilacerare. *Fædum* enim tam apud Virgilium quam apud Sæmum non turpe significat, sed crude: ut, 'Sanguine fardantem quos ipse sacraverat ignes.' Salustius, 'Fædi oculi.' Alii *fardare* secundum Græcos accipiunt. Quid enim *fædum*, quam dures Græcorum latentes deprehendi. *Latebras* autem amare dicit. Servius.

56 *Stares*] Si *stares* legeris, *moneret* sequitur: propter *δμοσιόλευται*. Et est apostropha. Idem.

*Ipse*] Sicuti stetit ante has insidias. Donatus.

*Trojaque mæne stares, Priamique arx altæ maneres*] In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *maneres* persona secunda legi, non *maneret*; quamquam Servius timet τὸ *δμοσιόλευται*: quare nonnulli, *stares* potius legunt: et *maneres* in fine malunt: sed enim præter antiqua, uti diximus, exemplaria, quæ utrumque persona secunda legendum exhibent, apostropham hic, et cum ingenti dolore animi factam Donatus ait. Pierius.

57 *Ecce manus*] Hæc particula prope rem gestam ante oculos lectoris inducit. Sane sæpe dictum est,

Virgilium, inventa occasione, mentionem joris pontificis facere in quacunque persona. Antiquis itaque ceremoniis tantum erat, ne victus flaminiam introiret; si introisset, solveretur, vinclaque per impluvium effunderentur, inque viam publicam ejicerentur. *Flaminia* autem *domus Flaminia* dicitur, sicut Regia, regis domus, quod hic de Sinone rem Flaminia a rege factam debemus accipere. 'Ipse viro primas municias atque arta levare Vincla jubet Priamus,' quod factum sub dive, ille versu ostendit, 'Sustulit exutas viaculis ad sidera palmas.' Et, 'Vos æterni ignes,' id est, sidera, quod atque incongrue dictum videtur, nisi sub dio Sinonem stantem hæc dixisse accipiamus. Ideo autem *Jucenem* dicendo nomen suspendit, quo gravius narratio fieret, sed ordinis suo referentur, quæ gesta sunt. Servius.

*Ecce*] Semper ponit *ecce*, Virgilius, ubi significat aliquod malum repentinum: dum igitur illa disputant, aliud intervenit, quod ab equi tentatu averteset. Prius autem adventus efficit, ut res in præsentia omitteretur: simulata deinde oratio, penitus religione nos astrinxit, ne Minerva dona fardaremus, accendente maxime violatoris morte. *Ecce* rem improvisam exoriri ostendit, quæ magis movet, præsertim cum assint signa nocentis. Donatus.

*Ecce*] *Ecce*, ubicunque Virgilius posuit, aliquod malum repentinum et inopertum significat, auctore Donato: ut hic, et paulo post: 'Ecce autem gemini a Tenedo,' &c. item, 'Ecce super mæsti, magna Diomedis ab urbe,' &c. Notat etiam Aseonius Verrina l. II. 'proprium fuisse Ciceronis, in rebus improvisis ponere hanc vocem, *Ecce*; idque Maronem cum cura et legisse et transulisse.' Est autem hic transitio ad occasionem erroris et dolû prodendam urbem. Et

notat Macrobius v. 2. omnia de Pi-  
sandro translata esse, quæ circa Sino-  
nem dicuntur. *Taubmann.*

*Manus revinctum*] Ut, 'Oculos suf-  
fusa.' *Servius.*

*Post terga revinctum*] Sic æmulatur  
Statius Theb. l. vii. 'religa captas in  
terga sorores, Injice vincla mihi.' et  
Horat. od. iii. 5. 'vidi ego civium  
Retorta tergo brachia libero.' Pru-  
dentius: 'Nexus denique, qui manus  
retrorsus In tergum revocaverant re-  
vinctas.' Iterum, 'Nexibus manus  
atrasque flexus involvit rigor.' Ante  
omnes Homerus Il. xxi. *ἤθεε δ' ἐν-  
σω χεῖρας: ligavit manus post ter-  
gum.* Aristophanes in *Lysistrata*,  
*ἐνίσσω τὰ χεῖρε δει: liga a tergo manus.*  
*Cerda.*

*Post terga revinctum*] Sic noster  
*Æn. i. 299.* 'et centum vinctus ahe-  
nis Post tergum nodis.' et Horat.  
Epist. ii. 1. 'Mox trahitur manibus  
regum fortuna retortis.' Ovid. Trist.  
iii. 10. 'Pars agitur vinctis post  
tergum capta lacertis.' *ἀποσπέρειν*  
Græce *δέειν* vel *περιδέειν* *χεῖρας ἐν-  
σω: vide Plutarch. in Philopœm.*  
*Emmenes.*

58 *Trahébant*] Cum festinatione  
adducebant, ut, 'Conventus trahit in  
medios.' Et modo *trahébant*, ad du-  
centium desiderium pertinet: non  
quod renititur Sinon, namque contra-  
rium esset, 'Qui se ignotum venien-  
tibus ultro.' *Servius.*

59 *Qui se*] Alii, *quis se*, quibus se  
legunt. *Idem.*

*Qui se*] Consilium Sinonis fuit præ-  
venire, ne equi fraudes averterentur.  
*Donatus.*

*Qui se ignotum venientibus ultro*] *Similis* plane historia in Livio est l.  
xxv. apud quem Tarentini duo juve-  
nes, 'Nico et Philomenes, progressi  
ad stationes, comprehensique, ultro  
id petentes, ad Annibalem deducti  
sunt.' Ita Annibal ex insidiis Ta-  
rentum occupat. Sinonis audaciam

late persequuntur Calaber l. xii. et  
Tryphiodorus *ἔλκεσ*. Sed præclare  
Virgilius voluit dissidere ab Calabro:  
hic enim parum probabiliter ait, Si-  
nonem repertum ab Trojanis *ἔγχεσθαι*,  
juxta equum ipsum. Melius itaque  
multo est ad rationem insidiarum,  
ut per loca avia vagus reperiretur,  
trahereturque repugnans, et invi-  
tus. Itaque potior est Tryphiodo-  
rus, quem Virgilius sequitur, ait enim  
*Γυμνὸς δὲ τὸν πεδίου φάγν κεκακωμένος*  
*ἄνθρωπος: Apparuit per campum vir nudus,*  
*misereque affectus.* *Cerda.*

60 *Hoc ipsum*] Vel ut caperetur;  
vel quia Græci simulabant. *Ipsum*  
autem per m, non per d, quia usur-  
patum est *ipsud*: et est naturale  
*ipsum*: ut, 'Ipsus mihi Davus.' Dici-  
mus ergo, 'ipsus ipsa ipsum,' ut 'doc-  
tus docta doctum.' *Servius.*

*Hoc ipsum*] Paratus etiam mortem  
subire: nam non fit facinus magnum  
sine magno periculo. *Donatus.*

*Ut strueret*] Vel astrueret, vel in-  
choatum a Græcis perficeret, hoc est,  
confirmaret præjecta dolorum semi-  
na, quod ipse exposuit, 'Trojamque  
aperiret Achivis.' *Strueret* autem  
respexit ad superiora, ut, *Ædificant.*  
*Servius.*

*Strueret*] Verbum insidiarum. Ovi-  
dus Met. i. 'Struxerit insidias notus  
feritate Lycaon.' Plautus Asin. 'Syn-  
cophantias struere.' Græci dicunt,  
*ἐνεδραν συντίθεσθαι, ἐκπρίθεσθαι, ποτίζεσθαι,*  
*συνκενδεῖν, συντίθεσθαι, ἐνεδρεῖν.*  
*Cerda.*

61 *Fidens animi*] Ut, 'O præstans  
animi juvenis.' Et est nomen. Nam  
desiit esse participium, quia geni-  
tivo cohæret, et potest recipere com-  
parationem. Sane veteres *fiduciam*  
interdum pro *crimine* et *audacia* po-  
nebant; ut Sallustius 'ita fiducia  
quam argumentis purgatores dimit-  
tuntur:' et Virgilius, 'Nam quis te  
juvenum confidentissime.' *Servius.*

*Fidens animi*] In Romano quidem

codice, animo legitur. Sed animi agnoscit Servius; et elocutionis figura hujusmodi apud auctores frequens. *Pierius.*

*In utrumque]* In, modo ad significat: alibi pro *contra*, ut etiam supra dictum. Sane sequenti versu exposuit, quid est, *In utrumque paratus*. Servius.

*In utrumque paratus]* Abiit autem hoc in proverbium, de eo, qui ad utramque fortunam instructus est. Porro vafricum Sinonisi Virgiliani accutate expendit Scalig. III. 19. tu cum eo, mi Lector. *Taubmann.*

62 *Versare dolos]* Dolo evertere: et subaudi, *Trojanos*: aut *dolos versare*, hoc est, exercere; hinc *versutus*, quod facile se ad ea, quæ usns poscit, vertit. *Plantus*, 'Versatior es, quam rota figularis.' *Servius.*

*Seu versare dolos]* *Versare* proprie in piscibus habitare, qui versantur, cum assantur vel coquuntur, docuimus in *Asinaria* *Plauti*. Hinc translatione in technas et fallacias deducitur: ut hic, et apud *Ciceronem* in *Lælio*: 'Hodie me ante omnes *Comicos stultos senes versaris*.' Alii legunt *dolo*: quod nec improbat *Servius*: ut sit; *Trojanos* exercere, aut etiam evertere dolo. *Certa*, hoc est, firmæ ac destinatæ morti. Nam et hæc lectio doctioribus probatur præ illa, quæ certe adverbialiter legit. *Taubmann.*

*Seu versare dolos, seu certa occumbere morti]* In *Longobardico* codice legere est, *dolo*, casu septimo: quod *Servius* non improbat: subaudiendumque ait *Trojanos*. In eodem codice, ubi raræ admodum diphthongi sunt, hoc loco *certa* cum diphthongo scriptum est, ut *morti* adcommodetur, ergo *firmæ*, et *destinatæ*: alii tamen certe adverbium malunt. *Pierius.*

*Occumbere morti]* Novæ locutionis figura, et penitus remota. *Ennius*, 'Ut vos vestri liberi defendant, pro vestra vita morti occumbant.' *Serv.*

*Certa occumbere morti]* Cum abso-

*Delph. et Var. Clas.*

lute pro patria occubuit ponitur, necem vel mortem subaudito: cum vero occumbit morti, intelligendum se: ut *Sanct. Min.* p. 176. Dicitur igitur occumbere mortem, morti, morte, eodem teste p. 320. *Emmeness.*

63 *Undique]* Expressit hominum morem: quis enim non cupiat hostem suum captum videre, et viso illudere? *Donatus.*

*Visendi]* Frequentativum est visio, ut *Facesso*: licet rarum sit, nam in *To* exeunt frequentativa. *Servius.*

*Visendi studio]* Similis locus *Æn.* XII. 131. 'Tum studio effusæ matres, et vulgus inermum, Invalidique senes, turres et tecta domorum Obsedere,' &c. *Plin.* in *Panegyri*. 'videres referta tecta ac laborantia: ac ne eum vacantem locum, qui non nisi suspensum ac instabile vestigium caperet.' *Apulejus* *Metam.* I. III. 'propter cætus multitudinem, quæ pressura nimia densitate periclitaretur,' &c. *Panlo* post: 'populus procurrens cavæ conceptum mira celeritate complevit: aditus etiam et tectum fartim stipaverant.' Iterum: 'miro tamen omnes studio visendi,' &c. *Emmeness.*

64 *Circumsusa ruit]* Figura *βαλλαγῆς*. *Ruit* primo et sic *circumsusa* est. *Servius.*

*Circumsusa ruit]* Multitudinem annuit, ut *Corn. Nep.* in *Chabria* c. 4. 'quo facto circumsusus hostium concursus.' Sic noster hoc libro vs. 383. 'densis et circumfundimur armis.' *Apulejus* *Metam.* I. VIII. 'contra nos ruunt et circumfusi insilunt.' *Emm.*

*Certantque]* Cum supra, *Juventus ruit* dixerit, subjunxit, *certant*; quod figuratum est, quia juvenis enuntiatione singulari est, intellectu plurale. *Servius.*

*Illudere capto]* Et illudo tibi, dicimus; ut hoc loco: et illudo te; ut, 'I, verbis virtutem illude superbis;' et illudo in te. Simile est insulto tibi et te. Quidam *inludere* per ludum ac jocum sævire injuriam alicujus intelli-

*Virg.*

7 Q



gunt. Ut 'Silvestres urī assidue capræque sequaces.' *Idem.*

*Certantque illudere capto*] Non solum *illudere*, sed sævire etiam in miserum. Ait enim Calaber ab Trojanis multis verberibus affectum, ac præcis auri- bus, et naribus deformatum perstis- se; quæ re voluerant veritatem ex- torquere. Dissidet ab Calabro Try- phiodorus, qui ait, ictus istos, et vul- nera sibimet Sinonem adfixisse, ut sic plenus sanguinis, vibicum, verberum, fidem faceret Trojanis, se male a Græcis multatum. Quod commentum non dissimile ab eo, quod de Zopyro habet Herodotus l. iii. et de Sex. Tar- quinio Livius l. i. et Valerius Max. vii. 4. et de Ianne versutissimo ho- mine Cedrenus. Ille enim ventrem, dorsum, nates plumbo pupngit, ut flagris cæsus videretur, atque ita ex- citaret invidiam. Quin de eodem Sinone scribit, se sædandum mutilan- dumque tradidisse. Observabis, Ari- stidem orat. κατὰ τὰν ἑποχουμένην, tribuere Ulyssi, quæ Tryphiodorus, et alii Sinoni. Itaque Ulysses (ait Aristides) verberibus se conscidit, ut Trojam dolo caperet. *Cerda.*

*Circumfusa ruit, certantque illudere capto*] In Romano codice, *certat* est, unitatis numero, veluti *ruit*: alii ta- men figuram malunt. *Pierius.*

*Capto*] Ita Trojani putabant. *Serv.*

65 *Accipe*] Audi: ut *Da*, dic. Ecl. i. 'Qui sit, da, Tityre, nobis.' *Idem.*

*Accipe*] Destruit Græcorum perso- nam omni occasione, et defendit suam. Nam totam rem in Deorum adversum studium revocat: ut ostendat, Græcos tum insidiis, tum Deorum injusto fa- vore victoriam obtinuisse. *Donatus.*

*Accipe*] Id est, audi, cognosce: vide Non. Marcell. *dare* contrarium. Vide N. Eclog. i. 19. Pro *da* Euripid. ὁδς, ut Vechner. ii. 12. Horat. sat. i. 3. 'Accipe quid contra juvenis respon- derit.' Juvenal. Sat. xiii. 120. 'Ac- cipe quæ contra valeat solatia ferre.' *Emmencus.*

*Insidias*] Servavit ordinem respon- dendo ad illud, quod regina dixerat: *Insidias, inquit, Danaum.* *Servius.*

*Crimine ab uno*] Hoc est, causa: ut, 'Crimen amor vestrum.' Ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Si enim simpliciter intellexeris *Crimine*: de negotio ad personam, vitiosum transi- tum facit. Alii sic legunt: *Danaum insidias et crimen.* *Idem.*

*Accipe n. Dan. insidias, et crimine ab uno*] Ab uno reo. *Crimen* hic, ut *Vi- tium* pro vitioso. Martial. 'Carcer vix carcere dignus:' Scalig. in Con- ject. Sed *Æl. Donatus* ad illa Terent. Phorm. 'Unum cognoris, omnes noria,' legit: *Accipe nunc Danaum insidias et crimen: ab uno D.* quam lectionem nec *Servius* respuit. *Taubmann.*

*Ab uno disce omnis*] Quasi dicat, ar- gumento a minori sumpto: si tantum dolis efficere potuit unus Sinon, quid plurimos Græcos facere posse existi- mabis? *Idem.*

Ab] Pro *ex*, ut Phædr. f. iv. 21. 'sermone ab ipso cognitum:' ubi vide *Sceffer. Emmencus.*

*Accipe nunc Danaum insidias, et cri- mine ab uno Disce omnis*] Facile qui- dem adduci possum, ut ex *Ti. Donati* sententia *crimen* legendum credam; quam lectionem omnino *Servius* re- spuere non videtur, licet priorem magis approbet: dum exponit *crimine ab uno*, hoc est, causa. Ut 'crimen amor vestrum.' Præter vero *Servia-* nam huiusmodi interpretationem, ple- raque omnia venerandæ vetustatis exemplaria, quæ in manus nostras devenere, uno exemplo legunt, *cri- mine ab uno Disce omnis.* sed enim quia litteratissimi plerique viri ultro in *Donati* sententiam eunt, libuit ex iis, quæ ille super hoc commentatus est, quod in vulgatis codicibus desi- deratur, adponere: *Accipe nunc Da- naum insidias et crimen.* 'Duplici ge- nere criminationis Græcos aspergit ex persona captivi: atque, ut satiaret, addidit, *ab uno Disce omnis*: unum

quippe notabile vult esse in viro forti, ut non congressu, sed insidiis certet: ostensurus autem Sinonem mendacem, perjurum, sacrilegum, ait *crimen*, ut non Sinon solus, sed qualis esset, tales esse omnes Græcos assereret.' In hanc sententiam nonnulli trahunt Catullianum illud ex antiqui codicis lectione, 'Vatiniana mens crimina calvus explicasset:' hoc est, Poëma in Vatinii crimina. *Pierius*.

67 *Turbatus*] Quasi turbatus: ut, 'Exultat Amazon,' quasi Amazon. Et hoc ad fidem faciendam; non enim turbatus, supra enim ait, 'Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.' *Servius*.

*Turbatus*] Fieri etiam potuit, ut vera turbatus fuerit, donec vidisset, utrum fallacia succederet. *Æn. VIII.* 'Cacum videre timentem Turbatumque oculis.' *Taubmann*.

*Inermis*] Quidam supplex accipiunt, ut, 'Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.' *Servius*.

68 *Phrygia agmina circumspexit*] Explet Poëta gestum spectantis, ait Scaliger iv. 16. Idem, 48. Cum pedes sese ingerant temere, magnopere studendum est, ne tres versus eadem pedum collocatione continuentur. Putant esse generosum ex primo et quinto dactylo, cæteris spondæis, alterutis molliusculum fieri. Spondai cum temere admiserunt veteres, præsertim Græci: etiam Catullus in copulo frequentior. Virgilius suo more, id est, prudenter usus est: in re quippe fixa: ut, 'Phrygia agmina circumspexit.' Fixis quippe vestigiis oculos circumtulit. Ita et in nixu, *Æn. III.* 'Cornua velatarum obvertimus antennarum,' &c. *Taubmann*.

69 *Heu*] Modo una est syllaba: sed interdum propter metrum, duæ fiunt: 'Eheu quam pingui macer est mihi taurus in arvo.' Sicut *prendit* et *prehendit*; et secundum Plinium multa sent talia. *Servius*.

*Heu, quæ nunc tellus*] Dolose queri-

tur Sinon, se de communibus duobus elementis exclusum: nec usquam sibi locum relinqui: quippe, quem Græci sui persequantur, ut martent: Trojanis, quibus tamen salutem præstiturus sit, vinctum ad necem jam deposcant: ut hos ad misericordiam, illos in odium adducat. *Taubmann*.

*Heu, quæ nunc tellus, &c.*] *Æropla*. Schema usitatum. Donatus vocat *διὰ λόγιστον* E. i. 1. 1. et seq. et ii. 3. 3. 'ubi quæram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam,' &c. Apulejus *Metam. vi.* 'quo tantis laqueis inclusa vestigium porrigam: quibus tectis vel etiam tenebris abscondita,' &c. *Emmeness*.

*Tellus et æquora*] Bene conciliat miserationem, de communibus duobus exclusus elementis, quia Græci tenebant maria; Trojanis terras: sane, quod deflet, ideo ei prima brevis datur oratio; et est controversiæ schema. Nam principium satis docte sumptum est: hac enim exclamazione et miseriæ auctu benevolam sibi iudicem fecit, querelæ autem novitate attentum: quis enim non cuperet audire, quo pacto idem homo et Græcis et Trojanis esset invisus: denique subiecit, 'Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis Impetus. Hortamur fari,' &c. Habet ergo benevolentiam et attentionem, ingressus deinde causam, quia timebat ne persona Græci suspecta esset, quasi hostis, hoc fatetur primum, et ex sequentibus sanat: 'Neque me Argolica de gente negabo, Hoc primum.' Subjungit fabulam, ex qua sibi fidem paret, dicturus de equo, de Palamede autem et Iphigenia ad Troianos nil pertinet, de quibus vera incipit et in falsa desinit; facile enim quæ sequuntur credibilia sunt, cum prima recognoscuntur, quæ per singula loca, vel versus facilis poterimus advertere. Sane *tellus*, us longa est: et pauca sunt quæ us producant; ut *senectus*, *juventus*, *salus*, *virtus*, *pulus*, *servitus*, *incus*, *tus*,

*rus, mus, pus*: tunc scilicet quum genitivus in *tis* vel in *ris* exit, et habet penultimam longam. Ideo autem *tis* et *ris* dicta sunt: quia *palus*, licet *paludis* longa sit *lu*, brevis tamen nonnunquam invenitur, quia in *dis* exit genitivus: ut Horatius, 'Sterilisque diu palus aptaque remis.' *Servius*.

*Æquora*] *Maria*. Alibi *campos*: ut, 'Ac prius ignotum ferro quam scindimus æquor.' Dictum enim est ab æqualitate. *Idem*.

70 *Aut quid jam misero mihi denique restat*] Cicero pro Milone: 'Quid jam restat? quid habeo, quid dicam?' &c. *Cerda*.

*Quid jam misero mihi*] Hoc cum affectu majori et lacrimis pronuncian- dum: quod inculcatione litteræ *M* exprimitur. *Taubmann*.

*Denique*] Aut vacat sicut *gentium*: aut *notissime* significat. *Servius*.

71 *Et super*] *Et insuper ipsi*, quos pro merito meo minime deceat sævos esse, hoc est, quibus sum præstaturus salutem. *Idem*.

*Et super*] In Romano codice, et plerisque aliis antiquis, legere est, *et super ipsi*. Quæ lectio est codicis etiam Donatiani, neque non Medicei: reperitur etiam *insuper*. In nonnullis utraque lectio habetur, una plus syllaba versu corrupto. *Pierius*.

72 *Insensi*] *Insensus* proprie est plus quam inimicus, inimico major. *Servius*.

*Panas cum sanguine poscunt*] Id est, tormenta et mortem. Potest enim aliud esse sine alio. *Idem*.

*Poscunt*] Verbum, quo ad supplicium petuntur, qui vel alibi latitant et rei videntur. Pro quo Cornel. Nep. *exposcere* in Themist. c. 8. 'nam cum publice exposceretur, supplicem non tradidit:' et in Annib. c. 7. 'Hos Hannibal sui exposcendi missos ratus.' Ovid. Metam. l. 200. 'studiisque ardentibus ausum Talia deposcunt:' infra vs. 139. *reposcent*. *Emmeness*.

73 *Quo gemitu*] Bonitatem Troja-

norum ostendit, qui pro supplicio ultimo, quod sperabat, solo gemitu ejus, pro pœna contenti sunt. *Donatus*.

*Conversi animi*] Bene, quia dixerat, *Et super ipsi Dardanidæ insensi*, ut ostenderet eos cum advenienti inludere certarent, audito ejus gemitu, ad miserationem esse conversos. *Servius*.

*Quo gemitu conversi*] Tribnit Poëta ubique pietatem simplicitatemque animi Trojanis: ut contra Græcis impietatem et fraudulentiam. *Taubmann*.

*Compressus et omnis Impetus*] Obiter nota consuetudinem multitudinis, dicente Tacito l. historiarum, 'mos vulgo mutabili subitis, et tam prono ad misericordiam, quam immodicum sævitia fuerat.' *Cerda*.

74 *Impetus*] Qui in Sinonis ferebatur interitum. *Servius*.

*Hortamur fari*] Bene: non jubemus, utpote miserantes. *Idem*.

*Hortamur fari*] Vim propositionis habet, et tria proponit, ad quæ Sinonem respondere conveniret. *Donatus*.

*Quo sanguine cretus*] Quibus sit parentibus natus. Nam Græcum esse constabat. *Servius*.

75 *Ferat*] Adferat; id est, nunciet. *Idem*.

*Memoret, quæ sit fiducia capto*] Aut dicat, quæ sit in captivo fiducia; ut audeat dicere, *Insuper ipsi*: aut certe *memoret*, est meminere: ut significet, meminerit per veriloquium vitæ esse fiduciam. Unde et responsio talis est, *Fatebor vera*. Alii *memorem* legunt, ut sit sensus: Hortabamur ad loquendum memorem: hoc est, qui diligenter factionis suæ meminerat: veluti, memor sit, quid in captivo victori liceat, vel, *Quidre ferat memoret*, id est, quid adferat, dicat, ut simpliciter accipiat quod sequitur; quid illud sit, quod illi fiduciam apud hostes capto pariat, ut putet a Trojanis sibi esse parcendum. *Idem*.

*Fiducia*] Jacob. Durantius Variar. l. 1. ait voce *fiducia* signari id, quod Græci vocant ἀσφάλεια, Latini *fidem*

publicum, alii, *salvum conductum*, *tutitionem*, *cantionem*, alii *commectum*. Sed ego vocem ex medio foro tractam duco, et ex reis, qui in vinculis. Nam de his sæpissime Quintilianus in declamationibus *fiduciam* dicit. Ut cum ait, 'aliquando reo nocet et ipsa fiducia.' Declamat. 305. 'innocentiæ fiducia contra opes istius steterant : ' et sæpe alias. *Cerda*.

76 *Deposita tandem formidine*] Est hoc, quod Calaber l. XII. de eodem Sinone : ὁ δ' ἐνθήμερος φρεσὶ κάπρος τοῖα δ' ἔφ' ἐν μέσσοισι δολοφρονέων ἀγρόθεν : *ille autem resumptis animo viribus Talia in medio dolos nectens profatur*. Sunt, qui expungant hoc hemistichium, ut otiosum. Nam quomodo formido deposita, si postea subjicitur : *Prosequitur pavitans*. Deinde hic non habet locum *tandem* initio sermonis. Tertiò quia frustra *fatur*, cum postea subjiciat, *inquit*. Idem.

77 *Cuncta*] Promittit omnia vera dicturum : qui nulla in parte fuerat veritatem retracturus. *Donatus*.

*Tibi, rex*] Assumit fiduciam confitendi apud eum, qui et cognoscendi et ignoscendi facultatem haberet. Commendat autem se, quod vera pollicetur : et quod regem appellat, captat benevolentiam. *Idem*.

*Fuerit quodcumque*] Id est, quicumque me sequitur eventus : sive miseratus vitam concedere volueris, sive non. Est autem parenthesis, et respicit ad illud, 'Memoret, quæ sit fiducia capto.' Suspendendum ergo *Rex*. Sane *Quodcumque* vetusta voce mortem significari Lucilius docet in XII. 'Hunc si quid pueris nobis me et fratre fuisset ;' hoc est, si mors me vel fratrem oppressisset. Ergo, ut quidam volunt, urbane animum hominis, mortem contemnentis, ostendit. *Vera*, inquit, ut et falsa, quæ postea dicturus est, vera credantur, ideo primo a veris cæpit. Ordo autem est, *fatebor cuncta vera*. *Servius*.

*Fatebor*] Aliud est quam *referam*.

*Referimus*, cum dicimus aliquid simplex : et potest proferri sine tormentorum metu. *Fatemur* autem, cum prodimus id, quod sit contrarium confitenti, et possit tormentis exprimi e pectore negantis : et repete bis, *fatebor cuncta*, et *fatebor quodcumque erit*. *Donatus*.

*Cuncta equidem tibi, rex (fuerit quodcumque) fatebor Vera*] Nonnullis in codicibus pervetustis legere est, *fuerit quodcumque* singulari numero : quamquam non sum nescius, plurimos esse, qui faveant lectioni *fuerint quæcumque* : quia scilicet *cuncta* præpositum est nomen multitudinis. Sed enim *Servius*, *Fuerit quodcumque*, videtur agnovisse, dum exponit : quicumque me sequatur eventus. Cum *Servio* est *Donatus*, qui aperte *Fuerit quodcumque*, interpretatur, hoc modo : *Cuncta*, inquit, et quicquid fuerit *fatebor*, ut *fatebor* bis accipiat, ne fiat per numeros vitium, ut sit *fatebor cuncta* : item *fatebor quodcumque fuerit*. In *Mediceo* codice, *cuncta quidem* legitur. Sed *equidem* ex eorum sententia est, qui primam personam ei inesse adverbio volunt : ut sit, equidem ego quidem, quum tamen *Cato* apud *Sallustium* dicat : 'Quare vanum equidem hoc consilium est,' nisi et *Sallustiani* quoque codices corrupti sunt. *Pierius*.

*Fuerit quodcumque fatebor Vera*, inquit] De mirabili hujus Orationis artificio consulatur *Rud. Agricola*, II. 17. *Taubmann*.

78 *Inquit*] Nollem hoc in maximo Poëta (etiãsi commodè defendi possit) nam satis præcedens *fatur*. *Cerda*.

*Neque me Argolica de gente negabo*] Quod sciebant *Trojani*, confessus est, ut ei de cæteris crederetur. *Servius*.

*Argolica de gente*] Ad id, quo sanguine cretus. Græcus sum. Ac si dicat, hostis sum. *Donatus*.

*Nec me Argolica de gente negabo*] Non dissimile ab hoc initio illud *M*.

Terentii Romani equitis apud Tac. Ann. vi. qui reus factus, quod amicus Sejani fuisset, sic exorsus est coram Cæsare: 'Fortunæ quidem meæ fortasse minus expedit agnoscere crimen, quam abnuere; sed utcumque casura res est, fatebor et fuisse me Sejano amicum, et ut essem, expetisse, et postquam adeptus eram, letatum.' Hæc constantia Terentio vitam attulit. Plautus Captiv. 'Propemodum ubi loci fortunæ tuæ sint, facile intelligis. Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliusculam.' *Cerda*.

79 *Primum*] Hoc maximum est, vel principale apud me, verum dicere: vel *hoc primum*, et subaudis *fatebor*. *Nec, si miserum fortuna Sinonem Finxit*. Quidam ita intelligunt: Si me fortuna ad hanc miseriem perducere potuit, non valebit etiam stultum facere, ut putem me mentiendo proficere. Sane Autolycus quidam fuit fur, qui se varias formabat in species: hic habuit liberos, Sisyphum, unde natus est Sinon: et Autolycum, unde Ulyxes. Consobrini ergo. Nec immerito Virgilius Sinoni dat et fallaciam, et conditionis officium, ne multum discedat a fabula: quia secundum Euphoriorem Ulyxes hoc fecit. *Sinonem* autem melius ait quam si *me* dixisset. Solet enim et in nomine quædam esse Emphasis: ut est, 'Et quisquam numen Junonis adoret.' *Servius*.

*Nec, si miserum Fortuna Sinonem, &c.*] Potuit eripere mihi fortuna priorem felicitatem, ad non poterit me mendacem fingere. Hoc argumento persuasit, ut Trojani crederent reliqua: et ne videatur incredibile, quod ipse solus ex omnibus Græcis remanserit, ad hanc partem ducit ex alto principium, et narrat rem omnibus notam, et magna ex parte veram: qua exposita, subjungit falsa. *Donatus*.

*Nec, si miserum*] Recte ait Macrob. Virgilium expressisse istud Accii in

Telepho: 'Nam si a me regnum fortuna, atque opes Eripere quivit, at virtutem nequivit.' *Cerda*.

80 *Finxit*] Composuit, formavit. Ut, 'Et corpora fingere lingua.' Et sciendum, quod omnis Sinonis oratio, diasyrctica est. Nam et negotium exprimit: et Trojanorum insultat stultitiæ. *Servius*.

*Finxit vanum*] Fallacem. Et *vanus* est, qui etiam sine utilitate mentitur. *Mendax*, qui tantum ad decipiendum. *Vanus* vero *stultus* apud idoneos invenitur: ut Juvenalis, 'Sic libitum est vano qui nos distinxit Othoni.' *Idem*.

*Vanum mendacemque*] Arnob. l. i. 'usque adeo fuisse vanos, mendaces,' &c. Vani qui sint, docere conatur Agellius xviii. 4. etsi obscure. *Vani* enim sæpius sunt, qui morbo quodam et *ingenita mentiendi voluptate* (ut ait Tertull.) mentiuntur: uno verbo, *ψάρατοι* sunt: quia *ψάρον* et tantum Genio suo morem gerentes temere mentiuntur. Vide et Arist. iv. Nicom. vii. et Des. Herald. ad Arnob. l. i. *Taubmann*.

81 *Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris*] Dum dicitur. Et utitur bona arte mendacii, ut præmittat vera, et sic falsa subjungat. Nam quod de Palamede dicit, verum est: quod de se subjungit, falsum. Et sciendum ex hac historia, partem dici, partem supprimi, partem intelligentibus relinqui. Nam Palamedes, ut Apollonius dicit, septimo gradu a Belo originem ducens, quum delectum militum per Græciam ageret, simulantem insaniam Ulyxem duxit invitum. Quum enim ille, junctis dissimilis naturæ animalibus, salem sereret, filium ei Palamedes opposuit. Quo viso, Ulyxes aratra suspendit: et ad bellum ductus, habuit justam causam doloris. Posteaquam Ulyxes frumentatum missus ad Thraciam, nil advexisset, a Palamede est vehementer increpat. Et quum dicere

ret adeo non esse negligentiam suam, ut ne ipse quidem si pergeret, quicquam posset advehere; profectus Palamedes, infinita frumenta devexit: qua invidia Ulysses, auctis inimicitiis, fictam epistolam Priami nomine, ad Palamedem (per quam agebat gratias proditiōis, et commemorabat secretum auri pondus esse transmissum) dedit captivo: et eum in itinere jussit occidi. Hæc inventa, more militiæ, regi oblata est et lecta, Principibus convocatis. Tunc Ulyxes, quum se Palamedi adesse simularet, ait: Si verum esse creditis, in tentorio ejus aurum queratur. Quo facto, invento auro, quod ipse per noctem, corruptis servis, absconderat; Palamedes lapidibus interemptus est. Hunc autem constat fuisse prudentem. Nam et tabulam ipse invenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus, ut Varro testatur. Secundum quosdam ipse reperit literas. Quæ res si forte sit dubia, tamen certum est θ, φ, χ, ab hoc inventas cum aspiratione. *Servius*.

*Fando aliquod*] H. Stephanus mavult, *aliquod*. Sed consensum omnium Codd. ego non damnum in quibus *aliquid*. Certe et Comici dicunt, 'Quid tibi nomen est?' *Taubmann*.

*Fando aliquod, &c.*] Compendium narrationis per interrogationem. Vide Donatum ad Ter. Phorm. 1. 2. 13. *Emmeness*.

*Pervenit*] Enripides in Phœniss. per simplex extulit, *ἤκει εἰς ἀκούς*. Homer. Odyss. xvi. *κέρως ἤλαθε*. Sophocles in Philo, *διῆλαθε*. Verba Virgilii *pervenit ad aures*, multi arripuere; et unus Ovidius quater in Metamorphosi, libris v. vii. ix. x. Sed ante Nostrum ea locutione usus est Cicero. Silius l. xi. *it per aures* dixit. *Cerda*.

*Tuas pervenit ad aures*] Sic Phædr. f. ii. 10. 'Si nostrum studium ad aures pervenit tuas:' et infra vs. 119. 'quæ vox ut venit ad aures.' *Emmen*.

83 *Bolide*] Historiam copiose ex-

sequitur Philostratus, Apollonius, Hyginus, Pansanias, Tzetzes, alii. *Taubmann*.

*Palamedis*] Eadem dicit, quæ *Servius* de Palamede. *Donatus*.

*Inclita gloria*] Propter delectum et frumentum. *Servius*.

83 *Falsa sub proditiōe*] Sub falso crimine proditiōis. Et rem notam per transitum dicit. Unde et paulo post, *Haud ignota loquor*: quanquam ibi possit intelligi, *Haud ignota nobis*, sed forte etiam ad vos potuit pervenire. Sciendum sane factum hoc vere, et Trojanos scisse. Sed Sinon callide quasi ignorantibus, quæ vera sunt, dicit, ut fidem sequentibus faciat. *Servius*.

*Falsa sub proditiōe*] Ideo Ovid. Metam. xiii. 59. de Palamede: 'Prodere rem Danaum finxit, fictumque probavit:' et vs. 307. ubi se purgat Ulysses: 'an falso Palamedem crimine turpe Accusasse mihi.' Talibus insidiis circumventus Turnus a Tarquinio: vide Liv. 1. 51. *Emmeness*.

*Pelasgi*] A Pelasgo terræ filio, qui in Arcadia genitus dicitur, ut Hesiodus tradit. *Servius*.

84 *Infando indicio*] Propter aurum clam suppositum. *Indicio* autem, de latione. *Idem*.

*Infando indicio*] Lex Cornelia de sicariis et veneficiis comprehendit et eos, qui operam dederint, quo quis falsum indicium profiteretur, ut quis innocens circumveniretur, condemnaretur: ut videre est eo titulo in libris juris. *Germanus*.

*Quia bella vetabat*] Jam hoc falsum est: sed dicitur ad Sinonem commendationem, nam aliam ob causam Palamedes periit. Et bene ad captandam circa amicos ejus miseriam adjungitur, qui parvis auctor fuit. *Serv.*

85 *Demisere neci*] Ita infra: 'multos Danaum demittimus orco.' *Cerda*.

*Demisere neci*] Pro *dedere*. Ita Æn. x. 'dejecit leto.' Quæ Scaliger digna habuit, quæ bis notaret, iv. 16.

*De Adfectus dignitate.* Taubmann.

*Nunc cassum lumine lugent*] Turnebus xxix. 34. *cassum lumine* explicat carentem lumine; inspiciturque, hanc vocem deduci a *careo*, quod et Priscianus agnoscit, qui huic verbo duplex dat supinum, *caritum*, et *cassum*. Nam Plantus Aul. *dote cassam* virginem dicit, id est, carentem: et Lucretius l. iii. *cassum anima corpus*, id est, carens. In xii. *Spoliatum lumine*: ut autem (ait Germ.) *cassus lumine*, et *spoliatus lumine*, dicitur mortuus, sic contra Græcis *vivus* dicitur *βλέπων*, quod proprie est *videns*. Eurip. Hecub. *βλέποντι φίλῳ*, *videnti amico*, id est, vivo: et Sophocl. in Ajace opposuit *βλέποντα, καὶ θανόντα*, *videntem, et mortuum*: idem monet Henric. Stephan. atque, inde Virgilium Æn. iv. dixisse, ‘*tædet cæli convexa tueri*,’ id est, vivere. Inde do lucem Comicis Terentio et Plauto, qui synonymicæ *videns vivusque pereō*. Signate *cassum lumine* dixere Lucretius, et Statius: prior l. v. posterior Theb. iii. *Cerda*.

*Nunc cassum lumine lugent*] Pro eo l. xii. *spoliatum lumine*. Sic Plantus Aulul. ii. 2. 8. ‘*Virginem dote cassam*:’ idem quod inanis, vacuus: inde Horat. Sat. ii. 5. ‘*contentum cassa nuce*:’ et proverbium illustratur in *cassum cadere*, quod apud Plaut. Pæn. i. 3. 143. ut *cassi lumine* dicuntur, qui ad orcum descenderunt, sic *βλέπειν* pro vivere apud Græcos sæpe: vide Meurs. ad Lycophr. 281. ubi *λυπεδὸν ὄψονταί βλον*, id est, vivent. Latine Cic. pro Milone c. 3. *intueri lucem* pro *vivere*. Recte *lugent cassum lumine*: sic enim fieri solet. Quod ex Ovid. amor. i. 15. liquidum: ‘*Pascitur in vivis livor*: post fata quiescit: Cum suis ex merito quemque tuetur honos.’ Horat. od. iii. 4. ‘*Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus invidi*:’ ut ehim Virtuti comes est invidia, ita apud posteros obtrectationis invidia decedit. Vide Bernegg. ad præfa-

tionem Justin. *Emmenæos*.

*Cassum*] Privatum, vacuum, et *cassum* est quasi *quassum* et nihil continens: nam et *vas quassum*, quod humorem in se non continet, et est vacuum; unde et retia *cassa*, qui multum in se vacui habeant. Sane vult Sinon suadere, vere fugisse Græcos, si Palamedem lugere potuerant. *Servius*.

86 *Illi me comitem*] Oratorio ac commendat. *Idem*.

*Illi*] Id est, qui bella vetabat: et bene *comitem*, non *militem*, quem ejus inimici velut subparem insequerentur. *Idem*.

*Et consanguinitate propinquum*] Excusatio a necessitudine: sed hoc tutum falsum est. *Idem*.

87 *Pauper*] Excusatio a fortuna, hæc enim fuerat causa militandi: ut Terentius, ‘*Quum hinc egens profugiet aliquo militatum*.’ *Idem*.

*Pauper*] Excusatio a fortuna. Paupertas enim fuerat causa militandi: ut Æn. iii. Achæmenidi. Cæterum, *Pauper in arma*, a Donato et Fabricio explicatur, *imbellis ætatis*: ut contra, Æn. viii. ‘*acrem in prælia Turnum*.’ *Taubmann*.

*Primis annis*] Aut adolescentiæ, aut belli: et est excusatio, quia patri parendum necessario fuit: ideo autem *misit*. *Servius*.

*Primis huc misit ab annis*] Si alludit ad morem Romanum, annos intellige septem supra decem. Sed hæc res appellet Romanos Scriptores, Livium, Dionysium, alios; et ex his, qui nostro fere ævo floruerunt, Sigonium, et Lipsium. *Cerda*.

88 *Dum stabat regno incolumis*] Quia et ipse unus de regibus fuit. Et bene addidit dignitatem ejus, quem fingebat propinquum, ut ei justa causa fuerit indignationis adversus Ulyxem. *Servius*.

*Regnumque vigeat conciliis*] Sunt qui *regum conciliis* legendum antament. Sed id licet ego nusquam in

his veteribus legerim exemplaribus, inveni tamen apud Ti. Donatum regum interpretatum, hoc modo: Deferebatur enim patri meo, quia in numero regum fuit, et plurimum vixit. Hæc nobilitas generis idcirco composita est, ut Trojanorum misericordiam de præterita et præsentī fortuna provocaret ad lenitatem. Alii hanc agnoscunt lectionem, *regumque vivebat consiliis*. Pierius.

89 *Et nos*] Pluralis pro singulari, ut Salustius, 'Nos in tanta doctissimorum copia:' an *nos*, se et patrem dixit, id est, ut Palamedes. *Servius*.

*Et nos aliquod*] De præterita ejus florenti fortuna, et de præsentī miseria, sibi comparat benevolentiam. Commendat etiam Palamedis memoriam dicendo, *quia bella vetabat*, ut amico viventi præstarent, quod defuncto non poterant. *Donatus*.

*Nomen*] Gloriam vel nobilitatem, ut alii accipiunt, ut, 'Cui genus et quondam nomen natiq̃ue fuissent.' *Servius*.

90 *Invidia*] Propter advectionum frumentum. *Idem*.

*Pellacis*] Per blanditias decipientis. *Pellicere* enim est per blanditias ellicere. *Idem*.

*Pellacis Ulyxē*] In Longobardico, et in aliquibus aliis antiquis codicibus, *fallacis* legitur: quam ego paraphrasin fuisse puto, quamvis ita etiam scriptum sit in codice Carisiano: quem Longobardicus characteribus scriptum Janus Parrhasius mihi legendum commodavit: versu eo loco citato, ubi de nominibus in *e*, quæ sine ratione genitivum in *i* faciunt, disserit. Nam codicum referre varietates super hujusmodi terminatione jam supervacuum est. Sed quantum pertinet ad epitheton, utrum quippe *pellacis* an *fallacis* legendum sit, Velius Longus exemplum citat ex Virgilio, *pellacis Ulyxē*. Ubi ex præpositione *per*, *r* litteram in *i* abire dicit, quoties *i* altera subsequi-

tur: neque aliter unquam legi apud Lucillum affirmat, quam *pellicere*, quod est *inducere*. Pierius.

*Pellacis Ulyxē*] Lucret. l. II. 'Neve ullo tempore credant, Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.' *Pellicere* autem Festo, in fraudem inducere: et ei lux fraus est. Ut autem hic *pellax*, a Græcis *δολομηγης*, et *δολοπλόκος* dicitur. Cæterum quanquam Grammatici omnes *pellaciam*, et *pellacem* a *pelliciendo* deducant, ego tamen malo a *pellando* verbo exoleto, a quo composita *appello*, *interpello*, *compello*: quod non vocare, aut simpliciter nominare, sed blandius sollicitare significabat: unde et Juriscons. L. Item ad Labeonem, §. *Si quis virgines*: 'Auctor est eum, qui virgines appellavit ancillari veste vestitas, minus peccare videri.' *Appellari*, hoc est, earum pudicitiam blanditiis, et verborum lenociniis attentavit: sæpius ea voce a Jurisconsulto seorsum repetita. *Germanus*.

91 *Concessit*] Pro *decessit*. *Serv.*

*Superis concessit ab oris*] Non dixit, *mortuus est*: ne ejus memoria, digna post hominum finem vivere, minoraretur. *Donatus*.

*Concessit*] In codice Longobardico, *excessit*. Sed *concessit* Donato agnoscitur, apud quem habes: 'Non dixit, *mortuus est*, sed *concessit*, ut memoria ejus digna esset, quæ post hominis finem vivere mereretur.' *Pierius*.

*Superis concessit ab oris*] *Εὐφημιαὶ*, pro, interemptus est. *Sallustius*: 'Postquam vita concessit.' In Longob. Cod. est, *excessit*. *Superis*. Respectu inferorum nos *Superi* sumus. *Taubmann*.

92 *Adflictus*] Suspendendum, ne videatur affectum se dicere, quia in tenebris vitam trahebat, sed quia amicum perdidit. *Servius*.

*Vitam in ten.*] Ideo lugentibus inimica lux est, quia caruerunt ea hi, quos dolent; ideo tenebras petunt, et atra veste amiciuntur, et capita



velantur, ut videantur cum defunctis agere, imitantes tenebris inferorum faciem. *Idem.*

*Vitam in tenebris]* Ut illi, qui cupiunt mori, et non vivere. *Donatus.*

*Vitam in teneb.]* Ita Æneid. i. 'trahebat noctem:' in Georg. 'ludo noctem ducunt:' quæ notat Scalig. iv. 16. Quidam hoc *πῶτος ex habitu* vocant: quale illud, Ge. iii. 'aut ægra trahebant Corpora.' et in v. 'genua ægra trahentem.' Auctore Donato, hoc vult intelligi: ut non sic duceret vitam, quomodo qui optant vivere, sed qui cupiunt mori. Ut autem Græci per *φῶτος lætitiā felicitatemque* significant; et per *σκότος* privationem: ita et Latini *lumen, lucem, tenebrasque* usurpant. Atque ut hic *trahere vitam*, sic Euripid. *βλῶτος ἔλκειν*, dixit. *Taubmann.*

93 *Insontis amici]* Duo posuit, et *insontis* et *amici*; et plus est quod *amicum* dixit, quam *propinquum*. *Servius.*

*Mecum indignabar]* Quomodo ergo *Nec tacui demens?* Intelligimus istum quasi tacuisse primo: post impatentia doloris erapisse in vocem, aut quod interim non vindicarem amici *insontis* interitum. *Idem.*

94 *Fors si qua]* Bene, *si qua*: quia est et bona et mala. *Servius.*

*Tulisset]* Nonnulli pro *retulisset* intelligunt. *Idem.*

*Fors si qua tulisset]* Tacit. Hist. l. iii. 'Milites misti per tenebras, ut fors tulerat.' *Cerda.*

*Fors si qua]* Bene, *Si qua*: quia bona et mala est. Alii leg. *sors*. *Tanbm.*

95 *Si patrios unquam remeassem victor ad Argos]* Bene dubitat, ut ostendat propter Palamedem omnes sibi Græcos inimicos fuisse. *Servius.*

*Victor]* Ut quidam volunt voti compos, ut est, 'quam septem ingentia victor:' aliter dictum potuit non bene a Trojanis accipi. *Idem.*

*Argos]* Argi ab Argo dicti, quem custodem vaccæ, in quam Io fuerat

commutata, Mercurius occidit. *Id.*

*Argos]* In plur. num. masculinum, in sing. neutr. ut Horat. od. i. 7. 'aptum dicit equis Argos.' Stat. Thebaid. l. iv. 'Hoc mihi sævam Argos.' *Emmeness.*

96 *Promisi]* Pro *minatus sum*, per contrarium dixit: quia minamur mala: promittimus bona. Sic autem Horatius contra, 'Atqui vultus erat multa et præclara minantis,' id est, promittentis. Et *promisi ultorem*, deest *futurum*. *Servius.*

97 *Hinc mihi prima mali labe]* Pro *hac causa*, vel *propter hoc*; et est adverbium locale pro conjunctione causali. Quia secuta sunt postea oraculum, et adscita Calchantis factio: *adscita* sane dicitur *adsumpta*. *Idem.*

*Labe]* Ruinam significat, a lapsu. *Idem.*

*Hinc mihi prima mali labe]* Arripuit Justinus l. vii. 'Hinc illi prima mali labe, hoc initium impendentis ruine fuit.' *Cerda.*

98 *Criminibus]* Causis; ut, 'Et crimine ab uno.' *Servius.*

*Novis]* Aut magnis, aut, quæ multis sperasset, aut aliis atque aliis. *Idem.*

*Spargere voces]* Ut Cicero, 'Spargere venena didicerunt.' *Idem.*

*Spargere voces]* Ita Græci *κατασπέρειν*, et *διασπέρειν λόγους*. Plutarchus de ira cohibenda pro eodem dixit *ἀπαγγέλλειν λόγους*. Aristides in Platonica l. ii. flexu isto, *εἰς πάντας ἀσθρόπους βλασφημίας ἐκδίδωκας*: *dedisti in vulgus hominum criminationes*. *Cerda.*

99 *In vulgum]* Sane *vulgum*, non *vulgum*: ea quippe scribendi ratione, qua usos veteres nemo inficiatur, non in Virgilianis tantum codicibus per o prima syllaba notatum invenit, verum etiam in Livianis manu scriptis, hisque pervegnatis; ut de 2 bel. Pun. l. iii. 'Huic non apud vulgum modo fides fuit.' Quod vero super nominis genere disputatur, Virgilium, Sisenam, Attium, et Varronem *vulgum*

masculino genere posuisse, neutro Lucillium, atque eo loco Virgilium, 'Ignobile vulgus,' Sosipater ex veterum Grammaticorum opinione ait, *Vulgus* masculini generis potius quam neutralis: quia nullum neutrale bisyllabum *us* litteris terminatum genitivo in *i* ultima exit syllaba. Sic ille. *Pierius*.

*Vulgum*] Sexu masculino alii quoque enuntiarunt. Tacitus Hist. l. i. 'nec deerat Otho protendens manus adorare vulgum:' et l. iii. 'facundia aderat, mulcendique vulgum artes, et auctoritas.' Felix in Octavio: 'Cæcilium simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet,' &c. Accius Epigonis: 'Argivos fremere bellum, et velle vi vulgum videt.' *Cerda*.

*Vulgum*] Præter Non. Marc. l. iii. tria Charisius l. i. et Priscian. l. vi. esse masculini et neutrius generis asserunt, *vulgus*, *pelagus*, et *virus*, et tantum in singulari numero declinari: pro *ix vulgum* Sil. Ital. l. vii. 'et spargere causas In castra ambiguas.' *Emmencus*.

*Ambiguas*] Dubias, aut suspicionum aut criminum plenas, ne si aperte ageret, accusatio esse videretur. *Servius*.

*Conscius*] Aut peracti sceleris, et de nece Palamedis; aut dolorum suorum: ut in tertio, 'Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto;' aut certe sciens hunc mentem animum. *Idem*.

*Arma*] Modo fraudes, vel dolos. Nam *arma* sunt instrumenta cnjuslibet rei. Unde insidiantis fraudes *arma* nominavit. Alii *arma* pro opibus vel auxiliis accipiunt, alii *arma* consilium, alii occasionem, nonnulli insidias intelligunt: quidam *conscius arma*, hypallagen putant, pro conscientia arma; ut, 'Et quondam patriis ad Trojam missus in armis.' Et, 'Arma deosque parant comites.' Et, 'Alia arma Latians.' *Idem*.

100 *Nec requievit enim*] Aut vacat *enim*: aut pendet sensus, ut et posterior: *Donec Calchante ministro*. Arte enim agit, ut semiplena dicendo cogat interrogare, et avidius audire Trojanos. *Calchante ministro*. *Me destinat aræ*, intelligitur: et mire *ministro*, quasi \* non exuerit a te responsuro. *Idem*.

101 *Sed quid ego*] Aposiopesis est. Et bene reticuit, ne tæderet illos tam longæ orationis, nihil ad se pertinentis, nisi studium audiendi intermissione renovasset. *Idem*.

*Sed quid ego hæc autem, &c.*] Videtur locum istum imitatus semel Livius l. xxviii. in oratione Manlii: 'Sed quid ego hæc ita argumentor, tantquam non acceperim, sed fecerim hostes Gallos?' Prudentius sæpe, nam in Apotheos. 'Sed quid ego hæc autem titubanti voce retexo?' In Hamartig. 'Sed quid ego omne malum,' &c. et in Symm. l. ii. 'Sed quid ego hæc meditor?' Ante utrumque Catullus de Nupt. Pel. 'Sed quid ego hæc vanis nequicquam conqueror auris?' Ante omnes Ennius Annal. l. vi. 'sed quid ego hæc animo lamentor?' et ix. 'sed quid ego hæc memoro?' et Lucilius Satyr. l. xxx. 'Sed quid ego hæc animo trepidanti dicta profundo?' Græcus quoque Apollonius Arg. l. iii. 'Ἀλλὰ τίη τὰ δέ τοι μετὰ μὲν ἅπαντ' ἀγορεύς; *Sed quid ego inania hæc omnia loquor?* Apud Philonem quoque in Politico similis est locus. Frater enim ille, qui Josephum quæsierat in cisterna, neque invenerat, post multos effusos gemitus, ita se continet: 'Ἀλλὰ τί ταῦτα θρηνῶν ἀνηχῶ; *Sed quid ego ista dolens clamito?* *Cerda*.

*Autem*] Hoc abundat. *Servius*.

*Autem*] *Autem*, abundare dicit Serv. Fuld. Sed ego non dico, qui de elegantissimo usu vocis *autem* pluscula notavi ad Plautum, Mercat. i. 2. et alibi. *Taubmann*.

*Nequicquam*] In codicibus aliquot

antiquis, et hic et alibi, *nequiquam* scribitur absque ulla alia consonante inter *i* et *q*. Sed enim Victorini præceptum est in hæc verba: *quidquam* et *quidquid* et *quodque* prima syllaba quoties habuerint *d*, id vos producite, et supponite *c*, ne duæ partes integræ esse videantur: ex hoc præcepto volunt *nequidquam* interjecto *c*, notari. Sed qui scriptionibus antiquis favent, *nequiquam* adverbium a casu ablativo desumunt, veluti etiam *nequaquam*, atque ita utrunque eodem modo sine *c* scribunt. Frigida hæc omnino vel Fab. Quintilianus esse dicat, sed hoc temporibus eruditis. Nunc corrupta adeo loquendi scribendique ratione, minime vitio deatur, siquis etiam talia perquirat. *Pierius*.

*Nequiquam*] Festum librosque veteres et Corn. Gualteri Codicem Lucan. l. xii. adhibe, et sine *c* scriptum invenies; tum ipse Carrion. Val. Flacci l. iv. in id scripturæ genus paratus est jurare. Hæc ex Dausquo Pierianis commentariis adjungo. Hæc aposiopesis miserationem exclat, ut Macrobius. iv. 6. *Emmeness*.

*Ingrata*] Nec vobis placitura, nec mihi gratiam conciliantia, quorum jam non libenter memini. *Servius*.

*Quid hæc nequiquam ingrata revolve*] Hom. Il. A. *παλλήλοισι ταῖς ἐπαγγελίαις*, hoc est, *παλιόλεκτα*. *Germanus*.

102 *Quidve moror*] Vestram scilicet festinationem vel mortem. *Servius*.

*Quidve moror*] Cur differo pœnas meas, post relationis beneficium continuo moriturus? Ulysses enim omne malum videbitur intulisse, qui me quolibet peccato quærebat occidere. *Donatus*.

*Omnis*] Et eos qui vobis prodesse disponunt. *Servius*.

*Uno ordine*] Uno reatu. Et est de antiqua tractum scientia: quia in ordine dicebantur causæ propter multitudinem; vel tumultum festinantium: quum erat annus litium. *Juvenalis*,

'Expectandus erit qui lites inchoet annus.' *Idem*.

*Ordine*] Ita dici a Poëta *ordinem* hoc loco notat P. Victor. ut ab Arist. Polit. i. dictum, *ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν*: *apud barbaros autem femina et servus eundem ordinem habent*. *Cerda*.

*Omnis uno ordine*] Id est, si omnes Græcos eodem loco et numero ducitis, et pro hostibus habetis. Qnam Turnebi (vi. 21.) explicationem plerique omnes sequuntur. Hortensius interpretatur: si vanos et perfidos ex uno Ulysse Græcos omnes judicatis: ut suspicionem doli, per occupationem, dissimulanter deprecetur. *Taubmann*.

103 *Idque audire sat est*] Me Græjum esse. *Servius*.

*Idque audire sat est*] Ubi ad cardinem venit, in quo mendaciorum consistit affectus, negavit se dicturum, ne ultro omnia referendo, daret suspicionem falsitatis: ait igitur, cum sciat se periturum, melius esse, ne secreta Græcorum prodant. Neque enim propter unum hominem, debeo omnes meos prodere. *Donatus*.

*Jam dudum*] Modo, quamprimum, scilicet ut satisfaciatis Græcis, qui me oderunt, et dicendo mortem suam gratam esse Græcis, et Trojanorum benevolentiam conciliat, et, ut sibi reliqua credantur, extorquet. *Serv.*

104 *Hoc Ithacus*] Pro *Ithacensis*, principale pro derivativo. *Idem*.

*Hoc Ithacus veli*] Floridus ii. 23. Linacer. vi. Quintilianus ix. 3. Præsens pro præterito. *Hartung*.

*Veli*, et magno mercentur *Atrida*] Callide hoc dicto impetrat vitam, afferens mortem suam illorum hostibus esse placitaram. Ideo autem dicit *Mercentur*, quia sacrorum est, ut fugiens victima, ubicunque inventa fuerit, occidatur: ne piaculum committatur. Ergo Sinon, qui victima fuerat, quippe qui propter reditum sacrificio fuerat destinatus, nec pos-

sunt Græci nisi vel empta morte Si-  
monis ad patriam redire, jure, et votis,  
et præmio Græcorum interimitur.  
*Servius.*

*Magno mercentur*] Id est, pretio :  
ut, 'Turno tempus erit magno quum  
optaverit emptum Intactum Pallan-  
ta.' *Idem.*

*Hoc Ithacus velit, et magno mercentur  
Atridae*] Profluxisse ab Homero hanc  
locutionem docet Turneb. vi. 21.  
quem vide Iliad. A. 255. Ἦ κεν γηθήσαι  
Πρίλαμος Πριάμοιο τε παῖδες, ἄλλοι τε  
Τρῶες μέγα κεν κεχαρομένο θυμῷ. Quem  
locum explicat Aristoteles Rhetor. I.  
1. Sic ab affectu et voto hostium  
Perdiccas in factionem abeuntem  
exercitum movet, apud Just. XIII. 3.  
'Edituros egregium hostibus suis  
spectaculum, ut quorum armis victos  
se dolent, eorum mutuis cædibus  
gaudeant, parentaturosque sanguine  
suo manibus hostium a se interfecto-  
rum.' Ad quem locum vide Bernegg.  
In *magno, impenso, minimo*, subaudi  
*pretio*. Tractat hanc structuram  
uberius Sanctius in Minerv. p. 31.  
*Emmeness.*

105 *Tum vero*] Hoc consilium nos-  
tram cupiditatem audiendi accendit.  
*Donatus.*

*Ardemus scitari*] Festinamus inqui-  
rere. Et ecce quo proficit Aposio-  
pesim ante fecisse. *Servius.*

*Quærere causas*] Cur a Græcis ejus  
optaretur interitus. *Idem.*

*Causas*] An per geminum *s* scri-  
bendum luculente disputat in Or-  
thogr. Dausquius. Ciceronis saltem  
tempore eum morem obtinuisse Quin-  
til. I. 7. asserit, qui eo modo et Vir-  
gilium scripsisse addit. *Emmeness.*

106 *Ignari*] Aut nescientes, aut  
imprudentes. *Servius.*

*Ignari*] Nam nostra simplici natura  
pendentes Græcos, illum vera dicere  
putabamus. Sed illi omnes sunt do-  
losi, unde sociavit illud : 'et crimine  
ab uno Disce omnes.' *Donatus.*

*Artisque Pelagæ*] *Ars τῶν μέσων* est,

ideo adjecit *Pelagæ*, hoc est, malæ.  
*Prosequitur*, mire, ut ab initio cœpe-  
rat. *Servius.*

107 *Pavitans*] Quasi *pavitans*, hoc  
est, simulans se pavere. Et non tam  
propter mortem : nam erit illi con-  
trarium, *Jamdudum sumite panas* :  
sed ut videretur cum timore, civium  
suorum consilia vel secreta patefa-  
cere. *Idem.*

*Pavitans*] Aut pavorem simulans,  
aut pavitans, ne, lingua titubante, in  
cursu insidiarum, detectio nascere-  
tur, quam jam videbat in tuto esse.  
*Donatus.*

*Ficto pectore*] *Pectus* pro vero po-  
suit. Nam nunquam fingitur pectus.  
*Servius.*

*Prosequitur pavitans et fict. pect. fa-  
tur*] Simile exemplum tradit Apule-  
jus Met. I. x. 'Hæc eximia etiam  
ad veritatis imaginem, verberone illo,  
*simulata trepidatione*, perferente fini-  
tum est judicium.' *Emmeness.*

108 *Sæpe fugam Danaï*] Hoc se-  
cundum Homerum verum est, apud  
quem suadet Agamemnon Græcis, re-  
licto bello, fugere, et ut ostendat  
propter bellum fugere, ait *capere*,  
non *volere*. *Servius.*

*Sæpe fugam*] Cum hoc falsum esset,  
parat causam, quæ sit credibile, ac-  
ciderit bello fessos. *Donatus.*

109 *Moliri*] Parare. Et hoc verbo  
difficultatem rei ostendit. *Servius.*

*Longo*] Decennali. *Idem.*

*Fessi bello*] Favorem sibi conciliat,  
dicendo fatigatos esse Græcos virtute  
Trojanorum. *Idem.*

*Decedere*] *Decedere* malui cum  
Germ. potius quam cum aliis *disce-  
dere* : inde libentius amplector, *fessi  
decedere bello*, ut etiam loquitur Tacit.  
Ann. I. XI. 'ne quis agmine decederet,'  
quam *fessi bello, decedere* : tu quod  
placeat. *Cerda.*

110 *Fecissentque utinam*] Nec enim  
hic aræ destinaretur. Et est signifi-  
catio optandi a præterito tempore.  
*Servius.*

*Fecissentque utinam*] Recte optare simulat: nam Trojanos placabat, et sibi commiserationem captabat. *Donatus*.

*Ponti hiems*] Bene addidit *Ponti*: quia est et temporis. *Servius*.

*Sæpe illos aspera*] Non consilium facto, sed eventus voluntati defuit. *Donatus*.

*Sæpe illos aspera ponti Interclusit hiems*] Ut hic, *hiems interclusit*, ad verbum Græci, *χειμὼν ἐπέκλεισε*. Demosthenes in Chersoneso ita extulit, *χειμῶνι ἀποληφθῆναι*: ibidem ita quoque, *ἀπὸ τῶν πνευμάτων μὴ δύνασθαι*. Aristides Ægyptiaca, *ἀνοιχθέντος τόπου* dixit *aperto loco* loquens de mari et navigationibus. Auctor est Vegetius, claudi maria a die tertio Iduum Novembris, usque in diem sextum Iduum Martii. Illustratur Lucanus l. v. 'clausas ventis brumalibus undas Invenit, et pavidas hiberno sidere classes.' Hinc ergo commode explicabis Maronem: non, *hiems*, id est, tempestas, ut vulgo: sed vere *hiems*, quæ claudit: nam tempestates alio quoque tempore excitari possunt. Cassiodorus epist. xii. 24. 'Cum ventis sævientibus mare fuerit clausum, via vobis panditur per amænissima fluviorum.' Scribit Polybius lib. i. miserabilem cladem, quam passa est classis Romana temeritate Consulum, qui non debito anni tempore se mari commiserunt. Eo pertinent et verba Julii Gallic. l. v. 'Quas naves cum aliquandiu frustra expectasset, ne anni tempore navigatione excluderetur, quod æquinocetium suberat, necessario angustius milites collocavit.' Livius l. xxvii. hieme *clausas Alpes* adhibet, ut alii *clausa maria*. Contrarium verbum est *aperta*. Plinius ii. 47. 'ver ergo aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hibernum molliunt cælum.' Plato ait leg. l. xii. æstivo tempore aperiri ad navigandum maria. Sed loquitur Plato procul dubio ex nota, quam

alibi adhibuit. Antiqui enim annum dividebant in duplex tantum tempus, in hiemem et æstatem, nulla facta mentione veris et autumnii. Cum ea, quæ dixi, verissima sint, næ decipiuntur, qui in Virgilio per *hiemem* capiunt tempestatem, et procellam aliquam, cum ille proculdubio signet partem anni incommodam navigationibus. *Cerda*.

111 *Euntis*] Ire cupientes: ut, 'Quum canerem reges et prælia;' id est, cum canere vellem: et a Græcis figura est; ubi statuisset aliquid pro inchoatione haberentur. *Servius*.

*Euntis*] Sæpe hoc participium conatum quandam significat, teste Sanctio in Miner. p. 53. sic 'dira tegetem' Æn. vi. 498. pro cupientem tegere: et ix. 243. 'Via fallit euntis.' *Emmeness*.

112 *Præcipue*] Contra illud, ne diceretur numina non esse placata. Et bene aliud agens, equi mentionem introduxit. *Servius*.

*Trabibus acernis*] Speciem pro genere posuit, id est, pro quocunque ligno. Nam variat ligni genera in hoc equo, ut, *abiete costas*, et *pineæ claustra*, ita hic *acernis*. Idem.

113 *Æthere*] *Ætherem* pro *acere* posuit, Poëtica licentia. *Servius*.

114 *Suspensi*] Solliciti: ut, 'nostroque in limine pendens;' quia nec tempestas post dona mutabatur. Aut ad *nimbos* refertur, distinctione mutata, ut distinguamus, *nimbi suspensi*. Idem.

*Suspensi*] Id est, *τῇ γνῶμῃ ταλαυνουμένη*. Ducitur quippe metaphora ab æquilibrîis, cum suspensa, et erecta in nullam partem inclinant: ita suspensi erant animi Græcorum, cum, et vellent decedere, et prohiberentur. Livius clare lib. xxvi. 'Æquante fortuna suspensa omnia utrinque erant, integra spe, integro metu.' Loquitur omnino cum respectu ad æquilibrium, nam spes integra, et metus inter omnia æquabant, ideo

illa suspensa. Eodem loquendi sermone usus Aristides in Leuctrica quarta: οὐ γὰρ δὴ τρυτάνη γε εἰς τὸν πόλεμον κομισάμενος, ἐπὶ ταύτῃ τὰ πράγματα στήσομαι, ἀλλὰ δὴ τάδην ἐξ ἀρχῆς εἰλομένους, ἀνέχεσθαι τῆς βοῆς: Non enim trutina sumpta res in bello ponderare possumus, verum ordine primo servato, momentum ferre debemus. Et in oratione de concordia ad civitates Asiæ, pari metaphora rem suam explicat, inducens cum respectu ad τρυτάνη, duo verba, videlicet, ἡσυχίαν ἔχειν, et ἕως καὶ κατὰ κινουμένα. Quia videlicet, cum æquilibrium suspensum et rectum est, nullus est motus in bilanciis, sed quiescunt illæ. Hinc etiam sermonem duxit Cicero pro Muræna: 'Quæstura utrinque propemodum pari momento sortis fuit.' Et Seneca de benef. i. 1. 'alias graves exprobratores, exactoresque sumus; alias leves, et quos paulo post muneris sui pæniteat; alias queruli, et minima momenta calumniantes.' Qui locus non expensus a tot interpretibus. Gravitas enim, et levitas, quæ bilancium est ex pondere, aut magno, aut levi; momentum etiam, quod est æquilibrii, ducit nos ad cognoscendam sententiam. Eodem ratione illustro illud Æneid. III. ubi de Charybdi, et Scylla, 'lethi discrimine parvo.' Discrimen enim libræ, seu momentum libræ, est, quam Græci vocant βοήν, qua voce usus Aristides. De ipso adhuc oraculo Aristophan. in Pluto, χρησμός βέβηκε. *Cerda.*

*Scitantem*] Participium pro participio est, id est, scitaturum. Alii *Scitatum* legunt, id est, inquisitum. *Serv.*

*Scitatum*] In Longobardico codice, *scitantem* legimus: quod agnoscit Servius: et participium pro participio positum ait, quippe pro *scitaturum*. Sed enim Sosipater Carisius *scitatum* legit in solœcismo: proque *sciscitatum* positum ait. *Pierius.*

*Oracula*] Ad templa, de quibus dan-

tur oracula; alibi *oracula*, responsa; ut, 'Lapsis quæsitum oracula rebus;' et, 'Quin adeas vatem precibusque oracula poscas.' *Servius.*

*Scitatum oracula*] *Scitari*, poscere, quærere, adire oracula, obvia apud nostrum, pro consulere: hic in III. 'oracula poscas.' Georg. IV. 'quæsitum oracula.' Æn. VII. 'Oracula Fauni Fatidici genitoris adit.' Aristophan. Plut. Ἐπερσόμενος οὖν ὠχόμεν ὡς τὸν θεόν: Interrogaturus igitur ivi ad Deum. Quo verbo usus etiam Æachines contra Ctesiphon. Ἐπερσόμενος τὸν θεόν. Idem sic extulit, μαρτεῖαν ἐμαρτεῖσαντο παρὰ τῷ θεῷ. Aristides in prima Platonica, et multi alii per πυνθάνεσθαι dicunt. Philostratus in Heroicis per verbum ἤπερο. Cedrenus, χρησμών ἔχτει. Idem verbo ἠρώτησε, Xenoph. Ἑλλ. I. IV. χρηστηριζόμενος ἀτηράτα τὸν θεόν: et Ἑλλ. I. III. tantum χρηστηριζέσθαι adempto altero. Herodotus I. I. πειρέμενος τῶν μαγνηίων, et εἰρωτῶν. Qui mittebantur ad petenda hæc oracula dicebantur θεωροί, naves, quibus vehebantur, θεωρίδες, sacrificia, quæ peragebantur, θεωραί: θεωροί dicuntur Herod. I. I. etiam θεωρόποι, et χρησόμενοι. De hoc Eurypylo vide (præter Homerum) Philostratum juniorem in Iconibus. His opponitur χρησμοδοτεῖν, χρησμών φθεῖν, χρησμών δίδναι: oraculum edere, canere, dare: et χρησμοφθεῖν. *Cerda.*

115 *Adytis*] *Adytus* est locus templi secretior: ad quem nulli est aditus nisi sacerdoti. *Servius.*

*Idque adytis*] Cæsaris interpretationem Servius est secutus: qui bel. civ. I. III. 'Pergami in occultis ac remotis templis, quo præter sacerdotes adire fas non est, quæ Græci ἄδύρα appellant, tympana sonuerunt.' *Germanus.*

*Tristia dicta reportat*] Renunciat. More suo breviter habitum futuræ orationis ostendit. *Servius.*

*Dicta*] Proprie. Nam dictio inter-

dum et Oraculum significat : ut Græcis λόγιον. Pacuvius : 'Flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet.' Actius, l. 11. apud Heren. 'Aperte fatur dictio, si intelligas.' Turneb. xxx. 1. *Taubmann.*

*Reportat*] Græci quoque κομίζειν, et ἀνακομίζειν χρησμούς : portare, reportare oraculum. Aristides in 2. Platonica extulit forma hac, μαντείας ἐλθοῦσης, et hac item, μαντείας προῦπαρχούσης. *Cerda.*

116 *Sanguine placatis ventos et virgine cæsa*, Cum primum] Hic distinguendum est : quia et semel ad Trojam ventum est ; et ante quam ad eam veniretur, de Iphigenia est sacrificatum, cujus fabula talis est : Quum Græci ad Aulidem venissent, Agamemnon Dianæ cervam, cum venatur, occidit, ignarus. Unde dea irata, flatūs ventorum, qui ad Trojam ducebant, suspendit ; ob quam rem, cum nec navigare possent, nec pestilentiam sustinerent, consulta per Calchantem oracula dixerunt, Agamemnonio sanguine, hoc est, immolata Iphigenia, placandam Dianam. Cum ergo ab Ulysse per nuptiarum simulationem, qui Iphigeniam Achilli jungendam fingebat, adducta Iphigenia, in eo esset, ut immolaretur, numinis miseratione sublata est, cerviceque supposita ; et translata ad Tauricam regionem, regi Thoanti tradita est ; Sacerdosque facta Dictynnæ, vel, ut quidam volunt, Orthiæ Dianæ. Cum secundum statutum consuetudinem humano sanguine numen placaret, agnovit fratrem Orestem : qui accepto oraculo, curandi furoris causa, cum amico Pylade, a cujus patre, Strofio nomine, fuerat nutritus, Colchos petierat : et cum his, occiso Thoante, simulacrum sustulit, absconditum fasce lignorum : unde et *Fascelis* dicitur : non tantum a face, cum qua pingitur, propter quod et *Lucifera* dicitur : et Aritiam detulit. Sed cum postea Romanis sacrorum cru-

delitas displiceret (quanquam servi immolarentur) ad Laconas est Diana translata : ubi sacrificii consuetudo, adolescentulorum verberibus servatur : qui vocabantur *Homonice* : quia aris superpositi contendebant, qui plura verbera sustineret. Orestis vero ossa, ab Aritia Romam translata sunt : et condita ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolini, juxta Concordiæ templum. *Serv.*

*Sanguine*] Verum dicit de Iphigenia, falsum addit de præcepto Apollinis : miscet ergo vera, ut credantur falsa. *Donatus.*

*Sanguine plac. vent. et virg. cæsa*] Nimirum immolata Iphigenia Dianæ, quam Eurip. θύμασι βροτηίοις χαρεῖσαν θεῶν vocat. Quantum autem ad ventos sanguine placatos, πανσάρκεις θυσιῶν dicebatur : item et sacra quædam αἱμακούραι, νεκροῖς μελικτήρησιν nuncupabantur. *Germanus.*

*Virgine cæsa*] Non vere : sed ut videbatur. Et sciendum, in sacris simulata pro veris accipi. Unde quum de animalibus, quæ difficile inveniuntur, est sacrificandum ; de pane vel cera fiunt, et pro veris accipiuntur. Hinc est etiam illud, 'Sparserat et latices simulatos fontis Averni.' Nam et in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur. *Serv.*

*Virgine cæsa*] Videatur Scholiastes Lycophronis : Sophocles in *Electra* : Euripides in *Iphigenia* : Ovid. *Met.* XII. et XIII. J. Parrhasius, *Quæstis per Epist.* Atque de isto facinore disputat etiam Cicero *De Offic.* III. et Horat. *Sat.* II. 3. *Taubmann.*

*Virgine cæsa*] Suppositam fuisse cervam, cum capta esset Iphigeniæ immolandæ miseratione Diana, placanda quæ erat sanguine Agamemnonio, vel, ut Lucret. l. 1. Iphianassæo, ob occisam ab Agamemnone cervam, cum apud Aulidem staret et teneretur eam ob noxam Græcorum classis. Nostrer vere immolatam arbitratur. Sic Propert. *Ecl.* IV. 1. 'Idem Aga-

memnonicæ ferrum cervice puellæ  
Tinxit, et Atrides vela cruenta de-  
dit.' Eruditissimus Bochartus Hist.  
Animal. II. 46. post enarratum Abra-  
hami sacrificium, hujus historię laci-  
nias Græcos suis fabulis inclusisse  
docet, eosque hanc rem more suo in-  
terpolasse, ait. Eum consultito, si  
otium. *Emmenes*.

117 *Iliacas Danaï venistis ad oras*] Figuratam, Cum primum venire vel-  
letis. Sane hoc de Iphigenia verum  
est. *Servius*.

118 *Sanguine quærendi reditus*] Hoc  
falsum est, et bene Oraculorum na-  
turam servat, ut a re ipsa semper in-  
cipiant, ut alibi, *Dardanida duri*: di-  
cendo enim *Dardanida*, ostendit quæ  
loca petere debeant. *Idem*.

*Animæque litandum Argolica*] Quia  
occurrebat occidi posse captivum:  
ergo ideo addidit *Argolica*, ne non esset  
triste oraculum. Videtur sane peri-  
tia juris Pontificalis animalis hostiæ  
mentionem fecisse, cum dicit, *Animæ-  
que litandum Argolica*; nam et animam  
dixit, et *litare* verbo pontificali usus  
sacrificiis deos placare. *Idem*.

*Argolica*] Ne credatur potuisse li-  
tari alienigena: nec quærenda erat  
virgo, cum exercitus feminis careret.  
*Donatus*.

*Animæque litandum Argolica*] In co-  
dice Longobardico legere est quarto  
casu, animamque litandum *Argolicam*:  
quod alii viderint. Nam hæc per  
septimum casum proferri potius con-  
suerunt. Est etiam in Mediceo una  
plus dietione *litandum est*: quod qui-  
dem verbum etiam cum decoro reti-  
cetur. *Pierius*.

*Animæque litandum Argolica*] Osten-  
uit, aut certe allusit, ad hostiam seu  
sacrificium animale: in quo solo anima  
offerebatur: ut *Æn. v.* 'Hanc tibi,  
Eryx, meliorem animam pro morte  
Daretis Persolvo.' Quod et *Serv.*  
*Fuld.* notavit. Et *litare* significanter  
dixit: quod est, facto sacrificio Numen  
placare, auctore Macrobio III.

*Delph. et Var. Clas.*

5. Turneb. etiam XVIII. 20. docet,  
veteres eo verbo usos, cum grata  
acceptaque diis immortalibus sacra  
fuisse intelligerent. Non enim om-  
nes litant, qui sacrificant. Hinc  
Leno Comicus in *Pænulo*, act. II.  
'Sex agnos immolavi, nec tamen po-  
tui litare.' *Argolica* autem dixit *πο-  
λητικῶς*, occurrens objectioni: potu-  
isse captivum a Trojanis occidi. At-  
que hoc modo tristius etiam oracu-  
lum fuerit. *Taubmann*.

119 *Volgi quæ vox*] Cum enim ge-  
neralitatatem proposuisset, quia res  
incerta erat, unusquisque timebat  
sibi. Excusat autem Calchantem,  
qui falsa dixerit: nam ostendit vim  
esse passum: removet a se odium:  
quia Græci assensere de eo, non  
quoniam odiassent, sed ut ipsi inter-  
ritu, qui incertus erat, liberarentur.  
*Donatus*.

120 *Obstupere animi*] Omnes enim  
crediderunt se perire posse, ante-  
quam unus esset delectus. *Servius*.

*Gelidusque per ima cucurrit Ossa tre-  
mor*] De sudore Sappho ἀροδεδρόμα-  
κεν, dixit, *cucurrit*, aut currendo subiit:  
et de horrore Nazianzenus orat. II.  
*μη φλην τις ἀποτρέχει*. Tremorem in  
metu maximo Ovid. de Lucretia:  
'Sed tremuit, ut quondam stabulis de-  
pressa relictis Parva sub infesto cum  
jacet agna lupo.' *Cerda*.

121 *Cui fata parent*] Cui præparent  
mortem. *Servius*.

*Fata*] Id est, responsa. Sunt qui  
ita dividant, *cui fata parent vitam*,  
quem poscat Apollo, ut moriatur. *Idem*.

*Cui fata parent*] *Parare*, cum dati-  
vum habet, etiam *apparare*, cladem et  
perniciem significat. Vide *Donat.*  
*A. IV. 1. 32.* et *IV. 2. 7.* et Maronem  
nostrum infra vs. 132. 'mihi sacra  
parari.' *Emmenes*.

*Poscat*] Adeo sæpe hoc verbum dat  
Maro Numinibus ac fatis, ut existi-  
mare possimus, illud præcipue as-  
sumptum a Diis, atque eo solitos  
ipsos imperare: *IV.* 'et si fata Jovia

*Virg.*

7 R



poscant.' v. 'Hæc responsa dabat, vel quæ portanderet ira Magna Deum, vel quæ fatorum posceret ordo.' VIII. 'Quem Numina poscant.' XI. 'Sæva Jovis sic Numina poscant.' Hor. 'Seu poscat agna,' de Fauno. *Cerda.*

122 *Hic*] Pro tunc. Servius.

*Vatem*] Nunc divinum, alias poëtam: 'Tu vatem, tu Diva mone.' Alias sacerdotem: ut, 'Et aurea vati Cassida.' *Idem.*

*Magno tumultu*] Ad factionem tendendam. *Idem.*

123 *Protrahit*] Quasi volentem. *Id.*

*Protrahit in medios*] Lucret. lib. v. ubi loquitur de rebus, quæ sensu reperiunt, 'Sic unum quidvis paulatim protrahit ætas in medium, ratio, quæ in luminis eruit oras.' *Cerda.*

*Numina divum*] Pro oraculis posuit: id est, ut ambiguitatem oraculorum interpretetur. Queritur enim non quid dicant, nam planum, sed quid debeat immolari. *Servius.*

124 *Flagitat*] Invidiose poscit; unde et quod flagitatione dignum est, *flagitium* dicitur. *Idem.*

*Flagitat*] Non frustra hoc verbum Ulyssi datum, quem flagitiosissimum Sinon inducit. Ergo non poscit, rogat, petit, sed flagitat: quod olim infamium fuit, monuitque Scal. in Fest. Cato: 'intercutibus stupris flagitatus,' hoc est, intestinis probris infamatus: inde *flagitium*, pro infamia. Plaut. 'majore cum flagitio reddes postea,' hoc est, infamia. Et feneratorum dicti *flagitatores*, quia infames olim. Inde *flagitare* is dicitur, qui proterve petit, indignanter, et veluti cum convitio: quod facias hio Ulyssem facile quisquam suspicetur; nam vatem, et cum tumultu, et invitum trahit, quæ non abeunt a convitio. Hinc ego explico Cæsarem Gal. 1. 'Cæsar ab Heduis frumentum, quod essent polliciti, flagitat:' ubi vim, et convitium in petendo capio; hinc tu alios. Et Grammatici quidem, in his

Donatus, discriminant inter verba *posco, peto, postulo, flagito*. Nam *poscimus*, cum imperio; *petimus*, precibus; *postulamus*, jure; *flagitamus*, cum convitio. *Cerda.*

*Mihi*] *Mihi*, hoc est, Simoni: et quidem graviter pronuntiandum tradunt. *Servius.*

*Multi crudele caneant*] *Multi*, his intelligendum; id est, multi videbant taciti, multi etiam dicebant: ne sit contrarium, *canebant taciti*: quamvis multi sic exponant, qui mihi amici erant, dicebant, qui inimici tacebant, ut provenirent, quæ præsentiebant. *Idem.*

*Et mihi jam multi crudele caneant*] In hoc loco ad *occultationem* altissimum non dubito. Erat *occultare* alicui canore quodam ingrati canere cantilenam, eum probro et convitio, quod docent Festus, et ejus decurtator Paulus. Quem ad locum Scal. vetus illud adducit: SIQVIS. CARMEN. OCCULTASSIT. QVOD. ALTEREI. FLAGITIVM. FAXIT. CAPITAL. ESTO. Ideo autem *occultare* capitale erat, quia ingens convitium. Ergo misero Simoni Græci alii cantilenam non jucundam caneant. Ulysses enim tam multa sparserat in vulgus, tam novis criminibus terrebat impetebatque Sinonem, tam ambigue loquebatur, ut multi jam putarent, hunc crimen aliquod admisisse morte expiandum, omninoque sceleratum esse et convitiis plenum; quemque visum digito signabant, dicebantque: Hic ille sceleratus est, et nefarius, de quo tam multa Ulysses. Poëta autem politissimus verbum *cane* maluit, quod sui ævi, quam *occulto*, quod prius. His adjuuge *flagitare*, et *occultare* idem esse, quod Scal. docte monuit, et Poëta hanc cantilenam cum Ulyssi flagitatione conjungit. *Cerda.*

126 *Bis quinque silet ille dies*] Dicimus et, *bis quinque silet diebus*. Scilicet auctoritatis querendam gratia, ut sit

ἔκτοισι. ejus, qui invitus diceret: *Servius.*

*Hic quinos silet ille dies]* Sic et de Melampode Poëta Epig. l. v. *ἥσιν δὲ θέσπεις ὕμνης στήθεσσι στομάρεσσι θεοῦ σπέντον ἄσθμα τέραιεν.* Ita et Calchas apud Hom. II. A. cunctanter et ægre causam inmissæ Græcis pestis effatur, et non nisi protestatus, et pactus diserta cautione ab Achille impunitatem et defensionem. *Germanus.*

*Tectus]* Aut multitudini se subtrahens; aut tegens consilium suum: aut cautus, ne intelligeretur. *Serv.*

127 *Prodere]* Bene *prodere*, me enim dicturus, quem sciebat. *Idem.*

*Opponere]* Objicere, destinare. *Idem.*

128 *Vix tandem]* Aut junge, et vacat *tandem*. Aut separa, et est aggregatio ex synonymis; at: 'Abiit, excessit, evasit, erupit.' Et est ordo, vix tandem erumpit vocem. *Idem.*

*Ithaci]* Ita sæpe in hoc scelere enarrando pro Ulysse *Ithacæ* a patria nominat, ut possis existimare, hoc præcipue nomine Ulyssem male audisse. *Cerda.*

*Magnis Ithaci clamoribus actus]* Sic etiam apud Eurip. cum ageretur inter Græcos de immolanda Achilli Polyxena, variisque sententiis et studiis decerneretur, tandem viciasse Ulyssis calculum, quem de mactanda virgine tulerat, chorus Hecubæ refert. *Germanus.*

129 *Composito]* Ex pacto. *Servius.*

*Composito]* Præclare, nam in voce ista inest significatio fraudis, et dolosi alienjus pacti. Livius l. xxv. 'et cum jam composita omnia ad prodicionem essent.' Iterum, cum narrat, ubi muri Syracusani capti per insidias fuerint, sic ait: 'e muro ex composito tuba datum signum erat:' et l. i. his eandem vocem infert in re fraudis: verba sunt: 'unns rem ex composito orditur' et 'transfugit ex composito Gabio.' Fabius declamat. 248. 'moras judiciorum longas ni-

miam, et pro nocentibus compositas.' Ammianus l. xvii. 'Armeniam composita fraude præreptam.' Est hoc, quod Plato in Apolog. Socratis dixit *συντεταγμένως*, in re etiam fraudis. Adduco verba huic parti illustranda: *φιλότιμοι ὄντες, καὶ σφοδροὶ, καὶ πολλοὶ, καὶ συντεταγμένως, καὶ πιθανῶς λέγοντες περὶ ἐμοῦ. ἐμπειρήσασιν ὑμῶν τὰ ὄντα:* *ambitiosi cum essent, vehementes, multi, ex composito, ac diligenti quodam studio multa in me criminales impleverunt aures vestras.* Notabis etiam in Virgilio subaudiendam præpositionem *ex*; ex Livianis exempla, quæ adduxi ex Apuleio Apolog. 1. subaudies *de*, nam ille *de composito*. Sic vox similis *compacto*. Nam Afranius *compacto* tantum dixit. Sed Plant. *Captiv. de compacto*. Itaque errant, qui in his et similibus vocibus adjungunt notas adverbiorum. *Cerda.*

*Composito]* Sic Ter. Phorm. v. 1. 29. *composito factum*, ubi Donatus: sic veteres, nos *ex*. Horat. Od. 1. 'hora composita' pro ea, de qua convenerat inter amantes. *Emmeness.*

*Rumpit vocem]* Hoc est, erumpit in vocem, et dictum eat per contrarium. Nam *silentium rumpere*, est loqui: ut, 'Quid me alta silentia cogis Rumpere?' *Vocem vero rumpere*, est tacere. Sed aliqua interdum simpliciter, interdum per contrarium intelliguntur. *Servius.*

*Composito rumpit]* In codice Longobardico, *compositam* legas. Sed enim *composito* adverbium eruditus magis auribus satisfacit. In Mediceo, *rumpit* præsentī tempore est: quæ forma narrationi congruit. *Pierius.*

*Rumpit vocem]* Græcorum hoc, qui *ῥηγνῖναι φωνήν*. Usi Demosthenes, Aristophanes, Gregorins, Plutarchus, quos Budæus conjungit: adde Herodotum, quem Pet. Victor. x. 8. Demum Aristidem in Rhodiaca, quem ego. Est itaque et Græcis, et Latinis *vocem rumpere*, cum quis repente quicquam edit, cum diu tacuerit. Nou

audiendus Serv. in loci hujus explicatione, quem lapsum flagitiose Victorius admonet. *Cerda.*

*Rumpit vocem*] Imitatione Græca: pro erumpit in vocem. Dicunt enim, *ῥῥῥῖναι φωνήν*. Demosth. *ἐν δόλιμνῳ οὐδὲς ῥῥῖται φωνήν*. Aristoph. in Nub. *ῥῥῥατε φωνήν*. Turneb. vi. 21. Alias *silentium rumpere*, est loqui. *Æneid.* x. 64. 'Quid me alta silentia cogis Rumpere?' Nam, *vocem rumpere*, tacere est, ait Servius. *Æneid.* iv. 552. 'rumpebat pectore questus.' Ge. iii. 'rumpuntur fontibus amnes,' id est, effunduntur. Notat et Scalig. iv. 16. *Taubmannus.*

*Et me destinat aræ*] Tanquam piaculum, et *κῶσθῃα*. Utique hominem *κῶσθῃον*, et impurum. Non ingratum erit, si scias verbi *destino* propriam significationem: est enim alligare, et vincire, utique fortiter tenere aliquem. Indicat istam proprietatem Apulejus l. iv. 'Nobis ante fores loro valido destinatis.' et l. vi. 'lorum, quo fueram destinatus, abrumpo.' Sidonius quoque epist. l. i. 'captus, destinatusque pervenit Romam.' Hinc *destinam* pro loro in Antiquis reperiēs. Inde ergo orta significatio, quæ nunc in usu apud omnes, et qua egregie admodum usus Virgilius omnium oculatissimus, nam hostiæ et victimæ illigabantur, illigatæque ducebantur ad sacrificium. Itaque non dubium, quin locutus fuerit cum respectu ad propriam verbi hujus significationem. Hinc videbis, quam leviter alii vatis hujus verba examinent. *Cerda.*

130 *Et quæ sibi quisque timebat*] Ideo hoc addidit, quia dixerat, *Assensere omnes*: ne videretur fuisse cunctis auz gentis invidis: aut *assensere omnes*, ad provocandum in se Trojanorum misericordiam dicit, cum eorum hostes omnes ad crudelitatem consensisse adserat. Est autem figuratius si legatur, *timebant*. Servius.

*Et quæ sibi quisque timebat*] Nimi-

rum et *vicarios* interdum Latini dicunt, qui in vicem aliorum exitio devolvuntur, ut ipsi suo capite proceperent et luant ea, quæ aliis, aut civitati impendebant mala: ut ex camine devotionis docet Turnebus: quod est: 'Eosque ego vicarios pro me, fide, magistratuque meo, et populo Romano, exercitibus, legionibusque nostris do, devoveo.' Tale quid et apud Tacitum l. i. ubi de legionibus agit, quæ in seditiosos suspectæ et ipsæ rerum novarum satis asperere decreverunt: 'Et gaudebat (inquit Tacitus) miles cædibus, tanquam semet absolveret.' *Germ.*

131 *Conversa tulere*] Converterunt: *ἐν δὲ δὲς*. *Taubmann.*

132 *Miki*] Multi posterioribus, multi prioribus jungunt. Unus tamen est sensus. *Servius.*

*Parari*] Infinitus modus pro indicativo, hoc est pro *parabant*: et est figura propria historiographorum: ut Salustius, 'Equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare:' ut poeta-rum proprium est, 'Nuda genu,' et, 'Torvum clamat.' Quod autem ait Cicero, 'Bellicum canit,' non est figura, sed sermo naturalis. Est enim soni nomen. Quidam sane *parari*, pro *parabantur* accipiunt, et ad omnia hæc subaudiunt: aut certe intelligendum est ligatum ante tempus sacrificii. Nam consuetudo illa, quæ supra scripta est, in ipso tempore sacrificiorum erat. *Idem.*

133 *Salsa fruges*] Sal et far, quod dicitur *mola salsa*: qua et frons victimæ, et foci aspergebantur, et cultri. Fiebant autem de horna fruge, et harno sale: ut Horatius, 'Et horna fruge.' *Idem.*

*Vittæ*] Quibus victimæ coronabantur. *Idem.*

*Et circum tempora vittæ*] Nimirum puniendis oculi claudabantur: inde vetus illud Romanorum, 'caput obnubito.' Hegesippus v. 47. 'dum percussor moratur, clausis jam fascio-

la oculis, sese proripuit ad Romanos.' Sed et eam ducerentur ad mortem, aut carcerem: Tacitus Annal. l. iv. 'traheretur damnatus quantum obducta veste, et astrictis fancis niti poterat, clamitans:' imo et torquenda: Curtius l. vi. de Philota: 'dum obligantur oculi, dum vestis exnuit, Deos patrios, gentium jura invocabat.' Lipidus hæc pluribus in Not. ad l. ii. de Crace. Inde et Tullius pro Rabirio: 'Carnifex vero, et obductio capitis, et nomen ipsum crucis, absit non modo a corpore civium Romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus.' *Cerda*.

*Otreum tempora vittæ*] His enim victimæ cadendæ coronabantur et obambabantur. Ejusmodi ornamenta capitis Græci *ῥαῖας* vocant, et complectuntur *ῥάσος, στροφάλις, δάμους, δαδῆα*. Ita Ge. iii. 'stans hostia ad aram, Lanæa dum nivea circumdatur iacula vitta.' Vide Notas ibid. et Ecl. viii. *Taubmann*.

*Vittæ*] De vittis, quæ diximus, vide Ge. iii. 487. Iis coronabantur victimæ: inde Juvenal. Sat. xiii. 63. 'Quæque coronata lustrari debeat agna.' Sic Lycophr. in Cassandra *στροφάλις βοῖν* appellat, ad quem locum Meurs. *Emmeness*.

134 *Eripui*] Non culpam criminiis, sed innocens crudellissimam mortem, ut ea gauderet inimicus: et ne quis quærat, quomodo potnerit fugere, addit, *vincula rupi*. *Donatus*.

*Leto*] Non sacrificio: et est hysteropteroton, prius enim erat, ut vincula rumperet, et sic fugeret. *Serv*.

*Vincula rupi*] Atqui solutæ sunt hostiæ. Nam piaculum est in sacrificio aliquid esse religatum. Unde est, 'Unum exuta pedem vinculis in veste reincta.' Item, 'Vittasque resolvit Sacra capitis.' Ergo vincula religionis intellige: ut, 'vinculis innaret Clælia ruptis,' scilicet fœderis: nec enim obsoles unquam obligantur. Sed consuetudo illa erat

in ipso tempore sacrificiorum; ante enim ligabantur hostiæ: ut Juvenalis, 'Sed procul extensum petulans quatit hostia funem.' *Idem*.

*Eripui, fœtor, leto me, et vincula rupi*] Hoc Enniam sapit: 'Sicut equus qui de præsepibus altis Vincula suis magnis animis abruptit,' &c. Et Apuleii verba congruunt Met. l. ix. 'Vinculo, quo fueram deligatus, abrupto, cursu me præripio solis pedibus.' *Emmeness*.

135 *Limosoque lacu*] Ut verisimilem fugam faciat, circumstantiis utitur. Notandum sane Virgilium sub aliorum persona causam exequi nobilium: ut hoc loco Marii: item paulo post Pompeji: ut, 'jacet ingens litore truncus.' *Servius*.

*Limosoque lacu*] Limus enim et lacus suffragabantur, ne possent insequentis intrare. Posuit et noctem, nam tenebræ adinvabant. *Donatus*.

*Limosoque lacu*] Scribit Servius, sub persona Sinonis hoc loco historiam Marii attingi a Poëta. Quam Servii sententiam approbavit Germanus, Henricus Stephanus, et Francis Floridus Suc. l. 10. Historiam ipsam narrant Plutarchus, Velleius l. ii. Orosius v. 19. Valerius Max. Ovid. de Pont. l. iv. 'Ille Jugurthino clarus, Cimbrique triumpho, Quo victrix toties Consule Roma fuit, In cæno jacuit Marius, cannaque palustri, Pertulit et tanto multa pudenda viro.' Lucanus etiam l. ii. 'Exul limosa Marius caput abdidit ulva.' Cum mens ista Servii ita sit plausibilis, cur non historiæ aliæ adumbrari a vate potuerunt? De Metio Livius l. i. 'Metius in paludem sese strepitu sequentium trepidante equo coniecit.' De eodem Fabius Pictor de orig. Italiæ l. ii. 'Romulus redintegratis viribus, et ipse a fronte cædebat, adeo, ut Metius in paludem sese cum equo armatus injiceret.' De Antonio etiam simile quid narrat Plutarchus in vita Bruti: 'Antonium di-

cunt initio pugnae hostium congressum evitavisse, atque in paludem sese recepisse.' Demum cur non alluit (hoc credo verius) ad historiam ipsius Augusti? de quo Plinius VII. 45. narrans incommoda, quæ illi, etiamsi felicissimo, acciderunt, ita ait: 'Philippensi prælio morbus, fuga, et tri-duo in palude latebræ ægroti.' Atque eo magis credo, hanc fuisse mentem Poëtæ in sui gratiam Principis, indigna passi, quo certius est hoc confectum a Virgilio. Calaber enim, Homerus, Tryphiodorus, qui loquuntur de Sinone, nihil tale dicant: imo Plautus in Bacchidib. expresse ait, latuisse Sinonem in sepulchro Achillis, ita enim ait: 'Mnesilochus Sinon est. Relictus ille non in busto Achillis, sed in lecto accubat.' *Cerda.*

*Per noctem obscurus*] Bona elocutio est, rem temporis ad personam transferre: ut, 'Matutinus venit.' *Servius.*

*Ulvæ*] Herba palustris. Sane in arte rhetorica, omnem narrationem cum rei partibus dicunt convenire debere, loco, tempore, materia, causa, persona. Hic ad singula respondetur, nam Persona Ulyxis ponitur ad fallendum aptissima. Causa, quia timeret ne ultor esset Palamedis. Tempus ad nocendum aptissimum, cum sibi quisque timeret. Modus agendi, 'Bis quinos silet ille dies.' Materia, 'Salsæ fruges et circum tempora vitæ.' Locus, 'Per noctem obscurus in ulva Delitui.' *Idem.*

*Ulvæ*] Timiditatem maximam simulat: ut cum in loco esset, ad quem nulli esset aditus, tamen in eo quæreret latebras. *Ulvam* dicunt rem, quam vulgus *budam* vocat: sed nihil interest, quæ species sit herbæ, modo illum occultare posset. *Donatus.*

136 *Vela darent*] Ut ostendat suos plus, quam Trojanos timuisse. *Idem.*

*Vela darent*] In 1. 'vela dabant læti.' Livius I. xxv. 'vela in altum dedit.' Hirtius: 'Imprudentes vela

in altum dederunt.' Cic. 'vela de.' *Cerda.*

*Si forte deditur*] Mediam se probet. Nam nec negat, nec confirmat eos navigasse; ne aut eis donat securitatem: aut quod supra dixit, falsum sit, non posse navigare Græcos, nisi homine immolato: id est, quia jam acire non poterat, quid facturi essent, cum ipse fugisset, ut Trojanorum sit, quicquid elegerint: et artis est, in argumentorum augustia, incertis uti sermonibus. *Servius.*

137 *Nec mihi*] Ponit consultationem, quam in lacu habuit. Hinc enim nisi navigarent, erat periculum vitæ: si navigassent, privabar antiqua, id est, magna patria. Vel antiqua, id est, cujus affectum diuturnitas temporis accumulaverat, et filiorum, et parentum: et singula singulis dedit. *Patriam antiquam* dixit, *natæ dulces, expectatum patrem*, in quibus rebus occurrunt pejora, quod Græci illos essent occisuri propter suam fugam piandam, quod erat necessarium. Hæc autem omnia dicta sunt, ut faceret verisimilia quæ fingebat. *Donatus.*

*Antiquam*] Caram. Et bene commemorat liberos et parentem: ut ostendat, se non deseruisse ut vilem, sed mortis fugisse terrore. Et bene ignotos finxit sibi liberos et parentem, ut major miseria ex pluribus nasceretur. Quidam sane non *dulces*, sed *duplices* legerunt, quia *dulces* lene esset et commune epitheton liberorum. *Servius.*

*Antiquam*] Quæ hæc antiqua patria Sinonis? *Servius* *caram* accipit. Reprehenditur a Parrhas. Com. in Claud. qui vult debere Argos accipi oppidum Peloponnesi: quod videlicet hoc primum Phoronens Regiam sibi condiderit, ut de quorundam sententia Plin. scribit: deinde, quia Sophoc. in Elect. Argos laudat a vetustate. Verba Sophoclis, quæ Parrhasius non affert, hæc sunt: τὰ γὰρ

παλαιὸν Ἀργεῖον, ὃς παλαιῇ, ἀντίquam  
 Argœ, quod desiderat: tertio, quia Pap.  
 Theb. l. III. scripsit: 'Quicquid et  
 Asopum, veteresque interjacet Ar-  
 gœe.' Hinc quamvis vera sint, in hoc  
 tamem loco explicando hæserim li-  
 bentius Turnebo, qui nihil tale ag-  
 noscit: sed cum Sinon se transfugam  
 simulat, qui jam solum mutavit, et  
 patriam velut novam, novasque sedes  
 exilio quæsierit, eum appellare pa-  
 triam antiquam, patriam pristinam,  
 cujus jam solum voverit, et cujus  
 amiserit jus, qui se in aliam velut  
 dicarit, priore deserto; est enim an-  
 tiqua patria, a qua demigratum vel a  
 colonia, vel exsiliis, vel transfugis.  
 Sic Tyri urbs antiqua dicitur patria  
 Didus, 'Namque suam patria anti-  
 qua cinis ater habebat,' et in IV. 'et  
 Troja antiqua maneret': erat enim  
 eversa, et Æneus quærebatur alias se-  
 des. De amore erga patriam, unde  
 moventur hi affectus, dictum in Bu-  
 col. Illis adde verba hæc Tacit. de  
 morib. Germ. 'Quis porro præter  
 posticulus horridi et ignoti maris,  
 Alibi aut Africa aut Italia relicta,  
 Germaniam peteret, informem ter-  
 ris, asperam celo, tristem crasso  
 aspectuque, nisi si patria sit?' Cædæ.

158 *Dulcis natus*] Proprium hoc  
 Hiberorum est epitheton. Lucret. l.  
 III. 'At jam non domas accipiet te  
 læta, neque uxor Optima, nec dulces  
 occurrent oculis nati.' Maro Georg.  
 III. 178. 'Sed tota in dulcis consu-  
 mant ubere natos,' et Æn. IV. 33.  
 'Nec dulcis natos,' &c. Horat. Epod.  
 II. 'dulces liberos.' Hæc facit il-  
 lud Phœdri f. III. 8. 'amplexus strum-  
 que (id est filium et filiam) ille (nem-  
 pe pater) et carpeas oscula, dulcem-  
 que in ambos caritatem partiens.'  
*Eumenides.*

159 *Quos illi*] De quibus III.  
*Strophæ.*

*Foræ ad penas*] Foræ et penas.  
 Alii jungunt *foræ*, ut sit *foræ* et *penas*.  
 Et bene elicit misericordiam: osten-

ditque, non se habere causam rede-  
 undi post mortem suorum, ne enim  
 Trojani non reciperent, suspicantes  
 ad eos quandoque redituros. *Idem.*

*Ad penas ob nostra reposcent Effugia*  
 Videtur hic Poëta respexisse antiquæ  
 juris Romanorum et Græcorum con-  
 suetudinem, quæ obtinuerat, ut ci-  
 vium liberi tanquam Reipub. oppig-  
 nerati, et dati obsides paterna in-  
 erent et præstarent delicta, tum ut  
 cura liberorum et metu coercerentur,  
 et in officio continerentur patres,  
 tum ne privata, ob editum in patres  
 exemplum offensa, ulcerato et alle-  
 nato a patria animo, liberi in rea  
 novas propensiores laborarent. Cu-  
 jus rei sunt apud Jurisconsultos mo-  
 numenta quædam et reliquæ: ejus-  
 que fidem facit nobis in epistola ad  
 Atticum Cicero: quæ licet non om-  
 nino Antonii liberis iniquæ videatur,  
 tamen paterni exilii comites The-  
 mistoclis liberos per Græciam erra-  
 visse, et eguisse testificatur. Cujus  
 consuetudinis vel legis acerbiteriam  
 innuere videtur Plato in Critone sub  
 persona Socratis fugam arripere,  
 quam Crito patrefaciebat, detrectan-  
 tis, his verbis: *οὐκ οἶμαι γὰρ διὰ τὰς πατρὸς  
 παραβὰς καὶ ἀκαμαράν τι τοῦτον, ὅτι  
 με γὰρ κινδυνεύουσιν γίγναι οἱ ἐπιτήδειοι  
 καὶ αὐτοὶ φεύγειν καὶ στερηθῆναι τῆς  
 πόλεως, ἢ τὴν οὐσίαν ἀπολέσαι σχεδὸν τι  
 δήλον.* Effugia autem ἀποδράσεις. Ut  
 autem hic exceptatum parvulum, Græci  
*φίλον πατέρα*, et *πόσει* Eurip. in Med.  
*αὐτὴ πρὸς αὐτὴν πατέρα ἀπομάχῃ φίλον*:  
 et passim. *Germanus.*

160 *Effugia*] Pro fuga, dicimus et  
*effugium*; sicut *lana* et *lanitium*: ut,  
 'Si tibi lanitium curæ.' Hinc est  
*aquitas* et *aquam*. Sed hic dicendo  
*effugia*, verbo sacrorum et ad causam  
 apto usus est. Nam hostia, quæ ad  
 aras adducta est immolanda, si casu  
 effugeret, *effugia* vocari vetere more  
 solet, in cujus locum quæ supposita  
 fuerat, *succidanea*: si gravis fuerat  
*forda* dicitur: quæ sterilis autem est

*tatrea* appellatur, unde *Iudi Turnei* dicti, qui ex libris fatalibus a rege Tarquinio Superbo instituti sunt; propterea quod omnis partus mulierum male cedebat. Alii *Iudos Turneos*, a Sabinis propter pestilentiam institutos dicunt, ut lues publica in has hostias verteretur. *Servius*.

*Culpam hanc*] Vel quod fugi, vel quod me defensorem Palamedis dixeram. *Idem*.

*Piabant*] Expiabant: et *ῥῶν μύθων* est. Nam plerumque et *impiare* significat. Hic tamen *piabant* bene addidit, quia nisi per sanguinem diis accepta hostia non est, quod merito ex persona Sinonis inducitur, quia fateatur sacra per suam fugam fuisse violata, et vult etiam beneficiis sibi debitores esse Trojanos, quod interim Græci obligati sunt. *Idem*.

141 *Quod te, per superos*] Propter quod: et infinita narratione subiungit Epilogos: neque enim quæ non putaret credituros argumenta subjicere debuit. Sane per huiusmodi preces ostendere vult, vera se dicere. *Idem*.

*Per superos*] Quos non latet veritas. *Donatus*.

*Quod*] Vult Turnebus redundare hanc particulam, ut Græcis sæpe *ὅτι*. *Asconius*, *quod*, pro, quocirca. Ita in l. vi. 'Quod te per cœli,' &c. Hoc jam alii. *Cerda*.

*Conscia numina vari*] Bene medium tenuit. Ea numina invocans, quæ sunt conscia numina veritatis; quia et Pontifices dicunt, singulis actibus proprios deos præesse. Hos Varro *certos deos* appellat. *Servius*.

142 *Per, si qua est*] Aut diasyrtyce ridet, aut certe hoc ait: si aliqua est fides, quam cum sibi non adscribit, facit ut in eo esse credatur. *Idem*.

*Per, si qua est, quæ restet*] Sciebat apud se non esse fidem, unde arbitrabatur apud nullos esse. Et cum persona sua esset odiosa, quia hostis, movet misericordiam a suis calami-

tatibus. Priamus autem ut omnia vera eliceret, deposita regia auctoritate, ut amicus cum hoste locutus est. *Donatus*.

*Per, si qua est, quæ restet adh. mort. usquam Intemerata fides*] Observanda est in hac particula *per* frequens apud Maronem Grammatica anomalia, ut quæ non satis ad exactos Grammaticæ canones coerceri possit. Etenim hic dicendum videretur, ut orationis structuræ, et normæ satisfaceret, *per, si qua est, quæ restet, intemeratam fidem*. Sed eadem Poëtica libertate et *Æn.* vi. Virgilius videtur usus eo loco: 'per sidera juro, Per superos, et, si qua fides tellure sub ima est:' et *Æn.* xii. 'Turne, per has ego te lacrymas, per, si quis Amatæ Tangit honos:' et *Æn.* x. 'Unum hoc per, si qua est victis venia hostibus, oro, Corpus humo patiari tegi.' *Germ.*

*Per, si qua est, quæ restet, &c. Intemerata fides*] Multas deprecandi formulas conguessit Brissou. in initio l. viii. Quantum ad constructionem, in relativo hic deest casus primus: oro *per fidem, si qua fides est, &c.* vide Sanct. Minerv. p. 98. 94. *Emmeness*.

*Restet*] Superavit. *Servius*.

*Usquam*] Quia apud Græcos dicit fidem esse corruptam. *Idem*.

143 *Intemerata*] Incorrupta vel integra: alii tamen volunt *intemerata* de libris sacris, commutatis literis, esse præsumptum; *timaram* enim fidem, id est, sanctam appellabant; ut sit sensus, Oro per fidem vehementer sanctam, si tamen est usquam penes homines. *Idem*.

*Oro*] Ordo est: Quod te oro per superos. *Idem*.

*Laborum*] Periculorum, malorum. *Idem*.

*Miserere*] Quidam pro *miserere* accipiunt. *Idem*.

145 *His lacrimis vitam damus*] Vere scripsit Tacit. Ann. iv. 'Sunt molles in calamitate mortallum animi.' et Virg. in extremo: 'Et jam jamque

magis cunctantem flectere sermo Cæperat.' *Cerda*.

*Miserescimus ultro*] Aut per se plenum: aut cohæret sequentibus: quia non potest premis. Dicimus enim aut *illam rem miseror*, aut *illius rei misereor*; non *illis*. Quidam, *miserescimus* pro *miserescimur*, genus inchoativum volunt, ut *horreo horresco*, *gelo gelasco*; aliter *lentesco* inchoativum nullo præcedente verbo: neque enim est *lento* ut sit *lentesco*. *Servius*.

*Utro*] Non est *sponte* (nam rogaverat Sinon) sed *insuper*. Et venit ab eo quod est *ultra*: quia plus quam rogaverat, præstiterunt. *Idem*.

146 *Ipse*] *Ἐμφατικῶς*, non alius. Vide eloquentiæ vim. Sententiam Virgilii ita reddit Lucanus l. II. 'astriictis laxari vincula palmis Imperat.' *Cerda*.

*Manicas*] Vincula manuum esse, dictum Ge. IV. 349. 'Manicisque jacentem Occupat.' Proprie autem vestium dicuntur, ut Non. Marcell. ex Marone nostro IX. 616. 'Et tunice manicas, et habent redimicula mitræ.' Sæpe etiam manuum integumenta hoc nomine veniunt, quorum usus erat in pugna. Juvenal. Sat. VI. 255. 'Balteus et manicæ et cristæ, &c.' Hoc loco manuum vincula. Lucil. l. XXX. 'Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita est.' Plautus *Asinar.* II. 2. 38. 'ubi manus manicæ complexæ sunt.' Quæ pedes ligant *pedicæ* nominat Isidor. V. 27. vel *compedes*. Horat. Epist. I. 16. 'tollas licet in manicis et compedibus.' *Emm*.

*Arta vincia*] Pro *vincula* per syncope dictum. Aut epexegetis manicarum est: aut utrunque habuit. *Servius*.

*Arta*] Antiqui plerique codices, *arta* habent absque c: curque id ita fieri solitum, Grammaticorum veterum dictata alibi citavimus. *Pierius*.

*Arta vincia*] Vide not. nostras Ge. IV. 297. His adde disputationem Dasequii, qui antiquam, immo anti-

quam scribendi formam per c censet. *Levare* hic *exuere*, ut vs. 153. 'Exutas vinculis palmas.' Secundum Non. Marc. et sic Poëta: 'Serviat æque Vinculis uterque tibi, vel mea vincula leva.' et Cic. Tuscul. quæst. I. 49. 'emittique nos e custodia et levare vinculis arbitremur.' *Emmeness*.

148 *Quisquis es, &c.*] Licet hostia sis. Et verba sunt, ut habemus in Livio, imperatoris, transfugam recipientis in fidem: 'Quisquis es, noster eris.' Item, 'Vigilasse, deum gens?' verba sunt, quibus pontifex maximus utitur in pulvinaribus: quia variam scientiam suo inserit carmini. *Servius*.

*Hinc jam*] Aut ex hoc tempore, aut ex hac oratione, qua tibi salutem in tuto polliceor: aut ex eo, quod te dicis Ulyxis factione laborasse. *Idem*.

*Amisos oblitiscere*] Ut 'obliviscor injurias tuas, Clodia?' dicitur enim et *amissorum oblitiscere*. Et *oblitiscere* quidam pro *contemne*, vel *neglige*; ut 'oblitus fatorum.' *Idem*.

*Amisos*] Scottus obs. Poët. II. 59. ex Quintiliano antiquis delectatam vocibus dicit Maronem, et affectasse interdum archaismos. Sic Terent. Phorm. I. 2. 91. 'nunc amitte queso hunc,' pro dimitte. Vide Donatum. *Emmeness*.

149 *Noster eris*] Aperta benevolentia, cum recipiat eum pro cive. *Don*.

*Noster eris*] Familiaris est locutio: observavit Lips. Ant. Lect. IV. 20. Plaut. Truc. 'Tanto melior, noster esto, sed de tuo vitito:' et Bacchid. 'Puero sic dicit pater, Noster esto, dum te poteris defensare injuria:' et Mil. 'Heus noster esto.' Sic corrigendus locus. His Lipsianis adde Tryphiodorum, apud quem Priamus eundem Sinonem sic compellat, *ἡμέτερος φίλος ἑσσεαι*: *Amicus noster esto*: et Aristophanem, qui in Irena pari forma: *Ὁ γὰρ ἡμέτερος ἐστ' ἐν' ἀνδρὶ ἀνὴρ, ἀλλὰ σὺς*: *Nam neque ille noster est nunc amplius, verum tuus*. Etiamai hoc de familiaritate verum sit, tamen



pato melius posse letum hunc explicari, ut loquatur cum discriamine ad Græcos. In Tulio pro leg. Manilia observavi, nos, et aëstros opponi exteris nationibus et gentibus. Id ipsum in Demosthene, qui *quis* pro Græcia, accipit cum oppositione ad barbaros. Ergo *noster* erit, erit: Transibis jam in iura et domicilia Trejanorum, et desines esse Græcus. *Cerd.*

*Noster* erit] Sic 'Daphnin tuum' Ech. v. 51. vide Not. et Ter. E. 1. 2. 30. 'hoc munere arbitrantur suum Thaidem esse:' et Phorm. 1. 2. 'illa quidem nostra erit.' *Emmeness.*

*Mihi*] Scilicet regi, qui possem tormentis inquirere veritatem, et simpliciter quero: vel *Mihi*, qui te servavi, et in meorum numerum recepi. *Don.*

*Mihi*] Verbum scrupulose interrogantium esse, *mihi*, monet Donatus Phorm. 11. 2. 32. ubi 'mihi ut respondeas.' id est, patri, domino, seni; sic hoc loco regi. *Emmenessa.*

*Edisere vera*] Hic distinguendum. Vera enim audire desiderat. *Edisere* autem, ordine cuncta narra; unde qui plane loquantur *disertiores* sunt et *diserti* vocantur. Sane hoc ab illo Primus exigit, quod ipse ei statim obtulit: 'Cuncta equidem tibi Rex.' *Sera.*

*Hæc edisere vera*] 'Αρπαγὸς νάρδαλες. *Timmannius.*

150 *Quo molem*] Qnam ob causam, in quem usum; et ad hoc respondet Simon, *ne recipi portis*. Et est color, qui in conjecturali statu sæpe requiritur: hanc tamen equum quidam longum centum viginti, latum triginta fuisse tradunt, cujus cauda, genua, oculi moventur. *Servius.*

*Quo molem*] Brevisima propositio, sed perfecta. Quæsitum est, cur equus esset factus, cur tantæ magnitudinis, quo anetere: utrum religionis, an belli causa. *Donatus.*

*Quo*] Cur: vide Scal. iv. 16. sic Juvenal. Sat. viii. 9. 'effigies quo, &c.' *Emmeness.*

*Quis auctor*] Ad hoc respondet,

'Calchas attollere jussit.' *Servius.*

*Auctor*] Per e amant scribere, qui in orthographicis primas tenent: disputationem habet luculentam Danaëus, an legendum *auctor*, *autor*, *author*. *Emmeness.*

151 *Quidve petunt*] Quid desiderant? Utique ut placetur Minerva. *Serv.*

*Quæ religio*] Quæ consecratio. *Id.*

*Machina belli*] Ecce subtiliter secutus historiam, machinamentæ bellici mentionem facit, et servat dignitatem regiam. Breviter enim reges interrogant, non ut minores, quos plus loqui necesse est. *Idem.*

152 *Dolis et arte*] Unam rem secundo dixit: quia *ars* *plena* est; sicut supra diximus. *Idem.*

*Ille dolis*] Quasi dicat, natura sua, et arte Pelæga, id est, mandatis suorum: et ostendit nullum Græcum carere dolis. *Donatus.*

*Dolis instructus et arte Pelæga*] In verbo *instructus* nota *fraudem*, non vulgarem, quasi *dolus* *ars* esset, et publica disciplina; utque alii mortalium scientias alias, ipsi fraudes adiscerent. Silius l. iv. 'Calliditas Graja, atque astus pollentior armia.' Inde verba *græcari*, *pergræcari*, *congræcari*, non solum de laxo vitæ genere, sed etiam de fraudibus. *Cæda.*

*Dolis instructus*] Petron. 'ad fata compositus Simon.' *Emmeness.*

153 *Ad sidera*] Ad locum siderum, vel quia semper sunt sidera, sed Solis splendore vincantur. *Servius.*

*Sustulit enses, &c.*] Ex more hoc dictum, quo cum præcabantur, manus ad cælum tendebant: sic l. ix. 'Agnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas Sustulit.' l. x. 'Et duplices cum voce manus ad sidera tendit.' ibid. 'et ambas Ad cælum tendit palmas.' l. xii. 'tenditque ad sidera dextram.' Horat. 'Cælo supinas ei tuleris manus.' Aristoteles de mundo: *οἱ ἄνθρωποι ἀντιπροσέθεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιῶμενοι*: omnes homines ad cælum manus tollimus

*prope facturi. Xenoph. Pœd. vi. τὰς χεῖρας ἀνθρώπων ὑπερὶ τῶν εὐχῶν.* *Cerd.*

154 *Æterni ignes*] Aut ararum, quas fagit: ut exsecratio sit propter posteriora. *Ves ars*: aut certe *Solem* et *Lanam* significat. *Exsecratio* autem est adversorum deprecatio: *Jugurandum vero*, optare prospera. *Servius.*

*Ves, æterni*] Juravit, sed subtiliter. Nam Trojano fallit, et non prodit arca sua suorum. Adhibuit iugurandum, quia non videbatur verisimile, illum suorum secreta sine tormentis prodere. Testatus est igitur, non propter narrationis veritatem, sed propter licentiam, quasi proditiōis. *Donat.*

*Æterni ignes*] Libentius hic sidera accipio, quam ignes ararum: hæc vocat ignes æternos, et Numen inviolabile: atque adeo initium testationis a caelo capit, et sideribus, ad quæ manus tetendit. Alii ignem *Vestæ* capiunt. *Parrhasius Penates*: nam *Simon* simulat, vereri se offensam *Penatum*, si credat hostibus secreta patriæ cujus cura dedita est Deis *Penatibus*. Notaanda vero testationis hujus gravitas, ut vel ex magnitudine invocationis rem magni ponderis se dicturum indicet, et quæ cedat in maximam Trojanorum utilitatem. Convenit autem *Simonis* factum cum *Risæis*, qui eodem juramento *Darium* decipit, in *Sacas* expeditionem facientem, ut est apud *Polyænum* l. vii. *Cerd.*

*Non violabile*] Quod Græci ἀφάπτορον dicunt. *Servius.*

*Vestrum numen*] Quia secundum Philosophos dicuntur sidera elementa esse, et habere proprias potestates. *Idem.*

155 *Testor*] Modo juro: alibi testificor: ut, 'Testor in occasu vestro.' *Id.*

*Testor*] Hoc verbo deos testabatur. *Livius* l. ix. 'Jovem, Martem, atque alios testatur Deos.' *Cicero Philipp. xiii.* 'Testor et vos, et Pop. Rom. et omnes deos, qui hæc urbi præsident.' Vide *Brisa. Formul. l. viii. Teubmann.*

*Ensesque æquali*] Invidiose ad pleralem transit numerum. *Terentius*, 'Non perpeti meretricum contumelias.' *Servius.*

156 *Vittæque Deum*] Aut qui habentur in honore deorum, aut quas habent simulachra vittas; et multi hic distinguunt, et sic subjungunt, *deum quas hostia gessi.* *Idem.*

*Quas hostia gessi*] Consuetudo apud antiquos fuit, ut qui in familiam vel gentem transiret, prius se abdicaret ab ea, in qua fuerat, et sic ab alia reciperetur, quod hic ostendit: dicit enim *Simon*, jure jam se Trojanorum civem esse, quia apud Græcos hostia fuerit; atque adeo nec pro homine, nec pro cive habitus sit. *Gessi* autem *pene*, non enim vere gesserat: sed quantum ad Græcos pertineret, qui eum immolaturi fuerant, dixit. *Idem.*

*Vittæque Deum, quas hostia gessi*] In antiquis aliquot exemplaribus, punctum observante *Deum*, ut sit: *quas gessi deum hostia.* *Servius* tamen *deum vittas* mavult legere. *Plinius.*

*Vittæque Deum, &c.*] Vittæ in ministerio Deorum, templorum, altarium. *Primum* firmat hic locus, et *Juvenal. Satyr. vi.* 'Cereris vittas contingere': alterum *Stat. Sylv. rv.* 'Pande fores superum, vittatæque templa.' tertium *Virgil.* 'Molli cinge hæc altaria vitta.' De aliis nabis alibi. Sed hic nescio qua libentia ferer, ut vittæ non dicantur *Deum*, sed ante *Deum* sit interpositio, hæc sententia; 'testor vos vittæ, quas gessi *Deum* hostia': aperit hoc *Serv. Pet. Dam.* in *Varis* lect. ad hunc librum. Ab hoc non abest *Lacretianum* illud, de *Iphigenia* jam immolanda: 'Cui simul infula Virgineo circumdata comptus Ex utraque pari malarum parte profusa est.' *Cerdus.*

*Hostia*] Victimæ est dicta, quod dii per illam hostientur, id est, æqui et propitii reddantur; unde *hostimentum* æquationem. *Servius.*

157 *Fas mihi*] Subaudis sit. Et

bene a diis petit veniam, ne videatur proditor. Nam et hæc, quæ dicturus est, tacuit, antequam audiret, 'Noster eris.' Si enim voluntate proderet, sequebatur, quod ait Cicero, 'Nemo unquam sapiens proditori credendum putavit.' Aut *fas mihi* ideo, quia non licet solvere sacramentum militare adversariis vel hostibus: ideo dixit, liceat arcana dicere, ut cum ostenderit, se rem dicere, quam non licet, ei facilius crederetur. *Idem.*

*Fas mihi Græcorum*] Quasi jam ipse Græcus non esset: vel, illi ejus socii non fuissent: et liceat eos odiasse, qui cives mei esse noluerunt. *Donatus.*

*Sacrata resolvere jura*] Ut non incidat in sacramenti poenam: nam miles legibus sacramentorum rogabatur; ut exiens ad bellum juraret, se nihil contra Rempublicam facturum. Militiæ tria sunt genera. Plerumque enim *evocati* dicuntur: et non sunt milites, sed pro milite. Unde Salustius, 'Ne quis miles neve pro milite.' Item, 'Ab his omnes evocatos in Centuriones.' Plerumque *tumultuarii*, hoc est, qui ad unum militant bellum. Plerumque *sacramento rogati*: quia post electionem in rempublicam jurant, sicut dictum est: et hi sunt, qui habent plenam militiam: nam et viginti quinque annis tenentur. Hæc tria genera tangit Virgilius: Sacramenti, hoc loco. Tumultuarii, 'Simul omne tumultu Conjurat trepido Latium.' Evocationis, 'Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem.' *Serv.*

*Sacrata resolvere jura*] *Jus sacramentum* dicit, quod sacramenti militaris religionem teneri videbatur: nam jurejurando, id est, fide sacrabatur. Cic. Offic. II. 'Fide sacramentum jus perpetuo falleret.' Turneb. VI. 21. Græci ἱερὸν ὁρκωτικὸν appellant; de quo Pollux VIII. 80. Et nos Æn. VIII. *Taubmann.*

158 *Fas odiasse viros*] Ut supra dictum est, omnia diasyrice loquitur. Nam et ad Græcos possunt, et ad

Trojanos referri. Et *Odiase*, hic, presentis temporis, quod non facit *odera*. *Servius.*

*Atque omnia ferre sub auras*] Hinc videtur subtiliter non se implicare perjurio: ipse enim lectos hostes produxit ex equo, 'Et pinea furtim Laxat claustra Sinon.' Et hoc vult credi contra Græcos dicere, cum pro ipais dicat. *Idem.*

*Omnia ferre sub auras*] Sophocli. in Electra: οὐδὲ τὰς ἀνατρεῖται πύλας ὑπὸς φῶς. *Germanus.*

159 *Si qua legunt*] Vel callide occultant, vel propterea quia latent in equo. *Servius.*

*Teneor patriæ*] Plus est voluntate, quam legibus retineri. Alterum est ex studio puræ mentis, alterum ex necessitate. *Donatus.*

*Nec legibus ullis*] Si Græcorum, propter *Noster eris*: si Trojanorum, quia Græcus. Alii ita: nullis naturæ legibus, quibus fas non est patriam prodere, et volunt hoc esse, 'Sacrata resolvere jura.' *Servius.*

*Teneor patriæ nec legibus ullis*] Tales ἀνομήτους Græci vocant, exclusos scilicet, vel solutos fœdere et societate. *Germanus.*

*Teneor patriæ nec legibus ullis*] Aldus distinguit: 'teneor patriæ, nec legibus ullis:' ut sit Græca figura: pro 'Nec teneor patriæ, nec legibus ullis.' Ostendit, se plane factum esse Trojanum. *Taubmann.*

160 *Tu modo*] Pro *tantummodo*. *Servius.*

*Tu modo*] Pro, tu Troja, conservatori tuo fidem serva. *Donatus.*

*Promissis*] Pro in *promissis*. *Serv.*

*Promissis maneat*] Hellenismus. Sophocli. Ajace, ἐπιμένει ῥήμῳ. Æn. VII. 'tu dicta, Albane, maneres.' *Servius* *Promissis manere*, dictum ait pro in *promissis*. *Taubmann.*

*Servataque arcem*] Respectum ad illud Tragicæ vult Germ. *erhalten stehen*: *servatus serva*. Non abit a Virgilio illud Propertii eleg. I. 18. 'Si modo

sola queant saxa tenere fidem.' Sic Æn. XII. 'ensis perfidus.' Datur itaque fides, aut infidelitas rebus inanimis. Ab Nostro Sen. ep. 92. 'in quolibet rerum habitu servata servat.' *Cerda.*

*Servos Troja fidem*] Magnificentius, quam si diceret *Trojani*; quia quod rex promittit, videtur respública polliceri. *Servius.*

161 *Vera feram*] Pro dicam. *Idem.*

*Magna rependam*] Magna præmia resolvam pro mea impunitate: et videtur duo promittere Trojanis; primo veriloquium, deinde salutem ex snorum prodicione. Alii volunt dubium esse, *Vobis feram, Græcis rependam.* *Idem.*

*Rependam*] Quasi dicat, tantum recipiat quantum dederit, id est, ut salutem mereatur, salutis auctor. *Donatus.*

*Rependam*] Sunt antiqui codices, in quibus *rependam* scriptum inveni: sed id potius incititia librarii, quam pro *manifestare* sit positum. Nam magna rependere pollicetur Sinon: qui jam vitæ ac libertatis præmia sit consequutus. *Pierius.*

162 *Omnis spes Danaum*] More suo a veris incipit. Nam et favit Minerva Græcis, et constabat raptum esse Palladium. *Servius.*

*Omnis spes*] Respondet ultimæ parti, ut fallendi promptior pateret occasio; et primo unius criminis invdiam, pluribus criminibus accumulat in Ulyssem: et ostendit Minervam graviter iratam sacrilegis. *Donatus.*

163 *Impius*] Propter numina vulnerata. *Servius.*

*Ex quo*] Vel die, vel facto. *Idem.*

*Ex quo*] Scil. tempore, ut Eclog. VII. 70. Notatis illic adde Sanctii interpretationem in Minerva p. 345. infra vs. 169. 'ex illo spes fluere,' &c. ille plura. *Emmeness.*

164 *Tydidēs sed enim*] Hysteropteron est; sed enim ex quo impius Tydides. Hystero-logia, unius sermo-

nis: ut, 'Transtra per et remos.' *Servius.*

*Scelerumque inventor Ulysses*] Propter se et propter Palamedem, factione occisum. *Idem.*

*Inventor scelerum*] Qui nunquam invenit, quod probari potuisset. *Donatus.*

*Scelerumque inventor Ulysses*] Allusum ad paræmiam, *Ulysseum commentum*, quod de callido et vafro homine dictum, 'Ὀδυσσεὺς μηχανή.' Inde ab Homero jam πολυμήχανος dicitur, jam δολομήτης a machinamenti, et dolis inveniendis: et a Lycophrone λαμπουρίης, διὰ τὸ παυόργανον εἶναι: quod scelerum architectus, ab Nostro in VI. 'Hortator scelerum.' Observata hæc aliis. Tu lege Junium cent. 1. adag. 14. *Cerda.*

165 *Fatale*] Τὸν μῦθον est. Nam et quod custodit, et quod interimit, pro loco intelligitur. *Servius.*

*Fatale*] In quo staret fatum Græcorum. Dixerat enim *Palladis auxilium*. *Donatus.*

*Fatale adgressi sacr.*] In singulis singula sunt genera sacrilegii. *Idem.*

*Avellere*] Ostendit invitum numen esse sublatum. *Servius.*

*Avellere*] Ut cum sacrilegio esset crimen violentiæ *Donatus.*

*Fatale adgressi sacrato avellere templo*] Ex hoc Palladis simulacro fata Trojæ pendebant, quæ recitantur ab Ovidio Met. XIII. 98. 'Conferat his Ithacus Rhesum, imbellemque Dolona, Priamidemque Helenum raptam cum Pallade captum.' et vs. 386. 'Trojanaque fata retexi: Quam rapui Phrygiæ signum penetrale Minervæ.' Vide etiam Sil. Ital. I. XIII. in principio: 'Sed Calchas Danaïs, nisi clausum e sedibus arcis Arnisomæ curent simulacrum avellere divæ, Non unquam affirmat Therapnæis Ilion armis Cessurum,' et seqq. *Emmeness.*

166 *Palladium*] Helenus apud Arisbam captus a Græcis est: et indica-

vit coactus fata Trojana: in quibus etiam de Palladio. Unde dicitur a Pyrrho regna meruisse: quanquam prætorit Pyrrho, ut non ea die, qua Græci cæteri, navigaret, dicens omnes Græcos (quod et contigit) naufragio esse perituros. Alii dicunt Helenum non captum, sed dolore, quod post mortem Paridis, Helena, iudicio Priami, non sibi, sed Deiphobe esset adjudicata, in Idem montem fugisse, atque exinde, mæneste Calchante, productum de Palladio pro odio prodidisse: tunc Diomedes et Ulyx, ut alii dicunt, cuniculis, ut alii, cleancis ascenderunt arem: et occisis custodibus sustulere simulacrum: qui cum reverterentur ad naves, Ulyx, ut sui tantum operis videretur effector, voluit sequens occidere Diomedem, cujus ille conatum cum ad umbram Lunæ notasset, reli-gatum præ se usque ad castra Græcorum egit. Ideo autem hoc negotium his potissimum datur, quia cultores fuerunt Minervæ. Hoc quum postea Diomedes haberet ut quidam dicunt (quod et Virgilius ex parte tangit, et Varro plenissime dicit) credens sibi non esse aptum, propter sua pericula, quibus nunquam cariturum responsis cognoverat, nisi Trojanis Palladium reddidisset, transeanti per Calabriam Æneæ offerre conatus est. Sed cum se ille velato capite sacrificans convertisset, Nantes quidam accepit simulacrum. Unde Minervæ sacra non Italia gens habuit, sed Nantiorum. Hinc est in quinto, 'Unum Tritonia Pallas Quem docuit.' Quanquam alii dicant simulacrum hoc a Trojanis fuisse absconditum, intra extractum parietem, postquam agnoverunt, Trojam esse perituram: quod postea bello Mithridatico, dicitur Fimbria quidam Romanus inventum indicasse: quod Romam constat ad-ductum. Et quum responsum fuisset illic imperium fore, ubi et Palladium: adhibito Mamurio fabro, multa simi-

lia facta sunt. Verumtamen agnos-citur, hæc oculorumque mobilitate. Unde est, 'Vix positum castris simu-lacrum arsero coruscæ Luminibus flammæ:' vel, 'Hastamque tremen-tem.' Sed ab una tantum sacerdote videbatur: ut Lucanus, 'Trojanam cui fas soli vidiisse Minervam.' Dicunt sane alii unum simulacrum celo lap-sum, quod nubibus advectum et in ponte depositum apud Athenas tan-tum dicunt fuisse, unde et *ἡρώδης* dicta est. Ex qua etiam causa *Pontifices* nuncupatos volant: quamvis quidam *Pontifices* a ponte sublicio, qui primus Tybri impositus est, appella-tos tradunt, sicut Saliorum carmina loquuntur. Sed hoc Atheniense Pal-ladium a veteribus Trojanis Ilium translatum. Alii duo volunt, hoc de quo diximus, et illud Atheniense. Alii cum ab Ilo Ilium conderetur, hoc Trojanum celo lapsum dicunt: alii a Dardano de Samo-Thracia, Trojam translatum: alii multa fuisse Palladia, sed hoc a Diomede et Ulyxe furto ablatum tradunt. *Servius*.

*Palladium*] Cum pondere pronun-ciantum. In ipso enim nomine mag-nitudo numinis exprimitur. Quod vero de Mamurio dicunt quidam, aus-quam de Palladio legitur, sed de As-cili, cælitus delapso, de quo suo loco dicemus. *Donatus*.

*Palladium*] De *Palladio*, quod Dio-medes et Ulysses, per cuniculos in arcem adscendentes, sustulisse tradun-tur, multi multa et varia commenti sunt. De eodem Lucanus etiam lib. ix. in persona Cæsaris: 'et quorum lucet in aris Ignis adhuc Phrygius: nullique adspæcta virorum Pallas in abstruso pignus memorabile templo Gentis Inlææ.' Unde et Livius l. xxv. *Palladium fatale pignus Imperii Rom.* vocat. Exaggeratur autem crimen: quod ad sacrilegium accesserit etiam homicidium: quod custodes templi, quod in templo, quod in ipso templi prope sacrario, et ante ora Palladis,

occisi sint. *Taubmann.*

167 *Sacram effigiem*] Quasi de caelo lapsam. Et tres simul res dixit: quare nomen irasceret; quod Antistites caesi; quod tolleretur; quod cruentis manibus. *Servius.*

*Sacram effigiem*] Caelo lapsam interpretatur *Servius*, ἄγαλμα διπνέας. Ut autem hic sacrum, saepe apud Euripid. σάκρον βράτας; et Epigr. τρετογωνοῦς ἐκπλυν ἐνδοκίης, de Palladio. *Geim.*

168 *Virginis vittas*] Nam et eas diversas a matronalibus fuisse certum est. *Valer. Flaccus*: 'Ultima virgineis tum flens dedit osonia vittis.' Quod autem manibus cruentis ausi contingere dixit, infra paulo de sacris loquens: 'Me bello e tanto digressum et caede recenti Attractare nefas, donec me flumine vivo Abluero:' et *Apoll. l. iv.* τῆς δὲ καλὴν τὴν Ἀργυφῆν καὶ πᾶν τὸν ἀλευμένον ἐπύθηνεν. Accedit proxime ad versum hunc Maronis ille quoque *Nicandri*: ἀχράντων θεοῦ χερσὶ θεῆς ἐβράζατο πᾶν τὸν, de Orione et Diana. Alludit autem *Virg.* ad Romanas virginalesque vittas, quas illico nuptæ maritalibus vittis mutabant, ducto a Græcia more. *Idem.*

*Virginis, &c.*] Vittæ enim aliæ erant virginales, aliæ matronales. *Propertius El. iv. 11.* Mox ubi jam facibus cecis prætextæ maritis, Vixit et acceptas altera vittæ comas. Alteram a virginali intelligit: ac si dicat; postquam nupsi. *Val. Flaccus, l. viii.* 'Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.' Loquitur enim de Medea mox nuptura. Quod hodieque apud nos observatur. Vide *Turneb. xxiii. 5. et xxix. 4.* *Taubmann.*

*Ausi contingere*] Immani scelere: cum a viro vel videri nefas esset: exemplo Ili, qui visu privatus fuit. *Id.*  
169 *Ex illo*] Facto, vel tempore. *Servius.*

*Fluere*] Delabi, et est τῶν μένων, nam ideo addidit retro. *Salustius* contra, 'Rebus supra vota fluentibus.' *Idem.*

*Ex illo fluere*] Nam supra dixerat, 'Palladis auxiliis semper stetit.' Cum ergo irata esset, cepit fluere. *Donatus.*

*Ex illo fluere, ac ret. subl. referri*] Ἀναρροῦν χυρεῖν quod *Eustathius* in eum *Od. II.* locum, ἐπλέομεν....ἡμῶν φορεῖ τε κατὰ βῆλον, opponit τῇ κατὰ βῆλον φέρεσθαι. *Idem* εἰσθε, inquit, μεταφορικῶς ποτε ἐπὶ τῶν κατὰ βῆλον εὐκαλοῦντων λέγεσθαι...τοῦ δὲ κατὰ βῆλον ἐντάλαιον ἔχει τὸ ἀναρροῦν χυρεῖν, ὃ καὶ αὐτὸ παραμυθεῖται ἐπὶ τῶν ἐξ εὐτυχίας μεταβληθέντων εἰς τὰ ἐντάλαιον. Videtur et manifesta hic loci illius apud *Euripid.* in *Supp.* imitatio: ὅτι γὰρ ἂν βέοι τὰ πρᾶγμα ὅτως, εἰ πεταζόμεθα δὴ. Ut autem *Euripides* ἀνα βῆλον dixit infortunium notans, 'sic contraria significatione *Æschyl.* in *Pers.* θαύματα εὐροῦν. Illud vero ἀνα βῆλον, a paroemia vetere, cujus meminit *Aristot. Met. II.* γίνονται τὸ λαγόμενον, ὅτι ποταμῶν, ὅπου ἀδύνατον. *Ex illo* autem, *Homer.* ἐκ τοῦ *II. A.* ἀλλ' ὅτε δὴ β' ἐκ τοῦ δυσδακτύ γένει' ἦας. *Geimannus.*

170 *Fracta vires*] Phrasis poetica. Sic apud *Papin. l. iv.* 'fracta, impulsæque fatis consilia:' et statim, 'fractas iras:' et apud *Horat.* 'fractam rem ad Janum.' *Cerda.*

*Aversa Dea mens*] Propter illud, *Manibusque cruentis.* *Servius.*

*Aversa*] Duorum sceleratorum commisso, omnibus irata est. *Donatus.*

*Dea mens*] *Minervæ.* Notat *Scal. iv. 48.* Poëtam singulari iudicio orationem monosyllabo terminasse: illoque avertisse dem mentem, ut postea figeret in pertinacia, &c. Vide ibidem. *Taubmann.*

*Aversa Dea mens*] Non *adversa*, ut bene emendavit *Modius* *Epist. 34.* not. antiq. lect. *Silium Italicum.* *Eumenides.*

171 *Tritonia*] Aut quasi terribilis, ἀπὸ τοῦ τρεῖν, id est, timere, aut a Tritone amne Boeotiae, aut a Tritonide palude Africæ; juxta quam nata dicitur, secundum *Lucanum*, 'Et se dilec-

ta Tritonida dixit ab unda.' Sane Tritonia Antonomasion est, id est, vice nominis ponitur: quia proprium est Minervæ. Nam epitheta sunt, quæ variis possunt, vel rebus, vel personis apponi. Et hæc caute observanda sunt, sicut et propria nomina, quæ plerumque ex appellativis sunt: ut est *victor*, vel *fatix*. Servius.

*Tritonia*] Id est, Minerva, *ἐμπυρόν*, ἡ ἐμπυρός. Ita dicta vel ἀπὸ τοῦ τρεῖς, id est, *timere* vel *fugere*: aut ab amne Tritone: vel per *ἐτυμολογίαν*, quia, cum sit dea Sapientiæ, ut ait Servius, in partes tres dividitur: in *Intelligentiam*, de tempore præsentis; in *Prudentiam*, de futuro; in *Memoriam*, de præterito. Taubmann.

172 *Vix*] Modo *mox* significat. Servius.

*Vix positum*] Signa sunt, quibus ostendit iram. Primum, flammæ in oculis inanimatis. Secundum signum, sudor, qui non potest ex simulachro fluere, nisi portendat malum. Idem dicas de motu simulachri. Donatus.

*Castris*] Pro *in castris*. Servius.

*Simulachrum*] Inter consecratas res, id est, ædes æreas, etiam simulachra accipiunt, quod in Bucolicis scriptum est. Hic ergo ipso nomine *simulacri*, consecrationem ejus ostendit, quis enim ignorat *Palladium* simulachrum Minervæ esse. Quam autem sacrum fuerit hinc docet, quod ait: 'Nec dubilis ea signa dedit Tritonia monstros: Vix positum castris simulacrum,' et reliqua: ut appareat et loco motum, *vim* tamen consecrationis habuisse. Idem.

*Arsere*] Snaudimus *cum*; ut sit, *cum arere*. Idem.

*Corusca*] *Coruscum* alias fulgens, alias tremulum est. Idem.

173 *Luminibus flammæ arrectis*] Hypallage est, lumina enim *arsere* flammis. Idem.

*Salvus sudor*] Bene addit *salvus*, ut significaret laborem futurum, vel certe indicium commoti nominis fu-

isse dicitur: ne forte alter in simulachro quilibet humor intelligeretur. Probo sane displicet *Salvus sudor*, et supervacue positum videtur. Hoc autem Ennius de Lamis dixit. Idem.

*Sudor iii*] Auctor est Cicero De Div. l. i. Apollinis simulacrum Camis; et Romæ, initio belli Marsici, deorum statuas sudasse. Et notat Apollonii Rhodii Interpreter, generaliter tristem casum solere ab his sudoribus imaginum denuntiare. Vide Heinsium ad illud Silli l. i. 'vultusque in marmore sudat Elisæ.' Taubmann.

175 *Emicuit*] Exiit. Quasi quæ consistebat invita, locumque damnaverit. Servius.

*Emicuit*] Ascensius *resplendens apparuit* interpretatur. Non videtur tamen sententiæ hujus loci hæc interpretatio convenire: nimirum cum ter solo emicuerit: quod videtur potius in ea esse significatione, qua *micare digitis*, et ut supra, *equos micare auribus* dixit: et infra, 'ante omnia corpora Nisus Emicat:' ut simulacrum constiterit velut in pedes arrectum, et novo motu excitatum: quod prodigiosum esse augurum docebat disciplina. Cui interpretationi suffragari videtur vir hujus ætatis doctissimus Vatablus: qui eum locum Arist. Meteor. l. i. ἄλλο δ' ἐν μέρει συναφερόντας τῷ ἀναθυμωμένῳ πυρὶ, ita reddidit: *et alia in parte sursum una cum exhalante igni emicat*. Et Æn. xii. 'Emicat in currum:' et eodem: 'Emicat hic impune putans et corpore toto Alte sublatum consurgit Turnus in enssem.' Est igitur hic, *solo emicuit*, constitit, seseque in pedes erexit: ut Poëta antiquum Palladii situm, posituramque resperxit. Etenim Eustathius in eum Il. 2. locum, θεῶν ἀδελφεὶς ἐν γούνασιν ἠΐκομοιο; docet statuas Palladis sedentes semper exhibitas fuisse: κάθηται δὲ, inquit, ἀδελφεὶς ζῶντι καὶ ἐν γούνασι, καὶ μασσάλα, καὶ βέρη, καὶ χίψ. Hastam autem *tremantem*, δόρυ τρομαρὸν Poëtæ. German.

*Parumque ferens, hastamque totumque*  
[His enim signis Palladium a  
ceteris discebat, quod supra  
dictum est. *Servius*.]

*Parumque ferens, hastamque tre-*  
*mentum*] Manifestum signum se has-  
tam profecti dicam. *Donatus*.

*Parumque ferens, &c.*] Clypeum  
et hastam dicit Palladii bellorum pre-  
sidi, quod notum est etiam ex aliorum  
descriptionibus. *Pausanias* in *Attic.*  
'in manu est hasta, ad pedes scutum  
jacet, juxta hastam draco.' et *Eliac.*  
l. 'Minervam canide armatam, hasta  
et scuto Lacedaemonii Medontis esse  
opus memorant.' *Apulcius* l. x. 'ca-  
pite gulcum gerens, contextam olea-  
gina curam, clypeum attollens, has-  
tam quatiens.' Ab hac re facit  
etymologia Palladis, quem aliqui dic-  
tum volunt ἀπὸ τοῦ πᾶλλον τὸ δῆμι, a  
vibranda et concutienda hasta. Inde  
*Pind.* *Olymp.* *Od.* VII. ἀπὸ ἑχχῆσθ-  
μῃ, *pucella hastifera*, id est, Palladi:  
alii aliunde deducunt. Neque vero  
dubium, quin Poëta alludat ad mili-  
tarem armorum strepitum, qui ira-  
rum index. Simili prodigio *Philostratus*  
in *Heroicis* de *Ajace* tumulato:  
*βοήσας ἐκ τοῦ τόφου φρεσὶν καὶ ὀφθαλμοῖς*  
*λέγεται δὲ καὶ δονεῖται τοῖς ὄφθαλμοις, ὅπως*  
*ἐκ τοῦ πύχους εἰσὶν*: *Horrendum quid*  
*atque arduum ex tumulo clamabat; di-*  
*citur etiam armis obstrepuisse, ut sole-*  
*bant in praeliis.* *Cerda*.

176 *Tentanda aequora*] Si vel fugere  
post iram *Minervae* possint. *Servius*.

178 *Argis*] Adverbium in loco est.  
Quod autem ait, *Omina ni repentant*,  
respexit Romanum morem. Nam si  
egressi male pugnassent, reverteban-  
tur ad captanda rursus auguria. Item  
in constituendo tabernaculo, si pri-  
mum vitio captum esset, secundum  
eligebatur, quod si et secundum  
vitio captum esset, ad primum re-  
verti mos erat: tabernacula au-  
tem eligebantur ad captanda auspi-  
cia. Sed hoc servatum a ducibus  
Romanis, donec ab his in Italia pug-

natum est, propter violentiam: post-  
quam vero ministerium longius pro-  
latum est, ne dux ab exercitu distans  
absent, si Romanam ad renovanda  
auspicia de longinquo revertisset,  
constitutum, ut unus locus de captivo  
agro Romanus fieret, in ea provincia,  
in qua bellabatur, ad quem si renou-  
vari opus esset auspicia, dux rediret.  
*Servius*.

*Omina ni repentant Argis*] Id est,  
auspicia. Et sumptum hoc est ex  
disciplina Romana, ubi a ducibus,  
aut toto etiam exercitu domi repe-  
bantur auspicia, si quid male cecis-  
set publice. Hinc *Livius* l. VII.  
'Repetere auspicia,' dixit. Vide et  
*Tacitus* *Annal.* l. IV. Quod veteres  
redampiari dicebant; *Græci* ἀποκα-  
θάρτου. Vide et *Turneb.* VI. 31.  
*Tambmann*.

*Omina*] Non omnia: *Henr. Steph.*  
in lect. *Virgilianis* docet, hoc errore  
editiones plerasque laborare, qui loca  
non pauca emendavit. Sed de hoc  
dictum alio loco. *Emmenens*.

*Numenque reducant*] Aut pro Pal-  
ladio posuit *Numen*, ut, 'media inter  
numina divum,' aut *Numen*, *Miner-*  
*vam* dixit. *Servius*.

*Reducant*] Placent, reconciliant.  
*Idem*.

179 *Quod pelago*] Id est, Palla-  
dium. *Idem*.

*Atexere*] In Mediceo codice, et  
aliquot aliis, *atexere* legitur: ut ait,  
ex eodem loco, unde digressi prius  
auguria ceperant: invenias etiam  
*atexere*. *Pierius*.

180 *Vento petiers Mycenas*] Hic  
ostenditur illos navigasse. *Servius*.

*Mycenas*] Ne te turbet, nunc dic,  
petendas *Mycenas*, cum præcesserit,  
repetenda *Argis* omnia; nam quæ est  
potestas Poëtarum? Confugiunt sæpe  
illi ad loca vicinia; et tam *Mycenas*  
quam *Argos* sumunt pro *Græcia*,  
utramque urbem κατ' ἑξοχήν. Quid  
quod *Strabo* l. VII. ait, *Mycenas* et  
*Argos* propter vicinitatem a Poëtis



tragiciis unam eandemque urbem promiscue appellari? Euripides etiam in una eademque fabula eandem jam Argos, jam Mycenae appellat, ut in Iphigenia et Oreste. Quid quod idem Strabo l. ix. ait, Argos ex multorum opinione esse, *ὃ πάλω, ἀλλὰ τὸ τῶν Θεσσαλῶν πέδιον*: non urbem, sed campum Thesalorum: sic defendi potest Poëta. Nam quæ aliqui astruunt, ut signate omnia Argis repetantur, non aliunde, somnio simile. *Cerda.*

181 *Arma deoque parant comites*] Ingenti arte de futuro sollicitos facit, ut videatur periculum denanciando, secreta Argivorum prodere, quatenus præsentem firmet securitatem, ut eos faciat incautos. *Servius.*

*Arma*] Quasi dicat hoc contra Trojanos, ut reliqua faciat verisimilia. *Donatus.*

*Pelagoque remeant*] Phrasis sumpta ex Homero, *Odys.* xii. ἀναμετρήσαι χαρῖσθην, remetitur Charybdim: et *Odys.* iii. πέλαιος μέγα μετρήσωντες, magnum pelagus metientes. Theoc. ἀλα μετρήσασθαι, metiri salum. Apoll. Arg. ii. Ὁ μὲν ὅν προτέρω τε ἐμύπεον: Non ulterius metiebantur, et verrebant carula. Virg. Ge. iv. de Proteo: 'magnum qui piscibus æquor, Et juncto bipedum curru metitur equorum.' Ovidius quoque 'aquas metiri carina' dixit, ex observatione Germ. et maxime Henr. Steph. *Cerda.*

182 *Improvisi aderunt*] Sicut et factum est. Et artificiose, neque enim mentitur et tamen decipit. Nam verum metum falso metu abegit, et dum reversuros timent, non timent ne non abierint. *Servius.*

*Digerit omnia*] Interpretatur naminis commotionem; vel futuri ordinem pandit, id est, oraculorum; vel ordinat, et disponit. *Idem.*

*Digerit*] Potestas hujus vocis ad sacra videtur referenda, nam et in *Æn.* iii. de Sibylla: 'Quæcunque in foliis descripsit carmina Virgo, Digerit in numerum.' Quo pertinet nota

Gul. Cantor. Nov. Lect. i. 8. legentis hic omnia, non omnia. *Cerda.*

183 *Hanc pro Palladio moniti, pro numine læso*] Respondet ad interrogationem, 'Quo molem hanc humanis equi statuere?' *Servius.*

*Moniti*] A quo moniti? vel ab ipsa Pallade, vel ab Apolline, idque oraculo canente, si credimus Petronio in Halosi: 'Cum Delio præstante cæci vertices Idæ trahuntur, scissaque in molem cadunt Robora, minacem quæ figurabant equum.' Ergo moniti ab Apolline, Calchantis ore, nam Q. Calaber l. xii. Κάλχαντος ὁ λόγιος δαφφονι Τροίηνες ἴππων ἐκείνησαντο: Calchantis autem consilio bellicosæ Palladi Equum fabricati sunt. *Cerda.*

*Numine læso*] Verbum læso specialius tractum ad significandam injuriam factam cælestibus. *Ipse* Maro l. xii. 'Multa Jovem, et læsi testatus fœderis aras.' Juno apud Ovid. Metam. i. 'aut ego fallor, Aut ego lædor, ait.' Tertull. Apolog. 'possumus enim videri lædere eos, quos certi sumus omnino non esse,' est autem sermo de Diis gentium: exempla hæc addi possunt his, quæ nos alibi. *Idem.*

184 *Nefas quæ triste piaret*] Contaminati Palladii scilicet; piaret autem, expiaret. *Servius.*

*Nefas*] Sacrilegium Diomedis et Ulyssis. *Taubmann.*

185 *Immensam Calchas attol.*] Hoc est, Quis auctor, quæ machina belli? *Servius.*

*Hanc tamen immensam*] In Mediceo, hanc adeo immensam legitur: sed tamen receptum magis. *Pierius.*

*Immensam molem*] Seneca in Agamem. 'vidimus simulata dona molis immensæ.' *Cerda.*

186 *Roboribus*] Robor hic simpliciter pro ligno quovis accipit German. ex usu Latinorum, qui pro qualibet materia dura accipiunt. in Georg. 'cape saxa manu, cape robora pastor:' quemadmodum et 34v Græcis jam est lignum, jam arbor,

jam telum militare, quod Eustathius in Homer. multis locis observat. *Idem.*

*Calceque educere*] Signatur magnitudo *δρεπτομένης*: ita 'eductas cœlo tarres:' et, 'æqnata machina cœlo.' De tarre Babylonica ego: 'Concidit ætherias moles educta per auras: I nubes et magnum tempe, superbe, Deum.' *Idem.*

187 *Ne recipi portis, aut duci in mania possit*] Cum equi magnitudo necessaria ad recipiendos milites fuerit, inducendi equi desperationem facit, ut magis injiciat cupiditatem inducendi. *Servius.*

*Recipi portis*] Sallustius: 'Senatus a Bestia consultus est, placeretne legatos Jugarthæ recipi mœnibus.' *Cerda.*

*Recipi portis*] Scheff. ad Phædr. hoc verbum usurpari monet de loco tuto, f. iv. 6. 'ægre recepti:' noster Æn. i. 182. 'frugesque receptas:' i. e. periculo liberatas, ut Serv. inde *receptaculum*. *Emmen.*

188 *Antiqua sub religione*] Id est, loco Palladii secundum antiquam religionem, id est, favore pristino tutelam colenti populo præstare. Constat enim apud Trojanos, princepe loco Minervam cultam. *Servius.*

189 *Nam si vestra manus*] Quia occurrebat exurendum esse equum, si intro ferri, vel prodesse non poterat. *Idem.*

*Violasset*] Pro violaverit. *Idem.*

*Dona Min.*] Quæ Minervæ data sunt. Et minatur occulte, ne quis equum tentare audeat. *Idem.*

*Violasset dona Minervæ*] Violo tunc ponitur, cum rebus sacris vis inferretur: in xi. 'Veneris violavi vulnere dextram.' Diana etiam ad Camillam sibi sacram, his utitur: 'Nam quicumque tuam violarit vulnere corpus:' et iterum de eadem: 'Hoc quicumque sacrum violarit vulnere corpus:' ut hic *dona Minervæ*, ita Octaher l. xii. de hoc equo, *Τρωϊκὸν ἔκπυον*. *Cerda.*

190 *Quod di prius omen in ipsam*] Adeo se ostendit favere Trojanis, ut nomen etiam Græcorum exueretur. *Servius.*

*Ipsam*] Calchantem accipimus. Nam quasi Trojanus detestatur, quæ in illos ominose dicta sunt. *Idem.*

*Quod di prius*] Scil. Calchantem hujus consilii auctorem. Rejectio est cum detestatione: tale illud fere, Æn. viii. 'Dii capiti ipsius generique reservent!' vide Adag. 'Vates omen secum auferat.' Et, 'In tuum ipsius caput.' *Taubmann.*

*Quod di prius omen in ipsam concertant*] Pro quo Ovid. Met. vi. 212. 'Et me (quod in ipsam recidat) orbam Dixit.' et noster vi. 530. 'Dii talia Grajia instaurate,' &c. *Emmenes.*

191 *Phrygiusque*] In codic. aliquot antiquis, *Phrygiis* legitur: sed *Phrygius* emendatior omnino lectio est. *Pierius.*

192 *Adcoendisset*] Pro *ascenderis*. Ut, 'Scandit fatalis machina muros.' *Servius.*

193 *Ultrō*] Statim, mox. *Idem.*

*Asiam*] Asiaticos: ut, 'Latro dare terga sequaci.' Nam et paulo post, 'Urbem sepultam,' pro *civibus* ponit. *Idem.*

*Pelopea*] Argiva a Pelope. Unde et Peloponnesus. *Idem.*

*Pelopea mania*] Sic Stat. Theb. l. i. 'Pelopeia regna.' Ut hic *Asiam*, sic Stat. Achill. l. iii. *Europa* pro Græciæ. *Emmenes.*

194 *Nestros nepotes*] Utique Græcos posteros: an diasyrtyce, quasi Trojanus loquitur? *Servius.*

*Ea fata manere nepotes*] Græce, *μὲν οὖν σε κἀνδρ, ὀδωρτος, ἄλκῃ*. Stat. Achill. iii. 'Quid maneat populos, ubi tanta injuria primos Degressata duces?' *Emmenes.*

195 *Talibus insidiis*] Bene *insidiis*, ut ostendat non se virtute, sed insidiis esse superatos. Nam ideo subjecit, 'Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles, Non anni,' &c. *Servius.*

*Perjuri]* Quia dixit, *Vos æterni ignes*: et *perjuri* in verbo *r* non habet; nam *pejero* dicimus. Corrupta natura præpositionis, quæ res facit errorem, ut aliqui male dicant *pejuros*. *Idem*.

196 *Credita res]* Fides habita, aut commissæ respublica. *Idem*.

*Captivæ dolis]* Sicut dictum est, virtuti non cedit. Dolis dicit Trojanam esse superatam, non quod Trojanis victos esse turpe non fuerit: sed quod Græcis turpius vicisse per dolos. *Idem*.

*Coactis]* Id est, expressis: ut Terentius, 'Una mehercle falsa lacrymula, quam oculis terendo misere, vix vi expresserit.' *Idem*.

*Capti dolis lacrimisque]* Non poterat obijci Trojanis, cur ita creduli fuissent, quia juravit, et quia lacrimas veras credidimus esse. Ergo non virtute, non numero hominum, non diuturnitate belli, sed insidiis victi sumus. *Donatus*.

*Coactis]* Servius *coactis* legit, remque Terentii testimonio suffulcit. Nusquam tamen in veteribus exemplaribus id inveni, quanquam in Mediceo nescio quid hujusmodi abrasum in ejus dictionis fine discernitur. Quam vero Ovidii Synepeiam huc nonnulli citant, 'oculi lacrimis maduere coactis': longe diversa est a Virgiliana sententia. Nam ibi Ovidius de Procne loquitur, quæ, inspecto Ity filio, coacta sit maternæ pietatis impulsu lacrymare, fœdæ immanitatis, quam in eum parabat, sibi conscia, atque ideo dicit, 'Invitque oculi lacrimis maduere coactis.' In Sinone vero, quum lacrimæ dubio procul fictæ essent, ideo cogi eas necesse fuit: quia neque dolor, neque affectus ullus erat, qui sponte soleat lacrimas ciere; sed et Ti. Donatus *coactis* legit: si modo codex fidelis est. Utcunque tamen alii, atque alii senserint, minime absurdum mihi videtur, si legamus *capti dolis*, et *coacti lacrymis*, quo etiam

modo si legas apud Donatum, nihil quicquam ejus sententiam immutaveris. *Pierius*.

*Coactis]* Arte expressis, non autem sponte fluentibus. Propertius et complures alii pro lectione faciunt Serviana, eleg. 1. 15. 'Et fletum invitis ducere luminibus.' Juvenal. Sat. XIII. 133. 'vexare oculos humore coacto.' Petron. 'Manantes lacrimas pollice expressit:' ubi, nescio an male, legunt *extersit*: priori verbo utitur Ter. E. 1. 22. 'una mehercle falsa lacrimula, quam oculos terendo misere, vix vi expresserit.' Ovid. Met. VI. 628. 'Invitque oculi lacrimis maduere coactis.' Apulejus Metam. I. V. 'lacrimisque pressura palpebrarum coactis.' Euripides in Helena Græce effert ἐκβάλλεσθαι δάκρυα ποιεῖν τῷ πῶ. Amantibus auctor est Naso, ut hanc sibi artem propriam faciant Amor. eleg. 1. 8. 'Quin etiam discant oculi lacrimare coacti.' *Emmen*.

197 *Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles]* Bene utrique honorem virtutis dat, a quibus victus est. *Servius*.

*Larissæus Achilles]* A vicinitate. Nam Phthius fuit. Utraque tamen Thessaliæ civitas est: *Larissa* autem a Nympha Larissa est appellata, ex qua Neptunus creavit \* Pelago et Phthion. Achillem autem, Homerum secutus Phthiam non dicit, quem perhibent peregrinantem apud Phthiam, quod nullius esset humanitate susceptus, tali silentio inhospitalem damnassee civitatem. *Idem*.

*Larissæus Achilles]* Stephanus octo hujus nominis oppida fuisse docet. Sed hoc est *θεσσαλιας*: ubi male *τῆς* pro *πρώτης*: ἢ πρὸς τῇ πηνειῷ, ἢ Ἀκρίσιος ἐκτίσσε: aliquando *Iolcos*, ut Mela II. 3. hæc urbs appellata: in propinquo est Phthia, Achillis patria, inde propter vicinitatem pro ipsa patria: eodem nomine appellatur XI. 404. *Emmeness*.

198 *Non mille carinæ]* Quibus facta expeditio Græcorum. *Receptum*

jam, eas naves fuisse mille. Affirmat Æschyl. Agamem. *στόλον χίλιονάστων*, expeditionem mille navium. Enrip. in Androm. Propert. 'Et Danaum Euboico littore mille rates.' Ovid. in Laodom. ad Protes. 'Inter mille rates tua sit millesima puppis.' Seneca Agamem. 'Millesimam nunc ambit et lustrat ratem.' Plautus Bacchidib. de re Trojana loquens, ait, 'Millenum numero navium.' Livius l. XLV. loquens de Aulide, 'portum inclitum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis.' Seneca in Troad. 'mille ratibus.' Alii mire variant: aliud enim ab Homero colligas, aliud a Dicty: a priori si rationem subducas, invenies mille octoginta naves: a posteriore, mille ducentas octoginta quinque. Dares ait, fuisse naves mille, centum, et quadraginta. Notanda verba Varron. Rei Rust. II. 1. 'si, inquam, numerus non est ad amussim, ut non est, cum dicimus, mille naves iisse ad Trojam, centumvirale esse iudicium Romæ.' Certe Thucydides l. I. evertit testes, quos tibi attuli, et si quos alios reperias: et mirum profecto, tantam fuisse classem illo ævo. Itaque credo Virgilium, et alios locutos ex famæ opinione. Cum sententia autem Poëtæ congruit illud Ovid. de Hercule blanditiis domito: 'Quem non mille feræ, quem non Stheneleius hostis, Non potuit Juno vincere, vicit Amor.' Horat. in Epod. XVI. 'Altera jam teritur bellis civilibus ætas, Suis et ipsa Roma viribus ruit; Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi, Minacis aut Etrusca Porsenæ manus:' et plura in hanc sententiam. *Cerda.*

*Non mille carinæ*] Et numerum certum expressit pro incerto: 1. 500. 'mille oreades.' Stat. Achill. l. I. 'video jam mille carinis Ionium Ægæumque premi.' *κατάλογον νεῶν* tradit Homer. Iliad. B. 494. et seqq. *Emmence.*

199 *Hic*] Tunc. *Servius.*

*Hic*] Tunc, post: alii leg. *Ecce.* Taubmann.

*Majus miseriis multoque*] Ut, 'Et sale saxa sonabant.' Et, 'Casus Cassandra canebat.' Nam apud veteres a similibus incipere vitiosum non erat. Et notandum, quia, ut supra diximus, agit ne videatur vel Troja cecidisse viribus: vel Æneas voluntate fugisse. Hanc autem rem ostendit, ex accidentibus dolos Græcorum esse firmatos, cum dicit, etiam deos adversum Trojam fecisse. *Servius.*

*Hic aliud majus*] Nam vehementer dolos poterat confirmare hoc monstrum. *Donatus.*

*Hic aliud*] Nova narratio, et confirmatio erroris verisimilisque rei a secuto statim prodigio, ex antecedentibus causis apte accommodato. Atque hoc est, quod credulitatem Trojanorum purgare poterat. *Taubm.*

201 *Laocoon ductus Neptuno*] Ut Euphorion dicit, post adventum Græcorum sacerdos Neptuni lapidibus occisus est: quia sacrificiis, eorum non vetavit adventum. Post abscedentibus Græcis, quum vellent sacrificare Neptuno, Laocoon Thymbræi Apollinis sacerdos sorte ductus est; ut solet fieri, quum deest sacerdos certus. Hic placulum commiserat ante simulacrum numinis, cum Antiopa sua uxore coeundo. Et ob hoc, immissis draconibus, cum suis filiis interemptus est. Historia quidem hoc habet. Sed Poëta interpretatur ad Trojanorum excusationem, qui hoc ignorantes decepti sunt. Alii dicunt, quod post contemptum semel a Laomedonte Neptunum, certus ejus Sacerdos apud Trojam non fuit, unde putatur Neptunus etiam inimicus fuisse Trojanis, et quod illi meruerint, in Sacerdote monstrare; quod ipse alibi ostendit, dicens: 'Cupe-rem cum vertere ab imo Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ:' quod autem ad arcem ierunt

serpentes, vel ad templum Minervæ; aut quod et ipsa inimica Trojanis fuit; aut signum fuit perituræ civitatis. Sane Bacrifides de Laocoonte et uxore ejus, vel de serpentibus, a Calydonis insulis venientibus, atque in homines conversis, dicit. *Servius*.

*Sorte ductus*] Sic Salustius, 'Sorte ductos fusti necat.' *Idem*.

*Sorte*] In qua fuerat arbitrium divinum. Ergo debuit, nisi fuisset futurum exitum publicum, servare sacerdotem divina voluntate ductum: et non arbitrio humano mactantem taurum ingentem, id est, excellentem hostiam. *Donatus*.

*Ductus sorte*] *Æn.* vi. 'stat ductis sortibus urna:' quod notat Scal. iv. 16. *Taubmann*.

*Laocoon*] Dionys. Hal. l. i. fabulam citat Sophoclis, quæ dicta est *Λαοκώων*, et Aristophanis Scholiastes. *Servius* ait, depromptum hoc ex Euphorione. *Cerda*.

202 *Solennis aras*] Anniversario sacrificio religiosas. Dicimus autem et *sacrificium solenne*, et *aras solennes*: ut, *apricum*, et hominem et locum: ut, 'Aprici meminisse senes,' *Persius*. Contra *Horatius*, 'Cur apricum oderit campum.' Quidam dicunt, quod continuo quinquennio, sacrum eidem deo quotannis fuerit restauratum *solenne* dici, sive publicum fuerit, sive privatum. *Servius*.

*Taurum ingentem*] Non præter rationem est hoc loco *ingentem*: alibi, 'Jam cornu petat.' In victimis enim ista requiruntur. *Idem*.

*Mactabat*] Scilicet, ut Græcis mala naufragio provenirent. Quid autem sit *mactare*, in quarto libro innuimus: 'Mactat de more bidentes.' Sane sciendum rite Neptuno et Apollini tauros immolandos: nam Jovi non licere, ideo et in libro iii. prodigium dicit secutum. *Idem*.

203 *Ecce autem*] Cum ex improvviso vult aliquid ostendere, *Ecce* ponit, ut, 'Ecce autem, tellus Panthus:' sicut

*Cic.* 'Ecce autem repente obrio Cleomene esurientibus cæteris.' *Servius*.

*Ecce autem*] Per hoc significabatur hostes venturos a Tenedo. *Ecce* semper ponitur, ubi res horrenda et repentina significatur. Festinatio autem, et oculi ardentes, et lingue mobilitas demonstrabant alicui illos laturos interitum. *Donatus*.

*Ecce autem*] *Ecce autem* dicitur, cum repente triste aliquid intercedit lætis; aut certe cum aliud agitur et aliud emergit, quod novum est, et animo improvisum accidit: vide *Donat.* ad Ter. Ad. iv. 7. 4. *Phorm.* ii. 1. 34. *Emmenes*.

*Gemini*] Duo, et similes. *Gemini* autem proprie sunt duo fratres, simul nati. *Servius*.

*A Tenedo*] Ideo quod significarent naves inde venturas. *Idem*.

*Tranquilla per alta*] Absolute dixit. *Idem*.

*Tranquilla per alta*] *Petronius* de hoc prodigio verba faciens inquit, in eleganti Trojana halosi, *tranquillo* simpliciter. Notanda hæc locutio, cui similis est, quæ occurrit xii. 906. 'Tum lapis ipse viri occusum per tæne volutus:' plura profert *Veckmerus* *Hellenol.* p. 40. *Emmenes*.

204 *Horresco referens*] Etiam referens, quod tum vidissem. *Servius*.

*Horresco referens*] *Idæus* inest: si narratio horrorem incutiat, quanto magis anguium conspectus. *Sil. Italic.* l. vi. ubi agit de Serpente, in vias centum porrecto, simili utitur formula: 'Horror mente redit.' *Emmenes*.

*Immensis orbitibus*] Pro immensorum orbium. *Servius*.

*Immensis orbitibus*] *Ἰστροδρόμης* Serpenti. Atque hæc latius exsequitur Q. Calaber *Paralip.* *Homer.* l. xii. Videatur et *Cæli Rhodig. Antiq. Lect.* viii. 13. *Ovid. Met.* iii. 'Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet, et immenso saltu sinuatur in arcus.' *Taubmann*.

*Angues*] *Angues*, aquarum sunt:

*Serpentes terrarum: Dracones templo-*  
rum; ut in hoc indicat loco: 'Angues  
tranquilla per alta.' Paulo post in  
terra, 'Serpens amplexus.' Item,  
'Delubra ad summa dracones.' Sed  
hæc significatio plerumque confundi-  
tar. Horum sane draconum nomina,  
Sophocles in Laocoonte dicit. *Serv.*

*Gemini angues*] Pro eo Petronius,  
'angues geminis orbibus ferunt ad  
saxa fluctus:' quos appellaverunt  
*Porcæ* et *Charibææ*, ut Turneb. xvii.  
4. ex interprete Lycophroni. *Emm.*

205 *Pelago*] Per pelagus. *Servius.*

206 *Pectora arrecta*] Petronius:  
'tumida quorum pectora, rates ut  
altæ, lateribus spumas agunt.' *Emm.*  
*Jubæ*] Aut cristæ, aut barbæ. *Ju-*  
*bæ* autem proprie equorum sunt.  
Plautus in Amphitruone, 'Angues ju-  
bati.' *Servius.*

*Jubæque*] Hic per *jubæ* cristas ser-  
pentinum accipiunt aliqui. *Jubæ* enim  
cum propriæ sint equorum, ad alia  
cum tradactæ usu tam Græco quam  
Latino. Homerus et Latini leoni  
passim dant: Plinius viii. 15. Bi-  
sontes vocat *jubatos*: et c. 34. de  
fera alia: 'jubata cervix:' homini  
Homerus creberrime: frondibus non-  
nulli, virgaltia, arboribus dant *jubæ*:  
nam apud Athen. Archestratus cina-  
ræ acanthæ (genus est vepreti) pap-  
pos *χαίτης* vocat: et Nicand. in The-  
riac. calaminthum *χαίτησσαν* nomi-  
nat: *jubatam, comantem*. Ergo Poëtæ  
quoque placitum ad angues referre.  
Sic etiam auctoris, qui ad Heren.  
'iste quotidie per forum medium,  
tanquam jubatus draco, serpit.' Li-  
vius l. xliii. inter prodigia memorat,  
'in æde Fortunæ anguem jubatam a  
compluribus visum esse:' unde lux  
Virgilio, qui suos angues jubatos  
singt in re prodigiosa. Redeo. Pin-  
darus Pyth. od. x. draconibus dat  
*φάλας, comas*, quas interpretes red-  
dunt, *cristas*. Nisi malis proprie ac-  
cipere Pindarum, et ita explicare  
Virgilium, ut *jubatus anguis* sit crini-

tus, hirsutusque propter crines, pen-  
dentes a collo. Negant enim cristas  
esse serpentibus. Plinius xi. 37. ita  
ait: 'draconum enim cristas qui vi-  
derit, non reperitur.' Ergo dica-  
mus, *jubæ* Virgilianas vel proprie  
pro hirsutie crinium; vel pro cristis  
certe in re prodigiosa, ut in Livio.  
Sic etiam capiendus Plautus Amphit.  
'devolant angues jubati.' Loquitur  
enim de prodigiosis anguibz Hercu-  
lia. Juba enim Latinis, et *χαίτη*  
Græcis, tantum signat hirsutiem cri-  
nium, et qui cristas daret draconibus,  
neminem reperi, præter unum Euri-  
pidem, qui in Phœniis. *φαινωκλόφοιο*  
*δράκοντος*. Ad hunc aspirasse Virgi-  
lium credamus: nam *δράκων φαινωκ-*  
*λόφος* est, *draco habens cristam rubram*  
*sanguineamque*. Nævius in Lycurgo  
dixit, 'alte jubatos angues:' nescio  
an in re prodigiosa. *Cerda.*

207 *Sanguineæ*] Sanguinei coloris.  
*Servius.*

*Jubæque Sanguineæ*] Eodem modo  
ut Eurip. in Phœniis. *δράκοντα* ap-  
pellat *φαινωκλόφον*, ut Germanus hic:  
etiam Petronius jubarum infert men-  
tionem: 'liberæ ponto jubæ consen-  
tiunt luminibus:' pro *sanguineis jubis*.  
Apulejus Metam. l. v. 'inmanem co-  
lubrum veneno noxio colla sanguinan-  
tem.' *Emmeness.*

*Exsuperant undas*] In veteribus ali-  
quot exemplaribus legere est, *superant*  
*undis*. In Mediceo, *asperant undas*:  
sed enim *exsuperant* longe majus  
quiddam ostendat. *Pierius.*

208 *Pone*] *Post*, semper in loco,  
nunquam in tempore. *Servius.*

*Legit*] Transit: ut, 'Litora que  
Epiri legimus.' *Idem.*

*Sinuat*] Curvat, flectit in sinus. Ut  
a fluctu *fluctuat*: sic in Ge. 'sinuat-  
que alterna volumina crurum.' *Idem.*

*Sinuantque*] In codicibus plerisque  
pervetustis legitur *sinuant* pluralita-  
tis numero: quippe angues toti: quæ  
lectio, carminis etiam tonum reddit  
canorum magis, quam *sinuat*. *Pierius.*

*Sinuantque immensa volumine terga*] Placitum hic subungere ad imitationem Poëseos, uti alii extulerint hanc serpentium conglobationem in spiras. Ruf. Avien. 'sic agmina cœlo Lubrica convolvit, sic spiras pendula torquet.' Est illi sermo de cœlesti angue. Ovid. Met. III. 'Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet, et immenso saltu sinuatur in artus.' Ibidem: 'caput in sua terga retorait.' Et adhuc: 'Ipse modo immensum spiris facientibus orbem Cingitur.' Claudian. 'sinuosa draconum Membra.' Seneca in Med. 'Tumidumque nodis corpus agrestis plicat, Cogitque in orbes.' Flac. in Arg. 'cauda redit.' Sidonius ad Felicem, 'angues corporibus voluminosis.' Orosius IV. 8. loquens de serpente: 'circumfert latera.' Omnes quid referam? satis loca Virg. hæc: 'sinuatque immensa volumine terga.' In Gr. 'Squameus in spiram tractu se colligit anguis.' In Culice: 'Squamosos late torquebat motibus orbes:' et infra in hoc lib. 'Lubrica convolvit sublato pectore terga.' Porro conglobationes istæ nomen dederunt scuto apud Græcos. Est enim illis scutum *ἀοῦς*, a figura aspidis flexi in orbes. *Cerda*.

209 *Fit sonitus*] Ut ostenderet serpentum magnitudinem, quorum in lapsu fluctus movebantur, quia ait, 'tranquilla per alta.' *Servius*.

*Salo*] Dicimus et *Salum*, unde est *Sal*: et *sal salis*; ut, 'Et sale tabentes artus in littore ponunt.' *Idem*.

*Salo*] *Salum* est maris pars a portu remotior: inde naves dicuntur *stare*, *commorari in salo*: aliud *salo* et *nausea* confici, pro crebra jactatione fatigari. Vide Not. Æn. I. 541. *Emmenes*.

*Jamque arva tenebant*] Hic *arva* pro *litora* posuit: nam *arva* sunt quæ Græcis *ἄρουρα* sunt dicta: et bene, celeritas demonstrata est. *Servius*.

210 *Suffecti*] Pro *infecti*; ut *conmixta*, pro *enixa*, vel certe inferiorem

oculorum partem habentes infectam: et est figura, *oculos infecti*: id est, suffecti oculi, et suffusos oculos habentes. *Idem*.

*Suffecti sanguine et igni*] Ovid. de suo serpente: 'igne micant oculi.' et de suo Flaccus: 'stellantia glauca Lumina nube tremunt.' Aristophan. in Vespis: *Ὁ δεινότερος μὲν ἐκ ὀφθαλμῶν κυνῆς ἀκτίνες ἐλαμπρον*: *Cujus terribiles oculi fulgebant in fronte canina*. Eusebius contra Hieroclem de quibusdam serpentibus, *ὃν ἀπὸ κεφαλῆς λαμπρὰς ἀποβλύττοται πυρὶς*: *ex quorum capitibus ignei fulgores scintillant*: deinde nescio qui atrocius *suffecti*, quam *infecti*: saltem vulgus sequi noluit, et exquisite dixit. *Cerda*.

211 *Sibila*] Id est, sibilantia: nam participium est. Cum enim nomen est, *sibilus* dicimus: ut, 'Nam neque me tantum venientis sibilus austri.' *Servius*.

*Sibila lambebant*] Hesiod. in Theog. ubi sermo est de serpentibus, *γλῶσσοισι (ait) θροφεῖσσι λελεικυβότες, linguis nigris lambentes*. Lucan. I. IX. 'Stridula fuderunt vibratis sibila linguis.' Ammianus I. XVI. describens in pompa illa, qua Constantius ingressus est Romam, insignia militum, hæc ait de draconibus, qui a multis gestabantur: 'hiatu vasto perflatile, et ideo velut ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.' Aristophanes in Pluto, *συρίαντες*. Hippocrates in epist. loquens de draconibus: *καὶ τὶ φρικώδες ὡς ἐν ἐρημίᾳ καὶ νύκτι κολήσῃν θροσφυζόντες*: *Horrendum quiddam velut in solitudinibus, et cavis vallibus subsibilantes*. Adeo autem proprium serpentium sibilus, ut serpens, qui Græcis basiliscus dicitur, Latinis dicatur vel *regulus*, vel *sibilus*, quod scribit Isidor. XII. 4. Quin *ἀοῦς* Græcis dictus ab a intentiva particula, et *σείω* extendo, propter vehementem sibilum. *Cerda*.

*Sibila*] Sic 'sibila colla' Ge. III.

421. duo adjectiva conjunguntur, ut 'tranquilla per alta' vs. 203. vide illic quæ notata sint. *Sibilus* adjectivum est: in hoc Virgiliti 'venientis sibilus austri' subaudiendum *stridor*, docente Sanctio in Minerva p. 342. Nostrum denno exprimit Petronius, 'Sibilisque undæ tremunt.' Adi notas nostras Ecl. v. 82. *Emmeness*.

*Vibrantibus*] Mobilibus. Quia nullum animal tanta celeritate linguam movet; adeo ut triplicem linguam habere videatur, cum una sit. Hos dracones Lysimachus, Curiffu et Peribæam dicit: filios vero Laocoontis, Ethronem et Melanthum Thessandrus dicit. *Servius*.

*Linguis vibrantibus*] Ita Plinius de lingua serpentium epist. xi. 37. 'tenerrima serpentibus et trisulca, vibrans, atri coloris.' Lucret. l. iii. 'Quin etiam tibi si lingua vibrante minantem Serpentem.' Hic per *vibrationem* accipio linguæ volubilitatem, qua sibila formabant percussis dentibus. Nam et ab Apulejo Florid. ii. psittaco etiam datur: 'discit autem statim pullus usque ad duos ætatis sæe annos, dum facile os, uti conformetur: cum tenera lingua, uti convibretur.' Ab hac percussione lingua ipsa dicta *πληκτρον*, ἀπὸ τοῦ πληττειν. Apulejus ibidem de eodem psittaco: 'patientiore plectro, et palato,' hoc est, patientiore et latiore lingua. Cicero etiam Natur. Deor. ii. 'plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum, dentes.' *Cerda*.

*Vibrantibus*] Absolute apud nostrum libro ix. 'vibranti gladio:' et libro x. 'vibranti ictu.' Cic. pro Milone: 'vibrante corpore.' Petronius: 'credentes facilius poemæ extrui posse, quam controversiam sententiosis vibrantibus pictam.' Ovid. Metam. iii. 34. 'Tresque vibrant linguæ:' plura ad eum locum Nobilius. Heinsius notavit. *Emmeness*.

212 *Exsangues*] Timentes; nam ideo timentes pallescent, quia ante exsangues fiunt. *Servius*.

*Diffugimus visu exsangues*] Notat pallorem, qui fit abeunte e membris sanguine. Cicero ex antiquo Poëta, 'pallent ora timentium.' Contra Plantus Bacchidib. 'plenos sanguinis' dixit, ad signandos audaces, præfidentes, animosos. *Cerda*.

*Exsangues*] Nota timoris effectum. Petron. 'interque nostrum tam inexpectato ictus sono amiserat sanguinem.' *Emmeness*.

*Agmine certo*] Itinere, impetu: ut, 'Leni fluit agmine Tibris;' vel tractu corporis, ut, 'extremæque agmine caudæ.' *Servius*.

*Agmine*] *Agmen* dicitur actus serpentum. *Cursus* enim et *iter*, pedum est, quibus carent serpentes. *Donat*.

*Illi agmine certo*] Infra l. v. 'Ille agmine longo, Tandem inter pateras, et lævia pocula serpens.' *Germanus*.

213 *Laocoonta*] Etsi a filiis ejus incipiunt, Laocoonta petunt. *Servius*.

*Laocoonta*] Exprimitur deorum impietas. Sacerdos enim in ipso sacrificio petitur, sed primo in ejus conspectu filii crudelissime interficiuntur, parvuli et insontes. Cætera serpentum descriptio crudelitatem designat. *Donatus*.

*Laocoonta*] Talem de Laocoonte narrat fabulam Hyginus, quem vide fab. 135. 'Laocoon, Acætis filius, Anchisæ frater, Apollinis Sacerdos, contra voluntatem Apollinis cum uxorem duxisset, atque liberos procreasset, sorte ductus, ut sacrum faceret Neptuno ad litus. Apollo, occasione data, a Tenedo per finctus maris dracones misit duos, qui filios ejus Antiphantem et Thymbræum necarent, quibus Laocoon cum auxilium ferre vellet, ipsum quoque nexum necaverunt. Quod Phryges idcirco factum putarent, quod Laocoon hastam in equum Trojanum miserit.' *Emmeness*.

215 *Implicat*] Hoc ad molliciem infantium corporis dixit. *Servius*.

*Depascitur*] Ut diximus supra, et pasci et *pascor* unius significationis



sunt: ut, 'Atque artus depascitur arida febris.' *Idem.*

216 *Post ipsum, &c.*] Hoc ita Petronius: 'Accumulat ecce liberum funus parens, infirmus auxiliator: invadunt virum.' *Emmeness.*

217 *Spiris*] Nodis. Unde et bases columnarum, *spirula* dicuntur. Nam proprie *spiræ* sunt volubilitas funium. Inde et posteriora serpentium, *spiræ* dicuntur; quæ sic involvantur in gyrum, ut funes. *Servius.*

*Spirisque ligant*] Ubi de filiis loquitur Petronius, hoc etiam utitur verbo: 'gemina nati pignora, angues corusci tergoribus ligant.' *Emmen.*

218 *Squamea*] Pro *squamosa*: ut *frondea* pro *frondosa*, et est figuratum: *Squamea terga collo circumdati.* *Serv.*

*Circum terga dati*] Frequens decor ex tmesi. Scalig. iv. 16. *Taubm.*

220 *Simul*] Modo adverbium temporis est, significat enim *eo tempore*. Et est ordo: *simul manibus tendit dicellere nodos: Simul clamores horrendos ad sidera tollit, Perfusus sanie vittas, atque veneno.* Et vide genus mortis totum ad supplicium procuratum. *Servius.*

*Tendit*] Contendit. *Idem.*

*Tendit*] Sic legit Nobiliss. Heins. locum Ovid. *Metam.* xi. 593. pro *tentabat invadere*, *tendebat.* *Emmen.*

*Dicellere*] Vetera quædam exemplaria, *decellere* habent: sed id vitio temporum. *Pierius.*

*Nodos*] Vide copiam veri Poëtæ: orbes dixerat, *spiras*, *volumina*, ad hæc, verba *sinuant*, *amplexi*, *implicant*, *circumducunt*, jam *nodos*, quid plura potuit? Plinius viii. 12. draconibus dat *nodos*, Æschylus dixit *δρόνους πλεχτάνας*, intelligens *spiras*. Lucianus, Saïdas, et alii *δακύνες*, multi *πλεχτάνας*. *Cerda.*

221 *Perfusus vittas*] Perfusus vittas habens, et est interpositus versus. Nam potest tolli, salvo sensu. *Serv.*

*Sanie*] Pro sanguine, nam *sanies* corruptus sanguis. *Idem.*

*Atque veneno*] Ut 'pallida mors:'

vel 'tristis senectus.' *Idem.*

222 *Tollit*] Bis accipio: *tollit Læcon, tollit taurus.* *Donatus.*

223 *Quales mugitus*] Facta autem comparatio est propter sacerdotis personam. *Servius.*

*Quales mugitus*] Allusit ad taurum, quia sacrificabatur taurus. *Donatus.*

*Quales mugitus*] Duo attingit omnia, quæ adversa in sacrificiis, taurorum mugitum, et fugam. Prioris parcius mentio. Ovid. *Met.* vii. 'Mugitus victima diros Edidit.' Apollonius Excidii l. ii. 'Hostia vincita tremit, mugituque aëra tristi Perculit.' Posterioris frequentior. Plinius viii. 45. 'nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari, nec trahente se ab aris.' Sueton. in Tite, c. 10. 'Sabino petit aliquanto tristior, quod sacrificanti hostia aufugerat.' Lucan. l. vii. 'Admotus superis discussa fugit ab ara Taurus.' Val. i. 6. ubi agit de Pompejo, 'Cæum Pompejum Juppiter omnipotens abunde monuerat, ne cum C. Cæsare ultimam belli sortem experiri contenderet, ab ipsi altaribus hostiarum fuga.' Tac. de Vitellio Hist. l. iii. 'Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, dijecto sacrificiū apparatu, longe, ubi feriri hostias mos est, confossus.' Liv. i. Pun. 'immolanti ei vitulus jam ictus a manibus sacrificantium sese cum propiuiisset, multos circumstantes crnore resperxit.' Utriusque meminit Silius l. v. 'Nec rauco taurus cessavit flebile ad aras Immagire sono, pressamque ad colla bipennem Incerta cervice ferens altaria liquit.' et Paulus etiam: 'Pacularia aspicias appellabant, quæ sacrificanti tristia portendebant: cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset.' Vide quæ ex Festo restituit Scaliger. *Cerda.*

*Quales mugitus*] Tollit clamores similes mugitibus tauri, qui ab ara fugit saucius. Facta autem hæc est comparatio, propter sacerdotis per-

sonara. Docet Turnebus xv. 12. hostias primum securibus aut clavis cæsas, deinde prostratas suppositis cultris jugulatas a victimariis fuisse: quem vide: ut et vi. 21. immo etiam xxvii. 21. ubi de *Turebolio* agit, et *Cresbolio*, hoc est, sacrificia tanrorum et arietum, qui dejecti sunt immolandi. Ovid. Met. vii. 'feriantque sece res Colla torosa boum vincitorum cornua vittis.' Florus l. iii. 'Nec gladio, sed ut victimas, securi percussant.' Vide Brisson. Form. l. i. Hanc autem Comparationem cum Homerica contendit Macrobius. iii. 14. sed accuratius Scaliger Poët. iii. 3. Denique Plinius xxxvi. 5. memorat hoc simulacrum Laocæontis e solido marmore Romæ in Titi palatio ab se visum, opus omnibus picturis et signis merito anteponendum. Traditque Nascimbænius hodieque suspensum, sed non integrum. *Turnebus*.

*Qualis mugitus*] De inmani vociferatione comparatio non invenusta. Apulejus Metam. l. viii. 'rugitus firmos iterans' habet, pro quo restituit Pricæus *mugitus*: qui plura ad illum locum congestit. *Emmenius*.

*Ara*] Antiqui codices pene omnes cum Mediceo *aræ* unitatis numero legunt: quæ quidem lectio mihi castior videtur, quam *aræ*. Pierius.

224 *Incertam*] Dubie inliam: quæ non haberet mortis effectum: inde et *excussit*. Servius.

*Cervicæ*] Cervicem feriebant. Quod locus probat Horatii od. iii. 23. 'Aut crescit Albanis in herbis Victima, pontificum secureis Cervicæ tinget.' Adi Torrentium rationes ponderantem et inquirentem ex Anatomicis. Ovid. Fast. iv. 415. 'Apta jago cervix non est ferienda securi.' *Emmenius*.

*Securim*] Observat Germ. innsi Butypson; is erat minister, qui securi bovem cædebat in sacris. Interpres Apollon. *Βούτυνας τοῦ θυμίουτος βοῦς ἐν πύλαις τῶν τε καὶ ἀρχόντων*. Indo

Ovidius Trist. iv. 2. 'Candidaque addacta collum percussa securi Victima purpureo sanguine tingit humum.' Indicant ista, fuisse securim proprium admodum sacrificantium instrumentum: quod et Prudentius firmat canens in Apotheosi: 'Pontificum festis ferienda securibus illic Agmina vaccarum steterant.' *Cerda*.

225 *At gemini*] Non inertia sua decepti sunt a Sinone, sed iniquo deorum studio, præsertim Minervæ. Petitus est Laocoön, qui equum vulneraverat; et dracones ad simulacrum deum refugerant. *Donatus*.

*Lapsum*] Labi proprie serpentum est. *Servius*.

*Delubra*] *Delubrum* dicitur, quod uno tecto plura complectitur numina: quia uno tecto diluitur: ut Capitolium, in quo est Minerva, Jupiter, Juno. Alii, ut Cincius, *delubrum* esse locum ante templum, ubi aqua currit, a *diluvio*. Est autem synecdoche, id est, a parte totum. Varro autem Rerum divinarum l. xxvii. *delubrum* esse dicit, aut ubi plura numina sub uno tecto sunt, ut Capitolium, aut ubi præter ædem area sit adsumpta deum causa, ut in circo Flaminio Jovi Statori: aut in quo loco dei dicatum sit simulacrum: ut in quo figunt candelam *candelabrum* appellant, sic in quo deum ponant, *delubrum* dicant. Ergo hic cum dicit, *delubra ad summa dracones*, ut esset manifestatum, subtexuit, *dei simulacrum*: adjecit enim, 'Sævæque petunt Tritonidis arcem:' nec prætermisit quia dei nomen adderet dicens, 'Sub pedibusque dææ clipeique sub orbe teguntur;' ne sine ratione *delubri* nomen intulisse videretur. Massurius Sabinius: '*delubrum* effigies a delibratione corticis, nam antiqui felicitum arborum ramos, cortice detracto, in effigies deorum formabant: unde Græci *ἑλάνος* dicunt.' Alii *delubrum* dicunt templum, ab eo, quod nulli junctum edificio pluvia diluatur. *Idem*.

226 *Sævaque*] Fortis aut nobilis, aut ad tempus epitheton additum, aut *sæva* circa Trojanos. *Idem*.

227 *Sub pedibusque Deæ*] Scilicet majoris simulacri: quod a cunctis videtur. Nam quod colitur, et breve est et latet: sicut Palladium fuerat. Non ergo contrarium est, quod post raptum Palladium intulit *deæ*. Sane hoc loco, *sub*, particulam, secundo repetendo, utrique casui junxit: accusativo cum *prope* significavit, ut sit, *prope pedes deæ, et sub orbe clipei teguntur*: ablativo, id est, infra orbem: ut, 'Sæpe sub immotis præsepibus.' *Idem*.

*Sub pedibusque Deæ, &c.*] Moris fuit antiquorum, ad pedes Deorum effingere monstra, ab ipsis domita. Sic Callimachus Argis induxit signum Jnonis, 'subjecto pedibus ejus corio leonino.' Verba sunt Tertull. de corona militis. Sed inprimis draco ad pedes Palladis effectus est. Pausan. Attic. loquens de Pallade: πρὸς τοῖς ποσὶν ἀσπίς τε κεῖται, καὶ πλησίον τοῦ δόρατος δράκων ἔστιν: *Jacet ad pedes clipeus, ad imam hastam draco*. Plutarchus de Iside et Osir. τὸ δὲ τῆς Ἀθηνῶς τὸν δράκοντα Φειδίας παρέθηκε: *Mineceæ simulacro draconem Phidias apposuit*. Ibidem numerans varia animalia sacra variis Diis, inter alia, τὸν δράκοντα τῆς Ἀθηνῶς. Huc pertinet, quod de ærea sphinge sub cuspidē Palladis narrat Plin. xxxvi. 5. Quam tamen sphingem Pausanias Att. in galea ejus Deæ constituit. Itaque pictura veterum, quæ ad pedes Palladis draconem constituit, docet satis, ex eo more locutum Poëtam, nullius eruditionis ignarum. Hinc, credo, dictum ab Accio in Eriphyla: 'Pallas bicorpor anguium spiras trahit.' Et quis scit, an gentiles religionem hanc assumpserint a vagante fama Luciferi, domiti ab Michaële, atque ad ejus pedes sub forma colubri prostrati? *Cerda*.

*Clipeique sub orbe teguntur*] Hoc

ipso magnitudo clipei indicatur. Putant aliqui, clypeos dictos, ἀπὸ τοῦ κλύπτειν, vel ἀπὸ τοῦ καλύπτειν, quod *celent, tegantque* corpus: quibus non nihil videtur favere carmen hoc Maronis. Sunt, qui sequantur Plinium, xxxv. 3. qui ait, 'scutis enim, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines, unde et nomen habuere clypeorum: non, ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit, a cluendo.' Dicit porro, dictos clypeos ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quod imaginibus cælati et sculpti essent. *Cerda*.

*Clipei sub orbe*] Bene. *Clipei* enim rotundi erant et in orbem relati: contra, *scuta* in longum exhibant, παρὰ τὸ σκύτρος, id est, a *loro*, e quo facta. Ita et Græci *clipecos rotundos* vocabant ἀσπίδας ἐγκύκλους: at *θυρεοὺς, scuta*. Vide J. Lipsii de Milit. Rom. Dial. III. 2. *Taubmann*.

228 *Tum vero*] *Tum* magis. Nam supra dixerat, 'horresco referens.' *Donat*.

*Novus*] Ant magnus, ut, 'Pollio et ipse facit nova carmina'; aut repentinus, aut novi generis, id est, qualis nunquam antea. *Servius*.

*Cunctis*] Quia ante interemptum Laocoonta dixit tinnuisse; nisi eos, qui viderant angues, post ejus interitum cunctos dixit, qui Sacerdotem extinctum cognovissent. *Idem*.

*Per pectora cunctis insinuat pavor*] Locus timoris pectus: Nævius citatus a Nonio: 'Magoi metus tamultus pectora possidet.' Accius Epigonis: 'pavorem hunc meum expectora,' id est, ejice a pectore. *Cerda*.

229 *Insinuat*] *Insinuat*ur. Clodius scriba commentariorum, 'Insinuem intro eam penitus.' *Servius*.

*Insinuat*] Subaudi, *se*, ex doctrina Budæi et Scaligeri: ita *præcipitat*, et *avertit*, pro, *præcipitat se, avertit se*. Non apte vulgares Grammatici explicant, *insinuat, præcipitat, avertit*, id est, *insinuat*ur, *præcipitatur, avertit*ur: quasi verbum activum possit

habere passivam significationem. Budæi ratio alibi a me adducta. Ita infra, 'accingant omnes operi,' id est, *accingunt se*: et 'lateri agglomerant nostro,' pro *agglomerant se*. *Cerda*.

*Insinuat*] Absolute, ut Vechner. Hellenolex. l. i. Lucret. l. v. 'Et quibus ille modis divum metus insinuarit Pectora.' *Emmeness*.

*Scelus*] Supplicium: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Servius*.

*Et scelus*] Nam ex hac conjectura argumentum ducebant. *Donatus*.

*Expensis*] Tractum est a pecunia. Nam apud majores, pecuniarias pœnas constat fuisse, cum adhuc rudi ære pecunia ponderaretur; quod ad capitum pœnam de jure usurpatum est. An quia utriusque rei debitor *reus* dicitur, quis ante hunc *expensis* pro luise? *Servius*.

230 *Sacrum robur*] Non ut supra *lignum*. Et notandum, quot nominibus hunc equum appellet, *lignum*, *machinam*, *monstrum*, *dolum*, *pinæ claustra*, *donum*, *molem*, *equum*, *sacrum robur*. *Idem*.

231 *Tergo*] Quare *tergo*, cum dixerit *in latus* et *in alvum*? Ergo *tergo* quasi per significationem equi accipimus. Quidam *tergo* quasi a *tergo* suo accipiunt: tum quia Laocoon manu reducta a *tergo* suo, jecerit telum: ut est, 'Ecce aliud summa telum librabat ab aure.' *Servius*.

*Sceleratam*] Pro ipse *sceleratus*: ut, 'Telumque imbelles,' et est Hypallage. *Idem*.

*Sceleratam*] Vult Nasc. fieri allusionem ad hastam sceleratam, quæ, Romano more, ante urbium expugnationem ab Imperatoribus, in hostium conspectu, poni solebat, quæ illius excidium significaret. *Cerda*.

*Intorserit*] Id verbum et Tacito usurpatum Ann. iv. 'se ad intorquenda pila expedierat vetus miles.' *Idem*.

232 *Ducendum ad sedes*] Eadem om-

nium, ex cæde Laocœontis, fuit sententia, et concordii voce clamabant. *Donatus*.

*Sedes*] Per hoc ostendit domum Minervæ. *Servius*.

*Ducendum ad sedes*, &c.] Conclusio, in quam omnes ivere. Verissime Curt. l. iv. 'nulla res efficacius multitudinem regit, quam superstitio: alioqui impotens, sæva, mutabilis. Ubi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret.' Verissime Livius l. xxxix. 'Nihil in speciem fallacius est, quam prava religio, ubi Deorum numen prætenditur sceleribus.' Verissime Mariana hist. Hisp. ix. 18. 'Nihil tenacius inhæret, quam quod religionis specie defenditur.' Verissime Lucretius l. i. 'Tantum religio potuit suadere malorum.' Dissidebant prius Trojani, sed ubi fraudibus Sinonis religio Minervæ, et superstitio vana accessit, omnes conclamant, equum ad arcem ducendum. Eurip. in Troad. de hac eadem re: 'Ἀνὰ δ' ἑβόασεν λαὸς . . . Τὸ δ' ἱερὸν ἀνέγχετο ξόανον 'Ιλιάδι διογενεὶ κόρη. Exclamavit vero populus, Hoc sacrum subducite simulacrum Iliacæ Jovæ genitæ Palladi. Ut Poëta *ducendum*, pari verbo Calaber l. xii. de hoc equo, Τρωανδὶ δῶρον ἔγχεσθαι. *Cerda*.

*Oranda*] Placanda. *Servius*.

233 *Conclamant*] Una scilicet voce et bene de peritura civitate, *conclamant*, dixit, quia semper res perditæ, *conclamata* dicuntur. *Idem*.

234 *Dividimus muros*] Plena describitur Trojanorum dementia. Nam quo tempore bellum nec positum fuerat, nec sopitum, muros dividebant. *Donatus*.

*Muros*] Superpositos Scææ portæ. Nam sequitur, 'Quater ipse in limine portæ.' *Servius*.

*Mœnia pandimus urbis*] Non est iteratio. Nam dicit, patefacta porta vel diruta, interiora civitatis esse nudata: ergo *mœnia* cætera urbis tecta, ut aëdes: vel aëdes accipiendum. *Idem*.

*Diuidimus muros et mœnia pandimus urbis*] Nec Thorius putat, nec ego, ex abundanti muros et *mœnia* eodem spiritu a Marone contexta: nam etsi hæc duæ voces confundantur interdum, tamen *muros* proprie pro ambitu lapideo accipio, urbem cogente: *mœnia* autem, a *muniendo* et *mœniendo* dicta, non tantum urbis esse, sed etiam munitionem castrorum, et aliorum ædificiorum, ex illo Cæsar bel. civil. II. 'Cum pene ædificata in muris ab exercitu nostro mœnia viderentur:' et Virg. *Æn.* IX. 'Ingenti clamore per omnes Condunt se Tencri portas, et mœnia complent.' Unde et Plautus in *Bacch.* IV. 9. 2. 'Cum Priami patriam Pergamum divina mœnium manu:' et Luer. *mœnia mundi. Pandere* non simpliciter aperire, ut *dividere*, significare videtur; sed amplius aliquid, et forte etiam ædificiorum moles complanare, et majore hiatu patefacere: ut supra: 'Panduntur portæ:' et de Cerbero: 'tria guttura pandens.' *Germanus.*

235 *Accingunt omnes*] Pro *accinguntur*: vel *accingunt*, pro præparant se ad opus. Terentius Phormione: 'Accingere.' *Servius.*

*Omnes*] Ne quis a nefario opere abesset. *Donatus.*

*Accingunt omnes operi*] Docet Nannius allusisse Maronem ad Thensas Deorum vehicula, quæ Asconius a divinitate dici putat, vel quod ante ipsas lora tendantur, quæ gaudent manu tenere, et tangere qui eas deducunt: quæ certe Asconii verba non implicuisse, sed repræsentasse videtur Poëta. *Germanus.*

*Accingunt omnes operi*] Vide notas G. III. 46. et *Æn.* I. 210. Sic 'accinge ad molam,' Non. Marcell. cap. 7. *Emmeness.*

*Pedibusque rotarum*] Quærebatur celeritas, ut quamprimum immitteretur interitus. *Donatus.*

*Pedibusque rotarum Subjiciunt lapsus*] Ut digessi, sententia est clara: non

ita si dicas, *subjiciunt lapsus pedibus rotarum*: ergo sententia est, *subjec-tas rotas pedibus equi*, ad quas explicandas placuit Poëtæ phrasis mirè poëtica: sic *equi vis*, pro equo, *Herculis virtus*, pro Hercule: et multa, quæ alibi conjungimus ex observatione doctorum hominum, Turn. Germ. Gifan. aliorumque: sic itaque, *lapsus rotarum*, sunt rotæ, nihil aliud. Nec facile cedam, si cui aliter visum, nam et Tryphiod. de equo Trojano ait, Epeum subjecisse singulis ejus pedibus rotas quasdam: *Κάκλον ὑπὸ τῆμυθα ποδῶν ὑπέθηκεν ἐκδορυ.* Neque abeunt verba Calabri I. XII. qui idem ferme: signata sunt, *Ἐπειὸς ποσσὶν ἐθροχα δοῦρατα θῆκεν*: *Epeus subjecit pedibus bene currentes rotas ligneas.* Quod enim Tryphiod. dixit *κάκλον*, Calaber *δοῦρατα ἐθροχα*. Itaque qui de equo Trojano scripserunt, tantum rotarum meminerunt, non alterius instrumenti; ac perinde non indicabitur in Poëta novus lapsus ad rotas movendas, sed ipsamet rotæ dicuntur, *lapsus rotarum*. Deinde si dicas *subjectos lapsus pedibus rotarum*; obsecro, qui erunt *pedes rotarum*? vel quæ hæc phrasis? A me est Donatus, qui aperte *lapsus rotarum*, non *pedibus rotarum*; et Cedrenus, qui clare *τροχίσκον ἐλκόμενον*. *Cerda.*

*Subjiciunt lapsus*] *Lapsus rotarum*, dicit rotas, quibus devolveretur equus. Ita *Æn.* XII. 'Subdideratque rotas.' Vide et Turneb. XXVII. 24. Doctiores uno vocabulo *ὀπάκικλα* efferunt. Porro constat e Livio, Annibalem plaustris et rotis naves transportasse. Et Silius scribit, coria cruda subjecta, ut per lubricum facilius laberentur: 'Lubrica roboreis aderant substramina plaustris, Atque recens casi tergo prolapsa juvenei, Equoreamque rota duxit per gramina puppim.' *Taubmann.*

*Labens*] Per b: sic *clabens* Georg. I. II. ut ex prisca codicibus Pierius; ita et *carbæi*, scribæi nonnulli amant

scribere, sed Esphoniz causa b in p mutandum censet Dausquius ex Prisciano et aliis. *Emmenes*.

236 *Stupæa vincula*] Calaber *σειρήν* appellat, id est, catenam: alii interpretantur *funes cannabinos*, pro quibus Festus, qui stupam dicit *linum implicitum* esse, et collo funes aptiores quam catenæ. Isidor. xix. 27. secundum antiquam orthographiam per duplex pp, scribendum esse censet: cum eo sentit Pier. Georg. ii. 369. Dausquius adhibet Josephi verba: *καπρίσωντες δὲ στέαν στέφανος*: inde Dioscoridi l. iii. *φύλλα στυπτικὰ*. Materia idonea est conficiendis funibus, ut supra Virg. 'Stupæa torquentem Balearis verbera fundæ.' Vel firmandis navibus, et rimis occludendis usui est, nostro id ipsum quoque testante v. 661. 'udo sub robore vivit Stupæa, vomens tardum fumum.' *Emmenes*.

237 *Intendant*] Inligant: ut, 'Intenditque locum sertis.' *Servius*.

*Scandit*] Transcendit propria magnitudine, vel propter aggerem, quem ruina fecerat mari. *Idem*.

*Fatalis*] Mortifera. *Idem*.

*Muros*] Ruinas murorum dirutorum. *Idem*.

238 *Fata*] Nunc plena, ut in Bucolicis, 'Tentabunt pabula fœtas: alias enixa jam, ut, 'Fecerat et viridi fœtam.' *Idem*.

*Fata armis*] i. e. impleta armatis viris. Respexit ad illud: 'uteramque armato milite complent.' Unde et Tryphiodorus perstans in metaphora 'Equi obstetricem' vocat Palladem. *Taubmann*.

*Pueri circum innuptaque*] More Romano, patrimi et matrimi. *Servius*.

*Pueri circum innuptaque puella, &c. funemque manu contingere gaudent*] Stupidum hoc ardentissimum enarrat Dictys Cretensis: 'Destructa murorum parte cum joco lascivique induxere equum, feminis inter se atque viris certatim attrahere festinantibus.'

Tanquam thessa promota fuit hæc machina loris: de qua Cic. de Harusp. respons. c. 12. plura Scott. notat. Ciceron. iv. 6. Adjicio, quæ de equo Trojano, canit Stat. Silv. l. 1. 'Nunc age fama prior, notum per secula nomen Dardanii miretur equi, cui vertice sacro Dindymon, et cælis decrevit frondibus Idæ, Hunc neque discissis cœpissent Pergama muris, Nec grege permixti pueri, innuptæque puellæ,' &c. *Emmenes*.

239 *Sacra canunt*] Hymnos dicunt. *Servius*.

*Gaudent*] Quidam hic gaudent, pro optant intelligunt, ut, 'Veniat quo tē quoque gaudet.' *Idem*.

*Funemque manu conting.*] Nannius Miscell. l. vii. Cur tanta religione durateum in urbem induxerint, latens quedam et obscura causa est: ut multa sunt in Virgilio, quæ vulgo minus advertuntur. Quæ enim *ἐλάθουσα* est in thessis, eandem Virgilius in hoc equo constituit. Sunt autem thessæ, deorum vehicula: de quibus Asconius Verr. iii. 'Thessa, sacra vehicula, pompa ordinum et hostiarum. Thessas alii a divinitate dici putant: alii, quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere et tangere qui eas deducunt.' Vides ipsa verba, quæ Asconius habet, Virgilium suis carminibus implicuisse. *Taubmann*.

*Funemque manu contingere gaudent*] Scias hic, veteres in parte religionis posuisse, tangere res sacras. Tacit. Hist. l. iv. 'Vittas, quibus ligatus lapis, innoxique fones erant, contigit: sermo est de re sacra. Idem de moribus Germ. 'Est in insula Oceani castum nemus, dicatum in eo vehiculum veste contactum, attingere uni sacerdoti concessum.' Arnob. l. vi. de Gentium simulacris loquens: 'Ita enim non videtis hæc signa, quorum plantas, et genua contingitis, et contrectatis orantes.' Liv. l. xxi. 'Altaribus admotum, tactis sacris

jurejurando adactum, se, cum primum posset, hostem fore populo Rom.' Idem l. v. 'primo religiose admoventes manus: quod id signum more Hetrusco, nisi certæ gentis sacerdos attrectare non esset solitus.' Apollon. l. iv. Ὅπρῳ δ' ἕκαστος Ψάσαι ἐελδόμενος: *Singuli cupiebant tangere.* Sermo est de aureo vellere. Inde supra dictum de abominando crimine, 'manibusque cruentis Virgineas ausi divæ contingere vittas:' et inf. Æneas pius erga numina, 'Me bello e tanto digressum, et cæde recenti Attrectare nefas.' Juvenal. Sat. vi. 'Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ.' *Cerda.*

240 *Minas*] Vel emineus; ut, 'Minæque Murorum ingentes;' vel minitans. *Servius.*

241 *O Patria*] Versus Ennianus. Sane exclamatio eo pertinet, quod tanta fuerit vis consecrationis in porta Trojana, ut etiam post prophanationem, ab ingressu hostes vetaret. Nam novimus integro sepulchro Laomedontis, quod super portam Scæam fuerat, tuta fuisse fata Trojana. *Id.*

*Dicum domus*] Vel quod ejus muros Apollo et Neptunus fabricaverunt, ubi etiam Minerva per Palladium culta est: vel propter Ganymedem, Dardanum, Tithonum. *Idem.*

*O Patria, o dicum, &c.*] Sententiam ex multis hausit: inprimis versus Ennii est totus. Deinde Plautus Bacchidibus dixit: 'O Troja, o patria, o Pergamum, o Priame peristi senex.' Tertio herere potuit versibus incerti Poëtæ, qui apud Tul. leguntur Tuscul. iii. Sunt qui Ennio attribuant, 'O pater, o patria, o Priami domus,' &c. Quarto Medea apud Enrip. Ὡ πάτερ, ὃ πόλις, ὃν ἀπερρώσθη Διοχρῶς, τὸν ἐμὸν κτείνασα κάσιν: *O pater, o patria, unde discessi Turpiter, fratrem meum interficiens.* Ex hac tragedia multa hic inseri possent. Institit his locis Silius lib. i. 'O patria, o Fidei domus inclita, quo tua

nunc sunt Fata loco?' *Cerda.*

*Inclita bello*] Quia superavit Mysiam totam. *Servius.*

242 *Quater*] Sæpius. *Idem.*

*In limine portæ*] Hic portam pro ipso aditu posuit; nam quod ait *limine*, manifestum est portæ: nam pars superior diruta est, necessario remanente limine, quod in ima parte, id est, in solo, positum erat. *Idem.*

*Quater ipso in limine portæ substitit*] Respexit ad hunc locum Sen. Agamem. 'Fatale munus Danaum traximus nostra Crudele dextra: tremuitque sæpe Limine in primo sonipes, cavernis Conditos Reges, bellumque gestans: Et licuit versare dolos, ut ipsi Fraude sua capti caderent Pelasgi. Sæpe commotæ sonuere parmæ, Tacitumque murmur percussit aures.' De hoc transcensu liminis Plautus Bacchidib. 'Nunc superum limen scinditur, nunc adest exitium Ilio. Turbat equus lepide ligneus.' Tryphiodorus ait, angustas portas fuisse, sed Junonis opera factum ἐκδρομον δρῶν ὁδοῖο: *facilem accessum viæ.* Sunt qui in hac equi ad portas offensione putent allusum ad omen, quo quis exiturus ad bellum, aut ad rem aliam, offendebat in limine: quod omen accidit Protesilaio, eunti ad Trojanum bellum, unde ipsi mora. Putatur vero hoc omen traxisse malitiam a Furiis inferorum, nam harum sedes limen est. Quod sæpe Virgilius attingit, semel in iv. sæpius in vi. 'Ultricesque sedent in limine Diræ.' 'cernis custodia qualis Vestibulo sedeat, facies quæ limina servet.' Iterum, 'Tisiphoneque sedens palla succincta cruenta, Vestibulum insomnis servat noctesque diesque:' et adhuc, 'Nulli fas casto sceleratum insistere limen.' *Cerda.*

243 *Atque utero sonitum quater arma dedere*] Ostendere vult, non in totum a diis desertos esse Trojanos, quippe quos sono equi dicit esse commotos, ne Dido ab his animum averteret,

quos videbat a suis numinibus derelictos: sed hoc dicit, monuerunt nos dii, sed nos non intelleximus. Et bene addidit, *sonitum arma dedere*, ne ei obijceretur, non potuisse fieri, ut plena armis machina sonum non redderet. *Servius*.

344 *Instamus tamen*] Subaudiendum: *quantum sonitum dederint, tamen instamus*. Idem.

*Inmemores*] Improvidi: vel non memores oraculorum. Vel *inmemores*, dementes; quoniam memoria in mente consistit. Sane si peritiam Virgilia diligenter intendas, secundum disciplinam carminis Romani, quo, ex aribus hostium deos ante evocare solebant, hoc dixit: erant enim inter cetera carminis verba hæc: 'Eique populo civitatisque metum, formidinem, oblivionem injiciatis.' Unde bene intulit, *inmemores, cæcique furere*, tanquam qui deos prodiderant. Idem.

*Cæcique furere*] Fato eam omnis prudentia impar est: nec ullis vitatur montis, nec prodigiis, Quia mentem Deus adimit aut obrubat; adeo, ut causa ejus a nobis esse videatur. Ut vere dixerit C. Tacitus: 'Quæ facta manent, quamvis significata, non vitantur.' Et Velleius: 'Cujuscunque fortunam mutare (Deus) constituit, consilia corrumpit.' Hinc fit, ut 'fugiendo in media sæpe fata ruitur,' quod ait Livius: de quo curiose J. Lipsius Polit. l. 4. *Taubmann*.

345 *Monstrum infelix*] Trojatis scilicet, quod post rem probatam dixit. *Servius*.

*Sistimus*] Constituimus, collocamus. Idem.

*Et monstrum infelix sacra sistimus arce*] Spondeorum numerus hic notandus, qui moram et tarditatem representare solent, ut contra dactyli celebritatem. Vide Voss. Institut. Poët. III. 7. *Emmenses*.

346 *Tunc etiam*] Sicut antehac sapius. Num Helena veniente, præ-

*Delph. et Var. Clas.*

dixerat futura bella et mala. *Servius*.

*Fatis aperit Cassandra futuris*] Ne putarentur stulti, qui vati non credidissent, cito subjecit; 'dei jussu non unquam credita Tencris.' Sane quidam hic *fatis*, pro calamitatibus accipiunt. Idem.

*Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris Ora dei jussu, non unquam credita Tencris*] In Oblongo codice perveteri, *jussu* legitur, a recto *jussu*. Ut illud, 'Et jam jussa facit.' Sed *jussu* magis placet, ut suave magis. Est vero illud animadversione dignum, quod in codicibus aliquot antiquis oratio eo loco punctis disita est: 'Aperit Cassandra futuris Ora Dei jussu.' Ut sit ordo: 'Cassandra non unquam credita Tencris, tunc jussu Dei aperit ora futuris fatis:' non autem illud: 'Non unquam credita Tencris jussu Dei.' Cujus rei causam *Servius* ex commodo suo comminiscitur. Et *Donatus* ait, responsa Cassandra Apollinis jussione fuisse damnata. Atqui magis plura est dicere, Deum semper consulere humanis rebus, qui divinationem mortalibus elargitus est, ut mala cavere possemus: cumque ea lectione legere, jussisse deos, ut Cassandra tunc vaticinaretur. Præterea sententia hæc ita explicata rem auget: et factorum vim majorem ostendit: quæ dicat, neque quidem deorum admoniti fieri potuisse, ut quæ fata decreverant infortunia, vel scientes potuerint evitare. *Pierius*.

*Cassandra, &c.*] Apud Lycophrenem *Ἀλκάνδρα*: et vaticinio defungens, dicitur aperire os: *ὅς γὰρ ἦεν ἡ κόρη Ἐλυσσεὺς χρησμάτων ἐς πρὶν αἰόλον σόβρα*. Ovidio amor. II. 8. *Phæbas* dicitur, 'Serva Mycenæo Phæbas amata daci:' de hac *ἀρρομένη γάμου* vide *Servium* et *Hyginum* fab. 93. et 106. ubi de equo Trojano: 'Vates Cassandra filia Priami et Hecubæ cum vociferaretur, inesse hostes, fides ei habita non est.' Idem testatur

*Virg.*

7 T



præter Apollodorum l. iii. Biblioth. p. m. 227. Græcus Poëta in fine Cassandra: Πίστιν λόγων γὰρ λεγμένης ἐνδοφρεσ, Ψευδῆσι φημῖσιν ἐγγρίσας ἐπη, Καὶ θεόφρων πρῶματιν ἀψευδῆ φρόνιν, Λέκτρον στερηθείς δὲ ἐκάλχαιεν τυχεῖν. Θήσει δ' ἀληθῆ. Quare recte Phædrus fab. iii. 11. 'Cassandræ quia non creditum, ruit Ilium.' Vide Triphiodorum in Halos. Ilii et inter Latinos Poëtas Propert. Eleg. iii. 12. et Eleg. iv. 1. *Emmensus.*

247 *Dei jussu*] Præcepto Apollinis: qui cum amasset Cassandram, petit ab ea ejus concubitus copiam: illa hac conditione promisit, si sibi ab eo futurorum scientia præstaretur: quam cum Apollo tribuisset, ab illa promissus coitus denegatus est, sed Apollo dissimulata panisper ira, petiit ab ea, ut sibi osculum saltem præstaret, quod cum illa fecisset, Apollo os ejus inspuat; et quia eripere deo semel tributum munus non conveniebat, effecit ut illa quidem vera vaticinaretur, sed fides non haberetur. *Serv.*

*Non unquam*] Non aliquando, id est, nunquam. Nam si non *nunquam* esset, duæ negativæ facerent unam confirmativam: licet Terentius Græco more dixerit, 'Agrum in his regionibus meliorem, neque pretii majoris, nemo habet.' *Idem.*

*Credita*] Dubium a quo verbo veniat, et an fœmininum singulare sit participium, an neutrum plurale. *Id.*

248 *Nos delubra*] Tanta amentia fuit, ut quo tempore exitium immineret, lætis frondibus templa non coronaremus solum, sed tegeremus deorum, qui una nobiscum perituri erant. *Donatus.*

249 *Festa fronde*] Quæ festos indicat dies, vel quæ festis diebus adhibetur; ut laurus, oliva, hedera. *Servius.*

*Velamus*] Coronamus. Ut, 'Victori velatum auro, vittisque juvenicum.' *Idem.*

*Festa velamus*] *Festa*, quæ festos

indicat dies: vel, quæ festis diebus adhibetur. Veteres autem non solum diebus festis et lætis solebant deorum templa ramis e lauru, oliva, hedera, et simili, ornare et velare: sed et in magna læticia familiaribusque sacris, et nuptiis suos postes etiam sertis inumbrabant, et infalis decorabant: quin et lucernas addebant, &c. Vide Turneb. xiv. 4. *Taubmann.*

250 *Vertitur interea cælum*] Epitheton cæli perpetuum est: sed *vertitur*, est in *aliam faciem commutatur*. Quod more suo explanat in sequentibus. *Servius.*

*Vertitur*] Versa re aliqua, fanditur quod in ea erat. Ergo *versato cælo*, quod præbebat lucem, tenebræ ex eo ceciderunt. *Donatus.*

*Ruit oceano*] Nascitur ex Oceano; ut, 'Ruit atram Ad cælum picea crassus caligine nubem.' Ideo autem *ruit*, quia altius mare quam terra: aut certe *ruit*, cum impetu, et *festinatione*, ut, 'Qua data porta ruunt.' Sane sphaeræ ratio hoc habet, ut omnia diversis vicibus sicut oriri, ita et ruere videantur. *Servius.*

*Vertitur interea cælum, ruit, &c.*] Inter ea, quæ traducta sunt ex Homero hæc numerat Macrobius. Saturn. v. 5. 'Ἐν δ' ἔπειτ' ὠκεανὸν λαμπερὸν φέρον ἡελίοιο' Ἐλκον ῥύκτα μέλαινα ἐπὶ ζείδωρον ἔρουραν. Stat. Thebaid. l. iii. 'Nox subit, et curas hominum, motusque ferarum Composuit, nigroque polos involvit amictu.' et l. v. utitur cōtra *vertere*, de adventante die: 'Tardius humenti noctem deiecit Olympo Juppiter, et verum multi, reor, æthera cura.' numerus multarum syllabarum in unam coactus celeritatem designat. Videndus Scal. iv. 16. et 48. v. 3: ubi hæc cum Homericis comparat. *Emmensus.*

251 *Involvens*] Nam quæ involuta sunt, non videntur. *Donatus.*

*Umbra magna*] Id est, terræ: et definitio est noctis. *Servius.*

357 *Myrmidonumque dolos*] A generalibus ad specialia venire vitiosum est: nisi forte redeatur ad causam, ut hoc loco. *Servius*.

*Fusi*] Dispersi per sua quisque: jam ad habitum retulit dormientum securorumque. *Idem*.

*Per mœnia*] Per domos: ut supra, 'Et mœnia pandimus urbis.' *Mœnia* enim et publica et privata dicuntur. *Idem*.

*Conticuerē*] Dormierunt; ex consequentibus priora intelliguntur. *Id.*

*Teucri Conticuerē*] Et labore trahendi equi, et tempore nocturno incidere in somnum. *Donatus*.

*Fessos artus*] Aut generaliter, quia omnis dormiens, quasi fessus: aut fessos trahendo equum, diruendoque muros. *Servius*.

254 *Phalanx*] Lingua Macedonum, legio. Et synecdoche a parte totum: significat enim totum exercitum. *Id.*

*Ibat*] Veniebat: ut, 'Nunc primum a navibus itis.' *Idem*.

*Ibat*] Improperie dixit de navigatione, sed adjunxit *navibus*. *Donat.*

*Et jam Argica phalanx instructis navibus ibat*] Vetera quædam exemplaria, *ibant* legunt: numero multitudinis, quam lectionem agnoscas apud Ti. Donatum, si in integra ejus incidas commentaria. Ita enim illic habetur: 'Iter per terram dicimus fieri. Hoc tamen loco *ibant* inquit, hoc est navibus ferebantur: quoniam insulam dixerat Tenedum: ne, si navium non fecisset mentionem, putaretur immemor sui, ut terram poneret, quam secundum descriptionem superiorem nullam esse constabat.' *Picrius*.

*Phalanx*] Phalanx Macedonibus fuit cuneus militaris, videlicet quando pes pedi, clipeus clipeo, vir viro in acie conserebantur. Curt. 'Macedones phalangem vocant peditum stabile agmen, quando vir viro, armis arma conserta sunt.' Unde cum de Cæsare dicitur: 'Milites nostri e

loco superiori pilis missis, facile hostium phalangem perfrēgerunt,' intelligit, hanc armorum connexionem, quæ efformata erat instar testudinis: sed hoc vulgare satia. *Cerda*.

255 *Tacita luna*] Aut more Poëtico noctem significat, cujus tempore tacetur, quoniam nocte silentium est, ut, 'Cum tacet omnis ager:' aut physica ratione dixit: nam circuli septem sunt, Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, Lunæ. Et primus, hoc est, Saturni, vehementer sonat: reliqui secundum ordinem minus, sicut audimus in cithara. Ergo *tacita luna* est, cujus circulus terræ vicinus immobili, minus sonat aliorum comparatione. Aut certe *tacita*, serenæ, ut, 'Sidera cuncta notat tacito labentia cælo;' vel ipsi tacti; ut, 'Tacitumque obsedit limen Amatæ.' *Servius*.

*Amica*] Sibi grata. Et sciendum septima luna captam esse Trojam, cujus simulacrum apud Argos est, quod, relata victoria, constitutum est, ab imagine ejus, quæ tunc erat, dividuo orbis modo. Hinc est quod dicit: 'Oblati per lunam:' et alibi: 'Per cæcam noctem.' *Idem*.

*Tacita per amica*] Nullum est scriptoris vitium, quod nunc dicat *silentia luna*, et supra meminerit tenebrarum. Nam elegerunt eam noctem, quæ partim tenebrosa, occultaret insidias: partim adveniente luna, illustris esset, ut sine errore venirent. Ergo et notitia litoris, et luna suffragabatur. *Donatus*.

*Silentia Luna*] Politianus, Miscell. c. 100. *Lunam silentem* hic accipit pro minime tum lucente. Nec tamen ad vivum vult resecari, ut ipse Lunæ coitus plane intelligatur, cum nox tunc sit tota tenebrosa: hoc autem non fuisse, argumento sit illud; 'Oblati per Lunam,' &c. sed Lunam quidem nondum luxisse, quum illi a Tenedo sub vesperam navigarent, sed cæpisse lucere, cum jam Urbem oc-

cupassent. Etiam *Donatus* tradit, non esse vitium, quod primam dixerit, noctem invocasse magna umbra terrarumque polanque; et deinde, tacita per amica silentia *Luna*: siquidem nonnullas noctes habeant primas partes tenebrosas, sequentes vero *Luna* superveniente illustres. Quale tempus de industria, insidulis opportunum, *Græci* elegerant. Verum istas hariolationes tuculentissimæ refutat *J. Parrhasius* Epist. 1. Nam, *Luna*, inquit, *silens*, per totam noctem in aspectum non venit. Venisse autem tunc, ostendit illud, 'Oblati per *Lunam*,' &c. Non igitur erat *silens*, sed in orbem sinuata: quod euntibus ad opprimendum sopitos hostes adversum tempus non est existimandum, &c. Tandem post longam contentionem ita sinit: 'Quam itaque *Lesches*, vetustissimus apud *Græcos* Poëta, pleno orbe *Lunæ* Trojam captam cecinerit, et *Martialis*, *Val. Flaccus*, et *Stattius Virgilii* metaphrasas intempestivam noctem, sive conficiunt, quo omnia tacent, per silentia *Lunæ* describant; idipsum tempus a *Virgil.* hic autumno designari.' *Luna* vero, non noctis ab eo dicta silentia: ut ostendat, nitidissimam calo Lunam fuisse, quam Troja capta est. Quanquam *Luna* pro nocte rectissime etiam poni potest: quam *Luna* sit (*Orpheo* teste) *πυρρὸς ὕπνους*, i. e. noctis imago; et *Virgil.* *Æn.* 14. 'Post ubi digressi,' &c. Ita et *Tarneus* XII. 5. Etsi, inquit, *Luna* silere dicitur, cum intermonstrua est, neque lucet: tamen hic tacita amica silentia *Lunæ* *Maro* dixit, nocturnam ejus lumen intelligens: quod noctem silere dicerent: ut *Catull.* epigr. 7. 'Aut quam sidera multa cum tacet nox,' i. e. cum est nox. Dies enim inquietus et clamor est; nox tranquilla et tacita. Ita *Horat.* *Epod.* v. 'Nox et *Diana* quæ silentium regis,' &c. *Petronius* *Arbiter*: 'Jam plena *Phœbe* candidum exte-

lerat jubar, Minora ducens astra radiantem facie: Cum inter sepultos *Præmidas* nocte et mero *Danai* relaxant claustra et effundunt viros.' Quin et *Servius* (cujus aliqui subtilitatem de sono Orbium celestium docti hic rejiciunt) silentia *Lunæ*, de *Incente* *Luna* intellexit, dum notat; 'septima *Luna* captam esse Trojam.' Ergo in istis verbis nuda fuerit periphrasis tacitæ noctis: quomodo et *ἡσυχία Σαλπιγῶν*, tacita *dox*, dicitur *Luna*, *Theocrito*: et *ἡσυχία νύξ*, quæta nox, *Platarcho*. Denique vide mihi magnum magistrum *Jos. Scaligerum*, *de Emendat. Temp.* l. v. ubi itidem clarissæ argumentis probat, *Ilium* captum esse in plenilunio; sine Veris, paulo ante solstitium, anno *Mundi* 2767. ubi et hariolationes *Politiani* super hunc locum rejicit. Sed vide mihi et *G. Merulam*, ad *annales Ennii*, ubi in hæc similiter curiosissime inquirat. *Taubmann*.

256 *Litora nota*] Id est, quæ paulo ante reliquerant. *Servius*.

*Flammæ cum regia puppis*] *Moræ* militiæ: ut, 'Dat clarum e puppi signum.' Et hic intelligendum est, *Helenam* *Agamemnoni* vel *Græcis* signum dedisse veniendi, oblata facie: *Agamemnonem* contra signum *Sinoni* dedisse aperienti equi, ut in sexto: 'Flammam media ipsa tenebat, Et summa *Danaos* ex arce vocabat.' Est autem tropus: per puppem, navem: per navem, eos qui in navi sunt, significat. *Servius*.

*Flammæ*] Quo signo adventum *Græcorum* cognoscens *Sinon* remporageret. *Donatus*.

*Flammæ cum regia puppis Extulerat*] *Credi* possunt sublata hæc flammæ fuisse ad eas, quæ sive *Helenæ*, aut *Sinon*, aut uterque ex arce extulerant ad *Græcos* evocandos: credibile enim hoc signum inter eos convenisse. *Seneca* *Agamem.* *Virgilio* *hærens*, 'Signum recursus regia ut fuit rote,' &c. *Corda*.

*Flammæ cum regia p.]* More militiæ. ut *Æn.* III. 'Dat claram e pappi signum.' Ista autem face, tanquam signo, debuit Siqua, ut prius convenerat, adventum Græcorum prænocere. *Tausmann.*

257 *Fatis iniquis]* Voluntate numinum: nam illis propitia, sed in nos iniqua: ut Lucanus II. 86. 'Non ille favore Numinis ingenti superum protectus ab ira.' *Servius.*

259 *Laxat claustra Sinon]* *Odyss.* XI. 524. Ulysses ait hoc sibi muneris demandatum: 'Ἡμῶν ἀναλύναι πυκνῶν λόγων, ἥδ' ἐπιθεῖναι: Sive aperire demas insidias, sive concludere. Ut Poëta claustra de hoc equo, sic Sophoc. in *Tyran.* κοῖλα κλειθρα: *cava claustra.* Calaber I. XII. dat κλειθρα. Petron. 'aperitur ingens claustrum.' Calaber I. XIII. de eodem Sinone, ἵππου πλευρὰ διεκρίβειν: equi aperuit latera. Aristophanes Vespis de re alia loquens, κλειθρα χαλάσθω: *laxentur claustra.* Circa orthographiam nominis *Sinon*, sciendum, Henric. Steph. in libello de abusu linguæ Græcæ, late probare, omnia nomina, quæ a Græciis proveniunt, et Latini in *on* finiant, efferenda esse in *o*. Liberat vero Maronem a calumnia, qui metri lege coactus *Sinon* dixit, propter sequentem vocalem, cum alias dicendum esset, *Simo*. Pro se Stephan. Charisium adducit. Id ipsum Pythæ. *Adversar.* II. 13. sentit, probatque ex Varrone, Columella, et Fabio: contra horum sententiam est, in antiquissimis Virgilii codicibus inveniri hanc vocem *Tarchon* frequentissime, ut I. x. 'hand fit mora, Tarchon Jungit opes.' *Cerda.*

*Laxat claustra Sinon]* Eadem locutione utitur Juvenal. Sat. I. 261. 'Prodit laxabant portarum claustra tyrannia.' Petron. 'insertans commissuris secures, claustrorum firmitatem laxabit: et 'Danai relaxant claustra.' *Emmenes.*

260 *Reddit]* Quasi debitos, vel cre-

ditos: ut, 'Redditus his primum terris.' Sic Horatius, 'Navis, quæ tibi creditum Debes Virgilium, finibus Atticis Reddas incolumem, precor.' *Servius.*

*Reddit]* Usus est bono verbo, nam quos occultando tenebris acceperat, reddit aëri. *Donatus.*

*Reddit equus]* Quasi debitum, quos scil. acceperat. Sic mox, 'Fundit equus.' Scal. XIV. 16. Notat etiam Pimpontius, *reddere*, nixus esse vocabulum: unde Lucretius 'Durate equi partum' dixerit: ut superius, 'uterum:' et 'foetam armis,' &c. *Taub.*

*Cavo robore]* Equi, Epexegetis. *Servius.*

*Cavo robore]* Sic Sophoc. in *Tyran.* κοῖλον λόγον, *cavas insidias.* Pulere hercule dixit Eurip. in *Troad.* λόγου δ' ἐξέβαιον Ἀρης, Κόρας ἔργα Παλλάδος: ex insidiis Descendebat Mars, Virginis opus Palladis. *Cerda.*

*Premunt]* In Longobardico codice *produnt* legitur: quod minime displicet. Sed enim *premere* de his dicitur, quæ condita fuerint: de his autem superius dictum est, 'Nota conduntur in alvo.' *Pierius.*

261 *Thessandrus]* Polynicis et Argiæ filius. *Servius.*

*Thessandrus]* Quidam codices ex proximioribus editionibus, *Tisandrus* legunt: quum tamen passim apud Græcos celebre sit, *Thessandri* Polynicis filii nomen. In Romano codice Vaticanæ bibliothecæ desiderantur paginæ versusque omnes a captura Sinonis, usque ad versum, qui libro quarto incipit, 'Instauratque choros mixtique altaria circum.' *Pierius.*

*Sthenelus]* Capanei et Evadne. *Servius.*

*Ulyxes]* Laërteæ et Anticliæ filius. *Idem.*

*Idem.* *Ulyxes]* Et ipse dux intelligitur. *Donatus.*

*Durus Ulyxes]* In codice Longobardico, *durus Ulyxes*, legitur: quem Horatius patientem, Homerus πολέ-

τλαῖα vocant; id vero duri hominis: ut, 'Durum a stirpe genus,' et 'Dardanidæ duri.' Inferius vero omnino legitur, *Dirus*: videturque proprium epitheton apud Maronem *Dirus Ulyxes*, ut *immitto*, et *æctus Achilles*. Sunt etiam antiqui codices, in quibus *dirus* habeatur: nempe quia toties apud Homerum legere est, *ῥῖος Ὀδυσσεύς*, καὶ θεῖος. Sed enim in hostili persona, ubi præsertim improbatum res gesta, non congruit epitheton illud honorificum. Quamvis Fl. Sosipater, ubi de tropis agit, hæc ita: 'Epitheton dictio est vocabulo adjecta ornandi aut destruendi aut indicandi caussa. Ornat, sicut 'Dius Ulyxes.' Ita enim in veteribus Sosipatri codicibus habetur. In aliquot et *Dirus*. Destruit, sicut, 'Scelerumque inventor Ulyxes.' Indicat, sicut, 'Larissæus Achilles.' Sed hoc exemplum ita positum, loco non citato, non mihi tanti est, ut propterea lectionem *dirus* loco hoc immutare velim. Carisius enim ad id respexit: quod uti diximus Homerus Ulyxem θεῖον vocat. *Pierius*.

*Dirus Ulixes*] Infestus, et quasi deorum ira immissus. Vide P. Victor. Var. II. cult. *Taubmann*.

262 *Demissum lapsi per funem*] Hunc actum Enripides repræsentavit in Troadib. sub persona Helenæ: ἐφεύρον ἐξ ἐπάλξεων Πλεκταῖσιν εἰς γῆν σῶμα κλέπτουσιν τόδε. Propert. 'Per quam demisso toties tibi fune prependi, Alterna veniens in tua colla manu.' et Lucret. I. II. 'mortalia sæcla superne Aurea de cælo demisit funis in arva.' Aristoph. in Vesp. 'Ἄλλ' ἐξάνας διὰ τῆς θυρίδος τὸ καλῶδιον, εἰτα καθίμα Δήσας σαντόν. *Germanus*.

*Demissum lapsi per funem*] Calaber I. XIII. κλῖμαξι ἡσος fuisse, nempe scalis. Hinc colligas licet magnitudinem equi: ideoque ἔμφασιν notandam hic monet Quintil. VIII. 3. 'Labi per funem' agnoscit quoque Petron. 'Per funem lapsi descendunt

in scapham.' *Demissum* hic pro *desuper missum*, Non. Marcell. *Enm.*

*Acamas*] Demophoontis filius, Perrechiae nepos. *Servius*.

*Acamas*] In Longobardico, in Mediceo, et quibusdam aliis codicibus antiquis legere est, *Acamas*. Quod quidem nomen inter Græcorum præceres censi apud Quintum Smyrnæum invenias, qui τὰ παρ' ὁμήρου scripsit. Fuit et Acamas Thesei F. a quo Demosthenes agnoscit tribum Acamantida ἐν τῷ πρὸς Βουαρδὸν περὶ τοῦ δρόμαρος: quod observat Harpocration. *Pierius*.

*Acamas*] In plerisque Codd. *Athamas*. *Acamas* Antenoris est filius, ut ex Homero II. B. 823. qui a partibus fuit Trojanorum et Thracum Dux dicitur vs. 844. Hygino tamen est *Acamas* fab. 108. Principum ubi recenset nomina, qui se equo ligneo includi passi sunt: *Menelaus*, *Ulysses*, *Diomedes*, *Thessander*, *Acamas*, *Thoas*, *Machaon*, *Neoptolemus*. *Servius* tamen legit *Athamas*, quem Æoli, qui Thebis regnavit, faciunt filium. *Enm.*

*Thoas*] Andremonis filius. *Serv.*

263 *Neoptolemus*] Quia ad bellum ductus est puer; *Pyrrhus* vero a capillorum qualitate vocitatus est; Achilles et Deidamiae filius, Pelei et Thetidis nepos ex patre: ex matre vero Lycomedis, regis Scyriæ insulæ. *Idem*.

*Primusque Machaon*] Hic Machaon filius Æsculapii fuit, cujus frater Podalirius. *Primus* autem, princeps, id est, inter primos; aut arte primus: aut numeri sui, nam per ternos distinxit. *Idem*.

264 *Menelaus*] Atræi filius, frater Agamemnonis, propter quem bella gerebantur. *Idem*.

*Epeos*] Panopei filius. *Idem*.

*Epros*] Homer. Odys. Θ. Theocritus in Securi, et Pausanias in Corinthiacis. Tryphiodor. de isto fabro. *Hartung*.

*Epeos*] Græcis ideo dictus μηχανο-

rods. De hoc ita Hygin. fab. 108. 'Epeus monitu Minervæ equum miræ magnitudinis ligneum fecit:' et sic recte doli fabricator, nam idcirco 'equus fallax.' Propertio eleg. iii. 12. nominatur: eidem autem Eleg. vii. 'Palladiæ artis equus,' quod supra monitu Minervæ: ut hoc lib. vs. 15. 'divina Palladis arte.' Ferramenta ostentarunt Metapontini, quibus Epeus equum Trojanum fabricavit, teste Justino xx. 2. Attingit hunc locum Scal. poet. iii. 8. *Emmeness.*

365 *Invadunt*] Ordo est: 'Cæduntur vigiles, portisque patentibus omnibus Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt,' deinde 'invadunt urbem, somno vinoque sepultam:' ne sit vitium, ut primum invadant urbem, et postea recipiant socios per portam. Primo enim patefactus est equus, deinde vigiles occisi, et postremo per urbem sparsi sunt: et potuerunt cives latere, qui duplici malo essent affecti, vino et profundo somno. *Donatus.*

**Urbem]** Id est, cives. **Servius.**

*Somno vinoque*] Ostendere vult nihil magnum a Græcis factum, quod obtinuerint civitatem. *Somno* autem, quia nox erat, *Vino* quia festus dies. *Idem.*

*Somno vinoque sepultam*] Phrasis ista, ante ævum Maronis celebris. Lacret. l. i. 'mentes Terrificet morbo assuetis, somnoque sepultis.' Eenn. Ann. l. iii. 'Nunc hostes vino domiti, somnoque sepulti:' et post illud. Nam Fabius declam. 272. 'Nobis somno sepultis, et securitate ab omni cogitatione bellorum.' Flac. Argon. ii. 'Dapibus vinoque soporos.' Forma alia extulit Livius l. xxv. 'gravatis omnibus vino somnoque.' Cui vicinus Ovid. Met. l. iii. 'Ille mero somnoque gravis.' Et Calaber l. xiii. πολλὰ ὑπ' ἀκρήτῃ βεβαρητός: graves multo mero: iterum, βαρβόοντο φέρες: gravabatur mens. Tacit. Ann. iv. 'somno et vino proeumbere:' quæ desumpta a Virgil. in

l. ix. 'sømnoque vinoque sepulti  
Procubuere.' Græcus Theognis sic  
expressit, *Θωρηχθέν' οἶνῳ* *μαλθακός*  
*ὑπὸς ἔχει*: *Oppressum vino sompnus oc-*  
*cupat mollis.* Herod. l. i. ita, *πληρώ-*  
*ντες φορβῆς καὶ οἶνον εἶδον*: *pleni cibo*  
*ac vino sororabantur.* Cæda.

*Somno vinoque sepultam*] Petron. in Carm. de Mut. Reip. R. 'turba sepulta mero': in Halosi: 'Quam inter Priamidas sepultos nocte et mero:' est igitur *sepultam* interprete Turnebo xxx. 19. *obrutam, quietam*, translatione sumpta a sepultis, quæ terra operiuntur et quiescunt: inde Lucr. l. vi. *ventos dixit sepultos pro quietos*. Emmeness.

266 *Caduntur vigiles*] Non actus nomen est, sed officii: modo enim *vigiles* intelligendum, non qui vigilarent, sed qui solebant exercere vigilias; aut certe *vigiles*, quos sefellit Sinon equum servantes, et bene ostendit timiditatem Græcorum, qui paucitate timentes eos primos occiderunt; quod cæteros poterant excitare: aut *vigiles portarum*; nam paulo post, 'Vix primi prælia tentant. Portarum vigiles.' *Servius*.

*Cæduntur vigiles*] Qui scil. equum servabant; non urbis: nam paulo post: 'vix primi prælia tentant Portarum vigiles.' *Taubmann.*

*Patentibus] Pro patefactis. Serr.*

267 *Conscia*] *Conjurata*. Bene autem in insidiis conscientiam nominavit. *Idem*.

268 *Tempus erat, quo prima quies*] Hoc loco noctis describit initium. Alibi totam noctem : ut, 'Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem Corpora per terras.' Descriptiones sane pro rerum qualitate, vel protenduntur, vel corripuntur. Illo enim loco protensio ad invidiam pertinet Didonis, aut vigiliarium. Sunt autem solidæ noctis partes secundum Varonem hæ : vespera, concubium, in-tempesta nox, gallicinium, conticinium lucifer. Diei : mane, ortus,

meridies, occasus. De crepusculo vero, quod est dubia lux (nam *crepusculum*, dubium est) quaeritur. Et licet utrique temporis possit jungi, usus tamen, ut matutino jungamus, obtinuit: licet Lucanus dixerit, 'Longa repercussio nitere crepuscula Phœbo.' *Idem*.

*Prima quies*] Excusatur Æneas, si somnum ea hora capiebat, qua omnia animantia reficit somnus: cujus initia tantum ponderis habent, et tanta vi mentes opprimunt, ut omni cura submota, altius soporeantur. Et cum munus deorum sit somnus, ad refectiōnem nobis datum, crimen non est, si concessa tempore dormiatur. *Donatus*.

*Tempus erat, quo prima, &c.*] Concubium describit, quod dicunt esse inter primam faciem, et noctem intempestam. Eurip. in Rheseo: *θέλει δ' ἡμματος ἔδραν* "Τένος" *ἄριστος γὰρ ἔβα* *βλεφάροιςι πρὸς αὐτοῦ* et Il. I. *ὑπνόν δῶρον ἔλασσε* et Eurip. in Oreste *νύκτα* vocat *ὑπνοδότρεαν πολυτόνων βοτάν*. Certe Academici, Peripateticique somnia somni parte extrema sub diluculum observari astruunt, ob minus concitatas turbulentasque sensibus vel *αἰσθητηρίοις* applicantes imagines, discretique jam sanguine spirituque, dissipatisque calidi interventu deciduis vaporibus, cum primo somno vaporum caput petentium copia, spirituumque contentione conturbentur, confundantur simulacra. Non videtur tamen Poëta ita exacte decori et physiologiæ secutus hoc loco rationem, quod Æneæ in auroram fugam differre nequiverit, sed nocte etiam intempesta Æneæ saluti consulendum primo quoque tempore fuerit. Hoc autem loco, sunt qui, *Tempus erat cum*, legant, non *quo*: more Græcorum, *ἦν χρόνος ὅτε*: Plat. in Alcib. *ἄρα οὖν τυγχάνεις ἐπιστάμενος, ἦν χρόνος ὅτε οὐχ ἡγού ἐπιστάσθαι* et Tib. 'Tempus erat cum me Veneris præ-

cepta ferentem:' et Georgic. I. 1. 'Tempus veniet cum finibus illis.' Lucr. quoque *est cum effert hellenice*: Plat. in Gorg. *σέλιος γὰρ ὁρῶν ὅτι ἡλίας οὐδ' αὖ.* *Germanus*.

*Tempus erat, &c.*] Sequitur dictum Atthi, in Bruto ita loquentis: 'Cum jam quieti tempus nocturno impetu Dedi, sopore placens artus languides, Visus est in somnis pastor ad me appellere.' *Cerda*.

*Ægris*] Quantum ad divina, tardis. *Servius*.

269 *Dono dicuntur*] Quidam donum voluntate dicunt venire, munus ex officio. *Donaria* vero loca in templis, in quibus dona ponuntur. *Idem*.

*Dono dicuntur*] Homer. Il. IX. *ἔδραν δῶρον, somni donum*. Silius I. 1. 'sopore sua munera tandem Applicat.' et l. VII. 'Dona soporiferæ noctis.' *Cerda*.

*Gratissima*] Somni elegium Ovid. Met. XI. 623. et seqq. *Emmeness*.

*Serpis*] Latenter membris infanditur. *Servius*.

270 *In somnis*] Aut *per somnos*: aut si in somnis legeris, erit synæresis. *Id*.

*Ecce*] Hac particula utimur, queriens aliquid repentinum volumus indicare: ergo *ecce*, subito est: ut, 'Ecce manus juvenem interea post terga revinctum.' *Idem*.

271 *Visus adesse*] Bene *visus*: quia somnia videntur tantum, non sunt naturaliter vera. Quod autem paulo post dicit, 'Effer penetralibus ignem:' confirmantis est: nam illud verum fuisse contendit. *Idem*.

*Visus adesse*] Ostendit poëta non veras, sed verisimiles imagines videri, cum dormientibus offeruntur. Ex mœrore autem et squalore imaginis, etiam si nihil verbis nunciasset, conjectura colligeretur funesta portendere. *Donatus*.

*Visus adesse mihi*] Allusit fortasse ad locum Ennii Annal. I. 1. 'Inde mihi species semper florentis Homeri Exorients, visa est lacrymas effundere salsas Cœpisse,' &c. Ab Ennio

illustrabitur Lucretius, nam hic ab illo, 'Unde sibi exortam semper florentis Homeri Commemoratur speciem lacrimas effundere salsas Cœpisse.' Signate vero et proprie Poëta *visus* adesse, ut indicet, non quidem apparuisse Hectorem, sed visum ex somni elusione. Refellens Cicero gentium superstitionem, loquens de dracone, qui Alexandro in somnis apparuit, ita ait, 'non enim audit ille draconem loquentem, sed est visus audire.' Divinat. l. II. *Cerda*.

*Largosque effundere fletus*] In Mediceo codice, *refundere* legitur, sed *effundere* acceptius. Quia etiam nonnulli codices, *fuctus* habent. Sed nulli *fletus* non castior lectio videtur. *Pierius*.

*Largosque effundere fletus*] Simplex apud Ovid. Met. XI. 672. 'fletus quoque fandere veros.' et vs. 657. 'fletu super ora refuso.' et vs. 418. 'lacrimisque genas maduere profusis.' *Emmeness*.

272 *Raptatus*] Id est, tractus: frequentativo utitur, ut supra. *Servius*.

*Bigis*] Secundum artem dixit: quæ exigit, ut quæ de pluribus constant, plerale tantum dicantur: ut *bigas, quadrigas, mappas*. Sed hæc plerumque corrumpit auctoritas; ut Horatius, 'Ne sordida mappa.' Item Statius, 'Rorifera gelidum tentaverat aëra biga.' *Id*.

*Raptatus bigis*] Incerti poëtæ versus leguntur apud M. Tullium Tullianum. l. I. 'Vidi videre quod me passa ægerrime Curru Hectorem quadrijugo raptarier.' Sumpsit autem ab Homero ex Iliad. X. *Ursinus*.

*Cruento Pulvere*] Hunc pulverem crebre et sudore mixtum Græci *λόθρον* vocant. *Germanus*.

273 *Trajectus lora*] Trajecta lora habens: ut, 'Nuda genu.' *Servius*.

274. *Hei mihi*] Ennii versus. Et totum jungendum, ne doloris distinctione frigescat. *Idem*.

*Hei mihi qualis erat, &c.*] Non dissimilia a Virgilianis sunt illa Ennii in

Telamone: 'Hicne Telamon ille est, modo quem gloria ad cælum extulit: Quem adspectabant, cujus ob os Graji ora obvertebant sua?' neque Liviana de Horatio, qui Cariatias interfecerat: 'Hunicine, quem modo decoratum, ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis?' Habentur hæc l. I. et dicuntur patris Horatii ore. Ovidius quoque Metam. VI. similes affectus excitat: 'Heu quantum hæc Niobe, Niobe distabat ab illa, Quæ modo Latois populum summo moverat aria, Et mediam tolerat gressus resupina per urbem.' Huc etiam pertinet duplex Senecæ locus, in Hippolyto, et in Cætæo, ubi ex præterita pulchritudine Hippolyti, et præterita virtute Herculis, affectus excitantur. *Cerda*.

275 *Exuvias indutus Achillei*] Hoc est arma, quæ occiso Patroclo ademit, quæ Vulcanus Peleo fecerat. Celavit autem mortem Patrocli ad laudis augmentum. *Indutus* autem accusativo jungitur, ut hoc loco; sed magis septimo casu, quo nunc utimur, ut in decimo: 'Prædonis corpore raptis Indutus spoliis.' *Exuvias* autem tantum plurali dicimus numero. *Servius*.

*Exuvias indutus Achillei*] In antiquis exemplaribus *Achillis* habetur, recta declinatione, non enim hic *Ἀχιλλεύς* illud Servianum timendum est. Suntque aliquot exemplaria, in quibus *exuviis* legatur septimo casu. Utrunque Latinum est. Sed *exuviis* quarto casu placere magis eruditus viris. Denum et *inductus* ab *induco*, in per vetustis aliquot exemplaribus habetur. Sane scriptum ab Augusto Tranquillus ait: 'Si mane sibi sinister calceus pro dextro induceretur:' et apud Plinium: 'Divus Augustus prodidit sibi calceum præpostere inductum.' Placet tamen *indutus* ab *induo*, ut vulgo habetur. *Pierius*.



*Exuvias indutus Achillei*] Hanc fabulam Hyginus narrat f. 106. Ovidius *Epist. Heroid. 1.* 'falsis cecidisse sub armis Menœtiaden' dicit, quia Achillis erant. Rem totam tradit Homer. *Iliad. II. Emmeness.*

*276 Phrygios ignis*] Flammas Trojanas, quibus Protesilai navis incensa est. Constat enim naves Græcorum flammis oppugnatas ab Hectore. *Serv.*

*Phrygios jaculatus ignis*] Hom. *II. II. 81.* *μη δὴ πρὸς αἰδομένοιο Νῆας ἐνιπφῶσι.* Uthoc loco *Phrygios*, Ovid. *Metam. XIV. barbarum ignem* appellat, vel *Dardanum*, emendante Nob. Heinssio, quem illic consulit. Noster etiam in princ. l. i. 'ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.' Horat. *Od. l. i.* 'rubente Dextera sacras jaculatus arces,' pro *potere, ferire*, ut Lambius ibi plura. *Emmeness.*

*Puppibus*] Pro in *puppes*. *Servius.*

*277. Squalentem*] Modo sordidam, alibi lucentem: ut *Æneid. x.* 'per tunicam squalentem auro.' *Servius.*

*Barbam*] Singularem numero hominum, plurali vero quadrupedum dicimus. Unde dubitatur, de quibus dixerit, 'Stiriaque impexis induruit horrida barbis.' *Idem.*

*Et concretos sanguine crinis*] Non sine ratione etiam hoc de crinibus dolet *Æneas*, quia illis maxime Hector commendabatur, adeo ut etiam tonsura ab eo nomen acceperit, sicut Græci poetæ docent. *Idem.*

*Concretos sanguine crinis*] Sic Stat. *Theb. l. II. de Sphyngē*: 'concretis infando sanguine plumis.' *Emmeness.*

*278 Vulnere illa gerens, &c.*] Ant gerens, velut iniqua proferens, et ostentans, quæ a Græcis pugnans pro patria susceperat; aut quia, ut Homerus dicit, in Hectorem extinctum omnes tela jecerant, more majorum. Unde est, 'bis sex thoracea petitus Perfossamque locis:' propter duodecim populos Tusciæ. Duodecim enim Lucumones, qui reges sunt lingua Tuscorum, habebant. Unde est,

'Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.' *Servius.*

*279 Accepit*] *Vulnera accipere* nota locutio, cujus plurima exempla congestit Hadrian. Cardinalis ex optimis scriptoribus. *Emmeness.*

*Utro*] Quia ratio exigebat, ut loqueretur ille, qui venerat. *Servius.*

*Videbar*] Et hic ostendit imagines non esse veras. *Donatus.*

*280 Conpellare*] Adloqui. *Servius.*

*Conpellare*] Melius, quam *appellare*: ut alibi, *collucent, congenuit, collustrans, coorta, oblecta, &c.* Scal. *IV. 16. Taubmann.*

*281 O lux Dardaniæ*] Quasi dies noster, per quem certi eramus de luce, id est, de vita; tanquam occiso Hectore omnes se extinctos credant. *Servius.*

*O lux*] Errorem describit dormientis, ut quod optime norat, quasi nescius, interrogaret. *Donatus.*

*O lux Dardaniæ*] In antiquis aliquot codicibus legere est *Dardanidum*. Tametsi non nescimus ex Mnasea *Dardaniam* regionem appellatam, quæ *Troas* prius vocabatur. *Dardanus* porro Troadis oppidum est Stephano. *Pierius.*

*O lux Dard.*] Ex Ennio sumptum, docet Macrobius *VI. 2. Taubmann.*

*Spes o fidissima*] Bene per contrarium. *Spes* enim semper incerta; in Hectore *fidissima*. *Servius.*

*O fidissima*] Ut præteream quod in antiquis codicibus scriptum est ex instituto Augusti, *spes o fidissima*: illud me magis movet, quod in vetustissimo quodam codice litteris, propter vetustatem caducis, difficile est discernere, utrum *fortissima*, an *firmissima* sit adscriptum. Sed enim, ut *firmissima* non improbarim, ita *fortissima* nunquam admiserim: decenter enim *spes* aut *firma*, aut *fida* ponitur. *Pierius.*

*283 Exspectate*] *Expectatus* est: pro *expectatus*. *Servius.*

*Ut te*] Ordo est: *Ut defessi aspiciamus*, id est, quasi defessi. *Idem.*

285 *Indigna*] Aut te indigna, aut crudelia. *Idem.*

*Serenos*] Hilaris, antiqui; et e contrario tristes, nubilos dicebant. *Idem.*

286 *Fœdavit*] Cruentavit: ut, 'Sanguine fœdantem.' Et bene permansit in translatione, quia supra dixerat, *Ø lux*. Ideo et *serenos*, ideo et *fœdavit*. Nam Salust. de nubibus, 'Fœdare lumen.' *Idem.*

287 *Ille nihil*] Scilicet ad interrogata. Pleraque enim verba ex negotiis accipiunt significationem. *Idem.*

*Vana*] Falsa. *Idem.*

288 *Gemitus*] Nec enim parvus dolor est, viro forti fortem fugam suadere. Et notandum omnes suavis partes hoc loco contineri. *Idem.*

*Gemitus imo de pectore ducens*] Est hoc, quod Pindarus Nem. Od. iv. γλῶσσαι φρεσὶς ἔξ' ὅλοι βαδελας. *Cerda.*

289 *Fuge, nate Dea*] Propositio est. *Servius.*

*Hec fuge*] Viro forti fugam suadet, quam non suaderet, si sperasset aliquid, cui posset subveniri. Mox subnectit causam, quæ omnem vim desperationis continet. *Donatus.*

*Hic*] Δευτικῶς. *Servius.*

*Hic*] Δευτικῶς. Virgilio hæsit Flac. Argon. vii. 'Sed magis his miseram, quantum potes, eripe curis.' *Cerda.*

*Eripe flammis*] Utile. An necessarium? *Hostis habet muros*: An honestum? *Sacra suosque tibi commendat Troja penates*. *Servius.*

290 *Hostis habet muros*] Secunda desperatio. Muros scilicet, quibus se tutari potuissent. *Donatus.*

*A culmine*] Vel a dignitate sua, vel vere culmine, id est, a tectis suis: et ideo *culmina* dicta sunt tecta, quia veteres de culmo ædificia contegebant. *Servius.*

*Ruit alto a culmine Troja*] Tertia desperatio, id est, roncudit jam, cui potestas subvenerat. *Donatus.*

*Ruit alto a culmine Troja*] In Mediceo codice non est a præpositio; sed supra *alto* ab κατὰ παράφρασιν nota-

tum: vulgata tamen lectio, quæ est *alto a culmine*, satis pluribus facere videtur. *Pierius.*

291 *Sat patriæ Priamoque datum*] Ecce et hoc honestum, nam contra fata venire constat neminem posse. Ergo, *Sat patriæ Priamoque datum*, vel regnasse; vel sat pro patria, id est, Priamo, militasse. *Servius.*

*Sat patriæ Priamoque datum*] Ut Priamo venisse interitum denotaret. *Donatus.*

*Sat patriæ Priamoque datum*] Infra l. ix. 'Sat fatis Venerique datum.' *Germanus.*

*Si Pergama dextra*] Quasi dicat, contra tantam vim, nihil valere humanam virtutem: et probat; quæ si possent defendi, defensa fuissent hac scilicet mea dextra. *Donatus.*

292 *Etiam*] Multi distinguunt, ut sit adhuc: ut, 'Etiam currus, etiam arma tenentem.' Intelligunt enim enim ostendere voluisse, Trojam voluntate divida certo tempore esse defensam, et nunc si salutem tenere per fata potuisset, ipsius quoque dextera potuisset defendi. Sed melius est, *etiam hac*: ut et particeps gloriæ sit Æneas, et Hector arrogantiam vitet. Quidam *etiam*, pro *denique* vel *postremo* accipiunt. *Servius.*

293 *Tibi*] Merito tibi, quod religiosus es et pius. *Idem.*

*Commendat Troja Penates*] Ecce iterum a necessario, nam sacrilegium est non liberare commendatos penates. Et non *Ego*, sed *Troja*, ut videatur patriæ præstare, quod fugiat. *Idem.*

*Sacra suosque tibi commendat*] Non est ergo flagitium quod fugiat, cum patria suos deos fuga liberandos velit. Nimum etiam religiosum probare voluit, cum ipsis religionibus conservandis sit aptissimus, aut etiam diis potio-rem. Nullus enim commendatur inferiori. De his diis meminit in themate: 'Inferretque deos Latio.' Omni ergo culpa vacat fugiturus, si fugam suadet imago viri fortis: et patria

concedit fagam, et deorum sacrorum-que societas. *Donatus.*

*Penates*] Id est, Deos Trojanos, quibus Romæ ædes post exstructa est in Velia in colle Palatino. Vide Donat. de urbe Roma III. 3. duos adolescentes faisse ligneos sedentes et pile tenentes affirmat Dionys. Halicarn. I. 1. Vestam in his numinibus numeratam, quæ avecta sunt, ex vs. 296. cognoscet: et nostro adde Macrob. Saturn. III. 4. *Emmenes.*

*294 Fatorum comites*] Cæterum a possibili, quia occurrebat, 'Hostis habet muros:' dat ei comites deos; et scite ait *fatorum*, ne Æneas diceret, quo mihi eos comites? *Servius.*

*Fatorum comites*] Adjuvabant tua fata, cum tui comites fuerint. Quid enim potuit Æneas, si dii ipsi non potuerunt? *Donatus.*

*Fatorum comites*] *Possibile.* Quia occurrebat, 'Hostis habet muros:' dat ei comites deos, qui *ἑτορον* faciunt *ἑτορον*. Videatur et Scalig. Poët. III. 11. *Taubmann.*

*His mania quare*] Hoc est, dum conderet urbem inferretque deos: et multi *quare*, distinguunt, et sic subjungunt, *Magna pererrato statues quæ denique Ponto.* Non enim magna mœnia inventurum promittit, sed magna facturum. Nam et dii penates in III. ita monent, 'Tu mœnia magnis Magna para.' *Servius.*

*Mania*] *Lavinium.* Alii *Romam* censent innui, quia addiderit, *magna*: et alludi ad Monarchiam Augusti. *Taub.*

*295 Magna*] Quia magni sunt dii. Et proponit spem futuri temporis, ut sit toleratio præsentis calamitatis. *Donatus.*

*Pererrato*] Una pars orationis. Hoc autem verbo ostendit erroris longinquitatem. *Servius.*

*Pererrato ponto*] Ut ostenderet se vera insinuare, prædixit prospera, et his laboriosa addidit. *Donatus.*

*Pererrato*] Sic noster Ecl. I. 'pererratis finibus.' Ovid. Fast. IV. 589. 'orbe pererrato.' Apulej. VIII. 'non

paucis pererratis casulis:' sic legit Pricæus, pro *percuratia*. *Emmenes.*

*Quæ*] In codice Longobardico et aliquot aliis qui, non *quæ* legitur, ut sit, *Qui denique statues ea magna pererrato ponto.* Sed enim magis placet, quod in vulgatis habetur exemplaribus, *quæ mania.* *Pierius.*

*296 Vittas*] Id est, pepla Minervæ. Nam ipsum Palladium jam ab Ulysse raptum erat. *Hortens.*

*Vestam*] Deam ignis, quæ ut supra dictum est, Terra est. Quæ in medio mundo librata, vi sua stet, et ignem intra se habeat. Alii de igne divino hoc volunt dictum; quod e vi sua stet, inde *Vestam.* Sed in primo libro dictum quos deos penates ab Ænea advectos diversorum opinio tradiderit; quod etiam singulis locis, ab de penatibus varias opiniones poëta secutus dixerit, notatum invenitur. Hic ergo quæritur, utrum *Vesta* de numero penatum sit, an comes eorum accipiat, quod cum Consules et Prætores, sive Dictator, abeuntes magistratu, Lavinii sacra penatibus simul et Vestæ faciunt. Unde Virgilius, cum præmisisset, 'Sacra enosque tibi commendat Troja penates,' adjecerit: 'Et manibus vittas Vestamque potentem:' sed *potentem* potest ad illud accipi *θεὸς δυνατὸς*, sicut vocari *penates* dictum est. Nonnulli tamen *penates* esse dixerunt, per quos spiramus et corpus habemus, et animi rationes possidemus. Eos autem esse, Jovem æthera medium, Junonem imum aëra cum terra, summum ætheris cacumen Minervam: quos, Demarathi Corinthii filius Samothracis religionibus mystice imbutus, uno templo et sub eodem tecto conjunxit. His addidit et Mercurium, sermonum deum. Hos Virgilius *θεὸς μεγάλους*, ut, 'Iunonis magnæ primum prece numen adora:' *θεὸς δυνατὸς*, ut, 'Dominamque potentem:' *θεὸς χριστὸς*, ut, 'Et bona Juno:' quæ propter admonitionem locis suis notata sunt. *Servius.*

*Vestamque*] De Vesta atque igne

inextincta videntur Cælius Rhod. Antiq. Lect. xv. 14. Quædam etiam superius e Parrhasio attulimus, ad v. 154. 'Vos æterni ignes,' &c. *Taub.*

297 *Æternumque adytis effert penetralis ignem*] Quod in templo Vestæ ignis æternus est: ecce ipse exposuit, quid sit Vesta. *Servius.*

*Æternumque adytis*] Hunc ignem Eurip. in Androm. respexit: οὐδ' ἐστὶν ἐπιβόησαν ἐν τροίᾳ θεοῦν λείλαπτε θυόειο καννύ. Hunc ignem, Romam Troja delatam ab Ænea, prodiderunt multi auctores: et annoit illud Propertii: 'Nam Vesta Ilhacæ felix tutela favillæ Culpam alit, et plures condit in ossa faces.' Huic sententiæ astipulatur et Livius, qui Vestæ sacra, ut vetustissima ab Albanis accepta, tradit, a Numa autem primum Romæ instituta. Ignem quoque Vestæ consecratum constat ea cura servatam, ut per negligentiam forte extinctum, nequaquam ex alio igni reconstitui et resuscitari fas esset, sed accensa per fomites ex seie flamma, purum et cælestem iguem elici sacra imperasse. Cic. de legib. l. iii. 'Virgines Vestales in urbe custodiunt ignem foci publici seu paternum.' *Germanus.*

*Æternumque adytis effert, &c.*] Dubitari potest, an una cum Vesta eductus quoque ignis ab Hectore: an vero, tantum ignis eductus fuerit, qui idem cum Vesta. Vestam enim sub formâ ignis Romani coheruerunt, dicente Ovid. in Fast. l. vi. 'Nec tu aliud Vestam, quam vivam intelligo flammam.' *Cerda.*

298 *Divosa interea*] Hæc est præconomia. Ait enim Æneam non fuisse preditorem, sed propter longinquitatem domus, et tardè bella cognovisse, et facilius evitasse discrimen. *Serv.*

299 *Magis atque magis*] Iteratione sermonis fecit augmentum, ac si diceret, magis ac plus: sed propter metrum non potuit: sic etiam et in diminutione, velut si dicat: et minus

atque minus, et ut ut, pro utamque. *Idem.*

*Et magis atque magis*] Geminatio ista aliis usitata, Catullo imprimis, 'Notescatque magis mortuum, atque magis: iterum 'magis et magis indies.' Ita et Græci geminant, μᾶλλον, μᾶλλον. Vide longam Notam Hieron. Columnæ ad Ennium. *Cerda.*

300 *Anchisæ domus*] Satis religiose locis omnibus quamdiu vivit Anchises, ei universa concedit: ut alio loco, 'Et, pater Anchises dare fatis vela jubebat.' *Servius.*

*Quamquam secreta parentis Anchisæ domus*] Hæc Æneæ domus ubi fuerit Strabo explicat l. xiii. his verbis interpretis: 'Scopsius putat Æneæ regiam Scepsin fuisse, quæ media erat inter regionem illi subditam, et Lyrnessum, in quam ab Achille agitata fuisse dicitur: dicit enim Achilles, Nonne memor, cum te sequeretur montana per Idæ, Tu fugeres curæque celer Lyrnesson adires? Alius a Poëta ad procerum Romanorum luxum, ac delicias, qui etiam in urbe lucos in domibus haberent: unde et Tibull. l. iii. 'Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.' Habita quoque est ratio decoris, nam principis Æneæ domus esse debuit Augustalis, et permagnifica. In verbo motus recessit jucunda est metaphora, cum sermo sit de re hærente: sic Catull. Arg. 'quacunque opulenta recessit Regia.' et Virg. in Æn. viii. 'Hic spelunca fuit vasto summtota recessu.' Plinius vi. 8. 'Longissime hæc Ponticarum omnium introrsus recedens: et c. 13. 'ad Mæotin lacum discedens.' Alter Plinius Epist. l. ii. de villa sua ita scribit: 'Decem et septem milibus passuum ab urbe recessit: et l. v. loquens de Tuscorum parte quadam, 'hi procul a mari recesserunt.' *Cerda.*

*Arboribusque oblecta*] Laus domus. *Servius.*

*Recessit*] A frequentia se removit;

et est speciosa translatio, quotiens rei mobilis ad immobilem, vel e contra transfertur officium. *Idem.*

301 *Clarescunt*] In antiquissimo codice legere est, *concrescunt sonitus*, superaddita etiam paraphrasi, *spissantur*. Crescere enim et *concrecere* de sonitu non sine horrore dici potest. Hic vero non clamores tantum, sed et armorum concussionem, et corruentium ædium fragores audiebantur. Ut opus esse videatur verbo, plenius aliquid resonante. *Pierius.*

*Ingruit*] Invasit: ut, 'Ingruit Æneas Italia, et prælia miscet.' *Serv.*

302 *Excutior somno*] Ut appareat terroris esse, non satietatis: clamoribus et sonitu interruptus est, ut non ipse somnum excuteret, sed somnus ipsum. *Idem.*

*Excutor*] Non dixit *expergiscor*, quod esset aut ex satietate somni, aut ex animi tranquillitate. Quies ergo dormientis abrupta est. *Donat.*

*Excutor somno*] Hom. sæpe *ὕπνου ἐξέθορε*, et *σεύρο*. Et Od. B. *ἔρυν' ἄρ' ἐξ εὐνήφιν Ὀδυσσεύς φίλος υἱός* et Æsch. in Eumen. ἀπολακτίζειν ὕπνον. Et Orph. Argon. *δολὸν ἐξέσσαντο ὕπνον* et ἄλτο δ' ἄρ' ἐξ εὐνῆς. *Germanus.*

*Excutor somno*] Sic Ovid. Fast. iv. 555. 'Excuitur somno stulte pia mater:' et vs. 667. 'Excuitur terrore quies.' Apulejus l. iv. 'somno recussa:' et l. viii. 'excussa quiete.' *Emmeness.*

*Et summi fastigia tecti*, &c.] Ut posset vel videndo per flammam, vel audiendo cuncta percipere. *Donatus.*

303 *Arrectis auribus*] Translatio ab animalibus, quæ ad omnem sonum erigunt aures. *Servius.*

*Arrectis auribus*] Sic vs. 173. 'luminibus arrectis:' et Æn. i. 152. 'silent arrectisque auribus adstant.' Vide, quæ illic Cerdà notavit. *Emmeness.*

304 *In segetem*] Comparatio humilis, quæ tamen plurimum habet energæ. Videatur Scalig. v. 3. *Taub.*

*Cum flamma furentibus austris*] Ubi

que bene vis aquæ et ignis bello comparatur, quia utriusque rei prope unus effectus est. *Servius.*

*In segetem veluti cum flamma*, &c.] Macrob. Saturn. v. 13. Virgilium in hac comparatione non æquare dicit Homerici carminis majestatem, quod invenias Il. B. 455. Hic *segetem* Non. Marcell. fructus frumenti interpretatur. *Emmeness.*

305 *Rapidus*] Quare *rapidus*? quia montano flumine fluxit, ut, 'Largoque humectat fluminis vultum.' *Serv.* *Torrens*] Fluvius qui æstate siccat; unde et nomen accepit, cui Græci per contrarium dedere vocabulum. Nam *χειμάρροον* dixerant, a tempore, quo crescit: sicut æquinoctium *ισσημεριον*. *Idem.*

306 *Boum labores*] Ut alibi: 'nec tamen hæc cum sint hominum decumque labores.' *Idem.*

*Boumque labores*] *Ἔργα βοῶν*: etenim Græcis *ἔργον*; Latinis labor signatissimæ sunt voces, et *κατ' ἐξοχὴν* pertinentes ad agriculturam. Itaque quod Virgilius dixit, *Hominumque boumque labores*, reddi ex Homero potest *βοῶν καὶ ἀνθρώπων ἔργα*. Ergo quoties *ἔργον* in re agresti occurrat, reddes melius *laborem* quam opus: sic Ritt. illud Oppian. *κυρηγ. ii. ἔργα βοῶν θαλερὰς βέβριθεν ἀλυσάς*, reddit, *labores boum florescentes onerant arena*. Et Xenophon de Proventibus *ἀργυρεῖα*, id est, *fodinas argenti*, vocat *ἐνεργὰ*, propter laborem, qui in illis impenditur, et l. v. *ἀπομνημ.* terram cultam vocat *ἐνεργόν*, propter eundem laborem: inde *ἐργατῖναι* Oppiano, et *ἐργατόνοι* Leonidæ Anthol. ii. agricolæ sunt nulla re addita: et a Bione in Ecl. *χειμὼν δὲσεργος* dicitur, quæ Horatio, *bruma iners*, quod hienas agriculturalum laboribus inepta sit. Porro *ἐργατῖνας* appellatos quoque *χειμάρρονας*, et *ἀποχειμάρροους* notum his, qui libarunt Græca. *Cerdà.*

307 *Præcipitesque trahit silvas*] Hoc speciale fluvii est: supra dicta vero

etiam ignis. *Servius.*

*Inocius*] Non ignarus: nam videt, sed qui non valde sit caussarum peritus, id est, simplex, *ἄπειρος.* *Idem.*

308 *Saxi de vertice*] Pro montis. Contra in sexto, montem pro saxo posuit; ut, 'Prensantemque unis manibus capita aspera montis.' *Idem.*

*Saxi de vertice*] Ut hic vertex de monte, ita Plinius II. 44. 'montium vero flexus, crebrique vertices.' in *Æn.* VI. caput dedit, quod vicinam vertici, 'capita aspera montis.' *Cerda.*

309 *Manifesta fides*] Non omnii, ut quidam volunt, sed fraudis Græcorum. Nam et hoc sequitur. *Serv.*

*Danumque patescunt insidiae*] Quamvis alii hoc ad Laocoontis interitum, alii ad responsa Cassandræ applicassent. *Idem.*

310 *Jam Deiphobi*] Quia ipse post mortem Paridis Helenam duxit uxorem. Unde ei graviter Græcos constat esse iratos, de quo plenius in sexto narratur. *Idem.*

*Jam Deiphobi*] Narratis quæ audierat, ponit quæ videbat. *Donatus.*

311 *Volcano superante*] Id est, minis magna incrementa faciente: inde dictus Volcanus Varr. de L. L. I. IV. 'ab ignis violentia.' Eadem locutio, 'Superante salo:' de Volcano pro ignis actum Ge. I. 295. 'Volcano decoquit humorem.' *Emmenes.*

*Proximus ardet Ucalegon*] Proximus Deiphobo, rem domus ad personam transtulit, et est τὸ ἀγρίον, hoc est causativum; ideo enim ardet, quia proximus est: ut, 'Mantua vix miseræ nimium vicina Cremonæ.' Bene ergo proximam Deiphobo domum dicit invasam, apud quem Helena fuerat. Secundum Ucalegontem posuit, quem juxta Homerum in consiliis et amicitia constat Priami fuisse. *Servius.*

*Proximus*] Ne quis dicat nos super antiqua scriptione curiosos nimis, si *proximus* in ant. cod. scribi dixerimus. Apud Carisium quoque ita scriptum invenimus antiquo codice. Ubi lo-

cum citat Crispi ex III. unde Virgilius locum desumpserit. 'Non tu scis, si quas ædis ignis cepit acriter, haud facile sunt defensu, quin comburantur proxima.' *Pierius.*

312 *Ucalegon*] Ejus meminit Hom. II. Γ. 148. Οὐκαλέγοντε καὶ ἀντήνωρ, πεπνυμένοι, ἔμφοι, ἔλατο θυμογέροντες ἐπὶ σκαίῃσι πύλῃσι, Γῆραι δὲ πολλέμοιο πεπαιγμένοι, ἀλλ' ἀγορήται Ἑσθλοί. *Germ.*

*Jam proximus ardet Ucalegon*] Proverbium Horatianum, 'Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.' Victorium lege Var. XVI. 13. Ucalegontem proverbialiter accepit Juvenalis Sat. III. ab hoc Virgili versu, cum dixit, 'jam poscit aquam, jam frivola transfert Ucalegon, tabulata tibi jam tertia fumant.' *Cerda.*

*Ucalegon*] Eodem modo Horat. Sat. I. 5. 'ubi sedulus hospes Pœne arsit:' id est, domus hospitii. *Emmenes.*

*Sigea*] Duo sunt Trojæ promontoria, Rhæteum et Sigæum; quod dictum est propter Herculis taciturnitatem, qui prohibitus hospitio Laomedontis simulavit abscessum, et inde contra Trojam per silentium venit, quod σιγή. *Servius.*

*Sigea*] Significatur incendii magnitudo, cum in ipso horrore tenebrarum Sigææ undæ clare cernerentur ab illucente Trojano igne. Sigæi promontorii meminit Plinius IV. 11. et Strabo Geog. I. XIII. a quo promontorio hic freta dicuntur Sigæa: in VII. campi Sigæi, 'num Sigæis occumbere campis.' Idem Strabo eodem libro meminit urbis ejusdem nominis, ut cum ait, τὸ Σίγειον, κατεσπασμένη πόλις: Sigæum, urbs diruta. *Cerda.*

*Freta lata relucent*] Incendii magnitudinem voluit significare: non hoc quidem describere. *Lata* autem ideo, quia se angustiae Pontici oris illic dilatant. *Servius.*

313 *Clamorque circum*] Sive qui cædebantur, sive qui cædebant. *Idem.*

*Exoritur clamorque circum*] Eo pertinet, quia dixit: 'Tum vero mani-

festā fides,' &c. Quantus autem fuit affectus Æneæ, qui nec somnio Hectoris admonitus, neque manifesta captivitate urbis deterritus, arma cepit? *Donatus.*

*Clangor*] Græcorum est. Nam *κλαγγή* dicitur. Illud sane sciendum est, quia morem tetigit expugnationis. Plerumque enim ad urbem evertunt civitates: sicut Albam Tullus Hostilius jussit everti. *Servius.*

314 *Amens*] Qui nec somniis credidi; nec rebus aspectis. Quamvis quidam sic expovant: *cipio* non manibus interim, sed animo, nam intentio erat: ergo *cipio*, placet mihi sumere. *Idem.*

*Amens*] Omnibus adversis, mente turbata, non in fugam, sed in arma convertitur. Et querit manum socerum, quibus arcem, amissis jam mœnibus, defendat. *Donatus.*

*Arma cipio*] Sic et Græcis *ἄρμα λαμβάνειν* familiare. *German.*

*Arma amens*] Notetur anhelitus in iterata vocalis vastitate. Sic Æn. v. 'sale saxa sonabant.' Vide Scalg. iv. 48. *Tausmann.*

*Sat rationis*] Quoniam amens, ideo nec sat rationis: aut ostendere vult primam ei cogitationem fuisse de patria, sed subveniendi ei armis nullam fuisse rationem, ardente jam patria: quomodo enim incensam civitatem defenderet? *Servius.*

*Nec sat rationis in armis*] Non mirum est, me arma cepisse sine ratione: furor enim et ira mentem præcipitant hominum. Porro ad hunc locum Scal. iii. 11. 'Acuit, inquit, eam fortitudinem in summa rerum trepidatione, atque desperatione, ita ut etiam exeat in audaciam: Arma amens cipio, nec sat rationis in armis.' quippe solus: quod quibus? neque dux, neque sub duce. Sperat tamen, proponitque sibi viri fortis factum: 'sed glomerare manum,' id est, cives ad bellum cogere: apponit consilium: 'et concurrere in arcem:'

adjungit ferociam, quasi stimulum virorum fortium: 'furor itaque mentem præcipitant.' Itaque concludit, 'pulchrumque mori succurrit in armis,' &c. Vide ibidem plura. *Tausm.*

316 *Bello*] Ad bellum. *Servius.*

*Concurrere in arcem*] Quod inde facile possit pugnari cum hostibus. *Idem.*

316 *Furor itaque mentem præcipitant*] Potest quidem specialiter accipi, id est, mentem meam furor et ira præcipitaverunt: sed melius est generaliter: non mirum est, me arma cepisse sine ratione: furor enim et ira mentem præcipitant hominum. *Idem.*

317 *Pulchrumque mori*] Non erat spes victoriæ, sed armatus magis quam inermis, pulchram mortem ignominiosæ vitæ præponebat. *Donat.*

*Succurrit*] Ratio viri fortis, quid enim aliud a bono cive et forti, amissæ patriæ possit impendi: et succurrit, in animum venit. *Servius.*

318 *Ecce autem*] Adventu Panthi spem conceptam arcis defendendæ amittit. At ille non metu hostili deterritus erat, ut non ferret secum quicquid deorum in arce colebatur. Portabat enim sacra, et deos victos, ut ostenderet humanarum auxilium adversus eam vim non fuisse necessarium, cui ipsi quoque dii resistere pro se non poterant. *Donatus.*

*Etapsum*] Verbum aptum his, qui vix evaserunt. *Servius.*

319 *Panthus Othryades*] Eversio Ilio ab Hercule, et occiso Lamedonte, Priamus judicans vitio potius loci, quam ira deum calamitatem accidisse patriæ, misit Delphos filium Antenoris scitaturum, an eversum Ilium fas esset hisdem erigi fundamentis. Erat eo tempore Apollinis Delphici sacerdos Panthus, Othryadis filius, miranda pulchritudine: hunc filius Antenoris, ut dicitur, amore captus, rapuit, et Ilium perduxit, cujus injuriam Priamus volens

honore pensare, sacerdotem eum Apollinis fecit, ut quo honore insignis apud suos fuerat, eo apud alios non esset inferior. *Servius*.

*Panthus*] Panthum hunc magnæ apud Trojanos auctoritatis fuisse constat ex narratione Dietyis Bel. Trojan. l. ii. ubi post longam Ulyssæ orationem de componenda pace, primus omnium loquitur, deinde Antenor, mox seniores alii. Et Epig. l. v. dicitur Panthus *Τῶν Βουλκφόρος*: Trojanorum consiliator. Homer. II. iii. cum multos Trojanorum proceres constituit in portis Scæis bellum spectantes, post Priamum statim Panthum nominat, cum tamen ibi multorum et gravissimorum mentio fiat. *Cerda*.

*Arctis Phœbique sacerdos*] Aut subrogatum, intelligimus: aut, quod melius est, morem Romanum tangit: in Capitolio enim omnium deorum simulachra colebantur. Ut sit illius Apollinis sacerdos, qui in arce colebatur, non alterius, ideo addidit *arctis* quasi arcani: quia ipsum esse dicunt urbium conditorem: aut *arctis* Minervæ accipiamus. *Servius*.

320 *Sacra manu*] Quod Hector dixerat, 'Sacra suosque tibi commendat Troja penates.' *Idem*.

*Sacra*] Per *sacra* hic intelligo vitas, volamina, et alia quævis, quæ ad numina pertinent, nam tautologiam non concedam. *Cerda*.

*Victosque deos*] Qui egebant sacerdotis auxilio. Simul et Æneæ excusatur abcessus. *Servius*.

321 *Ipe trahit*] Id est, qui numina liberat, inter pietatem religionemque districtus: et est septima syllepsis. *Trahit* enim, licet ad nepotem pertineat, tamen et superiora concludit. *Servius*.

*Nepotem trahit*] Infra de Andromache: 'et avo puerum Astyanacta trahabat.' *German*.

*Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem Ipe trahit*] Sanctius trahit. *Delph. et Var. Clas.*

*his* non vult referri ad superiora, sed supplendum fert vel *portat*, nempe manu. Eum vide p. 388. *Emmen*.

*Cursu*] Legitur et *cursum*. *Serv.*

*Amentis*] A tutis exclusus, ad intuta fugiens, ostendebat plenam amentiam. *Donatus*.

*Ad limina*] Æneæ et religio laudatur, et virtus. *Servius*.

*Ad litora*] In Oblongo codice perveteri, et in Medicæo, et plerisque aliis *ad limina* legitur: quam lectionem Servius agnoscit. Attendendaque est Æneæ virtus, ad quem Sacerdos cum sacris et nepote parvulo confugeret. Eadem lectione sententia diversa, Donatus ait, *Cursusque amentis ad limina tendit*. Tutis exclusus ad intuta confugiens, plenam testabatur amentiam, quum eo fugiens, curreret, ubi cum ipsis diis potuisset incendi. *Pierius*.

322 *Quo res summa loco*, *Panthu*] Respublica, id est, universus status quo loco positus: et bene civis utilis, de Repub. primum sollicitus est, sed hoc totum admirantis est, non interrogantis: et *Panthu* vocativus est Græcus. *Servius*.

*Quo res summa*] Interrogatio brevis, pro ratione temporis sumpta. Quæsitæ etiam pro persona fugientis, et pro ejus, qui licet adversa maturarent, tamen scire capiebat. *Summa rerum* est bonorum et malorum. Concinna diffinitio, qua celerius exprimi possint adversa vel prospera. *Donatus*.

*Quo res summa loco*] Hic plenam locutionem habes, in qua tamen elegans ellipsis est, cum *summa* substantive sumitur. Corn. Nep. in Pelopida cap. 5. 'cujus belli cum ei summa esset data.' Vide Sanct. p. 335. Apposite Plaut. in Mercat. v. 4. 26. 'nam si istuc jus est, senecta etate scortari senes, ubi loci res summa nostra est publica.' *Emmen*.

*Panthu*] Græca crasis, Πάνθοος, Πάνθοος: ut et supra, ab Πάρθοος, Πάρθοος.

*Virg.*

7 U



Illud, *Quo res summa loco?* sumptum fortasse ab Ennio Ann. xvi. 'Quo res ipsa loco sese ostendatque jubetque. In Ennio legunt, *Quo ressum loco.* Vide uti Modicius cap. 7. arrepta ex hoc versu occasione damnet Homeri nimiam loquacitatem in mediis pugnis et bellandi ardore. *Cerda.*

*Quam prendimus arcem?* Cum tu eam relinquis: non enim plures erant arces. Unde admirantis est. *Prendimus* autem, occupamus. Et notanda simul orationis brevitās, quæ in periculis congruit. *Servius.*

*Quam prendimus arcem?* Arx est secunda defensio, ut evictis muris ipsa succedat. Recte ergo quæsitum, *quam prendimus arcem?* Intelligebat enim ex fuga Panthi, arcem captam, neque aliam præterea esse. *Donatus.*

*Quam prendimus arcem?* Admirantis verba sunt, immo increpantis, quare etiam *amens* dicitur: ac si dicat: quo nobis fugiendum, cum tu ad mare tendis, vel alio, arce, quæ in urbe una est tantum, relicta, loco urbis firmissimo et munitissimo: spes enim prima in muris solet esse, secunda in arce, cum hostis irruit. Arx, interprete Asconio, vel *sedem tyranni* significat, vel *editum in civitate et munitiorem ad salutem civium locum*: inde enim *arx* ab *arcendo*, ut *Servius* Æn. i. 24. et *Isidor.* x. 9. *Emmenens.*

323 *Vix ea fatus?* Prædicanda artificiosa subtilitas poetæ in respondendo. Iisdem enim verbis, et eadem brevitate, et instruxit inscium, et quæ summa esset rerum, perdocuit. Ille enim: 'Quo res summa loco, Panthu?' Hic: 'Venit summa dies et ineluctabile tempus,' quod luctando superari non potest. *Donatus.*

*Vix ea fatus eram?* *Homer.* *Odyss.* II. *ὄφρα νῦν εἰπῆτο τῶος.* *Cerda.*

*Gemitu?* Ut ostendat luctuosam rem se esse dicturum. *Servius.*

324 *Summa dies?* Ultima, aut suprema, ut 'supreme Jupiter.' *Dies*

autem, si fœminino genere ponatur, tempus significat: 'ut, 'Quam nec longa dies:' si masculino vero, ipsum diem. Et de masculino genere tria observanda sunt: in qualitate, numero, adverbio. In qualitate, *serenus dies*, non *serena*. Numero: 'Bis quinos silet ille dies,' non *bis quinas*. Adverbio, *hoc die*, non *hac die*. Cæterum *diecula* nihil præjudicat: quia multa diminutiva recedunt a nominibus primæ positionis, ut *acutum*, *scutella*: *canis*, *canicula*: *rana*, *rannaculus*. Id.

*Venit summa dies?* Hunc locum *Macrobius* v. 1. copiosissimæ Orationis citat exemplam. Quis enim fons, inquit, quis torrens, quod mare tot fluctibus, quot *Maro* verbis hic inundavit? *Taubmann.*

*Summa dies?* In fœminino, pro temporis spatio, quod hic observatum a *Marone* *Charisius* notavit inst. *Gramm.* l. i. inde *diecula* apud *Ter.* *And.* iv. 2. 27. pro breviori tempore, ut *Donatus*: in masculino autem duodecim horarum tempus juxta *Asconium.* *Emmen.*

*Ineluctabile?* Quod nemo eluctari possit ut effugiat, cum decem annis luctati sinus. *Servius.*

*Ineluctabile tempus?* Vide eum locum infra: 'Fortuna omnipotens, et ineluctabile fatum.' *German.*

325 *Dardania?* *Trojæ*: aut a *Dardano* *Jovis* et *Electræ* filio, quem quidam ab *Arcadia* profectum venisse ad *Phrygiam* volunt: alii de *Samothracia* ad memorata loca venisse dicunt, qui ex nomine suo *Dardanos* populares appellavit: qui ex *Samothracia* *Trojam* penates dicitur detulisse, quos post secum *Æneas* ad *Italiam* vexit: nam et *Samothraces* horum penatium Antistites suos vocabant, qui postea a Romanis *Salli* appellati sunt: hi enim sacra penatium curabant; quos tamen penates, alii *Apollinem* et *Neptunum* volunt, alii hastatos esse, et in regia positos tradunt. *Tusci* penates *Cererem*, et

Palem, et Fortunam dicunt: aut certe secundum Sallustium, 'A rege Dardanorum Mida, qui Phrygiam tenuit.' *Serrius*.

*Fuimus*] Periiit, quicquid apud nos erat. *Donatus*.

*Fuimus Troes, fuit Ilium*] Plane ex imitatione Euripidis in Troad. sub persona Andromaches ad Hecubam: *πρὸς ποτ' ἦμεν. Ἐκδβ. βέβαιον ὄλβος, βέβαια πόλις. German.*

*Fuimus Troes: fuit Ilium*] Unde fluxerit hæc formula, disputat Politian. Miscell. cap. 88. Verbum *fuit* convenire oppidis, quæ esse desierunt, docet Salmas. Plin. exercit. p. 870. inde proverbium ab omnibus decantatum passim Græcis Tragicis *ἦμεν πόλεις*. Ovid. Epist. Heroid. i. 'Nunc reges est, ubi Troja fuit.' Met. xiii. 429. 'Est, ubi Troja fuit, Phrygiæ contraria tellus.' Propert. eleg. ii. 8. 'Magni sæpe duces, magni cecidere tyranni, Et Thebæ steterunt, altaque Troja fuit.' *Emmen.*

*Ingens Gloria Teucrorum*] Periiit, quicquid apud nos floruit. *Donatus*.

326 *Ferus Juppiter*] Summæ necessitatis est, quoniam cum esset sacerdos, in convitia ruit deorum: quod servat Virgilius, ne unquam tradat *Æneæ*. *Serrius*.

*Ferus*] Invidiose dictum est, et ad tempus epitheton. Nam Juppiter æquus est omnibus; ut, 'Rex Juppiter omnibus idem.' Hinc et paulo post, 'Ipse deos in Dardana suscitavit arma, hoc est, qui æqualis esse consuevit. *Id.*

*Ferus*] Nam in adversis etiam deos male tractamus. *Ferus*. Quia omnibus ad Græcos traductis, nihil nobis reliqui fecit. *Donatus*.

*Argos Transtulit*] Quasi dicat, Qui defendas, quod Juppiter transtulit. *Serrius*.

*Argos*] Non ad Argos, id est, Græcos, sed in eam urbem. *Donatus*.

327 *Dominantur*] Non pugnant, sed, ardente urbe, securi de victoria, dominantur. *Idem*.

328 *Arduus*] Incultus: ut, 'illi ardua cervix,' et ideo 'Demissum lapsi per funem.' *Serrius*.

*Mediis in mœnibus*] Ubi arx fuerat. *Idem*.

*Adstans*] Pro *stans*: et est Prothesis. *Idem*.

329 *Fundit equus*] Homerus *ἰσθόθεν ἐκχόμενοι*. Et ad voluntatem et ad multitudinem sonora, quasi adhuc descendant. *Idem*.

*Fundit*] Nam quamvis jam sedisset, tamen ex perturbatione animi, adhuc equum fundere armatos putabat. *Donatus*.

*Fundit equus*] Ita Petronius, 'Danaï relaxant claustra, et effundunt viros.' *Cerda*.

*Victor*] Propositi effector: ut, 'Rapidosque rotis insistere victor.' *Serv.*

*Miscet*] Scilicet cædibus. *Idem*.

330 *Insultans*] Non dicit illis Græcos insultare, sed Sinonem, qui illis muros patefecerat dolis: et *insultare* est in alienum dolorem gaudere; *exultare* vero gaudere. *Serrius*.

*Insultans*] Refert gratias; nam interventu ejus Trojani certabant illudere capto. *Donatus*.

*Insultans*] Hoc verbo signatur hostile gaudium, et præterea ludibrium, quo victi et prostrati afficiuntur. Florus de occiso C. Graccho iii. 15. 'insultatum quoque mortis reliquis.' Sic iv. 12. de insultatione barbarorum in cæde Variana, Phædr. i. 22. 'fortes indigne tuli insultare mihi.' Just. v. 5. 'At dux Lacedæmoniorum, rebus feliciter gestis, fortunæ hostium insultat.' *Emmeness.*

*Bipatentibus adsunt*] Quia geminæ sunt portæ. Et quidam *bipatentibus* præsumptum accipiunt, quia, *bi*, particula non præponitur, neque verbis, neque participiis; nemo enim *bipatco* et *bipatens*; sed proponitur appellationibus, ut *bipennis*. *Servius*.

*Portis bipatentibus*] Ostendit anam portam, quæ ingredientibus atque egredientibus in muris præparata su-

erat: alteram, quæ, dirutis muris, fuerat patefacta, ut equi moles immensa posset induci. Per has portas dixerat poëta immissos hostes: ut, 'omnes Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.' Verum Panthus eadem ratione adhuc immitti dicit. *Donatus.*

331 *Milia*] Subaudi *tot*, et est, ἀνὰ κόλονθον. Nam dixit *quot*, cum non præmiserit *tot*. Et ita vel augendi gratia, vel perturbatus dixit, tantos esse Græcos, quanti olim venerint, quasi nemo perierit decennali bello, *Servius.*

*Unquam*] Pro quondam. *Idem.*

*Unquam*] Rectius per a scribi Dansquius monet. *Emmenas.*

332 *Obedere*] Causa ponitur cur Æneas et Panthus fugere non possent. *Donatus.*

*Obedere alii telis, &c. Oppositi*] In codicibus antiquis, Mediceo, et aliquot aliis legere est, *oppositis*, quippe *telis*: et ita etiam est in Donatiano codice. Invenio tamen s litteram superfluum sæpe alicujus dictionis fini adjectam, si præsertim dictio sequens ab eadem incipiat, dictantium celeritate librariis deceptis: verum hic nihil est, quod offendant, si *oppositis telis* legere, antiquis magna ex parte codicibus adstipulantibus, cuiquam visum fuerit. *Pierius.*

*Angusta viarum*] Angustas vias, id est, vicos: ut, 'Strata viarum.' *Serv.*

*Angusta viarum*] Sic Lucret. l. 1. 'vera via,' et noster Æn. 1. 426. 'Strata viarum:' illic plura. *Emm.*

333 *Stat.*] Aut horret: ut, 'Stant lumina flamma:' aut *stat*, adstantibus in medio armatis tenetur. *Servius.*

*Ferri acies*] Bene addidit *ferri*, quia homonymum est *acies*, et multa significat, ut exercitus, ferri, oculorum. *Idem.*

*Stat ferri acies*] Sunt codices, in quibus legere est, *stat perniciem mucrone corusco*: quod quia nonnullis alienum a Virgiliana phrasi videbatur,

eram dissimulaturus: verum ubi in Ti. Donati commentaria incidi, animadverti hominem lectionem hanc agnovisse, longa etiam adjecta paraphrasi: ita enim est: 'stat perniciēs: omnia adversa sunt, et in eam desperationis cardinem ducta, ut nec consistere in patria quisquam sine perniciē possit, nec saluti fugiendo consulere.' Sed enim longe magis placet, *stat ferri acies*, ut agnoscat *Servius* et aures adprobant eruditæ. *Pierius.*

334 *Stricta*] Nuda: unde et *disstringere* dicimus. *Servius.*

*Parata neci*] Active, ad necem aliis parandam. Scal. iv. 16. *Trubman.*

*Vix*] Modo ægre. *Servius.*

*Primi*] Vel in primo introitu collocati, vel periculo primi. *Idem.*

335 *Cæco Marte*] Aut confusa pugna, aut nocturna: aut epitheton Martis est, cujus exitus semper incertus est: aut quia cæcantur animas et agmina pugnantium. *Idem.*

*Cæco Marte resistunt*] Varie explicant. Ego nocturnum bellum intellico, quam explicationem secundo loco *Servius* adhibet: et Germ. *νυκτομαχοῦντες*, ait, hoc est, *pugnantes noctu*. Cæda.

336 *Othryada*] Patronymici genitivus; nam Panthus Othryadis filius fuit. *Servius.*

*Numine dicum*] Subaudis *toti*, hoc est, mala injicientē desideria. Nam panillo post ait: 'Vadimus inmixti Danaïs, haud numine nostro.' Cum ergo hoc esset, tamen omisso consilio, 'in flammis, et in arma feror.' *Idem.*

*Numine dicum*] Nam sic sum accensus verbis Panthi, quasi deorum numine sim afflatus. *Donatus.*

337 *Eriannya*] Impatentia animi hoc loco, quæ in furorē impellit. *Servius.*

*Eriannya*] Ita per i et y scribendum; non *Erynais*, quod ex Græcia, quibus *ἐπὺρς* est, demonstrat Dausquius hic,

quavis interpretes arguat Nascim-  
buntus, pro furore bellico sumens:  
*Animi impotentiam* significare videtur,  
seu *impetum immoderatum*, ut colligis  
ex vs. 314. 'arma amens capio:' et  
paulo post: 'furor, iraque mentem  
præcipitant:' *ἔρως* enim est *τῆ*  
*θυμῆς χηρὸς*, iram exercere, indig-  
nari. *Emmenes*.

338 *Fremitus*] Perturbatio. *Serv.*

*Et sublatus*] Et, unde sublatus. *Id.*

*Clamor*] Ergo ibi major erat cædes,  
unde mors facilior. *Donatus*.

*Sublatus ad æthera clamor*] Sic in xi.  
'immensus surgens ferit aurea clamor  
Sidera.' et in v. 'ferit æthera cla-  
mor Nauticus.' Statius Theb. iii.  
'it clamor ad auras Quantus Tyrrheni  
gemitus salis.' ibidem: 'rursus fra-  
gor insonat ingens Hortantum, et  
vasto subtervolat astra tumultu.' et  
Flac. Arg. vi. 'Æthera . . . lituum  
concentus adit.' *Cerda*.

339 *Addunt se socios*] Non dixit,  
quæro socios, sed *addunt se*, ut ipse  
ab illis videatur esse quæsitus. *Serv.*

*Addunt se socios*] Ne narratio mul-  
torum nominum, ex similitudine fiat  
odiosa, misticæ distinguit interposi-  
tione verborum: sed ordina: *Addunt*  
*se socios et lateri adglomerant nostro*,  
*oblato per lunam Ripheus, Iphitus, Hy-*  
*panis, Dymas, et Coræbus per lunam*.  
Nam pricipium hujus noctis luna  
caruit, sequentia habuerunt. *Donat.*

*Maximus armis Iphytus*] In codici-  
bus omnino plerisque, *armis* legitur.  
In aliquot vero aliis *maximus armis*  
habetur, quod inferiori sententiæ re-  
spondet: 'Quorum Iphytus ævo Jam  
gravior.' In nonnullis etiam ex his  
antiquioribus et hic et inferius,  
*Epytus*, scriptum est per *e* prima  
syllaba, et absque aspiratione. In  
aliquot *Ephytus* cum aspiratione. Sed  
*Iphytus* receptum magis. *Pierius*.

*Æpitus*] Nomen idem occurrit in  
posteris Ænæ; fuit enim quamvis ab  
hoc Maronis diversus, postea sic dic-  
tus filius Latini, pronepotis Ascanii,

qui Albam condidit, teste Ovid. Met.  
xiv. 613. 'Clarum subit Alba Lati-  
num: Æpitos ex illo est:' ubi co-  
dices variant, sed *Æpitos* scriben-  
dum, eo in loco Nobiliss. Heinsius  
docet. *Emmenes*.

340 *Oblati per lunam*] Agniti per  
Lunæ splendorem. *Servius*.

*Oblati per lunam*] Qui superius illud  
*silentia Lunæ* accipiant de Lunæ coitu,  
videant in ipsorum capita impluere  
hoc exemplum. Sed adhuc aliqui ibi  
intellexerant, non quidem coitum  
Lunæ, sed tempus illud, quo nondum  
illa orta; et tunc dicunt, illa silet.  
Sed hi quidem viris doctis divinare  
sunt visi; neque enim facile exem-  
plum advocabitur, quo silentium Lu-  
næ sic accipiat, ut ipsi volunt. *Cerda*.

*Oblati per lunam*] Sic sublustri nocte  
visus est Enryalus, de quo Æn. ix.  
373. Quid miramur hos ad splendo-  
rem lunæ cognitos, qua terram illu-  
minante jam inde longius, præcipue  
armati, dignosci possunt? Videndus  
Apulejus Metam. i. vi. *Emmenes*.

341 *Adglomerant*] Adglomerantur;  
ut, 'Nox humida cælo Præcipitat.'  
*Servius*.

*Adglomerant*] Pro *adjungere*. A glo-  
mere dictum teste Non. Marcello.  
Verbum activum pro passivo sumi  
vult Vechnerus Hellenol. sed suban-  
diri potest accusativus, qui aliis in  
locis huic additus est verbo, ut Æn.  
ix. 539. 'Dum se glomerant.' *Emm.*

*Coræbus Mygdonides*] Hic filius  
Mygdonis et Anaximenæ fuit. Ergo  
patronymicum. Nam si gentis esset,  
*Mygdonius* diceretur. Nullius enim  
gentis nomen in *des* exit. Hunc autem  
Coræbum stultum inducit Euphorion,  
quem et Virgilius sequitur, dans ei,  
'Dolus an virtus quis in hoste requi-  
rat?' Quum sit turpis dolo quæsitæ  
victoria. *Servius*.

*Coræbus*] Poëta Homericos versus  
convertit, qui sunt Il. xiii. de  
Othryoneo. Ὅς βα πόν πολέμοιο μετὰ  
κλέος εἰληλούθει. Ἦι τεε δὲ Πριάμοιο

θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην, Κασσάνδρην, ἀνδρόν' ὑπέσχετο δὲ μέγα ἔργον, 'Ἐκ Τροίης ἀέκортаς ἀπώσμεν ὕλας Ἀχαιῶν. Scribit Zenobius hunc Coræbum procerum fuisse corpore, sed ita vecordem, ut undas maris numeraret, quod commeminere Parrhas. Eryt. Eras. Eustath. in Odyss. ix. hunc εἰδήν vocat, *stultum*. Ælian. Var. Hist. xiii. 15. inter homines ἀνοητάτους, admodum fatuos, meminit quoque Coræbi: καὶ Κόροιβον δὲ, καὶ Μελιτιάδην, καὶ ἐκείνους ἀνοητάτους φασίν: Coræbum, et Melitiadem fuisse hebetissimi ingenii memoriæ proditum est. Aristides in 2. Platonica illum oppouit Palamedi, signans Palamedem fuisse sapientissimum, Coræbum stultissimum. Hanc esse ejus mentem satis liquet ex aliis, quos opponit: adi adagium, ἡλιθιώτερος Κορόιβος: *stultior Coræbo*. Hunc interfectum a Diomede Calaber scribit l. xiii. *Cerda*.

[*Juvenisque Coræbus*] Hos versus cum Homericis contendit Scal. v. 3. *Taub.*

342 *Mygdonides*] Paus. Phocens: Κόροιβος ὁ Μύγδορος: Coræbus filius Mygdonis. Dubitant merito docti, an hic Coræbus idem sit, qui dictus Homero *Othryoneus*; nam quæ huic Græcus, Coræbo dat Virgilius: sed hostis, a quo extremum fatum, contrarium indicat; nam Homericus ab Idomeneo occiditur, Coræbus a Diomede: Virgilius enim nihil signate, tantum ait infra, illum cecidisse in tumultu. *Cerda*.

[*Illis ad Trojam*] Deest qui. *Serv.*

[*Illis ad Trojam forte diebus Venerat*] In Mediceo et codicibus antiquis plerisque omnibus, absque relativo qui legere est, *illis ad Trojam forte diebus tenerat*: quæ loquendi figura etiam alibi est apud Virgilium, relativo præterito: ut, 'Urbs antiqua fuit, Tyrii tenere coloni:' subintelligitur, *quam* scilicet Tyrii coloni tenere. *Pierius*.

[*Illis ad Trojam forte diebus Venerat*] Paus. Phocens. ἀφίκετο μὲν δὴ ἐπὶ τὸν

Κασσάνδρας ὁ Κόροιβος γάμον: *Venit Coræbus ad Cassandram nuptias*. Paria ferme invenies in Calabro l. i. eo loci, quo Evenor interficitur, qui ad Trojam tunc venerat. Est vero locus Poëtæ notandus: nondum Coræbus Cassandram, imo nunquam duxit, et tamen *gener* dicitur. Itaque satis destinatio ad nuptias, ut quis dicatur gener. Habetur l. iv. §. affines. D. de gradibus: 'gener, filix nostræ vir, sed et sponsus filix eo nomine continetur.' *Cerda*.

343 *Insano amore*] Aut perpetuum epitheton amoris est, ut, 'Nunc insanus amor:' aut *insano*, magno, ut, 'Insano juvat indulgere labori:' aut *insano*, quia belli tempore amabat Choroebus. *Servius*.

344 *Et gener*] *Gener* dicitur et qui est, et qui esse vult; ut hic indicat locus, vel certe secundum spem illius: neque enim jam: nam ideo subjunxit *sponsæ*: sic dicitur etiam maritus: unde est, 'Quos ego sum totiens jam dedignata maritos.' *Idem*.

[*Auxilium Priamo*] Eustath. in Odyss. ix. de Coræbo ait, ὄντατον τῶν ἐπικυόρων ἐπικυόμενον τῷ Πριάμῳ: *Venisse Priamo ultimum auxiliatorem*. Proprie autem *auxilium* datur Coræbo: auxilia enim sociorum erant: auxiliarii milites, et legionarius directe oppositi: ille e sociis, hic Romanus. *Cerda*.

345 *Infelix*] Quem nox manebat interitus, vel infelix causæ suæ, vel qui sponsam non audivit. *Servius*.

[*Præcepta*] Propter illud, 'Tunc etiam fatis aperit Cassandra futura.' *Idem*.

[*Furentis*] Vaticinantis. *Idem*.

[*Sponsæ præcepta furentis*] 'Ἐσθλόν': et Hom. Il. Δ. οὐ γ' ὅτ' ἔνευθε θεῶν τάδε μάλ' ἐραυ. Nimirum et Eurip. Cassandram βδελχῆν vocat, *vatem divino furore afflatam*; ut infra Sibyllam 'insanam vatem,' quam et bacchari dicit Virgilius secutus Enripidem: infra item Æn. x. 'Cassandra furis impulsus.' *Germanus*.

347 *Conferatos*] Quamvis *conferatos* in codicibus aliquot antiquis habetur, ex codice tamen Mediceo, et ex Longobardico, atque ex aliquot aliis, neque non ex Donatiano exemplari, et Arusiano, *conferatos* legerim; eo significato, quo apud Sallustium legitur, 'Catilina memor generis, atque pristinæ suæ dignitatis in confertissimos hostes incurrit.' et ita apud alios frequentissime. *Pierius*.

348 *Incipio super his*] His incipio, id est, verbis. *Super* autem, insuper: quia jam andebant: unde paulo post, 'Furor additus.' *Servius*.

*Juvenes, fortissima frustra*] Ordo talis est: Juvenes, fortissima pectora, frustra succurritis urbi incensæ; quia excesserunt omnes dii. Unde si vobis cupido certa est me sequi audentem extrema, 'moriāmur, et in media arma ruamus.' Alii sequi, pro sequendi accipiunt. Obacuritatem autem facit hoc loco et synchysis, id est, hyperbati longa confusio, et est falsa lectio. Nam multi *Audenti* legunt, multi *Audentis*. Sed neutrum procedit. Ergo *Audentem* legendum est. *Idem*.

*Juvenes*] Ordo est: Juvenes, fortissima pectora, quæ sit rebus fortuna videtis. Excessere omnes, adytis ariæque relictis Diis, quibus imperium hoc steterat: frustra succurritis urbi incensæ. Si vobis audendi extrema cupido, eamus et moriamur, et in media arma ruamus. Una salus victis nullam sperare salutem. Ergo juvenes fortes estis, et prompti: sed auxilium vestrum incensæ urbi quid proderit? sed una est salus victis, si salutem, quam tueri non possunt, desperando contemnant. *Donatus*.

349 *Si vobis audentem extrema cupido est Certa sequi*] Donatus *audendi extrema* videtur agnoscere, et in ordinatione sensus ita digerit structuram: *Si vobis audendi extrema cupido*. Sed enim exemplaria vetera pene omnia *audentem* legunt: ut animositatis laus

*Æneæ* præcipue deferatur: *audentem* quidem prius etiam in Mediceo scriptum fuit: inde aliena manu et atramento, *audendi* gerundii voce factum. *Pierius*.

*Audentem*] Hic non tam capio θαρσάλως, quam θρασύ, quia audacia ista tota ad temeritatem: id eo signate Poëta *audentem extrema*. Ideo de Atheniensi illo, qui quinquaginta tyrannos Athenis expulit, quique dictus θρασύβουλος, Scholiastes Aristophanis in Plut. ὁ δὲ θρασύβουλος ἄνους, ob temeritatem. Sed quidem Poëta, *Æneæ* sui studiosus, abstinuit a temeritate contentus descripsisse. Hinc illustrabis infinita loca Poëtarum, qui una cum audacia conjungunt aliquid, quo temeritatem indicent. *Cerda*.

351 *Excessere*] Quia ante expugnationem evocabantur ab hostibus numina, propter vitanda sacrilegia. Inde est, quod Romani celatum esse voluerunt, in cujus dei tutela Urbs Roma sit, et jure Pontificum cautum est, ne suis nominibus dii Romani appellarentur, ne exangurari possint. Et in Capitolio fuit clypeus consecratus, cui scriptum erat: GENIO URBS ROMÆ SIVE MAS SIVE FEMINA. Et Pontifices ita precabantur: 'Jupiter optime maxime, sive quo alio nomine te appellari volueris.' Quin et ipse Virg. ait, 'Sequimur te, sancte deorum, Quisquis es.' *Serv.*

*Excessere omnes adytis*] Hi versus sapere videntur priscorum ritus et superstitionem; qui in urbium obsidione, ne θεομαχεῖν viderentur, antiquam machinas ulla muris admovebant, conceptis carminibus deos tutelares φυλακτῆρας mitigare et evocare solebant. Vide autem de sacrorum evocatione, et qualiter olim fieri sit solita, Macrob. Saturnal. III. 8. *Ger.*  
*Excessere omnes adytis*] Ita Corn. Tacitus, de obsidione Hierosolymorum Histor. I. v. 'Expasæ repente delubri fores, et audita major humana

vox, Excedere debet: simul ingens motus excedentium.' Nam proditum est antiquis, cum Troja excidio propinqua esset, visos esse deos e suis templis sua exportare simulacra. Ita Sophocles in Fabula *simulacris*, induxit deos suis humeris sua gerentes simulacra. Et Æschylus aperte dicit, urbes, quæ capiuntur, a suis diis, hominum opinione, deseri. Sic cum Alexander M. Tyrum obsideret, multis Tyriorum visus est in somnis Apollo dicere, se ad Alexandrum abire; non enim sibi placere, quæ in civitate fierent. Servius autem et Macrobius. iii. 9. et v. 22. hoc de *Evocations* illa deorum tutelarum, quæ solemniter carmine fiebat, interpretantur. De qua Platarchus in *Apollonio*, et Livius l. v. et Servius Fuld. Quod tamen Turnebo xiv. 15. et Mureto Var. Lect. v. 19. præ illo altero minus placet. Vere etiam Petr. Arbiter in *Habosi* Ilii: 'Peritura Troja perdidit primum deos.' Taubmann.

*Excussere, &c.*] Explanata satis hæc sententia. Faciunt huc illa Silii Ital. xii. 516. 'ut Palatia cernas Et denigrantem Tarpeja sede Tonantem:' pro quo Modius Not. Antiq. lect. Epist. 88. *demigrantem* recte legit: idem etiam l. ii. 'Et jam damnata cessit Carthagine Mavors.' Emmen.

352 *Quibus*] Subaudis auxiliantibus, vel per quos stetit. Servius.

353 *Moriamur, et in media arma ruamus*] *Τοτερον ποτερον*. Nam ante est in arma ruere et sic mori. Bene tamen *moriamur*, opportuniore loco posuit: ante enim dixerat, 'Quæ sit rebus fortuna videtis.' Idem.

*Moriamur*] *Am*, expeditum est: tum autem brevissimis ac paucissimis labiis, *et in media arma ruamus*. Vide Scalig. iv. 48. et Pont. in *Actio*. Taubmann.

354 *Una salus victis, nullam sperare salutem*] Plerumque desperatione robur augetur, ut Statius: 'Est ubi dat vires nimius timor.' Item scimus

mortem captivitatis esse remedium. Hoc ergo suadet, ut aut desperationem vincant, aut vitetur morte captivitas. Servius.

*Salus*] Nunc remedium. Idem.

*Nullam sperare salutem*] Mira officina. Video enim coram desperatis vitæ viros fortes esse et animæ prodigos, ut animam ne amittant. Æn. xii. 'Usque adeone mori miserum est?' Scalig. iii. 26. Ita et Vegetius iii. 21. 'Libenter cupit commori, qui sine dubio scit se moriturum,' &c. Taubmann.

*Nullam sperare salutem*] Ita hos Æneas, ut apud Justinum Leonidas ii. 12. suos firmabat, 'ut ire se parato ad moriendum animo scirent et meminissent, qualitercumque præliantibus cadendum esse.' Tale quibus sedet consilium, et quisquis ita contempsit suam vitam, is alienæ domus est, teste Seneca Epist. 4. Quare cum desperatis non pugnandum rationem dabit Florus ii. 8. et Petr. Victor. xxiii. 11. nam ut Stat. Theb. l. i. 'dat stimulos animo vis moesta timoris.' Emmen.

355 *Lupi ceu*] Ad ferocitatem pertinet. Ordo tamen est, *ceu lupi*; et est hoc dictum ab exemplo. Sane apud veteres *lupus* promiscuum erat; ut Ennius, 'Lupus femina facta repente.' Et bene belli negotium *lupo* comparavit, qui est in tutela Martis dei bellici. Servius.

*Inde, lupi ceu*] Mira comparatio. Lupus enim improbus et sævus est, et in prædam intentus, præsertim cum catulos habet: cui quidem apertissime tenebræ sunt ad complendas insidias: sic et nos auxilio amico noctis, in hostes ferebamur. Donatus.

*Lupi ceu*] Hanc comparisonem cum Homericâ comparat Scal. v. 2. Efficax est, *lupi raptoras*; (*ἀπώρες* et *ἀπάραι*;) non tamen dices in recte singulari *raptor*, iv. 16. Et locus, 'atra in nebula.' Et modus dicendi, 'rabies improba ventris,' plus quam

*fames.* Et, exegit. Et, *cæcos*, id est, securos cuiuscunque periculi. Pulchrum vero Epiphonema, 'catulique relictī Faucibus exspectant siccis:' quorum recordatione parentum rabies acuat. Vide et Calium XXVII. 18. *Traubmann.*

*Lupi cœu]* Hac comparatione sapiens usus Homer. II. iv. *λύκοι δὲ tantum, lupi cœu*, nulla addita narratione: in XI. aliquid jam additum: *λύκοι δὲ θύον: lupi cœu Ruebant.* In XVI. pleniore ore cecinit: *λύκοι δὲ ὁμοφῶγοι, τοῖσι τὸν περὶ φρεσὶν ἄσπετος ἀλγὶ: lupi cœu Crudioiori*, quibusque circa mentes immensum robur. Et plura, quæ sequuntur aberrime. Adi Scalig. ubi comparat utrumque vatem, et Latino, ut assolet, victoriam concedit. Eadem comparatione usus Plato de Rep. I. III. *εἰ πολέμος, ὥσπερ λύκος, ἐπὶ πόλιν τὸ ἴδιον: si hostis, tanquam lupus, ovile invadat.* Cerda.

356 *Raptores]* Ab actu. *Servius.*

*Raptōres]* Ἀρπᾶγες et Ἀρπᾶκται Græce. Ovid. Metam. x. 540. 'raptoresque lupos,' &c. Phædr. fab. I. 1. 'Latronem fance improba incitatum.' Præcipue cum alendi sunt catuli, qui siccis hic faucibus expectare dicuntur. Optime omnium Longus pastor. I. I. lupoꝝ naturam depingit: *Ἀόκασα τρέφουσα σκύμους νέους, ἐκ τῶν πλασίων ἄγρων ἐξ ἄλλων ποιμῶν ἥρπασε, πολλῆς τροφῆς ἐς ἀνατροφὴν τῶν σκύμων δεομένη.* Empteneus.

*Alra in nebula]* Ab occasione: vel certe nocti comparavi. *Servius.*

*Alra in nebula]* Tempus, quo audaciores lupi, et signate ad rem Trojanam: noctu enim fiebat invasio hæc. Homer. quoque II. x. *Βῆν δ' ἵμεν, ὥστε λείοντε δύο, διὰ νόκτα μέλαιναν: Perrexerunt ire velut leones duo per noctem nigram.* Cerda.

*Improba ventris]* A necessitate, et sane duplici; una, 'quos improba ventris Exegit cæcos rabies;' altera, 'catulique relictī Faucibus expectant.' *Servius.*

357 *Exegit]* Exclausit, de latebris scilicet: ut Terentius, 'Spectandæ an exigendæ sint vobis prius.' *Idem.*

*Exegit cæcos]* Extraxit e latibulis securos cuiuscunque periculi: sic explicat *cæcos* Jul. Scal. Verbum *exegit* vim signat, inest enim imperium quoddam in fame. Claudian. apte in Ruf. 'imperiosa *fames.*' Homer. Odys. VI. *κέλευν γαστήρ: imperat venter.* Cerda.

*Rabies]* Non *fames*, quod commune, sed *rabies*. Oppian. Pisc. II. *ἀνδρῶστον Δόσαν δὲ βοόβρωστον ἀναιδὲ γαστρί φυλάσσει: inexplatam Rabiem semper voracem impudente ventre servet.* Non abt Juven. sat. XIX. qui 'vacui ventris furorem.' Ipse Poëta in I. IX. 'rabiem edendi' dixit: et Ovid. Met. VIII. 'ardorem edendi,' et 'alti voraginem ventris.' Rittersh. in Opp. *Idem.*

*Catuli]* Hoc ad liberos et conjuges pertinet. Sane *catuli*, non solum canum, sed et serpentum, ut, 'Catulos tectis, aut ova reponit.' Plautus etiam suum, 'Et ego te conculcabo ut sues catulos suos.' *Servius.*

*Relicti]* Deserti et destituti; ut, 'Cui pauca relictī Jugera rarīs.' *Id.*

358 *Faucibus expectant siccis]* Nimia cupiditate aperiuntur. *Idem.*

*Faucibus expectant siccis]* Scientissime; nam qui servant jejunium, quocunque id fiat tempore, siti præcipue infestari, quam fame consueverunt: id quisque experimento discit, et rationem Plutarch. suggerit Sympos. I. VI. Nam tametsi humanum corpus compactum sit ex elementorum qualitatibus quatuor, una tamen, quæ vel sola, vel omnium maxime viget, commodumque semper alimentum deposcit, calor est. Sic illustrat Poëtam Rhod. XXVII. 18. plura ille. *Cerda.*

359 *Mediæque tenemus Urbis iter]* Hoc ad audaciam pertinet, et contra ubi de timore agit: 'Namque avia cursu Dum sequor et nota excedo regione viarum.' *Servius.*



360 *Cava umbra*] Bonum epitheton. Naturale enim est, ut obsecrum sit omne concavum: vel *cava*, inani, et hinc apparet occidisse jam lunam. Nam ideo et Androgeos falsus est. *Idem*.

*Cava umbra*] Pro inani, ut Turneb. xii. 5. quod non est solidum: sic noster l. vi. 'Nox atra cava circumvolat umbra.' Stat. Thebaid. 'Cæloque cavam nox induit umbram.' *Emmeness*.

361 *Quis*] Etiam Græcorum: ut, 'quis talia fando.' Et bene interrupta narratione exclamavit, ut affectum moveret. *Servius*.

*Quis cladem illius noctis*] Ut supra, 'quis talia fando Myrmidonum Dolopumve, aut duri miles Ulyssi.' *Donatus*.

*Quis funera fando explicet*] Est hoc, quod Demosthenes de falsa legatione dixit *ὅλως δὲ, οὐδ' ἂν εἰς ἐπιφέσθαι δύνατο τῷ λόγῳ τῶν ἐκεί κακῶν νῦν ὄντων*: *Nemo verbis assequi possit ea mala, quæ nunc illic sunt*. Quod Aristides *περὶ ὁμοιολας, φυγὰς καὶ σφαγὰς οὐδ' ἂν εἰς λέγων ἐφίκετο*: *Nemo queat verbis consequi exilia et cædes*: et in Rhodiaca ait, nullum esse tam validum sermonem, qui possit rem exsequi, *λόγον ἰσχυρόν*: et infra pari filo: *τίς γὰρ ἂν τὰς συμφορὰς εἰποι πρὸς ἀξίαν τὰς καυὰς, καὶ ἀτόπους, καὶ πέρα πάσης κακῶν φθορὰς γεγονυίας*: *Quis posset digne explicari recentes, et deformes clades, et omni calamitatis genere majores*. Quod Cedrenus, *ποῖος ἱκανὸς λόγος εἰπεῖν τὸ πλῆθος τῶν ἀναιρεθέντων*: *Quis satis dignus sermo narret multitudinem occisorum*. Quod Silius l. v. 'Quis Deus, o Musæ, paribus tot funera verbis Evolvat,' &c. *Cerda*.

362 *Lacrimis æquare labores*] Hypallage, pro, laboribus æquare lachrymas; ut, 'Dare classibus austruas.' *Servius*.

*Aut possit lacrimis æquare labores*] Lascivit sæpe hac occasione Aristides. Nam in 2. Leuctrica, *ὅκ' οἶδα εἰ*

*ἀδακρυτὶ ταῦτα διεξιὼν ἀρκέσω*: et Orat. *περὶ ὁμοιολας. ἃ μὲν εἰπεῖν ἐστ' ἀδακρυτὶ*: et in Rhodiaca. *ὄντως (præcessit λόγος) ἂν ἀξίως καταθρηνηθεῖ τὰ παρόντα*: et post multa: *ποῖα ταῦτα ποιεῖται καταθρηνησοῦσι ἀξίᾳ τῇ φασί*; Dicit in his omnibus, nullas tam uberes lacrymas, nullam tam validum ploratum, quibus possent digne mala recenseri, neminemque esse, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat. Verba sunt Tullii Philipp. xi. *Tragice quoque Nazianzenus orat. 23. τίς ἂν τὰ τότε κακὰ πρὸς ἀξίαν ἐκτραγώδησειεν*; *Quis temporis illius mala pro dignitate queat deplorare?* In voce æquare habuit Virgilius imitatore Statium l. iv. 'Quis numerum ferri, gentesque et robora dicto Æquarit mortale sonans?' Et Plinius alterum epistol. l. viii. 'una sed maxima difficultas, quod hæc æquare dicendo, arduum.' *Cerda*.

363 *Urbs antiqua*] Vel nobilis: vel quia duobus millibus octingentis annis regnasse affirmatur: et quod sit antiqua, ipse subjunxit, 'Multos dominata per annos.' Sane hoc dolentis est, non narrantis. *Servius*.

*Urbs antiqua*] Dolet quod perijt patria. *Donatus*.

364 *Sternuntur inertia passim*] Aut non repugnantia; ut, 'pecora inter inertia votis Optat aprum.' Aut inertia dum occiduntur; ut, 'Imbellem avertis Romanis arcibus Indum:' hoc est, avertendo ostendis imbellem. Aut per somnum inertia. *Servius*.

*Perque vias sternuntur passim*] Sic Apulejus Met. l. iv. 'passim per plateas cerneret plurima jacere semivivorum corporum ferina naufragia.' *Emmeness*.

365 *Religiosa*] Gradatim ascendit, vias, domos, templa: videtur enim et de diis invidiam facere, qui templa sua violari cadaveribus passim sunt. Sane religiosus, et homo dicitur attentus ad religionem, et locus, qui divinum cultum et venerationem me-

retur. Ergo religiosa, religionis plena. Significat etiam metum. *Religio* scribi debet propter metri necessitatem. *Servius*.

366 *Nec soli*] Excusantur Trojani: hoc tamen ad victoriam non poterat esse, sed erat ad solatium. *Donatus*.

*Penas dant*] Moriuntur indigne: hoc enim proprie significat: ut, 'Heu nimium virgo, nimium crudele luisti Supplicium.' Item, 'Nunc pereat, Teucrisque suo det sanguine pœnas.' *Servius*.

367 *Quendam*] Hic præteriti temporis est. *Idem*.

*Redit in præcordia virtus*] Atque ait Horatius, 'Nec vera virtus cum semel excidit, Curat reponi deterioribus.' Sed sententiæ non semper generales sunt: sed interdum pro negotiorum qualitate formantur. *Idem*.

*Victis redit in præcordia virtus*] Πάλιν ἡ θρασύτης ξυνάγεται, Plato in Charm. ἀνεθάρρησά τε καὶ μοι κατὰ σμικρὸν πάλιν ἡ θρασύτης ξυνάγεται, καὶ ἀνεξοικυρόμενη. *Germanus*.

368 *Victoresque cadunt Danai*] Generaliter dixit victores, et ad fortunam partis retulit, quæ vincebat, neque enim victores erant, qui cadebant. *Servius*.

*Crudelis ubique Luctus, ubique pavor*] Aut utrobique, id est, et apud Græcos, et apud Trojanos; aut ubique, per totam civitatem. *Idem*.

369 *Plurima mortis imago*] Aut definitio timoris est, aut varietas mortis ostenditur hic, id est, gladio, igni, ruina. Alii intelligunt plurima mortis imago, aut frequentissima, aut præsentissima. *Servius*.

*Mortis imago*] Veteres aliquot codices, *noctis imago* legunt: sed *mortis* omnino melius iudicio doctorum habetur. *Pierius*.

371 *Androgeus*] Græca est et Attica declinatio. Unde est, 'In foribus lethum Androgeo.' *Servius*.

*Androgeus*] Per os et us legi, vetera Maronis exemplaria testantur cum Mediceo, ut Dausquius. *Emmeness*.

*Androgeus*] Vetera exemplaria pleraque cum Mediceo *Androgeus* idiomate Latino scribunt. In quo Tritememeri observanda, ut: 'Pectoribus inhians spirantia consulit exta.' Qui vero syllabæ timuerunt, *Androgeos*, per *o* magnum Atticorum more scribere maluerunt: quod etiam, nulla cogente necessitate, inferius factum, 'Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.' Alii satis imperite *se* pronomen intrudere superfluum, *Androgeus se offert nobis*: obliiti pronomen id paulo supra positum. Nonnullis autem tanta fuit Græcitatibus cura, ut alibi genitivum etiam eadem Atticorum scriptione scribendum curarent, ut eo loco: 'Comantem Androgeo galeam:' Sosipatro Carisio reclamante: de quo, locus suo dicitur. *Pierius*.

372 *Verbis compellat amicus*] Sæpe Homerus, μελιχίους ἐπέεσσιν. Itaque mellitum Græcorum reddes ex magistro amicum. Verbum *compello* sedem habet in lenociniis, et inde ad amicos tractuctum. Ulpianus l. xv. de iniuriis et famosis libellis: 'Appellare est blanda oratione alterius pndiciti- am attentare.' Sed de hoc jam supra in hoc libro. *Cerda*.

373 *Viri*] Increpantibus est, ut solet in militibus dici. *Servius*.

*Sera Segnities*] Quæ seros facit, id est, tardos: ut, 'Mors pallida.' Sane *segnities* juxta antiquos dictum est, nam modo *segnitia* dicitur; *segnis* autem est proprie frigidus, sine igni, ut *securus* sine cura; *sedulus* sine dolo. *Id*.

374 *Alii rapiunt incensa*] Observat militarem disciplinam, quæ est ut primum victoria gloriaque obtineatur, deinde in prædam eatur. Ait igitur Androgeo, jam bellum confecerimus, nos, qui prædam egimus de hostibus victis. *Donatus*.

*Feruntque Pergama*] Ἐμφατικῶς. Quasi ipsam funditus civitatem in victoriam suam transferunt: ut, 'Ilium in Italiam portans victosque penates.' *Servius*.

*Feruntque Pergamæ*] Ἀγούρι καὶ φέ-  
πουρι. Habet speciem Adagii. *Taubm.*

375 *Itis*] Pro venitis: ut e contra  
Terentius, 'Nisi ego ad mercatum  
venio:' pro eo. *Servius.*

*Itis*] Sic Stat. Thebald. l. vii. 'longo  
docet agmine Grajos Ire duces.' Sic  
ἔρχομαι apud Homer. Iliad. B. 457.  
Quanti sit momenti in ipso ardore  
pugnæ cohortatio P. Victor. xxxv.  
16. docet, ubi hujus imprudentiæ  
meminit. *Emmenes.*

377 *Fida satia*] Bene addidit *fida*,  
ut ostenderet symbolum, quo uteban-  
tur in bello. Ergo non dixit *Adelia*,  
sed quæ ad fidem habendam pellicere  
non possent. *Servius.*

*Neque enim responsa dabantur Fida  
satia*] Hunc locum et sententiam sic  
imitatur Statius Theb. l. ii. 'Ac pri-  
or, inde viro: quidve occultatis in  
armis, Non humili terrore rogat: nec  
reddita contra. Vox, fidamque neg-  
ant suspecta silentia pacem.' *Cerda.*

*Medios*] Manifestos; ut, 'Medio-  
que ex hoste recepi.' Ordo autem  
est: sensit in medios hostes se esse  
delapsum. Ergo *delapsus* nominati-  
vum pro accusativo posuit: ut Horat.  
'Vir bonus et sapiens dignis ait esse  
paratus,' pro, ait se dignis paratum  
esse. *Servius.*

*Sensit medios delapsus in hostis*] Ut  
missam faciam lectionem, *dilapsus ad  
hostis* quæ minime placet, in antiquis  
Prisciani codicibus hoc non uno loco  
citato versu legere est, *medios illapsus  
in hostis*: pro, se illapsus esse: quod  
ideo placet, quia *dilapsus* contrarium  
habere significatum videretur: quip-  
pe aut effugere, aut in diversas par-  
tis labi. Sunt, qui per *e*, *delapsus*  
legant, non sane improprie, ut in  
Carisiano habetur codice, dicente eo  
solœcismus hic esse transmutatione  
per casum in participiis. Nam et  
is nominativum agnoscit pro accusa-  
tivo. *Pierius.*

*Delapsus*] Hellenismus, pro, *se de-  
lapsus*. Græce diceretur, ἡσθάνομαι  
πρὸς τὸν. Ita Plaut. Asin. iii. 3. 'Quas

hodie adolescentem diabolus ipsi daturus  
dixit.' Propert. el. iii. 4. 'Jurabo et  
bis sex integer esse dies.' Ovidius  
Metam. xiiii. 'sed enim quia rettulit  
Ajax Esse Jovis pronepos.' Catul-  
lus: 'Ait fuisse navium celerrimus.'  
Lips. Antiq. Lect. ii. 7. *Medios* au-  
tem, est manifestos: ut, 'Quanquam  
in media jam morte tenetur.' *Taubm.*

*Delapsus*] Talis Græcismus apud  
Horat. od. i. 2. 'patiens vocari Cæ-  
saris ultor.' Ad quem locum plura  
Lambinus: et unus, qui instar omnium  
est, Vechnerus consulendus i. 8. qui  
verba Maronis hoc illustrat exemplo  
ἡσθάνομαι πεπρωκὸς pro πεπρωκέαι.  
*Emmenes.*

378 *Retroque repressit*] Aut retro  
vacat, aut in *repressit*, re, vacat. Sed  
veteres retro *repressit* dicebant, ut,  
'Nec nos obniti contra.' *Servius.*

*Retroque pedem*] Hoc Græci, ἀνα-  
στρέφειν, ἀναχωρεῖν, ἐπὶ πόδα ἀναχέειν  
θαυ. *Cerda.*

379 *Asprias*] Synæresis est, ut, *com-  
postus*. *Servius.*

*Inprociuum asprias, &c.*] Sumptum ab  
Homer. Il. iii. ubi historiam de Pa-  
ride adductam hæc sequitur compa-  
ratio: Ὡς ὃ ὅτε τις τε δράκοντα ἰδὼν  
παλινπορος ἀπὸ τῆς ὁδοῦ ἐν βῆσσης,  
ὅποτε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, Ἀψ τ' ἀνε-  
χάρησεν, ἄχρὸς τέ μιν εἶλε παρειάς.  
Quod Latini *improciuum*, Græci ἀπρο-  
ιδές. Ad Virg. aspiravit Papinius  
Theb. l. ii. 'Tacito sub pectore du-  
dum Ignea corda fremunt: jacto  
velut aspera saxo Quominus erigitur  
serpens.' Et Juvenalis Sat. i. 'Pal-  
lent, ut nudis pressit qui calcibus an-  
guem.' *Cerda.*

*Pressit*] Græcus quidam, ὀφείς τα-  
τεῖν. Habet similitudinem cum hæc  
re adagium illud, 'Archilochum cal-  
casti.' Adi Junium Cent. i. adag. 73.  
Non inepte huc trahas illud Hor. od.  
iii. 27. 'Rumpat et serpens iter in-  
stitutum,' &c. *Idem.*

*Anguem*] Καταχρηστικὸς: Homer.  
δράκοντα dixit. *Servius.*

380 *Humi nitens*] Incedens per hu-

num: et est adverbium. *Idem.*

*Trepidus]* Vel pavens, vel festinans. *Idem.*

382 *Haud secus]* Non aliter: dicebant veteres, *secus* et *iuxta*; unde et *extrinsecus*. *Idem.*

*Abibat]* Bene imperfecto usus est, non enim *abii*. *Servius.*

383 *Circumfundimur]* In codicibus plerisque veteribus legas, *circumfundimus*: quod minime displicet, quum præsertim legerim apud Ti. Donatum: '*Irruimus, inquit, densis et circumfundimus armis*, hoc est, in circumfundimus, atque universos occidimus.' *Pierius.*

384 *Ignarosque loci]* Palantes, et hic circumstantiis ostendit, a paucis plures potuisse superari. Ordo est, passim sternimus. *Servius.*

385 *Adspirat]* Favet; ut '*Adspirant auræ in noctem*'. Unde et *favor*, auræ dicitur: ut, '*Gaudens popularibus auris*'. *Idem.*

*Adspirat]* Sic Ovid. in princ. l. 1. *Metam.* '*Di, ceptis Adspirate meis*': vocabulum nauticum: ita *aura* pro favore: vide Salmas. ad Hist. Aug. Script. p. 2. vol. 584. Phædr. f. v. 8. '*aura captus frivola*'. *Emmenes.*

*Primo]* Quæ postea non fuit. *Serv.*

386 *Successu exultans]* Fœlicitate: quod est stultitiæ. *Idem.*

*Atque hic successu exultans]* In Mediceo et antiquis codicibus pene omnibus ordo numerusque dictionum ita habet: *atque hic successu exultans pro atque hic exultans successu*. Utrumque iudicio meo æque auribus adblanditur. *Pierius.*

387 *Quæ prima, inquit, fortuna]* Non *quæ prima*, sed *qua primum*. Est autem hypallage; ut, '*Ibant obscuro sola sub nocte*': pro ipsi soli. Quæ fit non ornatus causa: ut, '*Pars in frustra secant*': sed necessitatis. *Serv.*

*Fortuna]* Bene *fortuna*, neque enim consilio Androgeos occisus est. *Idem.*

*Salutis]* Efficax adhortatio. *Idem.*

388 *Dextra]* Vel fortuna dextra,

anctrix, propitia: ut *læva*, contraria: aut *dextra*, ad manum referendum. *Idem.*

*Sequamur]* Observabis, verbum sequor Fortunæ dari a Virgilio sæpissime: in iv. '*Si modo, quod memoras factum fortuna sequatur*'. In viii. '*quem si fortuna sequatur*': alibi sæpe. In quo adlusum credo ad cognomentum Fortunæ, quæ dicta *obsequens*, cuius Plutarchas meminit et P. Victor. qui *obsequentis Fortunæ* vicum collocat in prima regione urbis, in secunda vero vicum *Fortunæ respicientis*. Variat Vates sequentem fortunam per *aspirantem* supra, per *juvantem* in x. *Cerda.*

389 *Clipeos]* Scuta majora quibus latemus, ἀπὸ τοῦ καλύπτειν τὸ σῶμα. *Servius.*

*Clipeos]* Varium modo genus, modo diversa scribendi ratio, in hoc nomine. *clipeus*, Grammaticos semper diversos egit. Nam ex veteribus codicibus aliquot per *y clipeos*, aliquot per *i clipeos*, nonnulli per *u clipeos* scribunt. Sed enim inter *clipeum* per *i* et *clipeum* per *u* differentiam ponit Cornelius Fronto, *clipeumque* per *u* imaginis esse dicit, per *i* vero armorum. Quare si Frontonis admittenda sit differentia, quum subsequatur, '*Danaumque insignia nobis aptemus*', ad imaginem respexisse videtur: nam et *Servius* ait in Græcorum elypeis Neptunum, in Trojanorum Minervam pictam fuisse, hic *olypeos* vel *clipeos*, (idem enim est) scribendum non ægre consenserim. Sed enim alii sunt qui genus, non scriptionem differentiam facere putent. Ait enim Labiennus *Clypeum* neutro genere imaginem significare, virili vero, inter arma poni: a quo diversus est Pomponius dubii Sermonis libro secundo: ubi *clipeus* et *clipeum* indistincto genere dici ait, sed littera differre, ut pugnatorium per *i clipeum* dicamus, imaginem vero per *u clipeum*. Ut etiam ex Cornelio dicebamus. Erant vero huiusmodi ima-

gines, quales ad alienjus rei memoriam exsculpi consuerunt. Eam vero differentiam improbat Carisius, quum *Clipeus* per i, et *Clupeus* per u, non alia ratione dicatur quam *Maximus*, et *Marximus*, et *Optimus* ac *Optumus* propter communionem i et u litterarum. Quum itaque inter se ita Veteres altercentur, resque parvi sit momenti, et majora nos interpellent, hoc nos interim in medio relinqueamus. *Pierius*.

*Insignia*] Arma omnia. *Servius*.

390 *Dolus*, an virtus, quis in hoste requirat] Videtur deesse aliquid, ut puta: Dolus an virtus in bello proficiat, quis in hoste requirat? *Idem*.

*Quis in hoste requirat*] In codicibus aliquot antiquis legere est, *quis ab hoste*, sed melius in *hoste*. Est et *requirer*. Sed longe magis placet, *requirat*, ut in Mediceo et aliquot aliis emendationibus exemplaribus habetur. *Pierius*.

*Dolus*, an virtus, quis in hoste requirat] Eandem sententiam habet Pindarus Isthm. od. iv. ubi transfertur sermo a vulpe ad aquilam. Numerat inter ἀποθέγματα Virgiliana Macrobius v. 16. et singulare acumen his verbis inesse exserit Scal. iv. 1. *Emmeness*.

391 *Arma*] Subdistingue, ut sit quasi interrogantis: ut responsio, 'Dabunt ipsi.' *Servius*.

*Comantem*] Aut cristatam, quia de caudis animalium habebant cristas, ut, 'Cristaque hirsutus equina.' Aut comas habentem, ut Statius; 'Non ego in terga comantis Abantiadas.' *Idem*.

392 *Androgei*] Modo Latine declinavit, alibi Græce: 'Letum Androgeo.' *Idem*.

*Androgei*] Vetera illa exemplaria, quæ *Androgeos* in recto posuere, paternum casum eodem hic idiomate scribunt *Androgeo*. Sed enim Sospater, qui scriptum asserit a Virgilio libro sexto: 'In foribus letum Androgeo:' loco tamen hoc, ut in Mediceo

etiam est, agnoscit *Androgei*. Cujus hæc sunt verba: 'Si fuerit nominativus *Androgeos*, genitivus erit *Androgeo*: ut apud Virgilium, 'In foribus letum Androgeo.' Sed apud eundem invenimus 'Androgei galeam.' Sed non ex eodem nomine. Nam si fuerit hic *Androgeus*, *Androgei* facit genitivo: ut idem Virgilius, 'Penelei dextra divæ armipotentis ad aram:' quum tamen hujus nominis *Peneleus* nominativus sit apud Græcos, *Πηνελόων μὲν Πηνέλεως*. *Pierius*.

*Comantem Androgei galeam*] Sic Epigramm. l. iv. ἀντιδ' ἐναλλων καὶ κόρυς ἡκόμον. *Germanus*.

*Insigne decorum*] Ornamentum decorum. Non enim sunt duo epitheta, quod apud Latinos vitiosum est. Fecit hoc tamen Virgilius in paucis versibus, qui tamen emendati sunt; ut, 'Lenta quibus torno facili superaddita vitis:' cum ante *facilis* fuerit. Sane *clypei insigne περιφραστικῶς* pro clypeo. *Servius*.

*Clipeique insigne decorum*] Sunt qui *decori* scribant, ut sit *clypei decori*. Sed longe melius *insigne decorum*, ut agnoscit *Servius*. *Pierius*.

393 *Induitur*] Quia multa inerant in scuto lora, quibus manum inserebant; ut, 'Clipeoque sinistra Inscitabam aptans.' *Servius*.

*Accommodat*] Mire *accommodat*, ut ignorares quorum esset. *Servius*.

*Accommodat lateri*] Pro *adjungit*, *adplicat*, ut Non. Marcell. Pro eo Plautus Trin. ii. 2. 93. 'clipeum accommodare ad dorsum.' *Emmeness*.

394 *Hoc ipse*] Multi hic distinguunt, et ad Æneam referunt: et ideo subiungit, 'spoliis se quisque recentibus armat.' Alii, *Hoc ipse Dymas*, distinguunt; ut ignotis personis addita dignitas videatur: ut est: 'Quos Imbrasius ipse Nutrierat:' et repetitum *Hoc*, emphasis properantium, vel rei; non figura epanalepsis, ut a quibusdam traditur. *Servius*.

395 *Lata*] Quod est *πρόθυμος*. *Idem*

*Recentibus]* Quia nuper erant detracta mactatis. *Donatus.*

396 *Inmixti]* Vacat in, ut solet frequenter. *Servius.*

*Vadimus inmixti]* Dictum hoc in argumentum Trojanæ virtutis, ut libro I. de Ænea, 'Se quoque principibus permistum agnovit Achivis.' Est enim laus maxima versari in ordinibus adversariorum. Hoc prædicat Sallustius de Catilina, qui 'longe a suis inter hostilia cadavera repertus est.' Hoc de Diomede Homerus II. v. Τυδείδην δ' οὐκ ἄν γνολὺς ποτέ ποισι μελέη, \*H μετὰ μὲν Τρῳάσσιν δμῶλτοι, ἢ μετ' Ἀχαιοῖς: *Tydidem haud noris, quorumnam in partibus caset, An socius Græcis, an miles in agmine Troum.* Pari fortitudine prædicat Livius I. xxxix. Calpurnium prætorem in bello, quod gestum in Hispania: ait enim: 'Longe acius Calpurniani equites pugnabant, et prætor ipse ante alios: nam et primus hostem percussit, et ita se commiscuit mediis, ut vix, utrius partis esset, nosci posset.' *Cerda.*

*Haud numine nostro]* Aut diis contrariis: hoc est, haud nostro, non nobis utili. Et ideo paulo post, 'Heu nihil invitis fas quemquam fidere divi:' ut est, 'Nec dii texere Cupencum Ænea veniente sui:' ant quia in scutis Græcorum Neptunus, Trojanorum fuerat Minerva depicta. *Servius.*

*Haud numine nostro]* *Haud nostro,* id est, adverso, nobis non favente. Ita Ovid. Heroid. II. 'Protinus ipsa meos auguror esse deos.' Tibullus: 'Audiat aversa non meus aure Dens.' Terent. Adelph. 'Plebem primum facio meam.' Ubi meam Donatus interpretatur, *michi faventem.* Ergo, *Numen non nostrum,* fuerit, nobis non utile. Unde mox: 'Heu, nihil invitis fas quemquam fidere divi!' *Æn. XII.* 'nec dii texere Cupencum, Ænea veniente, sui:' vel, quia in scutis Græcorum Neptunus, in Trojanorum Minerva depicta fuerat; ut moris erat arma insigniri. Atque ita propter eventum

parum prosperum dixerit Æneas; adversantibus et iratis diis in medios hostes se coniecisse. Plura ad hanc rem accuratissime scribit J. Parrhas. epist. 35. *Taubmann.*

397 *Congressi prælia]* Bellum est totum tempus, ut Jugurthinum, Punicum, Macedonicum. *Pugna* unius diei. *Prælium* pars pugnae. *Servius.*

398 *Conserimus]* Id est, adversa fronte pugnâvimus, ne forte nulla virtus videretur Trojanorum, si dolo pugnassent. *Idem.*

*Conserimus]* Liv. sæpe usurpat: in l. xxi. ait de Annibale: 'Princeps prælium inibat, ultimus conserto prælio excedebat:' et 'Romanus conserrere pugnam:' loca passim occurrent. *Cerda.*

399 *Diffugiunt alii]* Nam qui non penitus turbati erant, fugiebant ad litora: qui autem erant amentes, timore scandebant rursus equum. *Donatus.*

400 *Fida petunt]* Sibi scilicet. *Servius.*

*Formidine turpi]* Epitheton timoris: sic Sallust. 'Carbo turpi formidine Italian atque exercitum deseruit.' *Idem.*

401 *Conduuntur in alio]* Non ducunt, sed cum esse cæperint. Unde et ablativo usus est, non accusativo, ut, 'Conditus in nubem.' Tale est hoc, quale illud, *includuntur in carcere,* et *includuntur in carcerem.* *Idem.*

402 *Heu nihil invitis fas quemquam fidere divi]* Generalis quidem sententia est, sed hoc loco congrua: sequitur enim et. Cassandræ captivitas fidentis sacerdotio, et præcesserat armorum mutatio, quæ nunc deprehenditur: alioquin vitiosa est, cum discrepat a specialitate: est autem catasceue, non potuisse eos vincere, quamvis fortiter dimicarent. *Idem.*

*Heu nihil]* Favebat nobis noster dolus, sed inefficax redditur. Nequicquam enim humana industria adversus dei voluntatem molitur, quod

ostenditur in Cassandra. Sed singula notentur verba. *Donatus*.

*Hæc nihil invitis fas quemquam fidere dieis*] Proverbii vim habet invitis *Divis*: sæpe apud Homerum ἀκυρὸς θεῶν. Pro eo etiam *iratis Diis* Juvenal. Sat. 1. 49. Ter. Phorm. 1. 2. 24. 'memini me relinqui irato Deo.' Utinam hisce formulis, ubi fortunam noveream experimur: sic Horat. Sat. 1. 3. de infelici partu: 'Iratis natus paries diis:' et quemadmodum, diis invitis, auspicantibus nihil recte succedit et πρὸς κέρρα est κῶλον ἐκτενῶν, ita e tripode desumptum illud Sallustianum: 'Diis juvantibus omnia matura sunt, victoria, præda, laus.' *Emmenes*.

403 *Ecce trahebatur*] Bene dissimulavit de stupro Cassandra. *Servius*.

*Ecce*] Id est, dum bene ac prospere nostra certamina procederent, repente apparuit, quod multiplici indignitate et scelere, nostros actus turbaret. Trahebatur per publicum, quam paterno merito, ac suo, non nisi cum honestis quidem officiis multorum decuit efferri. *Donatus*.

*Passis*] Ut quidam volant, sacris, quam sic vaticinari solet. *Servius*.

*Priameia*] Patronymicum quidem est, sed species possessiri. *Priameis* vero tantum patronymicum est, sicut *Priamides*. Et bene *virgo* non *filia*. Idem.

*Ecce trahebatur, &c.*] In captis urbibus hoc potissimum et frequentissimum malum. Eurip. Phœnissis, de captis Thebis, Ὅφει δὲ πολλὰς αἰχμαλωτῆρας κόρας, βλῆ πρὸς ἀνδρῶν πολέμων πορπομένης: *Cernes autem multas captivas puellas Per vim ab hostibus duci hostiliter*. De clade illata Locrensis ab Romanis ita Livius l. xxix. 'Omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt, consternant matronas, virgines, ingenuos,' &c. *Cerda*.

*Trahebatur*] Γραφὴ dicas πρῆγεσθαι:

hoc enim usus Demosthenes Olynth. 1. et advertit Ulpianus sumi verbum ab his, qui ad aras confugiant, et inde abstrahuntur: et Poëta quidem, 'trahebatur a templo.' Pausanias tamen l. v. de eadem re loquens: Αἶας ἔλαυνε Κασσάνδραν (dixit) ἀπὸ τοῦ ἀγῶνιστος τῆς Ἀθήνης: et l. x. μέγαν (Κασσάνδραν) ὁ Αἶας ἀπέλαυνε. In verbo quippe inest contumelia, trahi enim noxiorum est. Seneca Rhetor. Controv. 12. 13. 'Jactatur misera inter satellitum manus, et totæ itinere non ducitur, sed trahitur:' et millena alia. *Idem*.

404 *Crinibus*] Quod fuit virginalis verecundie factum profecto inimicum. Trahebatur virgo, virorum plurimorum manibus. Trahebatur sacerdos, manibus impiorum. Trahebatur a templo, et ab ipsius deæ penetralibus rapta, et manibus post terga constrictis: et quamvis hæc penferret, tendebat tamen ad cælum oculos, cum non posset manus. Quod faciebat frustra: querebat enim in cælo ultores deos, quibus adversantibus imperium ceciderat: et eos quorum cum domus esset Ilium, templis suis prodesse noluerunt, aut non potuerant. Collige ergo perpetrata primum in Cassandram crimina: quod *regalis*, quod *virgo*, quod *passeo crinibus*, quos habuit ad ornatum, quod *per publicum*, quod *vincta*, quod *a plurimis*. In Deos vero, quod *a templo*, quod *sacerdos*, quod *a conspectibus deæ*. Horum alterum affinitatis causa, alterum religionis, quia antistes esset deorum, movere debebat Æneam. Non tulit etiam Cerebus, et reliqui illi mortuæ succurrant. Hinc error armorum, qui ante juvabat, nocere cœpit. Nam a suis, putati Græci, telis, id est, lapidibus et similibus cedebantur. *Donatus*.

*Passis Priameia virgo Crinibus*] Insignis contumelia. Æschines in oratione περὶ παραπροβέλης: ἐλαύνει τὰς τριχῶν. Andromache apud Euripi-

deum hujus tam insolentis contumelia  
conqueritur : *Αδρύ δὲ δολὴν παῖς ἐν*  
*Ἀργεὶον ἔβη, Κέρας ἀρσενόεσθαι.* Ex  
Euripide itaque et Virgilio elici moe  
potest, captivas feminas crinibus  
trahi solitas. Juvat plurimum idem  
Eurip. in Troad. apud quem Mene-  
laus de Helena sic ait : *Κομῖς' ἀδρύ*  
*εἴς μαιψικωδῆρας Κέρας ἀρσενόεσθαι.*  
*Cerda.*

*Trahatur passis Priameia virgo Cri-*  
*nibus]* De Cassandra sic canit Ovid.  
Met. XIII. 410. 'tractata comis an-  
tistita Phœbi, Non profecturas ten-  
debat ad æthera palmas.' Ad quem  
locum consulendus Nobiliss. Hein-  
sius. Horat. od. II. 4. 'Arct Atri-  
des medio in triumpho. Virgine rap-  
ta.' *Idios* quod his verbis inest,  
ostendit Macrobius Saturn. IV. 4.  
*Emmenem.*

*Adytisque Minervæ]* Ostendit illam  
sacerdotem esse : non enim accedunt  
ad adyta, nisi religiosi sacerdotes : et  
*ἀπαυαῖς*, quasi non sufficeret a tem-  
ple, addidit *adytis*. Servius.

*405 Tendens ardentia lumina]* Quod  
est manuum, oculis dedit. Solent  
enim homines in magnis motibus ma-  
nus ad cælum tendere. *Idem.*

*Ardentia lumina]* Est hoc, quod  
Catul. alio flexu in Nupt. Pelei : 'fla-  
grantia lumina.' Virgil. in hoc lib.  
'Ardeatque oculos suffecti sanguine  
et igni.' *Cerda.*

*Frustra]* Secundum Epicureos : et  
est separatim. Servius.

*406 Arcabant]* Continebant, vel  
prohibebant. *Idem.*

*407 Hanc speciem]* Injurie faciem,  
quod sacerdos, quod ab adytis, quod  
rellecta, quod passis crinibus traheretur.  
Cic. Philipp. II. 'Ponite itaque  
ante oculos P. C. miseram qui-  
dem illam et flebilem speciem, sed  
ad incitandos nostros animos neces-  
sariam.' Sane *species*, medium est ;  
et mala enim et bona est. Servius.

*Parata]* Paratus qui furit ex causis ;  
furiosus vero est, a quo furor

Delph. et Var. Clas.

Virg.

nunquam recedit, et est figura Græca  
*μὰνελς τὰς ὀφείας*. Quidam sane par-  
ticipium *furiata*, a verbo *figurato*,  
apud Horatium *furiare* : sic *fortunare*,  
sic *accelerare*. *Idem.*

*Furiata mente]* *Μὰνελς τὰς ὀφείας*. Ita  
Pind. de Ixione, *μὰνὸνδρος ὀφείας*.  
*Taubmann.*

*408 Stas]* *Αδρύς ἀδρύς*. Servius.

*Periturus]* Melior sensus est, si ad  
dimicantis referatur affectum : sicut  
de Tarchonte, de quo dixit ; 'Et me-  
dios fertur moriturus in hostes :'  
quum vicerit : et bene Coræbum non  
suadentem ; pugnandum potius fuerat,  
quam loquendum. *Idem.*

*Periturus]* In Mediceo et plerisque  
aliis veteribus codicibus, *periturus*, in  
illis *moriturus* habetur. Dum vero  
hæc publicari cepta essent, Camillus  
Porcius, Antistes Aprutinus, Roma-  
næ decus eloquentiæ, Codicem vete-  
rem mihi obtulit, in quo tum alia,  
vulgatis a lectionibus diversa, tum  
hoc ipsum *periturus* scriptum est :  
nam *perire* omnino plus est, quam  
mori. Pierius.

*409 Densio]* Catascene, merito su-  
perati sunt a pluribus. Servius.

*410 Culmine]* Tecto : quod ante  
culmis tegebatur. *Idem.*

*411 Oritur]* Quasi aliud initium  
calamitatis. *Idem.*

*Cædes]* Non prælium. *Idem.*

*Miserima]* Quia inter cives. *Idem.*

*412 Facie]* Feritate. *Idem.*

*Jubarum]* Pro cristarum, quæ de  
caudis fiebant : ut est, 'Cristaque  
hirsutus equina.' *Idem.*

*413 Tum Dana]* Ordo est : undi-  
que collecti invadant. *Idem.*

*Tum Dana]* Compendium adhibet,  
ut non tantum ereptam virginem di-  
ceret, verum etiam multos hostes ob  
eam rem occisos : et connexuit præ-  
cipuorum nomina, et aliorum nume-  
rum generaliter posuit. *Donatus.*

*Erepta]* *Ἰχθὺς διαβολας*. Non enim  
dicit a Trojanis sublatam, sed intel-  
ligendum relinquit. Servius.

7 X



414 *Acerrimus Ajax*] *Oileus* sine dubio; quia *Telamonius* iudicio superatus, jam se peremerat. Incertum est, ergo, quando ab *Ajace* vitata sit *Cassandra*, quod, sicut dicitur, in templo *Minervæ* factum est, constat post stupram *Cassandram* protrac- tam. *Idem*.

415 *Gemini Atridas*] Pro *duo*: habet excusationem, quia fratres sunt propter similitudinem: nam numeri esse non potest: *gemini* enim sunt proprie simul nati. *Idem*.

*Gemini Atridas*] Ex *Euripide*: πέμ-  
πονται δὲ με Διοσκόρι' ἀσπείδει, καὶ λαὸς  
ἀχαικός. *Soph.* quoque nunc *Διοσκόρι*  
nunc *Διοσκόρι*, nunc *Διοσκόρι* vocat  
*Atridas*. *Germanus*.

*Dolopumque*] Exemplaria quædam antiqua, *Dolopumque* legunt, et ita apud *Ti.* Donatum habetur, quum tamen quæ nihil offendant. *Pierius*.

*Exercitus omnis*] Bene excusat propter victi pudorem: ut, 'Obraimur numero.' *Servius*.

416 *Adversi*] Contrario flantes. *Idem*.

*Adversi*] Contrariis e partibus stan- tes: unde et sævior turbatio existit in pelago. Examinat autem hanc comparisonem *J. C. Scaliger* v. 8. ad *Homerica* *Iliad.* ix. et in ea *Homerum* 'pro discipulo, *Virgilium* pro magistro laudat: quem, quæso te, vide. *Taubmann*.

417 *Eois Euris equis*] Ab *Eois* equis: unde equi *Solis* orinuntur. Nam *Eurus* ab oriente fiat. Sciendum sane, quod cum *Eois* e naturaliter longum habeat, metri necessitate correptum est, propter sequentem vocalem. Ra- rum autem est: nam nec proprium nomen est, ut *Diana*: nec sermo compositus, ut, 'Sudibusve præustis.' *Servius*.

418 *Stridunt silvæ*] Excursus poë- ticus: qui ultra tres versus fieri non debet, ne sit vitiosissimum. *Idem*.

*Stridunt*] Quidam antique declina- tum tradunt; ut sit prima verbi posi-

tio, *Strido*, *stridia*, *stridit*, et faciat *stridimus*, *striditis*, *stridunt*, non *stri- dent*: nos autem, *strident* *silvæ*, et *strides*, *strides*. *Idem*.

419 *Spumens*] Pro *spumens*. Ut *frondes*, pro *frondosa*. *Idem*.

420 *Illi*] Propter illud, 'Hic pri- mum ex alto.' *Idem*.

*Illi etiam*] Alia calamitas, ut ab hostibus cognosceremur, qui acrius etiam, quam cæteri hostes move- bantur, quia se deceptos viderant. *Donatus*.

*Obscura nocte per umbram*] Per um- bram noctis obcuræ: ut, 'Molemque et montes.' *Servius*.

421 *Fudimus*] Modo fugavimus: nam sequitur, 'totaque agitavimus urbe.' *Idem*.

*Totaque*] Per totam. *Idem*.

*Agitavimus urbe*] Alibi interi- mia. *Idem*.

*Per umbram Fudimus insidiis totaque agitavimus urbe*] Antiqui aliquot co- dices, *sub umbram* legunt. Sed mihi non displicet *per umbram*. In *Longe- bardico* etiam legere est *totaque agitavimus urbem*. Ut sit *fudimus per umbram: et agitavimus per totam ur- bem*. Sed enim vulgata lectio magis recepta est, *totaque agitavimus urbe*. *Pierius*.

422 *Apparent: primi clipeos menti- taque tela Agnoscunt*] In codicibus ali- quot antiquis, eodem membro legas, *adparent primi disjunctim*: inde, *Cli- peos mentitaque tela Agnoscunt*. *Do- natus* mavult, *primi clipeos, mentitaque tela Agnoscunt*. *Idem*.

*Apparent*] Verbum forense ad bel- lum traducit: sic apparitores, stato- res, satellites, stipatores. Istæ om- nes voces jam a foro ad militiam abiere. *Cerda*.

*Mentitaque tela*] Hoc est, quæ nos Græcos esse mentiebantur; ut solet, sensum dedit rei inanimatæ: non enim poterant tela mentiri. *Servius*.

*Mentitaque tela*] Id est, non vere *Trojana*: sic 'mentitus color' est non

verus. Ductum hoc ex Græco fonte, ubi plurima hæc locutio, χρῆματα φασγάνων, et ἀφροσύνη, colores qui mentiantur nativam speciem. *Cerda.*

423 *Sono discordia]* Sono discrepantia. *Servius.*

*Sono]* Lingue Græcæ. *Taubm.*

*Ora discordia]* Non potuit mellus, inquit Scaliger iv. 16. Alia enim arma, alia corda gerebant. *Idem.*

*Signant]* Designant: aut per vocem, aut per symbolum, quo utebatur exercitus. *Servius.*

424 *Illicet]* Confestim, mox: sed apud veteres significabat, actum est. Olim enim Iudex, si dare finem agendis rebus voluisset, per præconem dicebat *Illicet*; hoc est, *ire licet*: id est, acta et finita res est. Terent. in Ad. 'En tibi rescivit omnem rem, id nunc clamat Illicet.' Idem in Euncho, 'Actum est, illicet, periisti.' *Idem.*

*Illicet]* Ubicumque ponitur *illicet*, extrema omnia occidere vel occidisse significatur. Coræbus denique, primus insidiarum auctor, primus interfectus; et ante ipsius Minervæ aram occubuit, propter cujus sacerdotem defendendam eramus collecti. *Donatus.*

*Illicet]* Male multi scribunt, *illicet* geminato *l*: quod ex, *ire licet*, contendant *r* litteram, in *l* abire, vocali *r* detrita. Ait vero Martius Salutaris, qui citatur a Carisio, *Illicet* loco hoc interjectionem esse graviter ingemiscientis: et ita accipiendum illud ex Euncho Terentii, 'Actum est, illicet, periisti.' Nam et hic non est in loco, aut statim, continuo; sed pro eo, quod est *hem*: ut sit, *Hem* periisti. Libro vero Æneid. xi. 'Illicet in muros tota discurritur urbe.' Celsus ait pro *illico* vel *statim* positum: Antiquos pro, *cas licet*, posuisse. Pro nunc, Afranium in Materteris: 'An tu eloquens illicet,' id est, subito, aut extemplo. Pierius.

*Obrutimur]* Livius l. xxi. 'obrutimur insuper velut nube jaculorum, a Salsaribus conjecta.' Florus iv. 10.

'argentibus tellis in modum grandinis.' *Cerda.*

*Numero]* Ne videantur virtute superati. *Servius.*

425 *Penelēi dextra]* Coræbum a Peneleo interfectum hoc loci Poëta canit: diverse alii sentiunt. Pausan. Phocicis: venerat Coræbus ad Cassandram nuptias, quæ ipsi desponsa fuerat: interemptum a Neoptolemo fama divulgavit: *Leacheus a Diomede occisum carminibus prodidit.* De more, quo in extrema necessitate ad aras Deorum perfugium erat, alibi a me dicitur. *Cerda.*

*Diva arripotentis]* Bene Minervam Trojanis expressit iratam, cum etiam eum perisse dicat, qui Sacerdotem liberare tentaverat. *Servius.*

*Divæ]* Minervæ. *Idem.*

426 *Justissimus]* Justum, secundum leges aliqua ratione constructum: æquum, juxta naturam accipiunt. *Idem.*

*Unus]* Non solus, sed præcipuus. *Idem.*

*Justissimus unus]* Perierunt innoxii, et sceleratis jus vincendi datum est. *Donatus.*

*Unus]* Id est, præcipuus: *Serv.* Vide et Scalig. iii. 2. *Taubm.*

427 *Æqu]* Pro *aquitatis*. Et est optima figura a fœminino genere, in neutrum transire. *Servius.*

428 *Dis aliter visum]* Aut illud non esse justissimum, an aliter visum; sic enim perlit ut injustus: et bene in ingenti indignatione Æneæ, tamen nihil sacrilegum datur. *Idem.*

*Visum]* Ubi ponitur hoc, non justum judicium, sed pravæ voluntatis studium et libido significatur. *Donatus.*

*Dis aliter visum]* Ita dicere solebant, cum snos casus non sibi, sed diis adscribebant. Sic Hor. Od. i. 33. 'Sic visum Veneri, cui placet impares Formas atque animos sub juga æneæ Sævo mittere cum joco.' Turneb. vi. 21. Et notetur, in ingenti etiam

indignatione, nihil dari sacrilegum  
Æneæ a Poëta. *Taubmann.*

*Perunt confixi a sociis]* Pro perierunt. *Servius.*

420 *Confixi a sociis]* Augetur commiseratio. Interfici enim durum est, sed durius a suis interfici. Et exaggeratur, quod dixerat: 'Heu nihil invitis fas quenquam fidere divis.' *Donatus.*

*Panthu]* Vocativus Græcus est. *Serv.*

*Nec te tua plurima, Panthu, pietas texit]* Id est, servavit. In fine deos tantum fuisse a Trojanis alienos ait, ut etiam Panthus occumberet; vir pius, gravis, religiosus, cum ipsis etiam insignibus sacerdotia. *Donat.*

431 *Iliaci cineres]* Naturale est jurare per id, quod charum quis habuit: et excusatur (ut supra diximus) fuga. Ergo fuit necessarium iurandum. *Servius.*

*Iliaci cineres]* Quia videbat vel crimi-  
mini, vel esse posse dedecori, quod tot tantisque cadentibus evaserit, jurandi religionem ultro ante objectum, quod metuebat, opposuit. Habet enim majorem fidem, si ante quam exigatur, offertur. Habet et bonæ conscientie firmum testimonium, non exorta, sed oblata purgatio. *Donat.*

*Iliaci cineres]* Par juramentum apud Senecam Troadib. ubi Hecuba testatur *patriæ cineres*. Propertius eleg. iv. 12. 'Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos.' Stat. Theb. l. v. 'cineres jurasse sepultos.' Suetonius de claris Orator. 'Juro per patriæ matrisque cineres, qui inconditi jacent.' Horat. Od. ii. 8. 'matris cineres opertos Fallere.' Seneca Rhet. Controv. lib. i. 'Ergo fame morientem videbo, per cujus cineres juraturus sum.' Itaque hoc juramentum frequentissimum; cui simile per ossa defunctorum. Firmant Tibullus, Ovidius, Propertius. Primus eleg. ii. 7. 'Parce per immatura tuæ, precor, ossa sororis.' Alter in epist. 'Per tamen ossa viri subito male tecta sepulcro.' Tertius eleg. ii. 20. 'Ossa tibi iura

per matris, et ossa parentis.' Hæc jam alii libarunt. Non abledunt a toto hoc Maronis loco et obtestatione Æneæ verba Livii l. xxviii. 'Philippus mærebat,' &c. *Cerda.*

*Extrema]* Num ideo *extrema* morum, quia existimet nihil ex ea superesse. *Servius.*

432 *Testor]* Testificor: et deest vos. *Idem.*

*Testor, &c.]* Sic Sil. Ital. l. vi. 'testor, mea numina, manes, Dignam me pœnæ tum nobilitate paternæ Strage hostis quassisse necem. *Emmen.*

433 *Vices]* Pugnas: quia per vicissitudinem pugnabatur; ut Sallustius docet. Legimus etiam pœnas, *vices* dici. Horatius, 'Vicesque superbæ Te maneant ipsum.' Sed de bello usurpatum est. Nullum enim prælium caret periculo, ergo *vices* periculi. *Servius.*

*Vitasse vices Denam]* Servius explicat pugnas, quia per vicissitudinem pugnabatur: non placet Julio Scal. qui sic potius: 'vices, vulnera significant, et cædes; ut quemadmodum vel percussisset, vel interfecerat, idem pateretur: ubi igitur ab Argivis tantundem fiebat operis ad pugnandum, eo Æneas sese induebat.' Sed proculdubio Poëta ad ludum gladiatorum contendit. Eo nos ducit verbum *vito*, cui oppositum *peto*, sicut, et *vitaciones* et *petitiones*: in arena enim ita pugnabatur, ut pœne expectato alterius ictu. Consentunt ista cum explicatione Scaligeri, et Servianæ evertunt. Est et alia Servii explicatio hæc: 'Legimus etiam pœnas vices dici.' Firmat ex Horatio Od. i. 28. 'Debita jura vicesque superbæ Te maneant ipsum.' *Cerda.*

*Et, si fata fuissent, Ut cad.]* Quasi dicat, Si fata permisissent interitum meum. *Donatus.*

434 *Mervisse]* Id est, fortiter dimicasse. Hi enim merentur occidi. Bene autem evasisse fati imputat: cum tam sonex, tam debilis, Iphitus

et Pallas evaserint, occisis juvenibus. *Servius*.

*Meruisse manu*] Id est, ita sine aliquo respectu meæ salutis pugnavi, ut meruerim ab hostibus interimi. *Don*.

*Meruisse manu*] Testor me meruisse, id est, fortiter dimicasse: hi enim merentur occidi. Videatur Turnebus xi. 19. ubi docet, mortem aliam esse naturalem, aliam meritam: eumque etiam mori mereri, qui in aciem prodierit. *Taubmann*.

*Discellimur*] Sic dixit, quasi accuset, quod non perierit. *Servius*.

*Discellimur*] Inviti, necessitate adacti impellimur abire: ostendit autem meruisse manu mori, cum prius cum pancia, nunc vero solus pugnaret. *Donatus*.

*Discellimur*] *Ἐνδρόδος* sive regressio: qua semel proposita iterat, et dividit: de quo Fabius xi. 3. *Taubmann*.

436 *Vulnere Ulixi*] Quod illi Ulyxes inflixerat. *Servius*.

*Pelias et vulnere, &c.*] *Adi Agell*. ix. 12. Quod vero hic Poëta: *tardus vulnere*, dupliciter extulit Liv. xxi. de Scipione; 'gravis vulnere erat.' Et 'dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret.' *Cerda*.

437 *Protinus*] Servavit ordinem, ut primo de patria, post de rege curaverit. *Protinus* hic statim. Alibi porro tenuis. *Servius*.

*Clamore*] Bellico. *Idem*.

*Clamore*] Non specialiter ab aliquo, sed clamore pugnantium, quo indicatur opus esse auxilio, ad defendendam regiam: apud quam acrius pugnabatur propter gloriam, et prædam. *Don*.

*Vocati*] Clamorem secuti. *Servius*.

438 *Ingentem pugnam*] Merito, quippe in domo regia, ubi aut caput Reipub. erat, aut de qua major spes erat prædæ. *Idem*.

439 *Forent*] Pro essent. *Idem*.

*Morerentur*] Non pugnarent, ut supra, 'Oriturque miserrima cædes.' *Id*.

440 *Martem indomitum*] *Hom. ἄρην ἀμαυμάκρον. Germanus*.

441 *Acta testudine*] Applicata; vel quæ agebatur. *Servius*.

*Acta testudine*] Id est, facta testudine: ut Turnebus ix. 8. et vi. 21. qui *συνασπισμὸν* significari ait: quam Græci *χελώνην* etiam dicunt. Ita Cæsar: 'phalange facta.' *Servius* acta interpretatur applicata, scil. machina bellica. Videatur Veget. iv. 14. in eumque Stewechii Comment. Inprimis J. Lipsi lib. Pollorçetickön. *Taubmann*.

442 *Haerent parietibus*] Quod illæ, quæ feruntur ad pugnam, clavos habeant vel uncus et figantur, ideo hærent. *Servius*.

*Scalæ*] Non solum quia in plurali declinantur, sed quia plures essent. *Donatus*.

*Haerent parietibus scalæ*] Hoc Tacit. Ann. xiii. 'Scalas mœnibus admove.' et xv. 'promovere scalas et machinamenta.' Livius lib. xli. 'cum scalas ad mœnia erexisset.' Vegetius iv. 27. 'appositis scalis.' Eurip. in Suppl. *προσβαλὼν*: et in Phœniss. *προσφέρειν Πύργοισι πηκτῶν κλίμακων πρὸς ἀμύδασις*. Utrumque possis explicare per *admoveo*, ut et verbum Plutarchi, qui lib. de superstit. *κλίμακων προστιθέντων*. Quod verbum Plutarchus a Thucydide accepit l. iv. ubi *κλίμακα προσθεῖς*. Cedrenus ita: *κλίμακας προσερείδων*, et *κλίμακας προσάγεισθαι*. Cæterum imaginem belli hujus vide in Thucydide l. iii. ubi Platæenses muros ascendunt. *Cerda*.

*Postesque sub ipsos*] Si circa portam, sub postibus: si circa fenestras, circa postes. *Servius*.

443 *Nituntur*] Pro nitebantur. *Id*.

*Gradibus*] Hinc colligi in edito januam fuisse, gradibusque ad eam aliquot ascendi, quod hodie etiam videmus in optimatum ædibus, regisque principum, Turnebus ait; quod nos firmamus verbis Suetonii in Vitel. c. 15. 'statimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites cedere se

imperio, quod invitas recepiſſet, profeſſus,' &c. et verſu Juvenal. Sat. III. 'nam ſi gradibus trepidatur ab imis.' Nescio enim an cum interprete poſſis accipere tabulata. Et auctoritate Senecæ epiſt. 84. 'Præterit iſtos gradus divitum et magno aggeſtu ſuſpenſa veſtībula. *Cerda*.

*Ad tela*] Contra tela; et hoc verum eſt: nam ſi *ac tela*, ſiniſtris manibus ſimul tenent tela et ſcutum, cum ſe tegunt. *Servius*.

*Ad tela*] Vetera aliquot exemplaria, *ac tela* legunt. Sed *ad tela* agnoſcit *Servius*, dum exponit: *contra tela*. Sunt et codices antiqui, in quibus, *ad tecta* ſcriptum ſit. Sed *tela* omnino caſtior eſt lectio: animadverſum enim eſt in oppidorum expugnationibus, milites, dum ſcalas ſcandunt, ſiniſtra manu ad tela clipeum obiectare, dextera vero uti ad apprehendendum: Idque ipſe Poëta graphice deſcribit, dum addit 'preſant faſtigia dextris.' *Pierius*.

445 *Ac tecta*] *Tecta* participium eſt. Aut eandem rem his dixit. Quamvis legatur, et *tota domorum*. Veteres *hæc domus*, ut merito ablativus, o, terminatus, genitivum pluralem in *rum* mitteret, ut *bono, bonorum*; ſed mutata poſtea declinatio eſt, ut *augus domus* faceret; quod cum ita evenerit, ut ablativus in *u* terminaretur, genitivum pluralem per *u* geminat, ut *hoc fructu, fructuum*, ita et *domuum*. Nam et Juven. 'Viscera magnarum domuum,' ait. Nos tamen de antiqua declinatione præſumimus, ut *ab hac domo, harum domorum* dicamus. *Servius*.

*Turris ac tecta domorum*] In antiquis aliquot codicibus, *turres et tecta* legas. Sed hoc parvi eſt momenti. Illud potius dicendum: quod in Mediceo codice *tota domorum culmina* legitur: quanquam *Servius tecta* agnoſcit. *Pierius*.

*Tecta culmina*] Plenam hic habes locutionem, cum ſæpe *tecta* ſine ſub-

ſtantivo invenias: ſed ſubaudi *culmina, faſtigia*: vide *Serv. Ecl. l. 69.* et *Sanct. Min. p. 294. Emmeſſus*.

446 *His*] Propter quæ pugnabant. Sic *Lucanus*, 'In pugnam fregere rates.' Vel *his*, hujusmodi. *Servius*.

*His æ*] Ad excuſationem, quare pulchra deſtruerent. *Donatus*.

*Quando*] Quatenus, quoniam. *Serv.*

447 *Extrema morte*] Hoc eſt, ruina civitatis. *Idem*.

*His se, quando ultima cernunt, Extrema jam in morte parant, &c.*] Nihil in extrema calamitate putat reſervatum: inde hic auratæ trabes, turres, tecta divelluntur pro tuenda ſalute. Applaudit mire locus *Quintilliani* deſclamat. 368. 'iſſorum ſepulcrorū ruina, ſi poſſem, hoſtem repellerem: tecta in ſubeuntes, et ſacra, quin etiam templorum faſtigia, deſperantium tela ſunt. Certum eſt omnia licere pro patria.' *Cerda*.

448 *Auratæque trabes*] Sunt antiqui codices, in quibus *auratæque trabes* legitur. Sed *auratæ* magis *Virgilianæ* videtur. Libenter enim Poëta noſter omnia ſolet auro decorare. Ut illud, 'Pendet *Lychni laquearibus aureis*,' et 'Barbarico poſtes auro:' alia vero ratione alibi *æxæ ære trabes* legas. Porro hic pathos eſt a rei præcioſæ perditione. *Pierius*.

*Auratæque trabes*] Simili affectu dictum a *Tacit. Hiſt. l. III.* in expugnatione *Capitolii*: 'Ambuſtaſque *Capitolii* fores penetraveſſent, ni *Sabini* revulſas undique ſtatuas, decora majorum, in ipſo aditu vice muri objeſſiſſet.' *Cerda*.

*Decora*] Ab eo quod eſt decus; ut *pecus*. *Servius*.

*Decora alta parentum*] In codicibus aliquot antiquis, *decora illa* legitur, quod emphaſin habet: alibi vero 'ſcenis decora alta,' lectum, quod quidem epitheton longe quid ſublimius oſtendit. *Pierius*.

450 *Obſedere*] Nunc pro præſidio tenebant: ut ſequentia indicant. *Serv.*

*Imas fores*] In antiquis aliquot exemplaribus *imas* legitur, hoc est, *solas*, ut qui putarent non aliunde ingressum dari: *imas* tamen, hoc est, interiores magis placet, de quibus inferius dictum: 'Armatosque vident stantibus in limine primo:' posteaquam 'Priami et veterum penetralia regum Apparuere.' *Picrius*.

*Hæc servavit*] Alii, 'adservant agmine denso.' *Servius*.

451 *Instaurati animi*] Hic ostenditur eos superius defecisse: quod supra non dixit. *Idem*.

*Levare*] Juvare. *Idem*.

*Vinque*] Virtutem: ut *Salustius*, 'Sed nostra omnis vis in animo et corpore est.' *Idem*.

*Victis*] Qui vincebantur: ut, 'Et qua vectus Abas:' hoc est, sine vincendi spe laborantibus. *Idem*.

453 *Limen erat*] Contra illud, 'obsecris foribus' quomodo ingressus ait: et dicit per posticum, quod generis est neutri: ut *Horatius*, 'Atria servantem postico falle clientem.' Nam ei generis feminini legeris *postica*, augurale est: ut, *antica*, *postica*. *Idem*.

*Limen*] Pro *quolibet ingressu*: interpretante hunc locum *Non. Marc. Eumenius*.

*Cæcos*] Non omnibus notæ. *Serv.*

*Cæcæque fores*] Explicui *ψευδόθυρον*, cum *Nannio*, qui tamen *ψευδοθύρον*, vult effereandum. Ea voce usus *Cicero* in *Verr. iv.* *Orosius vii. 6.* *Ammianus l. xiv.* Græci alii vocant *δυσθύρον*, quam vocem videtur reddere Poëta infra, cum ait, 'postesque relictæ A tergo.' *Tacitus Hist. iii.* et *Livius l. iv.* et *xxvi.* 'aversam portam' dixerunt: *Plautus Postululum*, *Petronius Posticulum*. Adjice ex observatione *Junii*, dici a *Plutarcho* *παρθύρον*, a *Galeno* *κρηναία*. Sententiam integram ita idem *Livius l. xxxix.* 'postico, quod devium maxime, atque occultissimi exitus erat.' Et *Cedrenus*, *ἀόρατα διὰ πύλινον κλέπτουσα*: *Occulta et furtim subducentes se*

*per portulas*. Ea vero forma dictæ *cæca fores*, qua venti ab *Lucretio l. i.* 'cæca corpora:' qua ab nostro *l. i.* 'vada cæca:' et de apibus 'spicula cæca:' et *l. iii.* 'cæcis undis:' et *l. vi.* 'cæca vestigia:' quibus omnibus locis intellige quid *ἀόρατος*, id est, quod nequit cerni, quodque est occultum: sed hoc e trivium. *Cerda*.

*Usus*] Verbum juris: *via*, *actus*, *usus*. Has Græci *ἀνδράστας* appellant. *Servius*.

454 *Tectorum inter se Priami*] Per quod iter ad utramque domum Priami commeabatur, ut appareat duas domos fuisse, alteram regiam Priami, alteram Hectoris, inter quas illi aditus. *Idem*.

*Tectorum inter se Priami*] Vide ut explicui. Nescio enim qua lubentia feror, ut intelligam unas et easdem fuisse sedes Priami et Hectoris, quæ tamen Priami fuisse dicantur a Poëtæ καὶ ἑτοίχης. Fuerunt unæ, nam Poëta nihil discriminans ait, *tectorum inter se*: qui potuit magis adunare? Hoc posito intelligamus, *Andromacham* uxorem Hectoris versatam in gynæceo, ut moris fuit ævi illius, diæcretæ enim erant a viris femine, et per pseudothyrum ingredi solitam ad soceros. *Cerda*.

*Postesque relictæ*] Relictum spatium cum domus edificaretur, ubi ostium fieret. Aut relictæ ab hostibus, id est, quos hostes non obsederant. *Servius*.

*Postesque relictæ*] *Postes* quidem primitus *παροράδες*, latera ostiorum in ædificiis, quorum fores alter cardinibus sustinet, alter seram et repagula recipit: hic tamen pro ostio sumitur, et foribus: ut apud *Lucret. lib. iii.* 'Jam magis exemptis oculis debere videtur Cernere res animus, sublati postibus ipsis:' et *l. iv.* 'Primus enim est citra postes qui cernitur aër.' *Germanus*.

455 *Infelix*] Non cum regna manebant, sed ad præsens retalit tem-

pus. *Servius*.

*Dum*] Donec: et absolutus est sensus. Alii tamen cum legunt: sed cum *manebant*, quomodo dicimus, cum constet *manebant* modum esse indicativum? Hoc vero sciendum est, quia quando conjunctivus est, necesse est aliquid jungi, aut subandiri: ut, cum *venirem*, *vidi illum*. Si autem cum *veniebam* dicamus; aut modus pro modo est, hoc est, indicativus pro conjunctivo: aut etiam cum non erit conjunctio, sed adverbium temporis: et significat *tempore quo veniebam*. Idem.

456 *Scipius*] Sosipater Carilius ait solœcismum esse, transmutatione qualitatis in adverbii, *scipius* pro *sæpe*, hoc citato versu. *Pierius*.

*Andromache*] Notum est omnibus hanc de gente Eetionis, fuisse uxorem Hectoris, matrem Astyanactis, de qua plenius omnia in l. iii. narratur. *Servius*.

*Ferre incomitatus*] Ut et ad soceros iret sæpius, et non quæreret exequia famulorum. Idem.

457 *Ad soceros*] Quare *ad soceros*, cum *socer* et *socrus* dicatur? Sed meliori sexui respondit: id est, masculino. Idem.

*Ad soceros*] Uno vocabulo complexum vult Poëtam Servius socerum et socrum: an ita sit, tu videris. Certe Euripides in *Androm.* eadem forma hoc extulisse videtur, sub persona Menelai, de Neoptolemo loquentis: *παρὸν δὲ πρὸς παρόντας ἑμφανῶς γαμβροὺς διδάξω, καὶ διδάσκειν λέγουσι*. Unicum autem generum voce multitudinis hic significari, non dubium est: *γαμβρὸν* autem notum est, tam *socerum*, quam *generum* significare, quamvis et *socerum* *γενεθρὸν* dicant Græci, si hac ratione paratior et expeditior Virgilio Euripidis imitatio videri posset. Sed et eodem dramate sub numero multitudinis Neoptolemum intelligit eo loco: *δίκην ὑπέβαλον δὲ σοῖσι γαμβροῖς, οἷον οὐκ ἐλάσσονα βλάβην*

*ἐπέβαλον, ὑπερβάλλει δὲ βλάβην*. *Gerardus*.

*Astyanax*] Hunc quidam ab Ulyxe; alii a Menelao, absente Pyrrho; raptum et præcipitum datum ferunt: satis enim prædictum fuerat, puerum, si supervixisset, ultorem patriæ et parentum futurum. *Servius*.

*Astyanax*] Hunc alii Nesum, alii Scamandrum, aut Scamandrium vocant: monuit Dehr. in *Troad.* Senecæ: extremum in *Dicty* invenies *Bel. Troj. l. iii.* Volaterranus *l. xiii.* 'Astyanax quasi urbis princeps, appellatus antea proprio nomine Scamandrus, Hectoris filius et Andromachæ.' *Cerda*.

*Traheret*] Quasi puerum: ut, 'parvumque nepotem Ipse trahit.' *Serv.*

*Traheret*] Observat Germ. in *Paral.* Poëtam voluisse representare familiarem matribus morem, et actum pupos trahendi potius quam ducendi, renitentes videlicet infantili imprudentia et infirmitate: metaphora ducta ab onas trahentibus, nam et Eustathius in *od. vii.* notavit, *ἄχων δῖον, trahere arionem*, dictum ab Homero ad eundem modum, quod etiam *ἄχων νηῖδας*, id est, *νηυδῆτας, infantias trahere*. Latere porro ad imitationem Virgilianam Statius semel *Theb. l. iii.* Claudianus bis, tum *Raptus l. iii.* tum *Paneg. iv.* Cons. Honorii: quæ loca, ut præoccupata, omitto. *Cerda*.

458 *Evado*] *E*, vacat, ut, *emortuus*. *Servius*.

*Evado*] Pro *adscendo*, ut Non. Marc. Sic noster *Æn. vi. 137.* 'Superasque evadere ad auras.' *Emmenses*.

459 *Jactabant*] Spargebant, quasi nil profutura. *Servius*.

460 *Turrim*] Nullum ego exemplar ex vulgatis aspexi, in quo non *turrim* per i vocalem tertiam scriptum esset. Et causativum casum in im semper mittere *puppim, sisim, securim, turrim* Sosipater ait: observasse tamen se *turrem* apud Virgilium per e vocalem secundam, libro secundo, 'tur-

rem in precipiti stantem.' Hoc, tametsi haud magni alicujus momenti est; tam diligentis tamen Scriptoris observatio ostendit, multa adeo esse, quae in hunc modum librariorum incuria lancinavit. *Pierius.*

*Turrim*] Gellius XIII. 9. Virgilium dicere testatur *turrim* non *turrem*, non *securem* sed *securim*. De hisce cognosce testimonium Danaqui. *Emmenem.*

*In præcipiti*] In alto: unde quis potest præceps dari. Sequitur enim, 'sub astra Edactam.' *Servius.*

*In præcipiti*] Id est, in alto. Meminit hujus turris etiam Hom. Iliad. III. *Taubmann.*

461 *Edactam*] Extractam. *Servius.*

*Unde omnis Troja videri*] Est hoc quod Livius l. x. 'unde in omnes partes conspectus esset,' Dictum vero cum magno affectu, turrem illam dirui, unde conspici solita a Priamo Troja, naves, castra. Simili affectu locutus Lævius l. xxv. in eversione Syracusarum; apud quem Marcellus videns ex edito loco subjectam urbem, illacrymat, cum subiret cogitatio, illam momento horæ arsuram, redituramque in cineres. Virgilii locus sumptus est ab Homero II. XIII. ἔσθ' ἂν γὰρ ἐπαλῆναι πᾶσα μὲν Ἴδην, Φαίη· το δὲ Πριάμοιο πόλιν, καὶ νῆες Ἀχαιῶν: et l. XII. αἶτ, Εἰσὶν ἔκει δ' ὁ γέρον Πριάμος θεῶν ἐπὶ πύργον. Ait Modicius cap. 26. turrem Homericam non esse eandem cum Virgiliana. Nam Homericam est ad portam Scæam, Virgiliana in regia. Homericam describit etiam Seneca in Troadib. 'Est una magna turris e Troja super, Adsueta Priamo, cujus e fastigio, Summisque piuinis arbiter belli sedens Regebat acies.' Similem Virgilianæ descriptionem de turri quapiam invenies Sibyllin. carm. l. v. *Cerda.*

*Unde omnis Troja videri, &c.*] Hanc turrim describit Ovid. Met. XIII. 415. 'Mittitur Astyanax illis de turribus, unde Pugnantem pro se, proavitaque

regna tuentem, Serpe videre patrem menstratum a matre solebat.' *Emmenem.*

462 *Solita naves*] Participium est sine verbi origine. *Soles* enim neutrale est: quod caret præterito. *Servius.*

*Achaïcos castra*] Videtur alios Danaos; alios Achaïcos dixisse. *Idem.*

*Castra*] Ubi exercitus sit, *castra* dicuntur. Unde est, 'Nos castra moveamus': ut, 'Velorum pandimus alas.' *Idem.*

*Achaïca castra*] Adverte κατὰ τοῦ μὲν in opprobrium poni: veluti etiam superius 'Dorica castra.' In codicibus tamen aliquot antiquis, *Achaïca castra* legimus dissoluta diphthongo: ἀχαιῖδ' ἀπὸ τῆς γὰρ ἀχάλας τὸ ἐθνικὸν ἀχάλας. Nam et in Mediceo codice eo versa, qui est in quinto lib. 'O miseras quas non manus, inquit, Achaïca bello,' scriptum est *Achaia*: non tamen hæc efficiant, ut *Achaïca* mutemus. *Pierius.*

463 *Summa*] Suprema: ut, supremum, *sumum* dicimus: ut, 'Pro supreme Juppiter.' *Servius.*

*Labantis*] Faciles ad resolutionem. Et est ordo: *Turrim convellimus, impulimusque*. *Idem.*

*Qua summa labantis*] Id est: Turrim ab ea parte, ubi paries, propter foramina, quibus trabium *summa*, sive extrema capita, inserta erant, invalidior videbatur (illis enim tabulatum impositum sedebat) aggredimur dissolvere. Ergo *labantes* significat *faciles ad resolutionem*. Cæterum quæri poterat, ubi illi steterint, qui *sumum* tectum impulerunt. *Taubmann.*

464 *Tabulata dabant*] Quidam *dabant* pro *faciebant* intelligunt: ut, 'Ingentem lato dedit ore fenestram.' Olim sane domus de tabulis fiebant, unde hodie in ædificiis surgentibus, *primum* et *secundum tabulatum* dicimus; *sumum* autem est, quod tectum sustinet. *Servius.*

465 *Impulimusque*] Quidam notant,



quod non sit expressum, ubi stantes summum tectum impulerint. *Idem.*

*Ea lapsa*] In plerisque codicibus, absque pronomine ullo legitur, *elapsa*; quod nequaquam placet. De littera vero *b* in eo participio dictum alibi. *Plerius.*

*Repente*] Ne provideri, aut vitari possit. *Servius.*

*Concellimus altis Sedibus inpulimusque: ea lapsa repente ruinam, &c.*] Et junctura literarum, et pedes ipsi, qui dactyli sunt, ita representant ruinam turris impulsæ, ut poeta videatur celeritate numerorum ipsam ruinam antevertere voluisse. Videndus Ger. J. Voss. de institut. poet. III. 7. *Emmeness.*

467 *At alii subeunt*] Hic ostendit priores periisse. *Servius.*

468 *Telorum interea cessat genus*] Bene addidit *genus*. *Telum* enim dicitur secundum Græcam etymologiam ἀπὸ τοῦ τηλεῖον, id est, quicquid longe jaci potest: quamquam legimus de gladio, 'At non hoc telum quod vi mea dextera versat;' et sequitur, 'Sic ait, et sublatum alte consurgit in ensem.' Sed *telum* illo loco a longitudine dictum est, ut, *mustelam* dicimus. *Idem.*

469 *Vestibulum*] *Vestibulum* est prima janua. Dictum vel quia januam vestiatur: ut dicimus cameram duabus sustentatam columinis: vel quoniam Vestæ consecratum est. Unde nubes puellæ limen non tangunt. Lucanus, 'Translataque vetat contingere limina planta.' Singula enim domus, sacra sunt diis: ut culina, diis penatibus: maceries, quæ ambit domum, Hercæo Jovi. Ante videtur *Vestibulum* et *Limen* pro una re dixisse. *Idem.*

*Vestibulum*] Dictum, quod Vestæ sacrum (aliud etymum, quod januam vestiatur, quia nec intelligo, nec velim, prætereo) Ovid. Fast. VI. 'Hinc quoque vestibulum dici reor, unde precando Adfamur Vestam, quæ loca

prima tenet.' Agellius XVI. 5. vestibulum esse ait, 'non ipsis in ædificiis, neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad ædes est.' Adjuncta vox Græca πρόθυρον, quam pene expressit Plant. Mostell. 'videri vestibulum ante ædes, et ambulacrum ejusmodi?' *Corda.*

*Pyrrius*] A colore comæ dictus: qui Latine byrrus dicitur: ita et Sallustius crispus. *Servius.*

*Primoque in limine Pyrrhus*] *Pyrrum* nativam hujus ostendit, et qui plenæ victoriæ fiduciam cernebat. *Donatus.*

470 *Luce æna*] Pro luce æneæ; ut Ge. III. 'Saxea procubet umbra.' *Servius.*

*Coruscus æna*] Notat Gellius vidisse se mirandæ vetustatis codicem, qui quidem ipsius Virgilii fuisse credebatur, in quo, loco hoc æna scriptum esset, à littera supra addita, quam absque aspirationis nota prius scriptum esset: sic eo quoque loco, 'andam tepidi despumat æni.' Verba Gellii nonnulli aliter interpretantur. *Pierius.*

*Luce coruscus æna*] Ita Homer. II. VII. Ἀργὴ χαλκῆι κοῦδον ἀπὸ λαγνυμένων: *Splendor æneus lucensum galearum.* Pindarus Pyth. Od. XI. loquens de gladio, πολλὰ χαλκῶ: *cadente ære:* et Eurip. Androm. φαεινὸν δειπνῶντι στῆλας ἐπλοῖς: *herus micans armis fulgentibus.* Cur ænea dixerit Virgilius loquens de armis, alii etiam ante illum, fuisse explicat Magius Miscel. III. 3. referens ad inopiam ferri, quæ in illo ævo: qua factum, ut æres, aut ænea arma essent in usu, interdum stannea, supplente firmissima temperatura æris stannive mollem naturam. Adi illum. Dici etiam potest, poetæ suo jure *as* accepisse pro *ferro*. Apud veteres certum est, fuisse æs in magno pretio: utebantur enim divites æneis poculis, inde illorum repositoria χαλκοθήκαι dicta. *Corda.*

: 471 *Qualis ubi*] Descripturus hostem natura ferum, ætate insolentem, successu superbum; et ipse Æneas hostilem animum in adversarium gerens, hinc animali illum comparandum putavit. Sciebat ut serpens, qui vomit venena, qui nescit aliquando misereri; qui captat tempora, quibus procedat, aut lateat. Hac igitur comparatione Pyrrhum deformat. Nam ut serpens non in virtute, sed veneno confidit: ita huic, non arma, sed insidie ad victoriam profuerunt: nec unquam in præliis visus est, nisi cum alienis dolis procurata est victoria. *Donatus.*

*In lucem coluber*] Deest processit. Sed colubrum nonnulli promiscuum nomen tradunt, quod, ut sonantius foret, finxit masculinum, ut diceret *coluber*. *Servius.*

*Qualis ubi in lucem, &c.*] Sumptum est ex Il. XXII. ubi Græcus vates: Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειρὶ ὀφειότερος ἄνδρα, μέγιστος, Βεβρωκὸς καὶ φάρμακ', Ἴδν δὲ τέ μιν χάλος αἰεὶς, Σμυρδαλέον δὲ διδωρκεν ἑλυσσόμενος περὶ χειρὶ: *Ut autem draco in luetro montanus virum expectat, Pastus mala venena, subitque ipsum ira gravis, Torvumque tuctur convolvens se circa latibulum.* Huic comparationi Poëta addidit novitatem serpentis, nitoremque juventutis depositis exuviis. *Silius l. XVII.* longe utroque inferius, 'Qualis in æstiferis Garamantum fœta veneno Attollit campis ferventi pastus arena Colla Paræthonius serpens, lateque per auras Undantem torquet perfundens nubila tabem.' *Cerda.*

*Mala gramina pastus*] Pro malis graminibus: id est, venenatis herbis. *Serv.*

*Mala*] Reddit Homericum, Βεβρωκὸς καὶ φάρμακα. Proprie et signate uterque vates. Κακὸς enim Græcis, et malus Latinis pro veneato et noxio sumitur. Quod Germanus astruit ex Tibullo, qui, 'Sola tenere malas Medea dicitur herbas.' Atque ex Nicandro, qui mentham, quæ olfacta

muliebrem conceptionem corrumpat, vocat κακὴν. Et ego ex eodem Nicandro, qui in Alexiphano taxum, quam ipse facit venenatam, κακὴν nominat; atque ex Platone Reip. l. III. ubi κακὴν βότρυς: in herba noxia: et ex Vegetio III. 2. 'malæ aquæ potus, venenæ similis, pestilentiam bibentibus generat': id est, potus aquæ noxiæ: et ex Prop. 'Et mala desertos occupat herba Deos.' *Cerda.*

*Qualis ubi*] Hanc Comparationem expendit Scal. v. 3. deque versuum horum venustate in genere magniloquo agit, IV. 6. *Taubmann.*

*Gramina*] Gramen hic pro qualibet herba sumi, neque tantum signari ἔργαστον *Victorius* admonet *Var. VI. 16. Cerda.*

*Pastus*] Legimus et, 'silva pastus arundinea.' Sed sciendum est, quia licet hoc in usu sit, rarum tamen est apud antiquos: *pastus* autem, pro qui pascebatur: quia ut supra dictum est, in hac ratione Latinitas deficit. *Serv.*

472 *Tumidum*] Qui semper irascatur. *Idem.*

*Bruma*] Id est, hiems. Dicta autem bruma, quasi βραχεία ἡμέρα, id est, brevis dies. Est autem, ut hic locus indicat, generis fœminini, numeri singularis. *Idem.*

*Tegebat*] *Plin. VIII. 23.* verbo occulto usus est. *Arist. Hist. animal. VIII. 15.* verbis, φάτω, et φαλέω: ait enim: φαλεῖ δὲ καὶ τὰ πολλὰ τοῦ ἐνάλμου: *condunt se multa sanguinei generis: et statim:* Ὀφεις ἐν τῇ γῇ φαλεύουσιν: *serpentes latent in terra.* Cum ait *tumidum*, veneno intelligit, a quo tumor. *Stat. l. v.* 'tumidi stat more veneni Spuma virens.' Nam, ut bene *Seneca ep. 42.* de serpente, 'dum riget frigore, non desunt illi venena, sed torpent.' *Cerda.*

*Exuvias*] Bene corium quo serpens exiit *exuvias* dixit. *Servius.*

*Exuvias*] De pelle serpentium: Græci appellant λεβηρίδα: eodem modo noster *Ge. III. 437.* 'Cum positus

novus exuviis nitidusque juventa? vide N. ubi etiam de *linguis trisulcis* idem versus occurrit. Non. Marc. salus appellatur, dicit, *quicquid in longitudine aculeatum est*: inde *trisulcum fulmen*. De duplici et triplici angulum lingua Bochart. Hist. anim. i. 4. Emm.

*Nitidusque juventa*] Novus; constat enim serpentes innovari virtute, pelle deposita. Servius.

*Nitidusque juventa*] Hunc nitorem per aurum et purpuram Accius explicat in Pelopidis: 'Ejus serpentis squammæ squallido auro, et purpura prætextæ.' Cerda.

474 *Lubrica terga*] *Lubricum* dicitur et quod labitur dum tenetur, ut piscis, serpens: et locus in quo labimur: ut, 'Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens.' Servius.

*Lubrica convolvit sublato pectore terga*] In perveteri quodam codice scriptum animadverti, *sublato pectora tergo*. Sed longe melius, *lubrica terga*: quod Servius etiam agnoscit. Pierius.

475 *Ardus ad Solem*] Id est, Solis appetens, atque apricans: Scaliger. Serpens autem singulis annis pelle bis exsutus, rejuvenescit. Tibullus: 'serpens novus exsuit annos.' Lucret. l. iv. 'Cum labrica serpens Exsuit in spinis vestem.' Statius Thebaid. iv. 189. 'ceu lubricus alte Angnis humo verni blanda ad spiramina Solis Erigitur, liber senio, et squallentibus annis Exsutus, lætisque minax interviret herbis.' Plinio dicitur 'vernatio annua': item, 'pellis exsuviae.' Taubmannus.

*Linguis micat ore trisulcis*] Ita enim in ore serpens vibrat linguam, ut tres esse videantur. Seneca in Medea: 'trifidamque linguam exsertat.' Statius in Theb. v. 'Livida fax oculis, tumidi stat more veneni Spuma virens: ter lingua vibrat: terna agmina adunci Dentis.' Ducitur metaphorâ a sulco, ut etiam in fulminibus, quæ *trisulca*, et *bisulca* Poëtæ appellant: bonique interpretes Græ-

corum *τῶν διπάλων, τρισάλων*, quod proprie ignis vibrans, vertunt, *ignem bisulcum, trisulcum*. Plin. xi. 37. utramque vocem adjungit. 'Linguae non omnibus eodem modo. Tenerrima serpentibus, et trisulca, vibrans, atrî coloris.' Notatur Artemidori verba iv. 60. *διττὴν γὰρ ἔχει τὴν γλῶτταν ὁ δράκων*: duplicem enim linguam Draco habet. Cerda.

476 *Periphas*] Ultima accentum non habet, ne fœmininum sit: nec tertia a fine, quia novissima longa est: ergo rî habebit accentum. Servius.

*Una ingens Periphas*] Periphantis mentio nonnulla Homero, præsertim Il. v. ubi illum vocat *πείλαριος*, et Spondanus ibi *ingentem* vertit: *πέλαρ* autem, *πέλαριος*, *πείλαριος*, de carnificina et immanitate frequenter sumuntur: ut jam videatur epithetum Maronis referendum ad magnitudinem cædium, quibus furebat Periphas. De Automede. Il. xix. *ἵππους δ' Αὐτομέδων τε καὶ Ἀλκιμος ἀμειψόμενος Ζεύηρον*: Equos autem Automedon, et Alcimus curantes Junxerunt. Frequentissima alias mentio. Cerda.

*Periphas*] Ætolorum Princeps: quem Pallas Orcl galea texit, &c. Taubmann.

*Agitator*] Anriga, secundum usum communem. Servius.

*Equorum agitator*] *ἵππηλάτης, ἐλάσιππος, ἀρμηλάτης, διφρηλάτης*. Simpliciter et Jurisconsulti *agitatores* dixerunt: ut in l. Athletas. II. de iis qui notantur infamia his verbis: 'Et generaliter omnes opinantur, et utile videtur, ut neque thymelici, nec agitatores, nec qui aquam equis spargunt, cæteraque eorum ministeria, qui certaminibus sacris deserviunt, ignominiosi habeantur.' Germanus.

*Equorum agitator*] Græce *ἵππολος*, Lat. *auriga*. Suet. in Nerone c. 22. 'Tractum Prasinum agitatore inter condiscipulos querens' vide Scheff. de r. vehic. i. 17. ubi, præter hanc, multæ inscriptiones:

M. AURELIO AGITATORI  
FACTIONIS PRASINÆ.

*Emmeness.*

477 *Armiger Automedon*] Pyrrhi armiger. Nam Achilles auriga fuit. *Serv.*

*Scyria pubes*] A Scyro insula, una de Cycladibus: in qua fuit Lycomedes pater Deïdamiz; quam Achilles, commendatus ibi a matre Thetide, vitavit; unde Pyrrhus natus est: quamvis alii, volente Lycomede, Deïdamelem Achilli datam in matrimonium dicunt. *Idem.*

*Scyria pubes*] Sic Ovid. epist. Heroid. viii. 12. 'ignara tetigi Scyria membra manu.' Arguit Hermolaus castig. Plin. l. iv. Sidonium, *Scy* in hac voce corripientem: 'vel Scyrias vacuasse colus, vel serica fila.' Contemptum annuit: Pyrrhus enim ex furtivo concubitu natus dicitur, ut Senec. Troad. Hyginus fab. 97. Neoptolemam Achilles et Deïdamiz filium ex Scyro insula venisse testatur. Ex Cycladibus una est, ut Mela ii. 7. ubi in Vossiana editione male *Syros* pro *Scyros*. Nunc *Scyro*. Ob antiquitatem commendatur a Strabone l. ix. *Emmeness.*

478 *Succedunt tecto*] Pro sub tectum cedunt. Et est figura: quia mutatus est casus. *Servius.*

*Flammæque ad cubina jactant*] In Epig. dicitur *ῥῆψ ἀποσπάργῳ*, *devorans confignationes et cubina*: quod habet nomenclam similitudinem cum Maroniano. *Corda.*

479 *Dura*] Valida limina, id est, firmities clausa. Ideoque non aperit, sed perrumpit. *Servius.*

*Dura Limina*] Quæ facile superari non possent. Potest tamen videri dicitur *duram bipennem*, id est, idoneam, qua frangere potuerit firmitatem æratorum postium. Allusit autem de ostio ad fenestram: sed debuit dicere cavernam factam in ostio, per quam non ingrederetur, sed videret interiora. Ergo videbantur iatus aemuli. Interepta autem spe, clausa

ante domus patuit. Plangebant faminz et summis ululatibus predebant hostibus suam formidinem, qua agebatur illis spes. Ergo, 'Instat vi patria Pyrrhus.' Quis enim non provocaretur audiendo talia? Descriptio autem regiz, auget nobilitatem et amplitudinem felicitatemque Priami. *Don.*

480 *Postesque*] Fere eodem modo Horat. posuit *postes* pro *foribus* Epod. xi. 'Heu mihi postes et heu lumina dura.' Male igitur Donatus *dura* bipenni conjungendum censet. Notanda verba, *perrumpit, vellit*, quæ non mediocrem vim designant. Similem sententiam Apulejus Metam. l. iv. 'Latrones aditum tentantes, et domus januas cardinibus obtortis evellere gestientes, &c. claustrisque omnibus violenter evulsis,' &c. Pro *perrumpere* Ter. Ad. i. 2. 22. 'fores effringere.' *Emmeness.*

*Vellit*] Non dejecit. Nam sequitur paulo post, 'Labat ariete crebro.' Sed movet, ut, 'Cynthius aurem Vellit, et admonuit.' Vel certe vellere vult, ut, 'Ipsamque trahunt in mœnia regem.' Nam quare facit fenestram? *Servius.*

481 *Cavavit*] In perveteri codice Longobardico, *cavabat* habetur; neque obstat, quod præteritum subsequatur: ostendit enim hoc celeritatem in conficiendo negotio. Consentiant tamen omnes in *cavavit*. *Pierius.*

482 *Dedit*] Id est, fecit: ut Terentius, 'Quas turbas dedit.' *Servius.*

*Fenestram*] Epitheto, ut solet, auxit tapinosin, in dicendo *lato ore*. *Idem.*

*Fenestram*] Id est, ingens fecit foramen in janna, et occasionem invadendæ anlæ. Allusum videtur ad illud Terentianum H. i. 2. 72. 'fenestram ad nequitiam patefacere.' De hac voce accuratius Scefferus ad Phædr. f. ii. 14. *Emmeness.*

483 *Atria longa*] Sic Æneid. i. 730. 'atria ampla:' vide Serv. Æn. iv. 606. 'alta atria.' Fuere proxima januis: Vitruv. vi. 8. de latitudine et longi-

tudine eorum c. 4. Græci tunc non uni c. 10. An subdialis fuerit locus, in dubium vocat Philander, quem c. 4. vide. De atriis templorum agit Salmas. Plin. exerc. p. 1216. 1218. *Id.* [Pateant] Aperiantur, ac per hoc videntur. *Servius.*

484 *Penetratis*] Ideo domorum secreta dicta, ab eo quod est penitus, apta a Penatibus. *Idem.*

*Veterum regum*] Ut ostenderet regnum Priamo a maioribus suis provenisse. Quantus autem dolor, ut una nocte conciderit, quod per infinitos reges, multis etiam seculis servatum fuerat? *Donatus.*

485 *Armatoeque vident stantis*] Ut supra, 'Strictis mucronibus imas Obcedere fores.' Sic enim datur virtus ubique Trojanis. *Servius.*

486 *At domus interior*] De Albano excidio translata est locus. *Idem.*

*Domus interior*] Ubi feminae agunt. Corn. Nep. in Præfat. 'in interiore parte ædium, quæ gynæcomitis appellatur.' Ter. Ph. v. 6. 22. *gynæceum*: de hoc conclavi mulierum Vitruv. vi. 10. et Salmas. p. 1216. *Emmeness.*

*Tumultu*] *Tumultus* dictus, quasi *timor multus*. Unde alia bella dicta sunt; ut *Italicus*, *Gallicus tumultus*. Bene autem addidit *misero*, quia est etiam terribilis. *Idem.*

487 *Miscetur*] Perturbatur: ut, 'Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto Misceri putet.' *Idem.*

*Cava ædes*] Tecta camerata. *Ædem* autem numero singulari, de templo tantum dicimus: plurali, et de domibus, et de templis. Si aliter invenies; usurpatur. *Idem.*

*Cava*] *Cavedium* intelligit, quod post atrium erat sub dio: Græcis ἡ μέσσωλος. *Taubmann.*

*Plangoribus ædes Fœmineis ululant*] *Ullulare* vocabulum medium: ut Serv. *Æn.* iv. 168. Lucan. vi. 261. 'lætis ululare triumphis': sed plurimum in luctu et re atroci idem i. 567. 'Sanguine populis ulularunt tristitia Galli.'

*Lupis et canibus tribuitur ut* G6. i. 486. 'lupis ululantibus *Æn.* vi. 267. 'visæque canes ululare per umbram' sic Hecuba in canem mutata apud Ovid. *Metam.* xiii. 871. 'Sithonides ululavit moesta per agros.' Nec tantum sic furiarum appellatur ejulatus sed et fœminarum: inde noster *Æn.* iv. 677. 'gemituque et fœmineo ulatu.' Stat. *Thebaid.* l. v. 'resonat ululatus ædes Fœmineis.' Leni spiritus scribendum, quamvis Pontanus asperum anteponat contra fidem codicum et Græcam originem ἀλαλῆτω. *Emmeness.*

488 *Ferit clamor*] Secundum philosophos, qui dicunt vocem corpus esse, ideo dixit *ferit*: nam et fluvius habet magitum, res incorporalis. *Aures sidera* multi ad laquearia referunt, quod stultum est. *Servius.*

489 *Pavidæ*] *Pavidus* est semper pavens: *timens*, ex causa: ut *furius* et *furius*. Modo pro paventibus, *pavidas* posuit. *Idem.*

*Matres*] Honoris nomen. *Idem.*

*Errant*] Confusio, consilio. *Idem.*

*Errant*] Servii locum corruptum arbitror: *confuso consilio* legendum conjicio. Ut et vs. 487. ubi, sublata distinctione, pro *si aliter* pono *nec aliter*, et sensus reddetur manifestior: sed hoc Angiæ stabulum non obiter pergendum. *Emmeness.*

490 *Amplexæque tenent postes*] *Apolonii* locus, in quo inducitur *Medea* patris *Ætæ* relinquens domum, ita facere. *Idem.*

*Postes*] Hoc autem loco, *postis* plurimum in antiquis exemplaribus invenitur. Varie vero semper disputatum ab auctoribus: utrum casus plur. hujusmodi nominum tertie declinationis per *is* an per *es* eorum debent. Nam ex veteribus Grammaticis non desunt, qui super hoc casu præceptum hoc observandum esse sentiant: ut quando genitivus casus numero plur. un litteris ante consonantem concluditur: tunc so-

casus numerus plur. *es* litteris definiatur: ut puta, *horum parietum, hos parietes*. At vero tunc accusativus casus numerus pl. *is* litteris concludatur, quum genitivus casus numerus plur. *ium* litteris definiatur: ut puta, *hos talis*: quoniam *horum talium* facere demonstratur. Quod præceptum, ut imperite datum, redarguit Probus in Arte. Quandoquidem sunt nomina, quæ genitivo casu numero pl. *ium* litteris definiantur, et accusativo casu numero plur. *es* litteris concludantur: ut puta *horum nubium* (ait ille) non quidem *has nubes*, sed *has nubes* facere pronuntiat. Item sunt nomina, quæ genitivo casu numero pl. *um* litteris ante consonantem concluduntur, et accusativo casu numero plur. *is* litteris concludantur: ut puta *horum parentum, hos parentis*. Quo sono Sallustius '*per liberos atque parentis vestros*,' scivit esse pronuntiandum. Item sunt nomina, quæ genitivo casu numero plur. *ium* litteris definiantur, et accusativo casu numero pl. *es* et *is* litteris concludantur: ut puta, *horum postium, hos postes*, et *hos postis*. Qua ratione præcipiens Maro eodem *postes* ex utroque sono pronuntiavit: '*Amplexæque tenent postes*.' Item, '*postisque sub ipsos Nituntur gradibus*.' Sane quidem in Mediceo casus huiusmodi plurimum per *is* scribuntur: hoc vero loco, *postes* scriptum est, ex Probi sententia. *Pierius*.

*Amplexæque tenent postes, atque occlusæ Agunt*] Romanis religioni fuisse videntur limina posteaque: siquidem Fabius Pictor auctor est, Janum prius aras, pomeria sacra docuisse, et ad pudorem et sanctimoniam domorum, primum item valvas, et sacras claves excogitasse, et januis ipsas nomen dedisse. *Germanus*.

*Amplexæque tenent postes, &c.*] De artificio huius loci agit Scal. poet. III. 13. De religione, quam Romani tribuebant liminibus et postibus hæc habet Turneb. XII. 5. ex Plaut. Mer-

cat. v. 1. 1. de salutatione superi inferique liminis: idem monet etiam Turneb. XXVI. 23. '*Qui Deus Limentinus* dictus: postes igitur amplectuntur et limina osculantur, quia ea religione se tutas fore et immunes ab injuria arbitrantur:' sed Ovidio teste Metam. XIII. 410. ne sanctissimis quidem adytis paritum a Græcis: '*Dardanidas matres patriorum signa Deorum Dum licet amplexas, succensæque templa tenentes Invidiosa trahunt victores præmia Graji*,' &c. et noster inf. vs. 517. ubi frustra '*Divum amplexæ simulacra tenebant*:' et vs. 515. '*nequicquam altaria circum*.' *Emmeness*.

491 *Vi patria*] Secundum fidem generis sui: at, '*Stirpis Achillem fastus*.' Item de Hercule, '*Salve vera Jovis proles*.' *Servius*.

*Vi patria*] Non. Marc. hoc loco *fortitudinem* et *virtutem* significare docet, ut in his: '*Auxilloque levare viros, vimque addere victis*.' Sallust. '*omnis vis nostra sita est in corpore et animo*.' *Emmeness*.

*Neque ipsi Custodes*] Vigiles, de quibus dixerat, '*Imas obsedere fores*.' Possumus etiam *custodes*, ipsos postes intelligere, quoniam *custodes* a custodiendo appellantur. Cum igitur omnia deficerent, '*sit via vi*.' *Vis*, inquit, januam patefecit: *vis* aditum ad interiora tenenda reclausit. *Donat*.

493 *Sufferre*] Pro *sustinere*. Non. Marcell. '*sufferre pœnam*.' *Emmen*.

*Labat ariete crebro*] De usu arietis Veget. IV. 14. illius signam adjiecit Stewechius. Inde *arietare*. Plant. Truc. II. 2. 1. '*quis illic est, qui tam proterve nostras ædis arietat*?' In *ariete* tertiam litteram ex vocali fieri consonantem docet Scal. Poët. II. 37. sed de his supra. *Idem*.

493 *Cardine*] A cardine. *Servius*.

*Emoti procumbunt cardine postes*] Non. Marcellus *emoto* agnoscit. Ubi hoc versu teste Virgilium *cardinem* virili genere protulisse dicit: nulla enim alia dictio est, ex qua genus

apparere possit: nam ex veteribus aunt, qui hanc *cardinem* dixerint: ut illud, 'Sonat impulsæ Regia cardo.' *Pierius*.

494 *Fit via ei*] Ita Livius l. iv. 'Quacunque incedant, vi viam faciunt.' *Tausmann*.

*Primosque*] Quos dixit strictis mucronibus. *Servius*.

496 *Non sic, aggeribus ruptis*] Vult ostendere gravius vastatam Trojam, quam agri fluviorum eruptione vastantur. Et sciendum comparationes, aut pares esse, aut minores, aut similes; et contra in similitudine negatur comparatio ultro, ut hoc loco: vel illo: 'Non tam præcipientes, bijugo certamine campum Corripere.' *Centurium* est, 'Si parva licet componere magnis.' *Idem*.

*Non sic, aggeribus*] Fluminum multos fecit Homerus comparationes: noster semel tantum, illis omnibus anteponendam. *Scal.* v. 8. *Tausmann*.

*Non sic, aggeribus, &c.*] Hanc comparationem ex Homero desumptam docet *Macrob.* *Satura.* v. 5. *Emmen*.

*Spumens*] Pro *spumans*. *Servius*.

497 *Exiit*] *Dicimus et evolvit*. Sed et subtrahit *Virgilius*, ut brevem faciat sequentem vocalem. Et proprie plena flamma, cum extra alveum aënis crescunt, *exire* dicuntur: ut, 'Præsertim incertis si mensibus annis abundans *Exit*.' *Idem*.

498 *Camulo*] Augmento, exuberante flucta: ut, 'Camulo præruptus aquæ mons.' *Idem*.

499 *Vidi ipse furentem*] Ut, 'Quæque ipse miserrima vidi.' Sane *Vidi ipse*, hæc particula addita miserierem se ostendit, cujus ante oculos casus patris suorumque fortuna constiterat. *Idem*.

500 *Geminæque in limine Atrides*] Potest subaudiri *furentes*. *Idem*.

501 *Centumque viris*] Aut finitus est numerus pro infinito *ὡς πολλοῖς*. Aut certe ideo *centum*, quia Barbarorum fuerat non singulas habere, sed

plures conjuges. Aut illud dicit, plures feminas: ut *Lucanus*, 'Cætas gestare decoros Vix maribus rapuere mæra.' Hoc est, feminis. Aut novas nuptas, ut ætatis hoc nomen sit, non adfinitatis. Aut centum per aras: licet incongruum sit, quia sequitur, 'Hæc ara tuebitur omnes': et unus per centum aras occidi non poterat. Est autem hæc plena affectu et dolore repetitio. *Idem*.

*Vidi Hecubam, centumque mæra*] Respondet ad id: 'Quæque tunc miserrima vidi.' Fuit ergo cædis eorum hominum spectator, quos venerat defensurus. *Donatus*.

502 *Fedantem*] *Crurentantem*. *Salustius* in i. 'Cum aræ et alta diis sacra, supplicum sanguine foedarentur.' Et *Terent.* in *Eunuch.* 'Proh deum atque hominum fidem, facinus fœdum, o infelicem adolescentem.' *Servius*.

*Sanguine fedantem*] Ab *Ennio* in *Andromacha*: 'vidi Jovis aram sanguine turparier.' Est hoc, quod *Aristophanes* in *Lysistrat.* *ἑμὸς τοῦτο πῶς ἔσται*. Noster in l. x. 'sanguine turpantem capillos.' *Cerda*.

*Quos ipse sacraverat, ignis*] Ut, 'Et refulgosa deorum limina.' Per quod ostenditur latenter, nihil prodesse religionem. *Servius*.

*Quos ipse sacraverat, ignis*] In illa enim ara Jovis *Hercæi*, ad quam occisus fuit *Priamus*, sacratum fuisse ignem pervigilem et perpetuum constat. *Turneb.* xiv. 18. *Tausmann*.

503 *Quinquaginta illi thalami*] Illi celebrati ab Homero. Et bene de thalamis veram expressit numerum. Potest enim unus thalamus, plures habere conjuges: et est zœgna; 'Quinquaginta thalami procubere.' *Servius*.

*Quinquaginta illi thalami*] Firmat hoc *Homerus* II. vi. ubi etiam numerantur *πεντήκοντα θάλαμοι*: in quibus *παῖδες κοιμῶντο Πριάμιο*, *καὶ οὐκ ἦν* *Priami filii*. *Priamus* item ipse ad

Achilleum ultimo II. Περὶ τοῦ πο-  
 λέου, ὅς ἐστι φάρος ὁ δὲ Ἀχαιῶν: *Quin-*  
*quaginta mihi erant, quando venerunt*  
*filii Achisorum:* et Eurip. in Troad.  
 vocans Priamum, *πεντήκοντα ἀπορῆπα*  
*ῥέων, quinquaginta liberorum æminat-*  
*orem.* Demum Dictys excidii Troj.  
 III. 'se diversi partus quinquaginta  
 filiorum patrem, beatissimum Regum  
 omnium habitum.' Dissident aliqui,  
 et minore assignant numerum. Se-  
 neca indefinīte ore Hecubæ, 'libe-  
 rum magni greges:' ut vero Virgi-  
 lius, 'spes tanta nepotum,' ita ab  
 illo Propertius eleg. III. 22. 'hic am-  
 pla nepotum Spes.' *Cerda.*

*Quinquaginta illi thalami*] Propter  
 L. liberos, quos habuit: ex quorum  
 conjugio sperabat sibi copiosam an-  
 nolem nepotum. Alii LI. numerant.  
 Hyginus LIV. Alii filios tantum  
 quinque; filias tres. *Thalamos* inter-  
 pretatur Servius *cubicula*, ubi mariti  
 cubant *Taubmann.*

*Spes tanta nepotum*] Aut *nepotes* sig-  
 nificant, qui essent futuri magnæ  
 spei, aut connubia, de quibus spera-  
 bantur tanti nepotes, ut, 'Modo nam-  
 que gemellos Spem gregis.' *Serv.*

*Spes tanta nepotum*] Sunt qui dicant  
 in codicibus aliquot antiquis scriptum  
 esse, *spes illa nepotum:* ego lectionem  
 eam nusquam in exemplaribus, quæ  
 mihi versare contigit, inveni. Sed  
*tanta* fere passim: quam lectionem  
 Donatus agnoscit. In uno tantum,  
 quanta per exclamationem habetur:  
 et *ampla* scriptum in Mediceo codice  
 vetusto: *tanta* tamen melius. *Pier.*

*Nepotum*] Cum hæc vox sæpe in-  
 definite signet posteros, hic tamen  
 proprie accipitur, ut in Ovid. 'Pri-  
 ma fuit thalami mihi cura, secunda  
 nepotum.' et iterum, 'Sæpe pater  
 dixit, generum mihi filia debes, Sæpe  
 pater dixit, debes mihi nata nepotes.'  
*Cerda.*

504 *Barbarico*] Id est, Phrygio.  
 Phryges enim opibus et auro abund-  
 dabant: ut et Persæ. Quodque duo

hæc regna opulentissima essent, *bar-*  
*baricum aurum* dixit Maro; et vetus  
 Poëta, 'stante ope barbarica,' id est,  
 stante Phrygum imperio. Videatur  
 Turneb. IX. 18. Quomodo autem per-  
 sonæ *Enææ* conveniat, ut patrium  
 aurum dixerit *barbaricum*, docet si-  
 milibus exemplis Pimpontius. Potest  
 et *barbarum* exponi cum Servio *mul-*  
*tum;* ant, a *barbaris captum.* *Taub.*

*Et postes superbi auro Barbarico*] Id  
 est, aut multo ait cultu barbaro,  
 quia Barbari copię magis, quam ele-  
 gantiæ student: aut a Barbaris cap-  
 to, aut vere barbaro, id est, Phry-  
 gio, quia πᾶς μὴ ἑλλην βάρβαρος. Nam  
 et Homerus Phrygas *barbaros* appel-  
 lat. Et Virgilius, 'Barbara tegmina  
 erurum.' Aut vere *Barbarico:* quia  
 πληροὶ τῶν βαρβάρων. Aut cultu  
 barbaro, aut barbaris apto. *Servius.*

*Spoliis superbi*] Hoc fuit moris Anti-  
 qui: ut ipse in septimo, 'Captivi  
 pendent currus, curvæque secures.'  
*Idem.*

*Spoliisque superbi*] Sic *Æn.* I. VII.  
 'Multaque præterea sacris in postib-  
 us arma, Captivi pendent currus,  
 curvæque secures, Et cristæ capitum,  
 et portarum ingentia claustra, Spi-  
 culaque, clipeique ereptaque rostra  
 carinis.' Nam Romani solebant suos  
 postes ornare hostium spoliis. Livius  
 lib. XXXVIII. 'et cætera spolia ejus  
 urbis ante currum laturus, et fixurus  
 in postibus suis.' Silius I. VI. 'Vos  
 atria raptim Nudate, et clipeos in  
 bella refugite captos.' *Idem* de Re-  
 gulo, 'Affixi clipei currusque, et spi-  
 cula nota Ædibus in parvis, magni  
 monumenta triumphii.' Tibull. I. I.  
 ita ad Messalam, 'Te bellare decet  
 terra, Messala, marique, Ut domus  
 hostiles præferat exuvias.' Proper-  
 tius I. III. ad Mæcenatem, 'Cum  
 tibi Romano dominas in honore se-  
 cures Et liceat medio ponere jura  
 foro: Vel tibi Medorum pugnaces ire  
 per hostes, Atque onerare tuam fixa  
 per arma domum.' Cicero in Anton.



apparere possit: nam ex veteribus sunt, qui hanc *cardinem* dixerint: ut illud, 'Sonat impulsus Regia cardo.' *Pierius*.

494 *Fit vis ei*] Ita Livius l. rv. 'Quacunque incedunt, vi viam faciunt.' *Taubmann*.

[*Primoque*] Quos dixit strictis mucronibus. *Servius*.

496 *Non sic, aggeribus ruptis*] Vult ostendere gravius vastatam Trojam, quam agri fluviorum eruptione vastantur. Et sciendum comparationes, aut pares esse, aut minores, aut similes; at contra in similitudine negatur comparatio ultro, ut hoc loco: vel illo: 'Non tam præcipientes, bijugo certamine campum Corripuere.' Contrarium est, 'Si parva licet componere magnis.' *Idem*.

*Non sic, aggeribus*] Fluminum multos fecit Homerus comparationes: noster semel tantum, illis omnibus anteponendam. *Scal. v. 8. Taubman*.

*Non sic, aggeribus, &c.*] Hanc comparationem ex Homero desumptam docet *Macrob. Satur. v. 5. Emmen*.

[*Spumens*] Pro *spumans*. *Servius*.

497 *Exit*] Dicimus et *exitus*. Sed v. subtrahit Virgilius, ut brevem faciat sequentem vocalem. Et proprie plena flamma, cum extra alveum suum crescant, *exire* dicuntur: ut, 'Præsertim incertis si mensibus annis abundans Exit.' *Idem*.

498 *Cumulo*] Augmento, exuberante fluctu: ut, 'Cumulo præruptus aque mons.' *Idem*.

499 *Vidi ipse furem*] Ut, 'Quæque ipse miserrima vidi.' Sane *Vidi ipse*, hac particula addita miserierem se ostendit, cujus ante oculos casus patriæ suorumque fortuna constiterat. *Idem*.

500 *Geminæque in limine Atrides*] Potest subaudiri *furentes*. *Idem*.

501 *Cantumque nurus*] Aut finitus est numerus pro infinito *ὀνειροβόλος*. Aut certe ideo *centum*, quia Barbarum fuerat non singulas habere, sed

plures conjuges. Aut *finis* dicitur, plures feminas: ut *Lucanus*, 'Cultus gestare decoros Vix nurbis rapuere mares.' Hoc est, feminis. Aut novas nuptas, ut ætatis hoc nomen sit, non adfinitatis. Aut centum per aras: licet incongruum sit, quia sequitur, 'Hæc ara tuebitur omnes': et unus per centum aras occidi non poterat. Est autem hæc plena affectu et dolore repetitio. *Idem*.

[*Vidi Hecubam, centumque nurbis*] Respondet ad id: 'Quæque ipse miserrima vidi.' Fuit ergo cædis eorum hominum spectator, quos venerat defensurus. *Donatus*.

502 *Fadentem*] *Cruentantem*. *Ballastius* in f. 'Cum aræ et alta dis sacra, supplicum sanguine fœdarentur.' Et *Terent.* in *Eunuch*. 'Proh deum atque hominum fidem, facinus fœdum, o infelicem adolescentem.' *Servius*.

[*Sanguine fadentem*] Ab *Ennio* in *Andromacha*: 'vidi Jovis aram sanguine turparier.' Est hoc, quod *Aristophanes* in *Lysistrata*. *ἁμαρτὰς ῥομφαλοῖς*. Noster in l. x. 'sanguine turpantem capillos.' *Cerda*.

Quos ipse sacraverat, ignis] Ut, 'Et religiosa deorum Limina.' Per quod ostenditur latenter, nihil prodesse religionem. *Servius*.

Quos ipse sacraverat, ignis] In illa enim ara Jovis *Hercæ*, ad quam occisus fuit *Priamus*, sacratum fuisse ignem pervigilem et perpetuum constat. *Turneb. xrv. 18. Taubmann*.

503 *Quinquaginta illi thalami*] Illi celebrati ab Homero. Et bene de thalamis verum expressit numerum. Potest enim unus thalamus, plures habere conjuges: et est zœgna; 'Quinquaginta thalami procubuerunt.' *Servius*.

[*Quinquaginta illi thalami*] Firmat hoc *Homerus* *Il. vi.* ubi etiam numerantur *πεντήκοντα θάλαμοι*: in quibus *παῖδες κοιμῶντο Πριάμοιο, cubabant Priami filii*. *Priamus* item ipse ad

*Achillem ultimo Il. Περήκορτε μοι ἦσαν, ὅτ' ἔφαθον ὅλες Ἀχαιοῖν*: Quinquaginta mihi erant, quando venerunt filii Achivorum: et Eurip. in Troad. vocans Priamum, *περήκορτα ἀπορῆπα τέκνα*, quinquaginta liberorum seminatorem. Demum Dictys excidii Troj. iii. 'se diversi partus quinquaginta filiorum patrem, beatissimum Regum omnium habitum.' Dissident aliqui, et minorem assignant numerum. Seneca indefinite ore Hecubæ, 'liberum magni greges:' ut vero Virgilius, 'spes tanta nepotum,' ita ab illo Propertius eleg. iii. 22. 'hic ampla nepotum Spes.' *Cerda.*

*Quinquaginta illi thalami*] Propter L. liberos, quos habuit: ex quorum conjugio sperabat sibi copiosam sobolem nepotum. Alii LI. numerant. Hyginus LIV. Alii filios tantum quinque; filias tres. *Thalamos* interpretatur Servius *cubicula*, ubi mariti cubant *Tumbmann.*

*Spes tanta nepotum*] Aut *nepotes* significant, qui essent futuri magnæ spei, aut connubia, de quibus sperabantur tanti nepotes, ut, 'Modo namque gemellos Spem gregis.' *Serv.*

*Spes tanta nepotum*] Sunt qui dicant in codicibus aliquot antiquis scriptum esse, *spes illa nepotum*: ego lectionem eam nusquam in exemplaribus, quæ mihi versare contigit, inveni. Sed *tanta* fere passim: quam lectionem Donatus agnoscit. In uno tantum, *quanta* per exclamationem habetur: et *ampla* scriptum in Mediceo codice vetusto: *tanta* tamen melius. *Pier.*

*Nepotum*] Cum hæc vox sæpe indefinite signet posteros, hic tamen proprie accipitur, ut in Ovid. 'Prima fuit thalami mihi cura, secunda nepotum.' et iterum, 'Sæpe pater dixit, generum mihi filia debes, Sæpe pater dixit, debes mihi nata nepotes.' *Cerda.*

504 *Barbarico*] Id est, Phrygio. Phryges enim opibus et auro abundabant: ut et Persæ. Quodque duo

hæc regna opulentissima essent, *barbaricum aurum* dixit Maro; et vetus Poëta, 'stante ope barbarica,' id est, stante Phrygum imperio. Videatur Turneb. ix. 18. Quomodo autem personæ Æneæ conveniat, ut patrium aurum dixerit *barbaricum*, docet similibus exemplis Pimpontius. Potest et *barbarum* exponi cum Servio *multum*; ant, *a barbaris captum*. *Taub.*

*Et postes superbi auro Barbarico*] Id est, aut multo ait cultu barbaro, quia Barbari copię magis, quam elegantię student: aut a Barbaris capto, aut vere barbaro, id est, Phrygio, quia *πᾶς μὴ ἑλλήν βαρβαρος*. Nam et Homerus Phrygas *barbaros* appellat. Et Virgilius, 'Barbara tegmina crurum.' Aut vere *Barbarico*: quia *πλησμονή τῶν βαρβάρων*. Aut cultu barbaro, aut barbaris apto. *Servius.*

*Spoliis superbi*] Hoc fuit moris antiqui: ut ipse in septimo, 'Captivi pendent currus, curvæque secures.' *Idem.*

*Spoliisque superbi*] Sic Æn. l. vii. 'Multaque præterea sacris in postibus arma, Captivi pendent currus, curvæque secures, Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra, Spiculaque, clipeique ereptaque rostra carinis.' Nam Romani solebant suos postes ornare hostium spoliis. Livius lib. xxxviii. 'et cætera spolia ejus urbis ante currum laturus, et fixurus in postibus suis.' Silius l. vi. 'Vos atria raptim Nudate, et clipeos in bella refugite captos.' *Idem* de Regulo, 'Affixi clipei currusque, et spicula nota Ædibus in parvis, magni monumenta triumphi.' Tibull. l. i. ita ad Messalam, 'Te bellare decet terra, Messala, marique, Ut domus hostiles præferat exuvias.' Propertius l. iii. ad Mæcenatem, 'Cum tibi Romano dominas in honore secures Et liceat medio ponere jura foro: Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes, Atque onerare tuam fixa per arma domum.' Cicero in Anton,

‘An tu illa in vestibulo rostra, et hostium spolia cum aspexisti, domum tuam intrare te putas?’ Polybius: ἐν ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκῦλα, σημεῖα ποιούμενοι, καὶ μαρτύρια τῆς αὐτῶν ἀρετῆς: in aribus conspectissima earum parte, ponunt spolia, indicia, et testimonia suas virtutis. Monuerunt, firmaruntque Tura. Adv. xiv. 11. et Lips. ad Polyb. de Militia Rom. l. v. Ad quem morem multa nos alibi. Nunc placuit magnorum in re litteraria principum labor: οὐ γὰρ αἰδὼς ἔχουσαι τῶν ἰχθῶν τῶν θυμαστῶν. Cerda.

[*Superbi*] Ornatu artis et materia. *Donatus*.

505 *Tenent Danaï, qua deficit ignis*] Ignis potuit deficere, Danaï non poterunt. *Servius*.

[*Qua deficit ignis*] Omnia occupaverat ignis, sed cum, rebus consumptis, ignis extinguitur, Danaï occupabant ea loca, in quibus non dixit, non fuit ignis, sed jam deficiebat. *Donatus*.

[*Tenent Danaï, qua deficit ignis*] Cum his alludit illud Agathiæ l. iv. in nocturna invasione, et igne: οἱ μὲν γὰρ οἶκοι μεμενηκότες ἐκφυροῦντο, ἡ κατεχόνοντο τοῖς δὲ πρὸς τὰ ἐκτὸς διακρίπτουσιν, ἐτοιμότερος δὲ τῶν ξιφῶν ὄλεθρος ἐφεισθήκει: Qui enim domi manserant, concremabantur, vel aribus obruebantur; qui vero e domibus proruebant, iis paratior ab ensibus interitus imminebat. Verbum tenere apte hic: significat enim per vim occupare. Cicero in Vatin. ‘tenere templum armatis hominibus.’ Ad Attic. l. x. ‘Existimat eum, qui mare teneat, necesse esse rerum potiri.’ Cerda.

506 *Forsitan et, Priami fuerint qua fata, requiras*] Bene de Priamo obtulit narrationem, quia breviter perstrinxerat, ‘Priamumque per aras sanguine sædantem, quos ipse sacraverat, ignis.’ Et bono usus est ordine: ut ante reipublicæ, post regis, inde privati, hoc est, sua fata narret: hoc est illud, ‘Multa super Priamo rogians, super Hectore mul-

ta.’ De morte autem Priami ~~etiam~~ lectum est. Alii dicunt, quod a Pyrrho in domo quidem sua captus est: sed ad tumultum Achillis occisus; tractusque est juxta Sigeam promontorium: nam in Rhœteo Ajax sepultus est: tunc ejus caput, cæso fixum, circumtulit. Alii vero quod juxta Hercæi Jovis aram extinctus sit, dicunt. Unde Lucanus, ‘Hercæas, monstrator ait, non respicias aras?’ Et hanc opinionem plene Virgilius sequitur. Licet etiam istam prælibet; ut suo indicamus loco. *Servius*.

[*Forsitan et Priami*] Bono compendio utitur, ut ultro suggerat, quod interrogari poterat: debebat enim eo tempore, quod omnibus quietem destinaverat, uti brevitate. Exponit igitur, quomodo sanguine aras fœdaverat. *Donatus*.

507 *Urbis uti captæ causam*] Bene omnia collegit, et captam, et dirutam, et incensam. *Servius*.

[*Urbis uti captæ*] Cum jam nihil esset reliqui de urbe regiaque sua, nullaque omnino spes restaret, statuit sapiens et forti animo rex, quacunque morte captivitatem fugere. *Donatus*.

508 *Medium in penetralibus* h.] Hypallage est, pro, in mediis penetralibus. Si autem mediis dixeris, non stat versus, nisi excluso s. ut, ‘Inter se colisse viros, et discernere ferro.’ Et bene Priamum non nisi in extremis armat periculis, ut magis incitet hostem in necem suam, qua possit captivitatem vitare, quam ut defendat aliquem. Sane penetralia proprie Deorum dicuntur, nonnumquam etiam imæ, et interiores partes privatarum domorum vocantur, unde et penum dicimus locum, ubi condantur, quæ ad vitam sunt necessaria. Hic autem videtur opportunius penetralia de domo regis dixisse; quoniam Reges proprie suggestum imitantur deorum. *Servius*.

[*Et medium in penetralibus hostem*] Quia pluribus in codicibus antiquis legere erat, mediis in penetralibus, ea

expositione, quæ sese etiam inferior offert, 'Mediis hostem in penetrabilibus,' Grammatici, ut staret versus, medium, quippe *hostem* correxere. Quod aiquis versus quosdam exleges, vel anapesticos potius, alteriusque generis insertos Virgilio nolit condonare, aut elisionem s litteræ cum vocali applicita non admittat: habebit in codices venerabilis antiquitatis Mediceum, et alios, in quibus *mediis penetrabilibus* absque in præpositione legatur: elocutione Virgilio admodum familiari. Neque tamen hoc ita dicimus, ut lectionem vulgatam improbemus, quæ recte et ipsa procedit, hoc modo: *medium in penetrabilibus hostem*. Pierius.

509 *Arma desueta*] Ab hominis consuetudine, sensum ad arma transiit. Quia jam pugnare desierant. Servius.

*Trementibus aris*] Non timore. Id.

*Arma diu senior desueta trementibus aris Circumdat*] Inde Juvenalis Sat. x. 265. 'Longa dies igitur quid constabat? omnia vidit Eversa, et flammis Asiam, ferroque cadentem. Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara.' *Emmones*.

510 *Circumdat*] Non apte sibi coherere facit: sed potius oneri sumit. Servius.

*Circumdat*] Sic Homer. ἀμφιδόλῃσθαι ἔπλα: et Eurip. πάντοια ἀμφιβλήματα τὰ τεύχη vocat. Cædæ.

*Inutile ferrum*] Ipse inutilis. Ferrum enim de his est, quæ ex conjunctionis sumunt epitheta: ut *venenum*. Servius.

*Arma circumdat*] Non ut peteret victoriam, sed; ut in armis positus, victor occumberet. Poni autem et hominem et arma inutilia, quoniam ipse senex jam diu arma non sumpserat. Unde illa rubigine contabuerant, et inutilia reddita erant. Don.

*Inutile ferrum Cingitur*] Hom. sæpe ἔφας μαιψιδιον, inutilem gladium, et alii, βέλος ἄλυν: telum inutile. Phrasis

Græca est. Ostendi alibi. Latine dixisset, *cingitur ferro*: ut infra: 'impulit his cingi telis.' Porro describit hominem ἀνέμυχον, bello inutilem. Cædæ.

*Ferrum*] Superiori versu *arma*, per quæ intelligas clipeum, lorica, casidem et ejus generis alia: per *ferrum* autem gladium, ut hoc loco. Constat Salmas. ad Hist. Aug. Script. p. ex edit. Hackiana 435. vol. 2. *Emm*.

511 *In hostia*] In antiquis aliquot exemplaribus, *ad hostis* legitur non inepte: cui quidem lectioni ad stipulatur etiam codex ille pervetus, in quo semper at præpositio per t notatur. In eo enim, *at hostes* legitur. Agnoscit tamen Ti. Donatus vulgatam lectionem *in hostia*. Pierius.

*Ac densos fertur moriturus in hostia*] Mavult mori cum gloria Priamus, quam pati servitutem, et captivus duci. Eurip. Hecub. Τὸ γὰρ ζῆν μὴ καλῶς, μέγας πόνος: Vivere enim non honeste, ingens est labor. Idem in Troad. de Troja non eversa, στέφανος οὐκ αἰσχρὸς πόλει καλῶς δάσθαι μὴ καλῶς, δὲ, δυσκλεές: gloria non turpis urbi. Fortiter perisse: non fortiter cæro, ignominiosum. Iterum, Τοῦ ζῆν δὲ λυγρὸς πρὸς τὸν θάνατον κατθανεῖν: Vita calamitosa melior est morte. Liv. xxiii. de Æmilio Consule, ad Cannas mortuo, 'Qui se bene mori, quam turpiter vivere maluit.' Porro illi oblatus fuerat equus ad salutem, quem respuerat cupiditate moriendi in strage militum: et lib. xxiii. 'Posthumus omni vi, ne caperetur, obnixus occubuit.' Nihil frequentius in ore Taciti, quam multos suis manibus fatum gloriose advertisse, ne aut turpiter viverent, aut turpiter mori cogerentur. Cedrenus, μετὰ ἀρετῆς ἀπολαύειν τοῦ σπῆσθαι ἀμαχῇ δυσκλεές ἔμμενον: melius est mori cum virtute, quam servari cum dedecore extra pugnam. Cædæ.

512 *Ædibus in mediis*] Omne ædificium *ædes* dicantur, sed Varro locum, quatuor angulis conclusum,

*adem docet vocari debere.* Idem *Re-  
rum Divinarum* libro sexto intulit:  
Ideo loca sacra civitates habere  
voluisse, ne per continua ædificia in-  
cendio prolaberentur; et ut essent,  
quo confugerent plerique cum fami-  
lia sua in periculis: quod etiam in  
Comœdiis a servis timentibus legimus  
factum. Hoc Virgilius hoc loco sub-  
tiliter tangit, cum dicit, 'Ædibus in  
mediis nudoque sub ætheris axe In-  
gens ara fuit,' &c. Ex nomine enim  
penatum et aræ, intelligitur loci sa-  
cri veneratio, ut non immerito illuc  
confugerit Regina cum suis: nam  
subiunxit, 'Hic Hecuba et nati ne-  
quicquam altaria circum Præcipites,'  
&c. Unde apparet veram consuetu-  
dinem fuisse fugiendi a periclitanti-  
bus ad ararum præsidium. *Servius.*

*Ædibus in mediis, &c.]* Describitur  
ara Jovis Hercei, quæ in mediis ædi-  
bus in impluvio sub dio erat: nam  
hoc est, *sub nudo axe ætheris*, idque  
more Græcorum. Athen. l. v. 'Ὁμη-  
ρος δὲ τὴν αὐλὴν αἰεὶ τάττει ἐπὶ τῶν ὑπαι-  
θρίων τόπων, ἔνθα ἦν ὁ τοῦ ἑρκέλου Ζητὸς  
βωμόν: *Homerus semper aulam consti-  
tuit in locis subdialibus, ubi erat ara  
Hercei Jovis.* Ad hanc Priamus in-  
fectus est. Enrip. Troad. πρὸς δὲ  
κρηπίδων βάθροισι Πέπταικε Πριάμος Ζητὸς  
'Ἑρκέλου θανάον: *Ad septa ipsa cecidit  
Priamus Jovis Hercei, mortuus.* Dio  
Chrysost. orat. 11. Πριάμον κατὰ πρῶ-  
θὲντα παρὰ τοῦ Διὸς τὸν βωμόν. Ovid.  
in Ibim, 'Nec tibi subsidio præsens  
sit numen, ut illi, Cui nihil Hercei  
profnit ara Jovis.' Seneca in Agam.  
'Sparsum cruore Regis Herceum Io-  
vem.' Hæc ara intus erigebatur in  
ipsis ædium septis, et inde Juppiter  
Herces dictus: ἑρκος enim Græcis  
septum est, et claustrum: sic ferme  
Pollux. Inde est, ut Penates etiam  
vocentur ἑρκεῖοι θεοί, quod scribit  
Dionys. l. i. quod videlicet in septis  
domorum colerentur. *Cerda.*

*Nudoque sub ætheris axe]* Hoc est,  
sub divo, quod *impluvium* dicitur.

*Axis* autem est aut Septentrio, aut  
pars Septentrionis, aut spiritus, quo  
mundus movetur; ut 'Axem humero  
torquet stellis ardentibus aptum,' sic-  
ut docet et Lucanus. *Servius.*

513 *Ingens ara fuit]* Privatis in  
ædibus exstructa fuisse altaria, qui-  
bus victimas mactabant, docet Fei-  
thius antiq. Homer. i. 9. Maronis  
locum etiam attingit Turneb. xiv. 15.  
fuisse, dicens, aram Jovis Hercei,  
cujus meminit Lucan. ix. 979. 'Her-  
ceas, monstrator ait, non respicia  
aras?' *Emmeness.*

*Veterrima]* Usurpatum est. Ergo,  
ut supra diximus, hoc tantum uti, si  
necesse sit, licet: et comparativum  
non habet, sicut *deterior* positivum.  
*Servius.*

*Laurus]* Daphne, filia Ladonis, flu-  
vii Arcadiæ terræ fuit, quæ, asper-  
nata viro jungi, semper venatibus  
operam dabat. Hanc cum Apollo  
adamasset, et eam, ut comprimeret,  
insequeretur: illa a Terra matre petit  
auxilium, quæ recepta a matre est,  
nec multo post in locum ejus, arbo-  
rem lauri nasci\*. *Idem.*

*Veterrima laurus]* Quam tradunt  
scriptores in medio atrii Priami fu-  
isse; et arte mathematica factam:  
stipitemque ejus ex puro puto auro  
fuisse XII. cubitorum. In summo,  
inquunt, diffundebat se in ramos:  
qui totum atrium tegebant. Flores,  
rami et folia ejus partim ex auro,  
partim ex argento erant, et inter  
gemmas fructus radiabant. Hanc  
Ulysses et Diomedes (vel, ut alii, Pa-  
lamedes) legati ad Helenam repen-  
dam missi ad stuporem usque admi-  
rati dicuntur. *Taubmann.*

514 *Complexa penates]* Penates sunt  
omnes dii, qui domi coluntur. *Serv.*

*Complexa penates]* Hic libentius  
*Penates* pro ædibus ceperim, ad eum  
modum quo sæpe Tacit. Hist. iii. ad  
finem: 'Utque erat in armis in pa-  
ternos Penates deduxit:' et Hist. l.  
ii. 'Nota et familiaria castra in mo-

dum Penatium diligebantur.' Liv. 11. 1. 'in diversorio hospitali, quam apud Penates suos.' ubi *diversorium*, et *Penates* opponuntur. Nisi quis dicat, ad eam quoque aram Penates Deos fuisse: sed non certe hic illorum locus. *Cerda*.

515 *Hic Hecuba, &c.*] Ad aram confugiebant veteres in summo discrimine: ut infra vs. 523. 'Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnia.' Argilius, apud Corn. Nepotem in Pausania c. 4. 'ad fanum Neptuni confugit, in ara consedit.' et paulo post: 'ut audivit Argiliam confugisse in aram.' Sic noster *Æn*, vi. 124. 'Talibus orabat dictis, arasque tenebat.' Inde apud Ter. H. v. 2. 22. 'nec tu aram tibi, nec precatorem pararis.' in Græcis hæc passim obvia, quæ diligentius conguessit *Cerda*. Vide de asyl. reverentia etiam *Turneb.* xxvi. 2. et xiv. 15. *Emmenæus*.

*Nequicquam*] Aut secundum Epilureos, qui dicunt deos nihil curare, aut propter vim bellicam. *Servius*.

*Altaria*] Superiorum et aræ sunt, et *altaria*: Inferorum, tantum aræ. Ara autem dicitur a precibus, quas Græci ἀπὸς dicunt: unde contra imprecatio *καρδὰ* dicitur. *Idem*.

*Altaria*] Plura de differentia inter ara et altare *Servius Ecl.* v. 66. Sed sæpe confundi, ut *coma* et *capillamentum* docet *Salmas.* *Plin.* exerc. p. 156. ubi *Solinus* hæc c. 9. 'ara est in cacumine dicata, cujus Jovis altaribus ai qua,' &c. Multa et quidem notatu digna de hoc discrimine observavit *Saubertus* de Sacrificiis c. 15. *Emmen.*

516 *Præcipites*] *Festina* propter tempestatem: et bene *atra* addidit, quia est et clara; ut, 'Unde hæc tam clara repente Tempestatas.' *Serv.*

517 *Sedebant*] *Mediceus*, et antiqui fere omnes codices *sedebant* habent, quod est mulierum proprium, ut apud *Homerum*, sæpe: pauloque infra, *Hecuba* *Priamum* ad sese reci-

pit, et longævum in sede locat. In non nullis *tenebant*. *Pierius*.

518 *Juvenilibus armis*] Multorum codicum, et auctorum testimonio, *juvenilibus* per a media syllaba legendum, alibi indicavimus. *Idem*.

519 *Dira*] Modo proprie. *Dira* enim est deorum ira. Ergo quæ mens *dira*, id est, infusa ex deorum ira. *Servius*.

520 *Telis*] Armis. *Idem*.

*His telis*] Auctorem mortis quærit, non amentia, sed sapientia, ut morte captivitate fugiat. Ergo sapientissimus poëta, decorum in hoc rege servavit. Dedit et convenientem naturam mulieri, et reginæ, ex uxori. *Donatus*.

*Rixis*] Aut festinas, aut incedis seniliter et inconsulto. *Servius*.

521 *Non tali auxilio, nec defensoribus istis Tempus eget*] Non dissimilis locus apud *Justinum* v. 6. 'sed neque is miles erat, qui nomen Atheniensium tueretur, neque ex vires, quibus vincere consueverant.' et paulo ante: 'non magnam bello moram ætas fecit imbellis,' &c. *Emmenæus*.

522 *Non si ipse meus*] Mire, *meus*, ut matris exprimeretur affectio. Et subaudi, *posset defendere*. *Servius*.

*Meus Hector*] Animadverto hic aliquid occultæ eruditionis; cur *Hecuba* dicit *meus Hector*, non tuus, non noster? Fortasse itaque allusum ad *Hectoris* natales: ferebat enim occultior opinio Trojanorum, illum fuisse *Apollinis* et *Hecubæ* filium, non *Priami*, quod *Porphyrius* testimoniis *Ibyci*, et aliorum probat, et *Lycophron* illum a *Ptooo*, id est, *Apolline* genitum ait. Adeundus *Homeri Scholiastes*, *Delrius* noster in *Agamem.* *Senecæ*, *Spondanus* in *Il.* x. Itaque, aliter locutus *Noster* in hoc libro ore *Creusæ* ad *Ænean*, 'nati serva communis amorem,' quia *Ascanius* utriusque filius. Contraria de *Hectore* *Homerus* sentit dicto lib.

nbi Agamemnon admiratur Hectorem, non herœm, ut qui nullas ait Deorum filius, tam magna opera moliri, tantum, quia charus sit Diis. Sed et *Hector meus* Græcorum est: illi enim, *ὁ ἡμῶν*, aut *ὁ ἐμοῦ*, et subaudiunt, *voûs*. *Cerda*.

523 *Hæc ara tuebatur omnis*] Est hoc, quod Servius apud Plautum Mostell. 'ego interim hanc aram occupabo.' Ad rem Poëtæ signatissima sunt verba P[utarchi] et Q[uintiliani]: ille de superst. *Πολυλοῦς φέρωντες ἂν ἐνθάδε λαβόνται, ἢ καὶ, θαρροῦσι: Qui hostem fugiunt, simulacrum aut sanum tenentes, recipiunt animos*. Hic Declamat. 265. 'Qui jam arma ferre non possunt, qui salutem suam tueri fuga nequeunt, circa aras jacent.' Apud Thucydidem l. viii. cum nautæ vellent Astyochum interficere, ille hoc prævidens, *καταφεύγει ἐπὶ βαρύν τινα*, et ita servatus est. Alludens ad hanc rem Philostratus in epist. dixit de pulchritudine esse, *ἐλέου βαρύν, aram misericordiae*. *Idem*.

524 *Aut moriere simul*] Ut religio, aut pariter omnes servet, aut simul moriantur omnes. *Servius*.

*Ore effatus*] Abundat, *Ore*: est autem pleonasmus. *Idem*.

*Recepit*] Quam imbecillis esset, ex eo apparet, quod mulier anus, eum ab incepto ad se vocavit. *Donatus*.

526 *Ecce autem elapsus*] Voluit mori Priamus, vetuit uxor: at casus attulit sibi, quod cupiebat. *Idem*.

528 *Vacua*] Magna: quæ difficile complentur. An *vacua*, quia in unum ad aras omnes confugerant, an *vacua*, jam sine defensoribus. *Servius*.

*Lustrat*] Id est, circumspicit. V. N. 'Lustrat Aventinum,' &c. *Taub.*

529 *Infesto vulnere*] Bonum schema, *vulnus* pro *telo*. An vulnus quod infixit; an quod infligeret. *Servius*.

*Infesto volare*] In perveteri codice Oblongo legere est, *infesto in vulnere*. Saucius enim erat Polites. Sed enim Servius schema laudat, *vulnere* pro

*telo*: et absque *in*, in aliis codicibus habetur. *Pierius*.

*Infesto vulnere*] Ponit *vulnus* pro *telo*, jam multi explicarunt: ita quoque possis accipere similia Ovidii et Propertii loca. Ait ille Fast. v. 'Semiacaper coleris succinctis, Faune, Luperis, Cum lustrant celebres verbera secta vias.' Ait iste eleg. iv. 1. 'Verbera pellitis setosa movebat arator.' In utroque verbera, non sunt plage, sed instrumenta et tela ad inferendas plagas. *Cerda*.

530 *Premis*] Urget; ut, 'apri cursum clamore prementem:' alibi interfecit; vel opprimit; ut, 'Armigerumque premit.' *Servius*.

531 *Ut tandem ante oculos*] Hoc ideo describitur, ut et contra propositum Priamus incitetur. *Idem*.

*Evasit*] Pervenit. *Idem*.

*Ut tandem ante oculos evasit, et ora parentum*] In quibusdam veteribus codicibus est, *Ante oculos evasit, et ante parentum*. Sed omnino corrupte: inde autem emanavit error, quod ea præpositio addita legitur in plerisque codicibus saperne pro paraphrasi. *Pierius*.

532 *Vitam cum sanguine fudit*] Modo eos sequitur, qui sanguinem sedem vitæ volunt. Alibi eos, qui ipsam sanguinem vitam volunt: ut, 'Purpuream vomit ille animam.' Potest tamen κατὰ τὸ συνώνυμον intelligi item vulneratum Politem. *Servius*.

*Fudit*] In antiquis plerisque codicibus, *fundit* habetur. Res enim hujusmodi per tempus præsens enarratæ, magis movent. *Pierius*.

533 *Hic*] Id est, tunc. *Servius*.

*Hic Priamus*] Voluit fortuna, ut mors Politæ esset in conspectu suo, ut inde sua mors oriretur. *Donatus*.

*Media*] Manifesta: aut certe potest secundum consuetudinem dictum: neque enim est mors prima, media, postrema: et potest referri vel ad Priamum, vel ad Politem. *Servius*.

534 *Non tamen abstinuit, nec voci, &c.*] Bene Priamo animositatem regiam dedit, ut mori honeste velit. *Idem.*

*Nec voci iraque pepercit*] Quintilian. declamat. 247. 'nunquam ira fere silentio continetur.' Phrasin ab Plauto arripuit, qui in Mil. 'Parre voci:' eandem repetit in Pers. *Cerd.*

535 *At tibi pro scelere, exclamat*] Ordo est: At dii persolvant tibi grates dignas. *Servius.*

*At tibi pro scelere, &c.*] Particulam hanc execrationi præviam, ejusque usum in invectivis elegantem esse, asserit multisque adstruit testimoniis Hadrian. Card. de Serm. Lat. *Emm.*

*Ausis*] Quidam proprie sumptam tradunt, nec posse in prosa dici. *Servius.*

536 *Di*] Scilicet præsentem, ad quorum se suffragium contulerat: et si est in cælo aliqua pietas, quæ nefaria commissa vindicet. *Donatus.*

*Si qua est*] Vel secundum Epictetum: vel desperat; quia imponere ante aras conspicit cædem. *Servius.*

*Curet*] Ulciscatur. *Idem.*

537 *Grates*] Prout res fuerit, vel in bonis vel in malis dicuntur, sicut *præmia*. *Idem.*

538 *Qui nati*] Non culpatur Pyrrhum, quod occiderit, sed quod cædem in conspectum paternum reservaverit. Nam stulte reprehenderet, quod jure belli licebat. *Donatus.*

*Qui nati*] Atrocitatem spectaculi amplificat e relatis. Vide P. Victor. 1. 8. *Taubmann.*

*Qui nati*] Tanto atrocius Ptolomæi Ceranni scelus, qui filios Arsinos in ipsius matris, ad quam confugerant, grenio trucidavit, narrante Justino xxiv. 3. *Emmense.*

*Coram*] Adverbium temporis modo est: quia verbo cohæret: ut, 'Coram quem quæritis adsum:' et *coram* ad personam certam refertur; *palam* ad omnes. *Servius.*

*Me cernere*] De spectaculo que-

ritur, non de morte. Quia jure belli Politen Pyrrhus occiderat; sed cur ante oculos patris? *Idem.*

*Cernere fecisti*] Hellenismus. Tibullus: 'Securum in tenebris me facit esse Venus.' Cicero in Lucullo: 'Erant qui illum gloriæ causa facerent sperare.' Conqueritur autem, non de morte, sed de spectaculo: nam jure belli occisus erat Polites. *Taubmann.*

539 *Fadasti*] Cruceles impioque fecisti. *Servius.*

*Funere*] Cadavere: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Funus* enim est jam ardens cadaver: quod dnm portatur, *exsequias* dicimus: crematum jam, *reliquias*: conditum jam, *sepulcrum*. *Idem.*

540 *At non ille, satum*] Tribus generibus parentes objicimus filiis, cum bonis eos negamus æquales, ut hoc loco: cum malos objicimus, ut, *Laomedontiada*; item cum non solum bonos adimimus, sed insuper malos objicimus: ut, 'Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor.' *Idem.*

*At non ille*] Conatur privare eum omni gloria, et nobili genere, quod non sit filius Achillis: quod probat, quod in se non servaverit jura, quæ servaverat Achilles. *Donatus.*

*At non ille, satum, &c.*] Pertinet ad hanc rem locus Plutarchi in præceptis gerendæ Reip. *ἐπομνηστικὸν δὲ καὶ πατέριον ἀγαθὸν ἐν τοῖς θραύξεσιν*: Nonnullis peccantibus præclarorum parentum est obijcienda mentio: quod firmat Homeri exemplo, qui, *ἢ δόλιγον ὁ παῖδα δούδρα γένετο Τυδεΐς*: *Haud similem natum tibi, Tydeus magne, dedisti*: et Appii in comitiis, ubi contendens cum Scipione Africano, dixit: 'quam ingemisceres, Paule, apud manes, si sentirens filium tuum censuræ petendæ gratia in campum descendentem a Philonte publicano stipari.' *Cerda.*

*At non ille*] Acerba exprobratio indolis degeneris. De qua re Fabius



l. v. capite de exemplis. *Taubmann.*

541 *In hoste Priamo*] Aut Archaismos est; aut *in hoste*, id est, cum hostem gereret, cum ipse hostis esset. Hic *Priamo* nomen positum, sensum validiorem fecit: hoc est, Priamo qui tunc fui; quasi jam esse desierit; id est, quem operæ precium fuit occidere. *Servius.*

*Tulis in hoste fuit*] Pari sententia Propertius eleg. III. 19. 'Victor erat quamvis, æquus in hoste fuit.' Et Ovid. Trist. v. 2. 'Sæpe suo victor lenis in hoste fuit.' *Cerda.*

*Jura fidemque*] Quia quod Homerus mutat, dicitur, duce Mercurio, Priamus ingressus Achillis tentoria, excitatum rogasse, quem dormientem potuisset occidere. *Jura*, vero, quia rex rogabat. *Fidem*, quia supplex. Quidam *jura fidemque* ita intelligunt: *Jura* quod Hectorem reddidit; *Fidem*, quod me in mea regna remisit. *Servius.*

*Sed jura fidemque erubuit*] De re Grammatica monearis, verbum *erubesco* adhibitum cum actione, ut etiam a Propertio eleg. III. 14. 'Inter quos Helene nudis capere arma papillis Fertur, nec patrios erubuisse Deos.' O si jam sapiant Grammatici! qui non ad gustum doctorum fingunt neutra sua, quæ nulla sunt. *Cerda.*

542 *Corpusque*] In aliquot ex antiquioribus codicibus *corpus exsangue* legitur absque particula *que*. Sed enim ipsa versus dignitas eam particulam hoc loco videtur expetere. *Plerius.*

*Sepulcro*] Pro ad *sepulcrum*. *Serv.*

543 *Reddidit*] Quod injuste tenuisset. Sola enim anima debetur hosti: corpus autem, quoniam in nullius est potestate, dimittitur sepulchræ. *Reddidit* ergo, quoniam contra humanitatis jura id tenebat. *Donat.*

*Sepulcro Reddidit*] Quem 'Unxere matres Iliæ addictum feris Alitibus atque canibus homicidam Hectorem, Postquam relictis mœnibus rex pro-

cidit, Heu, pervicacia ad pedes Achillei.' Ut Horat. Epod. I. Od. ad Canidiam. Interpretem consule illic Torrentium. *Emmenes.*

*Remisit*] Comitatus usque ad Trojam est, et mire in 'mea regna remisit', cum potuisset per me mea regna capere. *Servius.*

544 *Sic fatus*] Est desiderium manifestum mortis, quod post contumeliam etiam armis juvenem senex provocet. *Donatus.*

*Inbelle*] Ipse imbellis; ut, 'Inutile ferrum.' *Servius.*

*Telum inbelle*] Confirmat, quod dixit, 'Inutile ferrum.' *Donatus.*

*Sine ictu*] Probat quod dixit, 'humeris trementibus ævo.' *Idem.*

545 *Rauco arre*] Ad scutum retulit. *Servius.*

*Protenus repulsum*] Statim prohibitum. *Idem.*

*Repulsum est*] In antiquis aliquot codicibus, *sepultum est* legitur. In aliquot *sepultum* absque *est*: quod id videtur innuere, quod ad vivum non pervenerit, sed in summo clipei nulla efficacia pependerit. Sane vero, *sepultum*, ab iis repositum est, qui olim quæstionem faciebant, non posse pendere, quod repellitur: adversus quos ita Donatus: 'Nam et repulsum est, et pependit. Missum enim telum constabat, quod vetustatis vitio fuisset hebetatum, quod vigorem perdidisset illius temporis, quo id usu Priami fuit, quum adhuc juvenis esset: nunc emissum ab eo, qui omne virtutis robur cum ipsis juventæ temporibus amisisset. Talis ergo teli effectus plenus esse non potuit: ut perforato penitus sento ad hominis corpus, et exitium perveniret, nec tamen in totum inefficax fuit: repulsum est enim, resistente ære, sic tamen, ut pendens inhæreret, penetrato scilicet aliqua ex parte scuti contextu.' Legamus itaque cum Donato, 'Rauco quod protenus ære repulsum est.' *Pier.*

*Rauco quod protenus ære repulsum*]

Si quis Donati mentem defendat, sciat, pro illo posse facere locum hunc Statii l. ix. 'Intorquet jaculum, duro quod in ære moratum, Transmissumque tamen clipei stetit orbe secundo.' Habet enim hic ictus aliquam viciniam cum Virgiliano. Cæterum ictum hunc invalidum, et sine viribus senis Priami, illustrabis loco Silii, l. v. quem ego jam attuli ad rem aliam Ge. l. iii. ad illud, 'Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,' &c. *Cerda*.

546 *Nequicquam*] Non. Sic Persius, 'Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.' Sane quidam, *nequicquam umbone pendit*, hunc sensum volunt, telum repulsum ne summam quidem hærere potuit, ut penderet: alii unam eandemque rem bis dictam volunt, et superfluum putant. *Et summo clipei nequicquam, &c.* Eandem rem bis dixit; cum præcessisset, 'Rauco quod protenus ære repulsum:' quod idem est, et nihil attinuisse dici putant: 'Et summo clipei nequicquam umbone pendit.' Tanquam non omnino necesse esset, ut de summo clipei penderet, et potuisset dici, nec de clipeo pendit: sed duplicationem narrationis per *ἐπεξεργασίας* excusat. *Servius*.

*Pendit*] Stulte dicant, non posse pendere, quod repellitur. *Donatus*.

*Nequicquam pendit*] Id est, non pendit, vel adhæsit umboni minime penetrans. Vel, telum repulsum ne summam quidem hærere potuit. Sunt, qui velint, eandem rem bis dici. *Taubmann*.

547 *Referes ergo hæc*] Sarcasmos est, locus cum amaritudine. Ut, 'En agros, et quam bello, Trojane, petisti Hesperiam.' Asteismos autem, est urbanitas sine iracundia: ut, 'Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos.' *Servius*.

*Referes ergo hæc, &c.*] Similem huic historiam et atrocitatem Suetonius narrat de Tiberio in illius vita, c. 57.

'Scurram, qui prætereunte funere, clare mortuo mandarat, ut nuntiaret Augusto, nondum reddi legata quæ plebi reliquisset, attractum ad se, recipere debitum, ducique ad supplicium imperavit, et patri suo verum referre.' Hæsit Virg. Silii l. i. 'Cui sævum arridens, narrabis Hamilcaris umbris, Hanc, inquit, dextram, quæ jam post funera Vulgi Annibalem vobis comitem dabit: et ferit alte Insurgens gladio cristatæ cassidis æra, Perque ipsum tegmen crepitantia dissipat ossa.' Quidam Græcorum apud Calabrum, Theriste ab Achille interfecto imprecatus sic est: 'Ἄλλ' ἂν' Ἀχαιῶν Ἐπὶ, καὶ ἐν φθιμένοισιν ἑκαστολλας ἀγόμεναι: Concede a Græcia, et nuntia convitia in mortuis. Hinc illud Turni ad Pandarum l. ix. 'Inventumque alium Priamo narrabis Achillem.' Philostratus Iconum II. de Agamemnone moriente ita ait: *μυμήσεται γὰρ ἀβρῶν καὶ ἐν ᾧδον πρὸς Ὀδυσσεῖα ἐν τῇ ἀγορᾷ τῶν ψυχῶν: Hæc enim apud inferos in animarum concione Ulyssi memorabit.* Simile quoque illud Horatii victoris, qui ad sororem conquerentem de interfecto sponso Curatio, illam ipsam interficiens, his usus est apud Dionys. l. XIII. 'Quando igitur non lugens fratres, sed consobrinos, et corpus quidem inter vivos, animam vero apud mortuum habes, abi ad eum, quem toties vocas, neque patrem neque fratres dedecora.' Similia verba Livii l. i. eandem historiam narrantis: 'Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum,' &c. *Cerda*.

548 *Illi*] *Illi* hic pro ibi adverbium positum dicit Donatus interpres Terentianus in Adelphis, 'Ut ego illi maxumam partem feram.' Et in Hecyra: 'Nam illi non licebat nisi præfinito loqui.' *Pierius*.

549 *Degenerem*] Non respondentem moribus patris. *Servius*.

*Degeneremque, &c.*] Sibi ipsi loquitur, et quidem suo expresso nomine.

Sic Ter. Hec. v. 4. 38. 'An temere quicquam Parmenonem prætereat,' et Ph. v. 8. 38. 'Age, age, nunc Phormionem, qui volet, lacesito.' *Emmeness.*

550 *Hoc dicens*] Ostendit simul dum diceret fecisse. *Servius.*

*Hoc dicens*] Antiqua fere omnia exemplaria, *hoc dicens* legunt: non hæc: quippe, *nunc morere*: quod maiorem quandam habet illusionis efficaciam. *Pierius.*

*Hoc dicens, &c.*] Egregia αἰχμηῖς, quæ ὀνείρωσιν habet, i. e. dum adhuc loquitur, iratus traxit Regem: traxit senem: traxit ætatis vitio tremulum: traxit ad aras summi Jovis; ad aras, quas Priamus dixerat vindices fore: traxit crebro labantem: traxit in sanguine filii. Hunc autem casum Priami Euripides passim lamentatur, præsertim in Troadibus. Juven. etiam Sat. x. 267. 'Tunc miles tremulus,' &c. *Taubmann.*

*Altaria ad ipsa*] Unde sperabat auxilium: aut quia Achilles in templo occisus est, et ex similitudine vindicta. . . *Servius.*

*Tremulentum*] Non formidine, sed ætate. *Idem.*

551 *In multo lapsantem sanguine nati*] Similis occurrit locutio apud Sil. Italicum l. ix. 'calido lapsantem sanguine fratrum.' Fere eadem, quæ Æn. xi. 669. 'Moriensque sua se in volnera versat.' *Emmeness.*

552 *Implicuitque comam læva*] Est hoc, quod Æschines contra Ctesiphontem, ἐπιλαβόμενος τῶν τριχῶν. Quod Appianus l. iv. Ἐμφυλ. τῆς κόμης ἐπιστάδας. Dux enim armatorum in civili proscriptione caput Salvio abstulit, arrepta coma. Quod Hippolytus apud Senecam, volens cædem patrare, et novercam interficere: 'En, impudicum, crine contorto, caput Læva reflexi.' Quod idem Seneca, et de Priamo in Troad. 'cum ferox (Pyrrhus) sæva manu Coma reflectens regium torta caput.' *Cerda.*

*Dextroque cornucum extulit*] *Cornucum*, si ornatum gemma caput regis acceperis, sensus talis est: Sublato capite gladium in vaginam recondit, quæ lateri semper cohæret. Si vero *cornucum gladium* vis intelligere: lateri Priami infixum accipe: et *κρητὸν σκεῦος*: postea caput esse sublatum. *Servius.*

553 *Capulo tenus abdidit ensem*] Seneca in Troadib. de re eadem: 'Alto nefandum vulnere ferrum abdidit.' Quæ hic expendit Macrobius, legere est apud illum, Saturn. iv. 4. Hic ego duo nota. Primum, cum omnes scribant, hæc cædem Priami factam ad aram Jovis (aliquos jam supra attuli,) unum dissidere Leacheum, scribente sic Pansania in Phocicis: 'Priamum non fuisse ad aram Hercei mactatum, scribit Leacheus, sed ab ara abstractum, cum pro regis foribus obvius esset Neoptolemo factus, ab eo obtruncatum.' Alterum pertinet ad sobrietatem Poëtæ. Lasciviret hic fortasse ineptus Poëta, ex rivo sanguinis, ex cruore undante, et similibus, quibus cædes solent decantari a Poëtis. Ab hoc affectu Virgilius abstinere: nam quid undantem cruore animam describeret in sene, cui vix cruor, et hic præ ætate gelidus? Ideo Seneca, 'Quod (ferrum) penitus actum cum recepisset libens Ensis senili tinctus a jugulo redit.' Ait, *tinctus*, quia non exuberans cruor jam sene Priamo. *Cerda.*

*Capulo tenus abdidit ensem*] Pro eo Stat. Thebaid. ii. in princ. ubi Œdipus talem plagam infert Laio, ut totus ensis mergeretur in vulnere: 'capulo nam largius illi Transabit costas cognatis ictibus ensis Impius.' *Emmeness.*

554 *Hæc finis*] Ut *dies*, si tempus longum significat, generis fæminini est, et omnia Latina nomina, inanimata, simplicia, a verbo non venientia nis syllaba terminata, masculina sunt: inanimata, propter *causis*: simplicia,

propter *bipennis*: a verbo non venientia, propter *finis*. Ergo *chius* Juvenalis bene dixit: 'Tremulo descendunt *chne* puellæ.' Horat. male, 'Quod pulchræ *clunes*.' *Servius*.

*Hæc finis*] *Servius* velle videtur *finis* feminini tantum esse generis, quum tamen virilis etiam passim inveniat. Virgilius, 'Quem das finem, rex magne, laborum;' et, 'Hic finis fandi,' quod agnoscit Nonius. Præterea Probus in Arte querit, cur hoc loco *finis* feminino genere positum fuerit a Virgilio: quum veterum Grammaticorum regulæ nomen id masculini generis esse velint: Poëtanque ait metro consuluisse, ita enim plerumque rationem musicam appellat. Sane vero Comminianus Solæcium hic esse per genera nominum asseverat: *hæc finis Priami*, pro *hic finis*. *Pierius*.

*Hæc finis*] Aptissime sonat hoc loco epiphonema *hæc finis*, teste Gellio, III. 10. ut contra nihil mutandum in illo Maronis: 'Quem das finem, rex magne, laborum.' *Emmenas*.

*Hic*] Talis: ut, 'Hunc ego te, Euryle, aspicio?' *Servius*.

*Hic exitus illum*] Hunc non vulgatum loquendi modum esse, notat Scalig. IV. 16. Sorte autem est, fatali necessitate: vel, fortuna: Æn. XII. 'Utere sorte tua.' *Taubmann*.

555 *Sorte*] Fatali necessitate. Vel sorte, fortuna, ut, 'Utere sorte tua,' et quidam, *exitus sorte*, pro *sortis* tradunt, ablativum pro genitivo. *Servius*.

*Trojam incensam*] Pro Ilium. *Idem*.

*Prolapsa*] Non temere quidem in antiquissimo quodam codice, participia hæc a labor laboris, per thematis characteristicon scribuntur, *prolapsa*, *illapsus*, *labeantem*. Nam Probus huiusmodi participia per *b*, non per *p* scribi debere præcipit. *Pierius*.

556 *Pergama*] Proprie Trojanæ arces sunt; unde κατ' ἐξοχὴν arces omnes *Pergama* dicuntur: ut *Poëtam*

dicimus, et intelligimus Virgilium. *Servius*.

*Superbum*] Nobilem. *Idem*.

557 *Regnatorem Asia*] Quia imperaverat et Phrygiæ et Mygdonia. *Idem*.

*Jacet ingens litore truncus*] Pompeii tangit historiam, cum *ingens* dixit, non magnus. Quod autem dicit *litore*, illud, ut supra diximus, respicit, quod in Pacuvii tragœdia continetur, 'Priami corpus ad litus tractum:' aut *litus* pro solo accipiamus; aut, 'Litioraque et latos populos.' Aut ideo *Litore*, ut ostendat litus jam esse ubi fuerat Troja, ut, 'Et campos ubi Troja fuit.' Quod autem Donatus dicit, *Litus*, locum esse ante aras, a litando dictum, vel quod lituo illud spatium designatur, ratione caret. Nam a litando, *li* brevis est, et stare non potest versus. *Idem*.

*Jacet*] Sequuntur mortui ludibria. Itaque quod de Galba ille, 'corpus diu neglectum, et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum,' intueri in Priamo licet. Et signate *jacet*, quia non crematus Rex, qui hœnos tum dabatur vel vilissimis cadaveribus. Pari conquestione Lysias in oratione pro Atheniensibus, qui bello perierunt, κεμήνους ἄνδρας: et quidem Priamum non crematum, ait Seneca, 'Ille tot regum parens caret sepulcro Priamus, et flamma indiget, Ardente Troja.' Ennius majori ludibrio *semiassum* ait. *Cerda*.

*Jacet ingens litore truncus*] Tanquam funus; ita et Græcis κείσθαι funebre est vocabulum. *Taubmann*.

558 *Atolsumque humeris caput*] Hoc est quod κατὰ τὸ σιωπώμενον accipi debet: hoc enim claris et fortibus viris fieri solebat, ut, 'Quin ipsa arrectis visu mirabile in hastis Præfigunt capita.' *Servius*.

*Atolsumque humeris caput*] Passus ludibrium hoc Pompeius. Plutarchus: τοῦ δὲ Πομπηίου τὴν μὲν κεφαλὴν ἀποτέμνουσι, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα γυμνὸν

καβαλόντες ἀπὸ τῆς ἀλιάδος, τοῖς θεομέ-  
νοις τοιοῦτου θεάματος ἀπέλιπον: Ca-  
put Pompeji desecuerunt, truncum e na-  
vícula nudum projecerunt, reliqueruntque  
id spectare cupientibus. Passus Gal-  
lus Cæsar, de quo ita graviter Ammia-  
nus l. xiv. 'Colligatis manibus in  
modum cujusdam noxii latronis, cer-  
vice abscissa, ereptaque vultus et ca-  
pitis dignitate, cadaver est relictum  
informe, paulo ante urbibus et pro-  
vinciis formidatum.' De ipso Pria-  
mo Auson. 'Hic Priami non est tu-  
mulus, nec condor in ista Sede, caput  
Danai diripuerit meum:' et quia sine  
capite, ideo cadaver ipsum *sine no-  
mine corpus*, deerat enim pars illa,  
qua cognosci posset. Servius expli-  
cat, *sine agnitione*: alii, *sine inscripti-  
one*. Cerda.

*Atrolum*] Sic legendum ex Rom.  
Virgillii codice et antiquioribus ali-  
quot. Vide Dausq. sic *convolsus*, *re-  
volsus*. Emmeness.

*Sine nomine*] Sine agnitione, aut  
dignitate, aut simpliciter sine nomine,  
a capite enim quis nomen ducit.  
Servius.

*Sine nomine*] Nomen sæpe pro ho-  
nore: sic supra vs. 89. 'Et nos ali-  
quod nomenque decusque Gessimus.'  
Flor. iii. 16. 'homo sine tribu, sine  
nomine,' id est, abjectæ conditionis:  
qui Homero Iliad. ix. 63. ἀφρήτωρ,  
ἀνέστωρ dicitur: hoc autem loco pro  
inscriptione et titulo sepulcri, qui,  
quia nomen defuncti complecteba-  
tur, inde *nomen* pro ipso *ἐπιτάφιῳ*,  
*ἐπιταφίῳ*. Ovid. Metam. xii. 2. 'tu-  
mulo quoque nomen habenti Inferias  
dederat cum fratribus Hector inanes.'  
Emmeness.

559 *Sævus horror*] Quia est et bo-  
nus: ut, 'Lætusque per artus Horror  
iit.' Est et amoris, ut Terent. 'To-  
tus, Parmeno, tremo horreoque, post-  
quam aspexi hanc.' Servius.

*Sævus circumstetit horror*] Græci  
ἀμφιβάθηντες ἄχος: et Homerus Odys.  
xi. ἐμὲ δὲ χλαρὸν δέος ἦραι: Me vero

pallidus timor cepit. Cerda.

560 *Subiit cari genitoris imago*] In  
memoriam reducitur, ut Non. Marc.  
de hac Æneæ pietate Scal. poet. iii.  
1. Emmeness.

561 *Æquæum*] Amabiliter locutus  
est; plus enim est *æquæum*, quam  
*longævum*. Servius.

*Æquæum*] Pro eo Juvenal. Sat.  
iv. 94. 'Proximus ejusdem propera-  
bat Acilins ævi.' Emmeness.

562 *Vitam exhalantem*] Secundum  
eos, qui volunt animam esse ventum:  
ut, 'Atque in ventos vita recesait.'  
Servius.

*Vitam exhalantem*] Sicut πνεῖν, et  
ἐμπνεῖν, spirare, inspirare, pro vivere,  
usurpant Græci: et ἐκπνεῖν, *exspi-  
rare, exhalare*, pro mori: sic Latini et  
*spiro* pro vivere, et *exspiro*, atque *ex-  
halo*, pro mori. Plat. in Apol. ὡς οὖν  
ὁ ἐμπνέω, quod Cicero reddidit:  
'Dum anima spirabo mea:' et Vir-  
gil. 'Dum spiritus hos regit artus:'  
et Lucan. 'Dum movet hic calidus  
spirantia corpora sanguis.' Synes.  
ep. XLIV. ὡς ἐμπνέει τε, καὶ δίδωται:  
quandiu spirat, et potest, hoc est, quan-  
diu vivit. De altero Enrip. Orest.  
ἐκπνεύσας Ἀγαμέμνων βίον: exhalavit  
Agamemnon vitam: iterum, ἐκπνέω  
ψυχὴν, exhalans animam: idem omni-  
no, quod ἀφίεναι τὸ πνεῦμα, demittere  
spiritum. Cerda.

*Subiit deserta Cræusa, et direpta do-  
mus*] In Mediceo, et in antiquis ali-  
quot aliis exemplaribus legere est,  
*subit et deserta*: neque dicendum ulti-  
mam in *subit* ex synaresi longam esse,  
qui viderimus superius ejusdem for-  
mæ præteritum correptum: 'Hectore  
qui redit exuvias indutus Achilles.'  
Ibi enim pro *restitit*, dubio procul po-  
situm est bisyllabum *restitit*. Est vero  
venustas aliqua in ea repetitione co-  
pulæ: *Et deserta Cræusa, et direpta do-  
mus*: quanquam neque illud invenus-  
tum, quod absque *et*, *subiit* tri-sylla-  
bum in plerisque habetur exemplari-  
bus. Habemus vero in antiquis

aliquot codicibus lectionem aliam, ut *direpta domus*, hoc est, venit in memoriam domus, ut direpta, ea quippe specie, qua direpta esset: tali eam imagine concepit. Aliquot alii codices, et *deserta* legunt. Sed hoc parum in tanta calamitate: quare longe melius *direpta*. Loquitur vero hic ex Epicuri sententia, qui omnium rerum, quæ nostræ insiderent cogitationi, simulacra confingebant, eaque ad cerebrum volitantia species offerre, quibus prædita essent: memoriamque et excogitationem non aliunde in nobis esse. Quæ lectio si faciat satia, non erit dicendum participium esse pro participio; et *direpta* positum pro *diripienda*, ut Grammatici comminisci coguntur. *Pierius*.

563 *Casus*] Ant interitus, aut captivitas. *Servius*.

*Et parvi casus Iuli*] Ad φιλοστοργίαν Æneæ cum Ascanio notetur locus Plutarchi in libello περί πολυφιλίας, ubi ait, ἀνιμάτῃα omnia, quæ unum tantum gignunt, prolem suam vehementius amare, et probat testimonio Homeri, qui filium solum natum vocat ἀγαπητόν, *charum*. *Cerda*.

564 *Copia*] De exercitu dixit numero singulari, cum *copias* de exercitu numero plurali dicamus. *Copia* vero aliarum rerum sit. *Servius*.

*Copia*] Non devorant Grammatici, nam *copiæ*, ajunt, dicendum fuit. Sed sciant isti, usos hæc voce in singulari pro exercitu Tullium ad Attic. epist. viii. 17. et 11. Sallustium in Catilina. Suetonium in Augusto, Varroem iii. rerum humanarum, quem citat Probus in iii. Eclogam Virgilii, Virgilium ipsum in Culice. Abstini a verbis, nam hæc jam alii advocarent. Adduco Ammianum, quem alii tacent. Ille l. xix. ita ait: 'Ardens copia nostrorum eripit, iras in hostem perfidum parans,' &c. *Cerda*.

565 *Deservere omnes*] Defessi dolore, vox non accusatoria: sic enim se purgat, ut alios non culpet: dicen-

do autem *defessi*, etiam illos excusat, a quibus desertus est. *Servius*.

566 *Ignibus ægra dedere*] Post hunc versum, hi versus fuerunt, quos Tucca et Varus obliiti sunt, 'Jamque adeo super unus eram,' &c. versus enim refert\* usque illum, *Tulia jactabam*, &c. In quibus hæc variae lectiones: *Permetuens Troja*: ms. Præmetuens T. *aris invisæ*: ms. Argis invisæ. *Regina triumpho*: ms. Regina Triumpho. *Sudavit sanguine*: ms. Sudavit sang. *Nec habet victoria*: ms. Habet hæc victoria. *Summis merentis*: ms. Summis merentes. *Ultricis flammæ*: ms. Ultricis flammæ. *Mente ferebar*: ms. Mente loquebar. *Idem*.

567 *Jamque adeo super unus eram*] Duo illa et viginti carmina, quæ detracta esse constat, in nullo ex iis veteribus codicibus, quos versavimus, habentur: placuit tamen nonnullis impressoribus ea publicare. Donatus porro ita ea dissimulavit, ut sententiæ continuationem longe aliter acceperit, quam fecerint alii: ea quippe de causa Æneam, dextra prehensum a matre, contentum esse, ne ipse sibi, quod in extrema ea rerum desperatione plerique fecerant, mortem conscisceret: quo loco Auctoris ipsius verba ponere non pigreat, ubi versus hos interpretatur: 'Deservere omnes defessi, et corpora saltu Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere. Tum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit Alma Parens, confessa Deam, qualisque videri Cœlicolis, et quanta solet, dextraque prehensum Continuit, rosequæ hæc insuper addidit ore.' Dixit omnes deservisse quod agebant, quum defenderent domum Priami, et id frustra facerent. Ipse quo modo recesserit, dicit: ne videatur etiam ipse operis labore fatigatus recessisse. Omnes inquit laborando fessi, et sine aliqua utilitate certando

debiles redditi, tædio adversarum rerum mori maluerunt: et duplicem voluntariæ mortis occasionem nacti, cum altitudo non deesset, et incendia dominarentur, aut præcipites dederant sese, aut petierant flammæ: ne et ipse alterum facerem, aut, quod supererat tertium, hostis occideret remanentem: Mater mea non, ut facere solebat, dubia, anti incerta, sed manifestior veniens, me ab ipsis inefficacissimis actibus revocavit. *Pier.*

*Jamque adeo, &c.*] Sunt, qui sequentes XXII. versus omittant, ut a Plotio Tucca, et L. Varo, quos Æneida jussu Augusti emendasse constans fama est, rejectos. Cum, quia turpe sit viro forti fœminæ irasci: tum, quia his contraria dicantur, Æn. vi. 530. 'Omnia Deiphobo solvisti.' Verum enimvero Servius Fuld. hos versus non quidem rejectos dicit, sed Tuccam et Varum eorum oblitos: quod verum censeo. Et eos Poëtæ germanos esse solidissimis evincunt argumentis Nic. Erythræus, Nasc. Nascimbænius; et præter omnes Francisc. Campanus ad Heroulem Gonzagam: quod Opusculum Henr. Stephanus edidit, cum *quæsitis per Epistolam Jani Parrhasii*: quo Auditorem ablego. Unicus nunc, et qui ipse omnium sit, audiat J. C. Scaliger Poët. III. 11. Grammaticuli, inquit, qui hosce luculentissimos operosissimosque versus sublatis voluere, vulgaribus moti affectibus, ignoratis rationibus; Justitiam de Sapiente suo abtulerunt. Idem III. 23. Oratio, inquit, Æneæ deliberativa est. Ponit igitur suasiones ad cædem, quam meditabatur: atque eas magnas sane. *Occidit Priamus?* magnum est carere Principe: addit, *ferro*. Quid patriæ excidium? Quid Dardanum toties sudasse litus sanguine? Quid mirum, si una percat; propter quam tot interiere? et cum illis duo rerum omnium maxima; Pudor an Libertas. Matronæ, inquit,

nostræ servæ erunt? hæc curum erit domina? Rationes in contrarium: Fœminæ autem mors non decet virum fortem. Solutio objectionum. *Exstinguisc nefas*: non fœminam, sed crimen; pertinet ad virum justum: supplicium autem sumere de facinoroso, et pro suis, et pro patria; ad virum fortem. Hic sileant Grammatici. Sic ille Reipub. litterariæ Dictator Scaliger. Pareamus litteratorum cæli. Taubmann.

*Limine Vestæ*] Cum enim neque apud Trojanes neque Græcos illi locus esse videretur, non mirum fuit, si ad aram et asylum confugerit. *Idem.*

569 *Dant clara incendia lucem*] Prolepsis: latebat illa, sed indicabant incendia. *Corda.*

575 *Pernitens*] Quod Ciceroni frequens *peritescere*. Scalig. IV. 16. In Ms. Fuld. *permetuens*. Taubmann.

*Troja et patriæ communis Erinys*] Id est, fatalis calamitas. Et est magna emphasis. Scalig. IV. 16. *Idem.*

576 *Exarsere ignes*] *Ignes*, id est, Ira, quæ est sanguinis ardor circa cor. Cum autem ira sit animi perturbatio, modo alio plebejus, alio nobilis irascitur: aliter e vulgo quispian, aliter sapiens. Atque idem Æneas hic aliter irascitur; aliter ob amici atque hospitis mortem, in XV. 'Furiis accensus, et ira Terribilis.' De quo Scaliger. III. 9. *Idem.*

*Subit ira*] Non patitur A. Scottus in observat. poet. II. 39. quicquam detrahi poetarum principi, quem non nulli arguunt, quod Æneam, virum fortem et generosum, vindictæ causâ describat paratum ad vim inferendam in belli mulieri. Habet enim auctorem Euripidem, cujus in Oreste hæc verba sunt: Νῦν δ' ὁπὲρ ἀνδρὸς ἑλλὰδες δέον δέσπην. *Emmenesa.*

576 *Sceleratas parvas*] Pro, soeleris pœnas: vel, de scelerata pœnas sumere. Taubmann.

577 *Scilicet hæc Spartam incolamus patriasque Mycenæ*] Non dissimile est

Ilind Maroniamum Ecl. i. 71. quod stomachum et bilem indicat: 'Iniquis hæc tam culta novalia miles habebit? Barbarus has segetes?' &c. *Emm.*

*Incolomis*] Id est, viva, ex Propertio eleg. ii. 32. qui ait: 'Tyndaris externo patriam mutavit amore, Et sine decreto viva reducta domum est.' *Cerda.*

*Patriasque Mycenae*] Non suam, sed mariti patriam. *Taubmann.*

578 *Regina*] Παράβολικῶς, tanquam Regina. Ms. Fuld. *regnata.* Idem.

580 *Phrygiis comitata ministris*] Eurip. ἔχονσα βαρβάρους οὐδυνας. Alludit ad Romanorum morem, quibus familiari in usu erat servitium operaque Phrygiorum mancipiorum, ut inter cæteras gentes delicatissimorum et peritissimorum; unde et Phrygionæ; et in paræmiam abiit, 'Phryx flagris emendatur.' *Germanus.*

581 *Troja arserit igni*] Non agnosco pleonasmum. Nam additum igni, tum ad ἀἴψην, tum cum oppositione ad ferrum, ut dicantur omnia ferro et igni vastata; homines ferro, domus igni. Itaque hæret Euripidi, qui, ut Virgilius Helenæ, ita Andromachæ attribuit Trojam δορὶ καὶ πυρὶ δηϊλώσαν, ferro et igni vastatam. *Cerda.*

582 *Dardanum toties sudavit sanguine litus*] Sumptum ex Eanio in *Hectoris Iytra*, ubi: 'Sonitu franguntur hastæ, terra sudat sanguine.' Sidonius ad Avitum, 'natat obruta tellus Sanguine.' et Lucan. l. vii. 'Cæsar ut Hesperio vidit satis arva natare Sanguine.' Calaber l. i. ἀμαρὶ πᾶμπαν δαίοντο, undabant omnia sanguine. Sunt hæc, quæ Eanius Androm. dixit, 'terram sanie delibutam,' loquens de Troja ipsa. Vide Artemidorum somn. v. 6. ubi de Troja loquitur. Ovidius quoque Metam. l. ii. 'Sigæa rubebant Litora.' *Idem.*

583 *Non ita: namque etsi*] *Non ita:* est similium vocum par pene usurpatio et phrasis frequens apud Græcos. Eurip. in Hec. ubi negat Polyxena,

se Ulyssi supplicatissima, quod dicat, servæ, captivæ, et Regiæ virgini mortem vita optabiliorem, tum ob multas causas, tum quod λέχη δὲ τὰμὰ δεύλους ἀντὶ τοῦτον Χρανυῖ, τυράννου πρόσθεν ἡμικύβητα; et consequenter, οὐ δὴν ἐφίμ' ἡμικύβητα ἐλευθέρων φέγγος τῶδ' ἔδην προστρεῖν ἐμὸν δέμας: Cubile meum æreus aticande emptus pollet, regibus ante dignum iudicatum? *Non ita: quin dimitto oculis liberis lucem hanc.* Idem in Med. τί δαί με πατέρα τάνδε τοῖς τοῦτων κακοῖς λυκοῦσαν, αἴτην δις τόσα κτῆσθαι κακὰ; Οὐ δὴν' ὀνόμα, χαίρειν βουλευματα' et in Herac. sub persona Macariæ: τί φήσομεν γάρ, εἰ πόλις μὲν ἀξιοῖ κίνδυνον ἡμῶν οὐνεχ' αἰρεῖσθαι μέγαν, Αἰνὰ δὲ προστιθέντες ἑλλοισιν πόρους, Παρὸν σεσῶσθαι, φευξόμεθα μὴ θεμεῖν; οὐ δὴν' ἐπεὶ τοι καὶ γέλωτος ἔξια, Πένειν μὲν ἰκέτας δαιμόνων καθήμενους, Πατὴρ δ' ἐκείνου φύντας οὐ πεφύκαμεν, Κακοῖς δρᾶσθαι. Eadem quoque serie Sophoc. in Tyr. οὐ δὴτα, τοῖς τ' ἐμῶν ὀφθαλμοῖς ποτὲ, Οὐδ' ἔστυ γ', οὐδὲ πέρ γος, οὐδὲ δαιμόνων 'Αγδύμαθ' ἱερὰ. *G.*

*Nullum memorabile nomen, &c.*] Ideo Inno ita aggreditur Venerem, ironia utens, Æn. iv. 93. 'Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis, Tuque puerque tuus; magnum et memorabile nomen, Una dolo divum si femina victa duorum est.' Euripides in Andromache κακῶδεξαν νίκαν nominat quo prælio non delectatur generosus, sed rusticus, ut Propert. eleg. ii. 5. *Emmeness.*

585 *Nefas*] Helena jure nefas dicitur, cujus impuri mores noti. Rapta primum est a Theseo, deinde nupsit Menelao, hunc reliquit, secuta adulterum Paridem: huic non fuit fida, nam in Ilio cum privigno Corytho, Paridis et Oenones filio, incestum commisit. Ejusdem amores cum Achille celebrat Philostratus in Heroicis. Eurip. in Androm. Helenam vocat ἑρως noxam, damnatum, cladem. Neque enim (ait) Paris sponsam ex Græcia Trojam attulit, sed cladem: ibi-



dem, *πῶς οὐ κακίστην, omnium pessimam:* et in Troad. ait sub persona Andromachæ, illam non natam ex Jove, aut Tyndareo, sed esse filiam *Ἀλκονοῦ, φθόρου, φόνου, θανάτου: Demonis infecti, invidiæ, cædis, mortis.* Cerda.

586 *Animumque explesse*] Id est, animum inflammatum ad ultionem. Scaliger iv. 16. *Taubmann.*

587 *Cineres satiasse*] Pietatis tamen nomine laudabor, qui cæsorum civium manes, et umbras sanguine hostium expleverim. *Idem.*

589 *Cum mihi ær*] Ordo est: cum mihi se videndam oculis obtulit, non ante tam clara. *Servius.*

590 *In luce*] In nimbo, qui cum numinibus semper est. *Idem.*

*In luce refulsit*] Lux et splendor nota est divinitatis Deorum: sic Æn. i. eadem Venns, 'rosea cervice refulsit.' Hunc splendorem videtur explicasse Homerus Odyss. iii. vocula *ἀναφανδή:* quanquam interpretes, *manifeste* reddant, et Od. vii. *θεοὶ ἐναργεῖς:* quanquam hic etiam reddant, *Dii manifesti:* nam ut notat in Paral. Germ. Sol olim, et Luna *ἐναργεῖς* dicebantur. Apud Nonnum Dionys. l. iv. Venns, ut dissimulet divinitatem, inducitur, *λεπταλέον πέμπτουσα σέλας, tenuem mittens splendorem.* Cerda.

*In luce refulsit*] Id est, in nimbo, qui cum numinibus semper est. *Nimbus* enim splendor est circum divina corpora: et hoc modo Imagines etiam Sanctorum cum nimbo aurato pinguntur. Inf. vs. 616. et Æn. ix. 111. *Taubmann.*

591 *Confessa deam*] Divino habitu, quia in primo venatricis habitu se obtulerat. *Servius.*

*Qualis et quanta*] Qualitas et quantitas hoc loco ad pulchritudinem pertinet. *Idem.*

*Qualisque videri*] Nam majores esse credebant habitu corporis deos, quam homines. Tacitus: 'Oblata ei species muliebris ultra modum huma-

num,' et 'audita major humana vox.' Turneb. l. xxx. c. ult. *Taubmann.*

592 *Dextraque prehensum*] Ea corporis parte, qua Helenæ ictum minabatur; quæ in templo Vestæ stabat ornata. Ut enim dictum est, versus illos, qui superius notati sunt, hinc constat esse sublato, nec immerito. Nam et turpe est viro sorti contra fœminam irasci: et contrariam est Helenam in domo Priami fuisse, illi rei quæ in sexto dicitur: quia in domo inventa est Deiphobi, postquam ex summa arce vocaverat Græcos. Hinc autem versus esse sublato, Veneris verba declarant, dicentis: 'Non tibi Tyndaridis facies invisita Lacænz.' Sane quidam incisos figurate dictum putant. Adserunt enim ad Trojam Helenam non venisse, id est, non visam a Trojanis; quia cum eam rapuit Paris, ad Ægyptum profectus dicitur, mutato itineris cursu, ne a Græcis, forsam insequentibus, comprehenderetur, ibi a Protheo receptus hospitio; sed cum Helena Protheo suam narrasset injuriam, ab eo retenta est, tum sine ea Paris venit ad Trojam. Græci autem putantes, quod occultaretur a Trojanis, et nollent sibi eam reddere, deleverunt Trojam frustra, cum Trojani vere dicerent, se Helenam non vidisse. Alii dicunt a Protheo quidem Paridi Helenam sublato, et quibusdam disciplinis fantasma in similitudinem Helenæ Paridi datum, quod etiam Homerum volunt tetigisse subtiliter, ubi Æneas a Neptuno apposita nube liberatur. *Servius.*

593 *Roseo*] Pulchro. Quidamprehendunt, non convenisse in ruina et exitio civitatis, Venerem roseo ore loqui cum filio, ignorantes hoc epitheton Veneris esse perpetuum. *Idem.*

*Insuper*] Super, quod continnerat eum. *Idem.*

594 *Indomitas*] Magnas nunc: et

*Quid, nonnulli admirantis volunt esse, non interrogantis. Idem.*

*Tantus dolor]* In codicibus aliquot antiquis cum Mediceo legere est, *tantus dolor*, non autem *furor*. Quid enim oportuisset statim subungere *quid furis*? Sane *dolor* agnoscit Donatus, et in paraphrasi ait: *Quid tantum doles, irasceris, furis*? Pierius.

*Tantus dolor excitat iras]* Legendum proculdubio *dolor*, cum pluribus, Servio, et antiquo, et recentior edito, Manutio, Stephano, Nascimbænio: non *furor*, cum nonnullis: juvat ratio: ex dolore ira nascitur, ex ira furor: ideo tres isti affectus signati in Poëta; nam *dolor* iras excitat, et statim, *quid furis*? itaque *dolor* (ut dixi) præit iram, hæc furorem. Aristotel. Polit. v. 10. ἡ μὲν γὰρ ὀργὴ μετὰ λύπην πάσσειν, ὥστε οὐ βέλδιον λογίζεσθαι: ira est post dolorem, et iudicium adimit. Quo loci conjungit dolorem, iram, furorem, ut Virgilius. Duos primos affectus in Æn. i. etiam adhibuit: 'Nec dum etiam causæ irarum, sævique dolores Exciderant animo:' quasi dicat dolores, qui causæ irarum: et Seneca in Furente: 'Non sic abibunt odia, vivaces ager Violentus iras animus, et sævus dolor Æterna bella pace sublata geret.' Philo Judæus in opere de confusione linguar. attribuit iræ partem hunc, ἐμμανεῖς καὶ παραφόρους λέγτας, *furentes et præcipites rabies*. Cui loco par ferme locus Senecæ de Ira ii. 36. 'Ajacem in mortem egit furor, in furorem ira:' et Aristot. Rhet. i. ii. ὁ θυμὸς τῷ λογισμῷ ἐπισκοτεῖ: ira rationem obtenebrat. Est hoc, quod Seneca idem dixit epist. 18. 'ingentis ira exitus furor est.' Epicurus apud eundem, 'immodica ira gignit infamiam.' Ut vero Poëta tres affectus conjungit, gradu semper crescente, ita Aristophanes in Pluto primo adhibet οὐχ ὑγιαίνειν, deinde μελαγχολᾶς, tertio, κακοδαίμονας. Deum moneo. In hac oratione leviter respectum ad illam, qua usus Apollo

*Delph. et Var. Clus.*

apud Earip. in Orest. cum continuit Menelaum et Orestem, volentes Helenam interficere: initium est, *Μενέλαε ταῦσαι*, &c. *quiesce Menelae*. Cerda.

595 *Quid furis]* Aut quia furor est, virum fortem ruere in mulieris interitum. Aut quid furis, cum extinctos socios vires velle pugnare: et bono verbo usus est, virum fortem a prælio revocans. Servius.

*Nostri cura]* Et hoc loco, ut solet, unam se de Æneæ familia facit. Ut, 'Unius ob iram prodimur.' *Nostri* autem et *vestri* genitivi plurales sunt antiqui, et ex Græcis convenientes, sicut singulares sunt *mis* et *tis*. Non est possessivum: sed a nos venit, ut dicimus, 'Nostri causa facit,' hoc est, nostrum. *Idem*.

*Nostri tibi cura recessit]* Ait, cura nostri, propter illa credo, quæ sequuntur: nam Anchises, Ascanius, et tota Æneæ domus, et familia, sub cura erant Veneris: ideo, quæ mox dicet, hujus versus explicatio sunt; ut vero hic, 'quonam nostri tibi cura recessit?' Ita Ge. iv. 'quo tibi nostri Pulsus amor.' Cerda.

596 *Fessum ætate parentem]* Eodem modo et Tibul. l. iv. 'Quicumque et cantus corpora fessa levant,' hoc est, male habentia, ut Græcis κῆμονα σῶματα tam morbida, quam lassa: quin et καμόντες, et κεκμηότες, mortui. *Germanus*.

597 *Superet]* Supervivat, supersit. Servius.

*Superet conjuxne Cræusa]* Est quidem hic *superet*, ut 'Captæ superavimus urbi.' In Longobardico tamen codice, *superest* legitur: elegantia hand quaquam pari. Illud etiam animadverti in aliquot ex antiquioribus codicibus primam litteram, quæ est in nomine *conjux*, inversam esse hoc modo, *conjux*: ea quippe nota, qua *alib*. hoc est, *conliberta*, in monumentorum titulis passim cerpitur. Inverū vero ita litteras, in mulierum

*Virg.*

7 Z

nominibus indicandis, plurimum mos fuit. *Pierius*.

598 *Ascaniusque puer*] Filius: ut, 'Tuque puerque tuus.' Horatius, 'Pnerosque Leda.' et est Græcum, nam *παῖδας* dicunt. Interdum tamen etiam ad ætatem refertur. *Servius*.

599 *Circum errant*] Mire quasi quærentes; tanquam prope sint et adhuc opera sua non avertant. *Idem*.

*Circum errant acies*] In Ge. III. humili verbo dixit de lupo: 'nec stabulis nocturnus obambulat.' Scalig. IV. 11. *Taubmann*.

*Ni mea cura resistat*] *Lucret.* v. 'Ni vis humana resistat.' *Germanus*.

600 *Hauserit ensis*] Aut percusserrit: ut, 'Latus haurit apertum.' Aut voraverit. *Servius*.

*Inimicus et hauserit ensis*] In antiquis plerisque codicibus legere est, *inimicus et hauserit ensis*, pro, *inimicusque hauserit ensis*. *Pierius*.

*Inimicus et hauserit ensis*] Sic et Græcis ἀπὸ τοῦ ejusdem est vehementiæ: *Hom.* II. N. διὰ τ' ἔννερα χαλκὸς ἥφυσ'. et II. E. διὰ τ' ἔννερα χαλκὸς ἀφύσσε Διὸς ἄσας. *Germanus*.

*Inimicus et hauserit ensis*] Non dixit; atque *hosticus hauserit ensis*. Vox enim *hosticus* fortasse minus valida ad Heroici robur. *Idem* magis probavit, *inimicus et hauserit ensis*; quam, *inimicusque hauserit ensis*. Ut expediret rem simul cum dactylo, non est veritus postponere conjunctionem, cujus natura est præponi. Licet enim Poëtæ contra tum leges tum consuetudinem loqui. *Scalig.* IV. 16. et 48. *Taubmann*.

601 *Tyndaridis*] Atqui Jovis est, non Tyndarei filia. Sed sic dicimus *Tyndaridis* de Helena, ut de Hercule *Amphytrionides*. Nam de Jove et Leda nati sunt Pollux et Helena: de Tyndareo et Leda Clytemnestra et Castor, qui solus mortalis fuit. Unde *Virgilius* in sexto, 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit:' qui immortalitatem suam cum fratre par-

titus est. Helenam vero immortalam fuisse indicat tempus. Nam constat fratres ejus cum Argonautis fuisse, Argonautarum autem filii Thebano Eteoclis et Polynicis bello dimicaverunt. Item illorum filii contra Trojam bella gesserunt. Ergo si immortalis Helena non fuisset, tot sine dubio seculis durare non posset. Hanc autem legimus primo a Theseo raptam: et in Ægypto commendatam Protheo: alia fabula a Paride raptam, et cum ad Ægyptum cum ea isset, a Protheo, cognito rapto, subtractam Paridi dicit. *Servius*.

*Facies intrisa*] Pulchritudo Helenæ odiosa, id est, Helena: et est Græcum; ut, 'vis Herculeæ,' hoc est, Hercules. Ostendit autem naturæ culpam, non esse hominibus adscribendam. *Idem*.

*Lacena*] A provincia Laconica. Et notandum, derivationem minorem esse a principalitate, quod rarum est. *Idem*.

602 *Culpatusve Paris*] Criminosus, reus. Latenter hic Venus se purgat invidia, dicendo Trojam deorum conspiratione subverti: poterat enim ei objici, quod nisi ipsa rapiendi Helenam Paridi auctor fuisset, Troja non fuisset eversa. *Idem*.

*Divom inclementia, dicom Has evertit opes*] Antiqua pleraque exemplaria habent, *sed enim inclementia*. Aliquot vero alia, et ea quidem castigatiora legunt venustissima repetitione *divom inclementia, dicom Has evertit opes*: ut illud 'Pallas te hoc volnere, Pallas immolat.' In Prisciani etiam codicibus antiquioribus manu scriptis, hoc citato versu, eodem exemplo passim geminari dictionem *Divom* observavi: atque eandem hanc lectionem Ti. Donatus agnoscit. Est etiam hæc eadem geminatio in codice Mediceo: in non nullis, *verum inclementia dicom, &c.* *Pierius*.

*Divom inclementia, dicom, &c.*] *In*

*inclementia* pro ira Stat. Thebald. l. i. 'et sævo tanta est inclementia cælo.' Recte *dicom* repetit: facit enim ad confirmationem deorum conspirationem Trojam everti. Vide Don. ad Ter. And. v. 3. 12. 'Olim istuc, olim,' &c. *Emmensus*.

603 *Sternitque a culmine Trojam*] Vocea, *culmen* et *sterno*, cum studio quæsitæ oppositione quadam. Urbs, quæ eximia altitudine, strata jam, et æquata humi est. Homer. κατ' ἄκρης. *Cerda*.

604 *Aspice*] De Homero tractum, qui inducit Minervam præstantem ista Diomedii: et bene subdistinguit, quia non solum dicitur, sed etiam manu significatur. *Servius*.

*Aspice*] Jubet Venus ipsa, ut aspiat, aliter non tutus aspectus Deorum. Ad rem sunt vers. Callimachi in hymno: 'Ὅσκέ τιν' ἄθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἔλπει, Ἀθήνη, μισθὸν τοῦτον ἰδεῖν μεγάλην: Ut quicumque Deum aspiciat, nisi jusserit ipse, Mercede ingenti scilicet aspiciat. Versio est Politiani. Actæonis fab. nota omnibus. Cum respectu ad hoc Ovid. 'Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci? Cur imprudenti cognita culpa mihi? Repetit aliquoties rem eandem. *Cerda*.

*Namque omnem*] Ordo est: Omnem tibi nubem eripiam, quæ humida circum caligat, et mortaleis hebetat visus tuenti. Dicitur autem nebula orta de terris obesse nostris obtutibus. Unde aquila, quia supra nebulam est, plus videt. Est etiam theologica ratio: quia ignorantes usum Venerium, videre dicuntur et numina. Unde nunc merito post Veneris abscessum, numina vidisse dicitur Æneas. *Servius*.

*Obducta*] Superducta. *Idem*.

*Obducta*] Præpositio ob pro circum æpissime. Est enim nubes obducta, circum oculos ducta. Vetus Poëta: 'Retia vosmet obsidete, dum percurro cubilia.' Ennius apud Nonium: 'Ecce autem caligo oborta est, om-

nem prospectum abstulit.' Nequa aliud est, *obligare*, *obstrepere*, *obire*, et mille alia. Phrasis ipsa a Lucretio sumpta lib. v. 'tenebris obducere terras.' *Cerda*.

*Obducta*] Non dixit, *objecta*. Scallig. iv. 16. *Taubmann*.

*Tuenti*] Modo videnti: alias defendenti. *Servius*.

605 *Hebetat*] Phrasis Græcorum est: nam illi quoque verbum ἀμβλύνω, *hebetō*, ad oculos traducunt, et verbo ἀμβλύνω, uti in hac significatione Plato, Lucian. Ille Pol. vi. ὀφθαλμοὶ ἀμβλύνονται, oculi *hebetantur*. Hic, ἀμβλύνω πρὸς τὸ φῶς: *hebes ad lucem eum*. *Cerda*.

*Quæ mortalis hebetat visus et humida circum Caligat, nubem eripiam*] Hunc locum egregie illustrat Macrob. in somn. Scip. i. 3. 'Anima (inquit) interdum aspiciat, nonnunquam tendit aciem, nec tamen pervenit: et, cum aspiciat, tamen non libero et directo lumine videt, sed interjecto velamine, quod nexus naturæ caligantis obducit.' *Emmensus*.

606 *Ne qua parentis Jussa time*] Pro ne: et hæc particula imperativo jungitur modo: sed interdum præsentis temporis, interdum futuro, prout aliquid volumus ad præsens, vel ad futurum referri: potest sane hoc præceptum, et ad generalitatem, et ad specialitatem referri. *Jussa time*. Veretur enim, ne imperanti fugam non obtemperet. *Servius*.

608 *Saxis Sara*] Dicendo *saxis sara*, renovavit narrandi magnitudinem. *Idem*.

609 *Undantem*] Aut abundantem, aut quia in modum undarum attollitur: ut, 'Qua plurimus undam Fumus agit.' *Idem*.

*Undantem*] Nam ex ruina lateritiorum pulvis, seu fumus, ad undarum speciem, in aërem erigitur. *Taubm.*

610 *Neptunus muros*] Hoc autem habet fabula: quod Neptunus cum Apolline Trojæ fabricati sint muros.

Sed constat, Laomedontem supra-  
dictis diis certam vovisse pecuniam,  
ad sacra facienda: quam imminen-  
tibus Miis vel Mysiis transtulit ad  
murorum fabricam. Unde dii et fe-  
cisse muros, et offensi esse dicuntur.  
Simul notandum, quod deos facit  
opera sua evertere, ut portas Juno-  
nem, quarum dea est. Nam et por-  
tam luminis nascentibus præbet: ut,  
'Juno Lucina fer opem.' Arces, Mi-  
nervam: legimus enim, 'Pallas quas  
condidit arces.' Neptunum, muros:  
ipsi enim fundamenta sunt consecra-  
ta, cujus et moventur arbitrio. Unde  
*ἐννοσίχθων* dicitur, hoc est, terram mo-  
vens aquæ concussione; sicut terræ  
motus continent opiniones. Ergo cum  
Neptunus infestus indicatur, Apollo  
tamen etiam post piaculum Trojanis  
favet, quia eam propter Chrysis sa-  
cerdotis filiam offenderant Græci.  
*Servius*

[*Neptunus muros, &c.*] Triplex nota-  
la illustrabit Poëtam, *Cur quatit? cur  
fundamenta? cur fumus undans?* Nep-  
tunus quatit, quia dictus *σεισίσχων*,  
proprio attributo, id est, *quatiens ter-  
ram*: et fundamenta, quia hæc illi  
sacra, ut ait Servius, et Græci de illo  
*θεμελιοῦχος*: itaque versatur in sua  
potestate. *Fumus undans* ex Græca  
imitatione, nam Calaber de fumo  
dixit, *πὸς ῥιέντα*. Tu vide notam  
Turnebi xxvi. 33. Sed in hac re  
etiam Maro Homero institit, II. xii.  
*Αἰὶς δ' Ἐννοσίχθιος ἔχων χεῖρεςσι τρῶ-  
ων Ἥγεῖτ' ἐκ δ' ἄρα πάντα θεμελῖα  
κρῖναι πέμπε Φηρῶν καὶ Λάων. Cerda.*

[*Neptunus muros*] Sic aquarum rec-  
tor apud Stat. Achill. I. 1. 'Impellet-  
que manu nostros, opera irrita, mu-  
ros:' nec tantum mare, sed etiam  
terram movere Neptunum tridenti,  
ex Turn. xxvi. 33. videre est. *Em-  
menes.*

[*Emota*] Multo efficacius est emo-  
vere pro eruere, extirpare, quam amo-  
vere, teste Torrentio ad Horat. Od.  
iv. 14. sic supra vs. 493. 'emoti pro-

cumbunt cardine postes.' et Æn. vi.  
382. 'His dictis emotæ curæ:' sic  
*emotæ herbe*, *emotum solum* apud Co-  
lumellam. *Idem.*

[*Tridenti*] Omnia in *us* exeantia, aut  
participia sunt, aut nomina. Sed si  
participia sunt, ablativum et in *i* et  
in *e* mittunt pro nostro arbitrio: Ju-  
venalis, 'Nec ardenti decoxit *aleno*.'  
Contra, 'Semperque ardente camino.'  
Si vero nomina fuerint, omnimodo in  
*e* exeant. Si autem eadem sint et  
nomina et participia, ut *amans*: cum  
nomina fuerint, omnino in *e* mittunt:  
quum participia, licenter utimur.  
Ergo quia *tridens* nomen est, *tridente*  
debnit dicere. Sed novitatem affec-  
tavit, nulla cogente necessitate. Sane  
in nominibus quæ et propria esse pos-  
sunt, et appellativa, ut *liberalis*, *factr*,  
*Jucnalis*, ablativus a proprio, in *e*  
exit: ab appellativo, in *i*. *Servius.*

611 *Quatit*] Concutit, commovet.  
*Idem.*

612 *Juno Scæas savissima portas*]  
Quidam ideo Junonem has portas te-  
nuisse accipiunt; quia eam fatorum  
arbitrum volunt, et fatum fuit ad exitum  
Trojæ, per has portas equum  
introduci: quia ipsa est *Curritis*, et  
sub hoc nomine interest bellis. Nam  
ideo, 'Hic illius arma, hic currus  
fuit.' *Idem.*

[*Scæas portas*] Trojanæ urbis portas  
sex enumerat Dares, *Antenoridem*,  
*Dardanien*, *Iliam*, *Scæam*, *Catumbriam*,  
*Trojanam*. Unde autem dicta *Scæa*  
porta, mire variant scriptores. Alii,  
quod in læva urbis parte sita; vel  
quod illac illatus equus, qui exitum  
attulit; vel quod consultatio quedam  
Trojanis ibi habita sinistre cesserit.  
Strab. I. XIII. censet Ithraciam esse  
vocem: ait enim: *Multa apud Troës et  
Thracas eisdem nominibus appellantur, ut  
Scæi, Thracas quidam, et Scæus amnis,  
et Scæus murus, et Scæa Trojana porta.*  
Sunt qui nomen ducant ab artifice:  
alii sic dictas volunt a sepulcro Laome-  
dontis Regis; ille enim ad has portas

antes; alii vero ducunt ἀπὸ τοῦ σπηῶματος, tentorio, aut tabernaculo. Extremum hoc probaverim: nam hic mos veteribus frequentissimus, cujus me Pausanias sæpe admonet. In Ætolicis ait, ad Neitia portam Thebarum sepulchrum esse Menæce Creontis filii: et l. v. Ætolium maturo morte creptum condiderunt parentes, exstructo monumento in ipsa porta, qua in Olympium ad Jovis templum iter est. Cerdæ.

613 *Prima tenet*] Pro primum: sic 'in primis animalibus' interprete τῷ πρῶν Gronovio Observ. i. 7. est in animalibus primum. Sed in Georg. de hac loquendi formula. *Eumenes*.

614 *Accincta*] Ferro armata: ut, 'Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus.' *Servius*.

*Ferro accincta*] Ad lucem Poëtæ Statius Theb. v. 'illa, qua rara silentia, porta Stat sineusta Venus, ferroque accincta furentes Adjuvat.' Græci, χαλεπὴ, et θαλα ζώνουσαι. Cerdæ.

*Ferro accincta*] Non dixit, *cincta*: maluit elisionem: sic mox, *cincta* potius, quam *victa*: ita post, *acciam* ferro. Magnus enim in ea voce sonus: sicut *attractare*, *adervare*, &c. Scalig. iv. 16. *Taubmann*.

615 *Jam*] Præterea: ut, 'Jamque seminibus jactis se auatit arbor.' *Servius*.

*Arcis*] Ordinem tenuit, primum muros, deinde portas, post arces; a muris enim in arcem convertendus est totus impetus. Ob hoc autem arces Minervæ dantur, quod ipsa ait inventrix ædificiorum: ut, 'Pallas quas condidit arces.' Et quia summa quæque possidet sapientiâ. Præterea in capite esse dicitur, idcirco creditur patris Jovis capite generata. *Idem*.

*Tritonia Pallas*] Duo antonomasia sunt sine proprio nomine. Et est nimis iracundiæ, cum dicitur: quamquam irata sit Græcia, nequaquam tamen Trojanis parcere: licet in historia lectum sit vehementius iratam

Minervam, quod post victoriam ei sacrificare noluerint: ut Hor. 'Quam Pallas usto vertit iram ab Ilío, In impiam Ajacia ratem.' *Idem*.

*Respice*] Dicendo *respice*, ostendit vere jam caliginem ab oculis ejus esse sublatam. *Idem*.

616 *Insedit*] Adeo irata, ut ante sacerdotem ibi Cassandram defenderet. *Idem*.

*Insedit*] Signatur pondus Deæ prementis, et opprimentis urbem. Homerus, ἐπὶ τῷ Περσέει δισσῇ. Vetus Poëta apud Aristidem in Platonica ii. Palladem vocat περσέπολιν, quasi urburipam. Cur Pallas dicta *Tritonia*, alibi. Cerdæ.

*Nimbo effulgens*] Nube divina: est enim fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur, sic etiam pingi solent. Alii *nimbus* clavum transversum in veste existimant. Alii *limbum* legunt: ut, 'Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:' et est pars vestis extrema, quæ *instita* dicitur: ut Horatius, 'Quarum pulsata talos tegit institta veste.' *Servius*.

*Nimbo*] Nube divina. Est enim *nimbus* fulgidum (*f. fluidum*) lumen, quod deorum capita tinguit, auctore Servio Danielis. Vide et supra, v. 590. Sunt, qui *nimbus* existiment clavum transversum in veste. Alii hic *limbum* legunt, et institam interpretantur, i. e. vestis sequelam et ornamentum. *Taubmann*.

*Gorgone sava*] Aut etiam per sævam Gorgonem fulgens, aut ipsa sæva terrore Gorgonia. Sæve Gorgones tres fuisse dicuntur, Stheno, Euriale, Medusa; quarum aspectus intuentes vertebat in lapides. Hæ autem miræ pulchritudinis fuisse dicuntur: et quisquis eas vidisset, stupore defigebatur. Ideo fictum est, quod in lapides mutarentur. Sed alia fabula refert Medusam miræ parsimoniam virginem fuisse, et ob hoc acceptam Minervæ: quæ compressa a Neptuno Pegasus equum dicitur edidisse,

quod posteaquam Minerva cognovit, ejus caput dicitur amputasse et suo affixisse pectori, eique tribuisse vim, ut quidquid vidisset mutaret in saxum. *Servius*.

617 *Ipsæ pater*] Qui omnibus unus esse consuevit: ut, 'Rex Jnppiter omnibus idem.' Et bene honesta *Æneæ* causa fugiendi est. *Idem*.

*Ipsæ*] Non frustra hoc pronomen, auget enim vim. Ita Ge. iv. 'Nunc age naturas apibus, quas Juppiter ipse Addidit, expediam.' Ita Catull. 'non si me Juppiter ipse petat.' *Cerda*.

*Ipsæ pater*] Quasi, qui vos contra alios, cum majoris sit potestatis, defendere debuit, supprimat; hujus destituti auxilio cum sitis, cedendum est vobis. *Donatus*.

*Viresque secundas*] Quia fuerunt et in Trojanis: sed non prosperæ. *Servius*.

*Viresque secundas*] Huic voci nata felicitatis significatio ab anguriis. Qui captabant auguria, nunquam unico contenti erant, sed captabant sequens quoque; ut primum, si infelix, mutaretur: si felix, firmaretur. Si sequens itidem esset infelix, dicebatur alterum: si felix, *secundum*. Inde vox hæc dilapsa ad infinita alia. Hoc ego alibi copiosius. *Cerda*.

618 *Sufficit*] Subministrat, suggerit. *Servius*.

619 *Eripe*] Accelera, raptim fac. Vel, *eripe te fuga*. *Idem*.

*Eripe, nate, fugam*] Quia sciebat non facile posse persuaderi fugam *Æneæ*, idcirco dixerat: 'Tu ne qua parentis Jussa time, neu præceptis parere recusa.' Quapropter cedendum erat, cum qui potest omnia, et favere debebat, contrarius esset. *Donatus*.

620 *Nusquam abero*] Bona œconomia. Nam si tenent Danai, qua deficiit ignis; necessarium est præsidium numinis: ut Horatius, 'Nec deus interit, nisi dignus vindice no-

dus Inciderit.' *Servius*.

*Nusquam abero*] Nam sine suo auxilio, cum esset in flammis, telisque hostilibus circumdatus, quomodo fugere potuisset? *Donatus*.

*Limine sistam*] In limine; ut, 'Sed vis te, Tyrrhene, feras agitare putasti.' *Servius*.

*Patrio tutum te limine sistam*] Insigne illud anchoræ, cui funis illigatus, cum his verbis, 'tutum te litore sistam,' originem videtur habuisse a Virgilii verbis, qui modico flexu: 'patrio tutum te limine sistam.' Eo insigni usus est Titus Imperator, et ante illum Seleucus Rex Syriæ. *Cerda*.

621 *Spissis noctis se condidit umbris*] Abscessu enim plerumque numina demonstrantur fuisse, cum subito apparere desierint. *Servius*.

*Spissis noctis se condidit umbris*] Vel in nimbum recepit se, de quo Serv. ad vs. 590. vel tenebris se noctis textit: vel, ut Ovid. Met. II. 301. 'Dixerat, &c. suumque Rettulit os in se:' pro quo Apulejus Metam. I. XI. 'in se recessit.' Recte *spissis*: sic *spissæ* nubes, *spissa* grando, *spissus* sanguis. Vide de hac voce Nobiliss. Heins. ad Met. x. 508. *Emmeness*.

622 *Apparent diræ facies*] Secundum mathesim, 'post abscessum Veneris dicit apparuisse numina: cujus præsentis radii intervenientes anæreticos temperant: vel quia *diræ* appellantur, quæ sunt in ministerio Jovis, quando morbos, aut lethum, aut bellum hominibus molitur: quia in XII. ait, 'Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ.' *Servius*.

623 *Numina magna Deum*] Quia Jovem, Junonem, Neptunum et Minervam dixerat. *Idem*.

624 *Tum vero*] Quia ante et ab Hectore andierat, et per se viderat everti Trojam, sed non omnem: singulas enim res viderat; ut, 'jam proximus ardet Ucalegon.' Vel, *Tum vero*, quando et Dii vibi sunt serven-

tes. Et ex imo certi, quia superiori excidio, quando ab Hercule expugnata est, nec omne Ilium conciderat; nec ex imo fuerat Troja subversa. Per hæc ergo fit certior causa fugiendi. *Idem.*

*Considerare]* Eurip. in Troad. *Ἡρώα πρὸς δαίμονα*: Troia igni uritur. Majus quiddam, et non vulgariter, in ignes considerare, in quo institit eidem Euripidi; nam de regia Penthei confligante in Baccho. *συρρεπόμεναι* dixit, *παρὰ τὸ ὀφθαλμὸς*, id est, sedes: tametsi alii legant *συρρεπόμεναι*, conteritur: sed lectio prior defendi posset Virgilio imitatione. *Cerda.*

626 *Ornum]* P.... Oceani filia a Sarpedone, Ilii filio, adamata est, quem cum<sup>o</sup> veni sprevisset, faciente Venere, Iasonem tunc ad Colchos euntem inefficaciter adamavit, quo absente cum luctu conficeretur in hanc arborem dicitur commutata. *Servius.*

*Ac veluti, &c.]* Catull. similem penæ adducit comparisonem ad casum Minotauri explicandam in Nupt. Pelei: 'Nam velut in summo quatentem brachia Tauro Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum Indomitus turbo contorquens flamine robur Exuit: illa procul radicibus exturbata (alii legunt *extirpata*) Proxima cadit, lateque et cominus omnia frangit. Sic domito sævum prostravit corpore Theseus Nequicquam vamis jactantem cornua ventis.' Seneca in Cætæo mire Maronem æmulans in labore cadendæ arboris, sic ait: 'Stat vasta late quercus, et Phœbum vetat, Ultraque totos porrigit ramos nemus: Gemit illa multo vulnere impresso minax, Frangitque cuneos: resilit excussus chalybs, Vulnusque ferrum patitur, et truncum fugit: Commota tandem est: tunc cadens lenta mora Duxit ruinam.' Valer. Flacc. Argon. III. ita se exercuit: 'Ac veluti magna juvenum cum densa securi Silva labat, cuneisque gemit

grave robur adactis, Jamque ables piceæque ruunt: sic dura sub ictu Ossa virum.' *Cerda.*

*Ac veluti, &c.]* Similitudo ex Homero expressa Iliad. II. 482. *ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις ὄνυξ ἤριπεν, ἢ ἀχεροῖς, ἢ πύκνῳ βλάσθῃ, τὴν τ' ὀφρεὶ τέκτονες ἄνδρες* 'Ἐξέταμον πελέκεσσι νεφέεσι. A Virgilio tamen superari Homerum affirmat Macrob. Saturn. v. 11. Eadem comparatione utitur Horat. od. IV. 6. de Achille: 'Ille mordaci velut icta ferro Pinus, aut impulsæ cupressus euro, Procidit late: posuitque collum in Pulvere Teucro.' Ovidianam his adjungo dubitationem, quæ venusta plane: 'et quod agat, non invenit. Utque securi Sancia trabs ingens, ubi plaga novissima restat, Quo cadat, in dubio est,' &c. Sanctius in crebrisque bipennibus subaudiendum monet *securibus*, auctoritate Non. Mar. et Varronis. Eum adi. p. 338. Mirifico ornatu in hac descriptione rerum naturam ambivit Maro, atque eventa ipsa, ut Scal. poet. v. 3. *Emenness.*

627 *Ferro et bipennibus]* *Ἐν δὲ διὰ δύοιν.* *Servius.*

*Ferro accisam]* Cæsar Bell. Gall. I. VI. 'Omnes a radicibus subraunt aut accidunt arbores,' &c. *Taubm.*

628 *Eruere]* Pro *dejicere*; et est Acyrologia. *Servius.*

*Usque]* Tam diu. *Idem.*

*Minatur]* Aut eminet; ut, 'Minæque Murorum:' aut movetur. *Idem.*

629 *Tremefacta comam]* Solita figura. *Idem.*

*Comam]* Pro ramis: per illam metaphoram, 'tendentur cytisi.' *Idem.*

*Tremefacta comam]* Hellenicum esse ait Budæus, pro, *coma tremefacta*. *Vulnera*, de arbore dixit, sicut Pindarus navem compactam ait, *πληγαῖς σιδήρου, plagis ferri*. Adjunge parcemiam adductam *ὄνυξ πληγαῖς δαμύζεσαι*, quercus plagis domatur. De qua locutione ego late in Georg. *Cerda.*



630 *Vulneribus*] Pro ictibus. Serv.

631 *Jugis*] Cacuminibus montium.

*Idem.*

*Ruinam*] Aliarum scil. arborum.

*Idem.*

632 *Ac ducente Deo*] Secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. Nam Calvus, 'Pollentemque deum Venerem.' Item Virgilius, 'Nec dextræ erranti deus abfuit:' quum aut Juno fuerit, aut Alecto. Est etiam in Cypro simulacrum barbatae Veneris, corpore et veste muliebri cum sceptro et natūra virili, quod ἀρσώδριον vocant, cui viri in veste muliebri, mulieres in virili veste sacrificant: quamquam veteres *Deum* pro magno numine dicebant. Sallust, 'Ut tanta mutatio non sine deo videretur.'

*Idem.*  
*Descendo, ac ducente Deo*] Non sum nescius, quot ea sint, quæ Servius congerit, ut commune genus esse dila, ostendat. In veteribus tamen aliquot codicibus, *ducente dea* legitur. In Donatiano, *descendo adducente dea*. Mox ita: 'In domo enim Priami se dixerat fuisse constitutum, et in summa ejus parte, unde se aut præcipites dederant, aut tradiderant flammis, Idcirco iratus dixit: *Descendo adducente dea*, voluntate matris adductus, et persuasionem receptus.' *Pierius.*

*Ducente Deo*] Id est, Venere. Sunt, (in quis et Macrobius, iii. 8.) qui respectum putant ad simulacrum barbatae Veneris. Jos. Scalig. ad Festum, (ubi docet, novum non esse, Ennium *Parnos* dixisse, cum de feminis loqueretur,) affirmat, Virgilium imitatione Græcorum hoc fecisse: apud quos δ θεός, καὶ ἡ θεός; aut potius Homeri, qui Iliad. Γ. dixerit, ἥψε δὲ δαίμων, id est, ἀρσώδριον: malletque Macrobius hoc potius, quam sua illa considerare. Inculcant hic et Calvi illud; 'Pollentemque Deum Venerem:' sed J. Douza legendum censet, *Pollen-*

*temque deum* Ven. ἀρσώδριον τοῦ δαιμονίου: ἡ δὲ, pollens animi, opum, &c. Ego simpliciter eo sensu capio, quo veteres (auctore Servio F.) *Deum* pro magno numine dicebant. Sallustius: 'ut tanta mutatio, non sine Deo videretur.' Ita *deus* pro *dea*, apud Arnob. l. iii. 'Dianam, Cererem, Lunam; caput esse unius dei, triviali germanitate pronunciant.' *Tusmann.*

*Ducente Deo*] Græcorum more *Deo* pro *Dea*: θεός utriusque est generis: apud Hom. Iliad. 1. 516. de Thetide ἀρσώδριον θεός αἰνέει. Pausan. lib. 1. p. 49. κατὰ τὴν θεῶν. Cic. de Nat. Deor. 1. 28. de aurora: 'Mortalis visus pulchrior esse Deo.' Masculinum enim genus prævalere solet, ut *dominus* pro *domina*, ad Ter. Ad. v. 6. hoc docente Donato, quo teste, pleraque repentinis impulsionebus nata, mirisque proventibus deo adscribi solent. *Emmeness.*

*Flammam inter et hostis Expedior*] Debuit hoc præstare Venus, et quia mater, et quia dixerat: 'Nusquam abero.' *Donatus.*

633 *Dant tela locum, flammæque recedunt*] Illi reddidit, 'Flammam inter et hostis Expedior:' hic est hiatus. *Servius.*

*Dant tela locum, flammæque recedunt*] Hoc est celeberrimum illud prodigium, et ethnicis ipsis decantatum: his accidit, tum hic, tum infra, cum, patre humeris sublato, Troja abiit, cujus tamen meminit, non hic, sed in Æn. vi. 'Illum ego per flammæ, et mille sequentia tela Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi.' Itaque recedebant flammæ, neque auderant lædere hominem. *Cerda.*

634 *Atque ubi*] In Mediceo codice, *atque ubi* legitur, quod suavius est, quam *ast*. *Pierius.*

635 *Antiquæque domos*] Chares: ambitiose dixit. *Servius.*

*Expedior*] Id est, evado, conceditur effugiendi occasio. Horat. od. iv. 4. 'Curæ sagaces Expediant per acuta

belli.' Idem de Ænea, tutam viam per medias flammæ et tela reddente, *Carm. Sec.* 'Cui per ardentem sine fraude Trojam, Castus Æneas patriæ superstes Liberum munivit iter.' *Emmeness.*

636 *Primum*] *Præcipuum*. Vel *primum* ante filium et uxorem. Sed Varro *rer. hum.* ait permissum a Græcis Æneæ, ut evaderet, et quod eam putaret, auferret: illum patrem liberasse, cum illi, quibus similis optio esset data, aurum et argentum abstulissent. Sed Æneæ propter admirationem iterum a Græcis concessum, ut quod vellet auferret; ille, ut simile, quod laudatum fuerat, faceret, deos penates abstulisse: tunc ei a Græcis concessum, ut et quos vellet secum, et sua omnia liberaret; quod *Poëta Veneris præsidio præstitum* dicit Æneæ. *Servius.*

*Petebam*] *Pro adpetebam et optabam*. Idem.

637 *Abnegat excisæ*] Ductum fortasse ex Eurip. imitatione, apud quem in Troad. Hecuba non vult vivere, excisso Ilio: *ἑέρ, ἐς πύρρον δρῶμαρ ἐς κάλλιπτά μοι ἄν τῆδε πατρίδι κερθαίνει πυρονμήτρῃ*: *Age, in ignem curramus: honestum namque est mihi Urbe hac flagrante, me quoque simul mori.* *Excisæ* scripsi, non *excisæ*, iudicio Germ. qui prius mavult; nam de excidio Trojano loquitur Anchises, quod ab *excindendo*, ducente nos ratione moduli syllabici. *Cerda.*

*Vitam producere*] *Figurate*, pro, vitam producturum. *Servius.*

638 *Exilium*] *Dictum quasi extra solam*. Idem.

*Vos o*] *Obliqua oratio* est. Nam aperte quidem hoc agit, ut relinquatur: latentem vero aliud, id est, voluntatem fugiendi: per quod nimis Æneæ ostenditur pietas: qui nec iustis causis movetur, ut patrem relinquat. Sane rhetorica susasio est, deliberatur enim de ipsa re, utrum

fugiendum sit: et ejus partes ita ponuntur, ut, si qui dissuadent an supervivendum patriæ, quod ideo aperte non dixit, ne cæteros a fuga dehortari videretur; sed ait, *Vos fugite qui potestis*: a tempore, 'Satius una superque:' ab invisit diis, 'Jampridem invisus diis et inutilis apnos demoror:' sic quidem et illud colligitur, an debilis patriæ superare debeat, *Idem.*

*Integer ævi Sanguis*] *Plenam ætatem* significat ex sanguine, qui non est integer, nisi in juvenibus. Nam dicunt physici minui sanguinem per ætatem. Unde et in senibus tremor est. Sane ærum hic ad annos referre debemus, cum alibi tempus significet: ut 'Ævoque sequenti,' et 'Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.' *Idem.*

*Quibus integer ævi*] *Plautus Merc.* act. II. 3. 'Adolescens cum sis, cum est sanguis integer.' *Terentius*: 'ætas integra.' *Propert. Eleg. IV. 5.* 'Dum vernet sanguis, dum rugis integer annus.' *Taubmann.*

*Quibus integer ævi Sanguis*] *Integer sanguis* a Virgilio Plautoque dictus is esse, quos validos florescentesque viribus ostendere voluerunt. Videas *Victorium Var. lect. xxv. 21.* inde *Stat. Theb. I. II.* 'toto sanguine nixus,' id est, viribus maximis. De ipsa locutione, 'integer ævi Sanguis,' consule *Lambin. ad Horat. od. I. 22.* 'Integer vitæ,' &c. *Emmeness.*

639 *Suo robore*] *Sine alterius auxilio*, quo egebat Anchises. Et duas res dicit, Et juvenes æstia et sani, quorum utrumque mihi deest, *Sero.*

*Stant*] *Perstant, solidæque sunt*. *Idem.*

*Solidæque suo stant robore vires*] *Effectus superioris vocis*: quasi dicat, quia *sanguis integer*, ideo quoque, *vires solidae*, et cum *suo robore*. Nam solidæ vires, sunt integræ vires, ut in *Horatio*, 'solido de die,' id est,

integro. De hac juvenum virtute totus est Quintiliani declam. 258. 'Non est tam admirabile, cum fortiter facit juvenis; hoc ætas postulat, hoc robur juvenæ poscit: pene turpe est, non fecisse.' Græci id, quod præstans est, et magnum, vocant ab juvenibus *νεανικόν*; ut *πόροι νεανικοί*, sunt permagni meatus. Unde aliqui illud Aristophanis in Pluto, *κράας νεανικόν*, explicant non tam teneram carnem, quam peringentem et fortem. *Cerda*.

640 *Agitate*] Disponite, cogitate. Sallust. 'Traditur fugam in Oceanum longinqua agitavisse.' *Servius*.

641 *Cæticolæ*] Ad quos nostra pertinet vita: ut, 'Haud credo invisus cælestibus auras Vitaleis carpis:' et, 'Nos juvenem exanimum, et nil jam cælestibus ullis Debentem:' et, 'Igneus est ollis vigor et cælestis origo.' Anima enim, cæli pars est; corpus vero umbra inferorum. Ideo ergo non posuit generale deorum nomen: et addidit *Cæticolæ*, ne crederentur inferni dii, qui datores vitæ non sunt. *Idem*.

*Me si cæticolæ*] Aperta conjectura, me invisum superis. *Donatus*.

642 *Satis superque*] Ad augmentum *superque* addit. Est autem *Imensis*. Sane sciendum est, esse aliqua, quæ augmentum non recipiunt, ne minus significant: ut *satis perfectus*. Nam quæritur utrum *perfectior* possit facere, ne incipiat *satis perfectus* minus significare. *Servius*.

*Satis una*] Scelus est patriam vidisse, et dolor immensus, quod adhuc post ejus interitum vivimus, et adhuc de vivendo cogitamus. *Donatus*.

*Satis una superque*] Utraque vox, *satis* et *super*, dicta ad augmentum, quæ locutio Ciceroni etiam familiaris. Pro Quintio: 'satis superque habeo, quod mihi dederis.' De Offic. 'mihi satis superque dixisse videor.' Plin. v. 1. 'et satis superque de Atlante.'

Plantus Amphit. 'satis superque est.' Easdem voces in Epid. ita disposuit: 'quantum sat est, et plus satis super-sit.' *Cerda*.

*Una excidia*] Sub Laomedonte ab Hercule. Sed emphaticæ dixit *excidia*. *Servius*.

643 *Superavimus*] *Superviximus*. *Idem*.

*Captæ superavimus urbi*] Excidii hujus præter Poetas, qui passim, meminit etiam Dionys. Antiquit. l. 1. eo loci, quo narrat adventum Herculis in Italiam. Et Aristides in Rhodiaca, ubi de Troja loquens, *ἡς ἀλώσεσθαι ἐπαξ μὲν ὄνδ' Ἡρακλέους, δεύτερον δὲ ὄνδ' Ἑλλήνων*: *his captæ, semel ab Hercule, iterum ab Græcis*. *Cerda*.

644 *Sic o, sic positum adfati diacrite corpus*] Sensus talis est: Præstate mihi vos funebre solatium: hoc est, adfamini me, ut dici mortuis solet, *Vale, vale, vale*. Nam ideo, *positum*, et *corpus* dixit. *Servius*.

*Corpus*] Non dixit vivum hominem, sed corpus scilicet ejus, qui non vendi, sed moriendi cupidus esset. *Donatus*.

*Positum*] Lib. iv. 'sic te ut posita crudelis abessem?' et l. xi. 'Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes Servabat senior.' *Germanus*.

*Positum*] Mortui dicuntur *positi*: ut cum positi sunt aut in feretro aut in pyra. *Æneid.* xi. 'Corpus ubi exanimi positum Pallantis.' Ovid. ad Liviam: 'Tene ego sustineo positum scelerata videre.' Quomodo et Græci *τίθεσθαι* et *τίθεσθαι*, pro tumultu cedere et componi usurpant. *Taubm.*

*Adfati*] Non quidem erat Anchises mortuus, sed se compellari pro mortuo cupiebat. Corpora enim ubi erant posita, accedebant et inclamabant, quod Epiphanius *προφωνεῖν τοῖς τεθνημένοις* appellat, utentes hac formula: *surge, ede, bibe, letare, &c.* quæ erudite observavit Jac. Guther. de jure manium l. 28. *Kirchmann*.

de fun. III. 9. *Emmeness.*

645 *Mortem*] Hic ordo est: Ego inveniam mortem manu hostis: ille miserebitur, et petet exuvias. *Serv.*

*Ipsæ manu mortem*] Respondet, quæ possunt objici. *Donatus.*

*Ipsæ manu mortem inveniam*] Circumlocutione τὸ διαχειρίσθαι reddidit: unde et ἀνδρῶν, hoc est, ἀνδρῶν: et Sophocl. ἀνδρῶν χερσὶ. Sic et Tacitus l. i. 'Primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera et suo ictu mortem invenerit.' Ut autem hic miserebitur hostis, Sophocl. in Tyr. θάμα δ' ἐσθλὴν τὰς τοιοῦτον, πῶς καὶ στυγίων ἐκουσίαι. *Germanus.*

*Ipsæ manu mortem inveniam*] Addidi mea, non secutus Servium: durum enim; inveniam mortem manu hostis: sed Donatum, sic explicantem: ego me occidam. Eadem mens Germ. qui unus pro multis: ait enim, Virgilium circumlocutione quadam reddidisse verbum διαχειρίσθαι; unde et ἀνδρῶν, id est, ἀνδρῶν, qui seipsum manu sua interficit: idem sentit Jul. Scal. *Cerda.*

*Miserebitur hostis*] Affectu ejus, qui cupiebat interim, dixit: ut eum hostis, quasi miseratus, occideret. Sic Inix mater Euryali; 'Aut tu, summe pater divum, miserere, tuoque Invisum hoc detrude caput sub tartara telo, Quando aliter nequeo crudelem abruptere vitam: et, 'Vos o potius miserescite, venti.' Alii sic exponunt: miserebitur, id est, quod illi hostili animo fecerint, ego misericordiæ loco ducam. *Servius.*

*Miserebitur hostis*] Si ego deficiam, non deerit qui me feriat. Et magno affectu dixit, miserebitur hostis. *Taub.*

646 *Exuviasque petet*] Quasi obiectio: sed spoliatum linquet cadaver: et responsio, facilis jactura sepulcri, aut secundum Epicureos, qui dicunt nil superesse post mortem: aut facilis, contemptibilis et levis sapienti viro, ut sit jactura dispendium: aut hoc dicit, Facilis sepultura jac-

tura est, quam potest ruina præstare. *Servius.*

*Exuviasque petet*] Ut hosti detracta spolia. Est autem hæc oratio viri prudentis, sed in re desperata: mortem optantis, plena præfracti spiritus, obstinatique animi, sed φιλοπατρίδος. *Taubmann.*

*Facilis jactura sepulcri*] In omnibus iis codicibus, quos præ manibus habui, sepulcri absque verbo est, scriptum animadverti. *Pierius.*

*Facilis jactura sepulcri*] Ἀτασῶν non nulli flocci fecerunt. Epicurus negat τῆς ταφῆς ἠρωτικὴν sapientem, teste in ejus vita Diog. Laërt. Locum hunc Maronis exerit Seneca alibi in excerptis p. 838. 'insepultus jacebis: quid aliud respondeam, quam illud Maronis? facilis jactura sepulcri. Si nihil sentio, non pertinet ad me jactura corporis insepulti: si sentio, omnis sepultura tormentum est: idem disputat. epist. 92. de benef. v. 20. et Lucan. l. vii. Cultiores tamen nationes humo condi cadavera volere; inde apud Horat. od. i. 28. 'At tu, nanta, vagæ ne parce malignus arenæ Ossibus et capiti inhumato Particulam dare: et sic paulo post: 'Quanquam festinas, non est mora longa: licebit Injecto ter pulvere curras.' *Emmeness.*

647 *Inutilis annos*] Ideo quia debilis fuisse dicitur post fulmen. *Servius.*

*Annos Demoror*] Quasi festinantes, diu vivendo detineo. *Idem.*

649 *Fulminis adflavit ventis, et contigit igni*] Tria sunt fulminum genera: est quod afflat, quod incendit, quod findit. De hoc autem siluit. Fulminatus est antem Anchises, quia se cum Venere concubuisse jactabat. Sane afflati tactique dicuntur capti membris; ut, 'Tactus etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus.' *Idem.*

*Adflavit ventis*] Bene dixit, quia scit non jaci fulmina, nisi cum flatu ventorum, ut in viii. 'Tris imbris torti radios,' et sequentia. Sane de ful-

minibus hoc scriptam in reconditis invenitur, quod si quem principem civitatis, vel regem fulmen afflaverit et supervixerit, posteros ejus nobiles futuros et æternæ gloriæ. Fabula eam talis est. Cum inter æquales exultaret Anchises, gloriatus traditur de concubitu Veneris: quod cum Jovi Venus quæstæ esset, emeruit, ut in Anchisem fulmina mitterentur; sed Veus enim cum fulmine posse vidisset interim, miserata juvenem, in aliam partem detorsit: Anchises tamen afflatus igne cœlesti, semper debilis vixit. *Idem.*

*Fulminis adflavit ventis, &c.]* Macrobius Saturn. iv. 3. pathos, ait, moveri misericordiæ, et quidem ea debilitate. *Emmeness.*

650 *Perstabat]* Livius ex Virgilio l. xli. 'Pertinacius Quintius incepto perstabat.' *Cerda.*

*Fixus]* Immobilis sententia. *Donat.*  
*Fixusque manebat]* Similis pertinacia Philoctetæ apud Sophocl. *Ὀδύσεος ὀδδένος* ἰσθι τὸ δ' ἔμπεδον, *Ὀδδ' εἰ* πρὸς φῶς ἀστερουγγὰς ἑρπυλὶς ἀφραῖς μ' εἰσὶ φλαγῆ'ων: *Numquam hinc movebo, Ne, si cornuco sœvus Me fulmine urat Juppiter.* *Cerda.*

651 *Nos contra]* Prepositiones vel adverbia in a exeuntia, modo producunt ultimam litteram, excepto *pute*, et *ita*: quia apud Ennium et Pacuvium brevia sunt. Hinc est, quod etiam numerorum nomina indeclinabilia producuntur: ut, 'Triginta magnos volvendis mensibus orbes.' Ea vero quæ declinantur, brevia sunt, secundum rationem nominum in a exeuntium. *Servius.*

*Nos contra]* Quia fuga esset salus petenda, et sine ipso fuga non erat, orabamus, ne universam domum, dum negat se fugitulum, perderet. Ergo omnia ex illius voluntate pendebant. *Donatus.*

*Effusi lacrimis]* Pro effusi in lacrymas. *Servius.*

652 *Omnique domus]* Modo familia,

allæ domicilium: interdum re vera domum. *Idem.*

653 *Fatigue argenti]* Simile est, ut 'currentem incitare, præcipitantem impellere.' *Idem.*

654 *Sedibus]* Præclare usus voce ambigua (viderunt jam alii) ut significaret, senem ita tenacem animo, ut erat corpore. *Cerda.*

655 *Rurus in arma feror]* Quasi quodam doloris impetu, quod pater liberari non acquiesceret. *Servius.*

*Rurus in arma feror, mortemque mi-  
serrius opto]* Literæ tam vocales, quam consonantes, accommodatæ rebus pronuntiandis, multum venustatis ferunt, præcipue in oratione ligata. Conveniunt ad exprimendum ejulatum muliebrem φ et ω in cæsura incidentes, 'Gemituque et femineo ululatu.' R crebro repetitum iram signat. Sed de his J. Ger. Voas. institut. poet. i. 8. Hic notabilis r frequentius positum, quo bilis et dolor pugnaturi deploratur. *Emmeness.*

*Mortem opto]* Contra fatorum vim, et matris auxillium. *Servius.*

656 *Nam quod consilium]* Quasi vultuerit regina, addito, 'Mortemque miserrimus opto,' sic responderet Æneas, 'Nam quod consilium, aut quæ jam fortuna dabatur?' *Idem.*

*Aut quæ jam fortuna dabatur]* In antiquis aliquot codicibus legere est, *aut mihi quæ fortuna.* Sed prior lectio magis recepta. *Picrius.*

657 *Mene]* Probate pietatis filium. Nam pronomina habent vim suam, nonnunquam et emphasis: ut, 'Cantando tu illum?' Sane, *mene efferre podem, genitor*, et cætera, Rhetorice per deliberationem tractantur, an Æneæ, relicto patre, fugiendum sit. *Servius.*

*Mene]* Invidiosa dictio, sed quæ plena esset pietatis, et ex affectu religioso profecta. Habet autem gravissimum pondus in pronominalibus, Mx et Tx: Mx? scilicet filium tuum, cujus pietatem, officia, religionem-

quo optime comprobasti. TE? qui sis pater meus, et probe noris quid patres liberis, ac patribus liberi debeant. TE? qui senectute et morbo gravis sis, et quem ita relinquere sit oculus, hoc tempore, et hoc loco, ubi hostes sint et flamma. Potuisti ergo loqui, quod me faceret parricidam? *Donatus.*

*Efferre pedem*] Locutiones tritæ ferre, inferre, referre, efferre pedem, de quibus consule Hadr. Cardinal. de L. L. *Emmenas.*

*Passo*] Plus est, quam *relle*. Serv. 658 *Nefas*] Scelus. *Idem.*

*Excidit*] Be...e excusat patrem, dicendo *excidit*; et ipsam temperat oburgationem. *Idem.*

*Patrio excidit ore*] Pro eo Ovid. *Metam.* vii. 171. 'quod, inquit, Excidit ore pio, conjux, scelus?' *Emm.*

659 *Si nihil*] Artificiosa oratio: nam esset causa interitus omnium: et exemplo ostendit affuturum, qui filium, nepotemque in suo conspectu interimat, cum jam ea crudelitate usus in Pollite sit; qui nunquam patrem interempturus sit, nisi prius caso filio. *Donatus.*

660 *Et sedet hoc animo*] Sedere hic est, firmiter rem hæere animo: sic et in v. 'idque pio sedet Æneæ.' et vii. 'ubi certa sedet patribus sententia pugnæ.' Claudian. *Rap.* i. 'Certa requirenti tandem sententia sedit.' Plin. ii. 7. 'sedere cœpit sententia hæc.' Anctor Thebaidos: 'Hoc animo sedet.' Hanc locutionem ter reperi in Ammiano, libris videlicet xviii. xix. xxiv. Stat. Theb. i. 'Jam potior cunctis sedit sententia.' Eadem ratione *sedem* pro firmo ac stabili rerum statu auctores dixisse, notat Lælius in Sneton. ex Suetonio ipso, et Horatio. Quod autem Virgilius, 'sedet animo.' Catull. 'cordi est.' Et Livius l. xxiii. 'id Deis cordi non esse.' et Sidonius in Burgo, 'cordi est, si jungere gressum.' Forma alla Livius l. xliii. 'stat sententia

non minueré cœpias.' Herodotus l. i. dixit, *τι σοι ἐν νῶπι ἔστι τοῦτον*; quid tibi in animo est facere? Itaque locutus Virgilius ex Græco fonte. *Cerda.*

*Et sedet hoc animo*] Ita Seneca Theb. act. i. 'hoc animo sedet Effundere hanc cum morte luctantem diu Animam.' *Tambmann.*

*Peritura*] Bene *peritura* dixit, non *perdita*, quia adhuc posse videatur evadere per suam et Anchisæ fugam; ideo amet addere tanquam magnam portionem exilio Trojæ genus Anchisæ conjungeret. *Servius.*

661 *Juvat*] Delectat. Quasi malum illi voluptati sit. *Idem.*

*Patet isti*] Aporoce est, pro *istis*. Pronomen enim esse non potest, quia non præcedit nomen. *Idem.*

*Patet isti janua letho*] In Mediceo codice, et aliquot aliis antiquis legere est, *istis* adverbialiter: ut dicat non esse allo discedendum, si omnes velit perdere: quia jam aderit Pyrrhus: qui eum voti compotem reddet: qui 'natum ante ora patris, patrem qui ad aras obtinuit.' *Pierius.*

*Patet isti janua letho*] Janua hic est causa interitus, et commoda opportunitas, lepida translatione: perinde ac si diceret: Si Dii nos volunt perdere, et id tibi placitum, nulla major opportunitas, quam hæc. Lucret. l. v. 'lethi præclusa est janua cœlo.' Repetit bis aut ter. Arnob. l. ii. 'Omnis enim passio lethi atque interitus janna est.' Iterum: 'Rursus vero si animæ lethi adeunt jannas.' Turcius Rufus: 'patuit qua janna letho.' Sic *Imen*. Lucret. l. ii. 'lethi jam limine ab ipso.' Et l. vi. 'Languibat corpus lethi jam limine in ipso.' Iterum: 'Et graviter partim metuentes limina lethi.' Dixi hæc ex observatione Gifan. in Collectan. ad Luc. Ab hac translatione non dissidet, *τὰς αἰσθητὰς* appellari *θύρας*: sunt enim sensus, quædam animarum fores. Noto etiam, locutiones has mere esse Poëticas, ex verbis Pla-

ζους de Repub. l. i. δ δὲ ἐπὶ γῆρας  
φιδὸν φασιν εἶναι οἱ ποικίλοι: quod esse  
in senectutis limine Poëtæ ajunt. Cerda.

*Janua letho*] Sic Sil. Ital. ix. 'quam  
janua mortis (Quod patet) et vitæ  
non æqua exire potestas.' Emmen.

662 *Jamque aderit*, &c.] Putant inter-  
pretes allusum ad locum Enrip.  
hunc in Hecuba: "Ἡξεῖ δ' Ὀδυσσεὺς  
ἴσον οὐκ ἴδῃ, Πῶλον ἀφέλξων σῶν ἀπὸ  
μαζῶν, "Εκ τε γεραίῳ χερὸς ὀμφῶν:  
*Veniet vero Ulysses jam jam, Pullum  
abstracturus tuis a mammis, Equæ senili  
manu vi ablaturus.* Cerda.

*Jamque aderit multo Priami de san-  
guine*] In codicibus aliquot, mutato  
numero, legitur, *Jamque aderit Priami  
multo de sanguine.* Sed vulgata lectio  
longe venustior habetur iis, qui dac-  
tylum et spondem alternos amant.  
*Pierius.*

*Multo Priami de sanguine*] Quasi his  
sanguinem fuderit Priamus, quia et  
filium ejus Pyrrhus occiderit. *Serv.*

663 *Natum ante ora patris*] His re-  
bus terret eum, qui non potest mor-  
tem timere. *Idem.*

*Natum*] In antiquis pene omnibus  
exemplaribus, *gnatum*, cum *g* littera  
præposita legas: et ita Veteres scri-  
bere solitos ostendit Victorinus, dum  
dicit: 'Nos quædam paucioribus lit-  
teris scribimus, quam antiqui scribe-  
bant, ut *Narus, Natus, Navus, Noaco*:  
nam illi has voces et similes istis *g*  
interposita scribebant. Cujus rei  
vestigia nos retinemus, cum scribimus  
*Ignarus, Cognatus, Ignavus, Cognosco.*'  
*Pierius.*

*Obtruncat*] Obtruncare consuevit.  
*Servius.*

*Patrem qui obtruncat ad aras*] Vete-  
ra quædam exemplaria legunt, *pa-  
tremque obtruncat.* Sed pronomen il-  
lud relativum majoris omnino ponde-  
ris est. *Pierius.*

664 *Hoc*] Ideo. *Servius.*

*Hoc erat, alma parens*] Ostendit ma-  
terna beneficia converti in perniciem.  
*Donatus.*

*Hoc erat, alma parens*] Prima hujus  
carminis dictio novos et veteres  
Grammaticos varie torquere consue-  
vit. Priscianus in hunc locum: 'Re-  
liquis quoque casibus vetustissimi ad-  
debant eandem *ce* syllabam, ut *hæcce*,  
*hæcce*, *hocce*. Unde vocali quoque  
sequente ablata per synalæphen man-  
nentibus duabus *ce* solebant produ-  
cere. Virgilius, '*hocce erat, alma pa-  
rens.*' Sed scriptorum negligentia  
prætermisit unum *c*.' Dixerat vero  
prius idem hoc Velius Longus, qui  
dubitat verum esse acephalum, si  
*Hoc* unico *c* scribatur. Sed enim  
nullum ego ex antiquis codicibus ad-  
huc inveni, in quo sit *hocce* duplicato  
*ce* notatum, passim vero *hoc erat*: quo  
æquior sum Terentiano et Probo, *c*  
finale in pronominihus producendi  
vim asserentibus habere, ut alio loco  
commodius disputatum est. Nam et  
Sosipater Carisius ultimum positionis  
modum ait, quum dictio desinit in  
consonantem *c*, qua pars orationis  
fuitur, et excipitur a vocali, ut *hoc  
erat, alma parens.* Ne vero mirum  
sit, quæri a Grammaticis, utrum *hoc*,  
an *hocce*, an *hocce*, apud Poëtam sit  
dicendum: quærit quid hujusmodi in  
Cicerone Fabius: 'Quippe cur *hocce*  
potius quam *hoc* eo loco dixerit: Ne-  
minem vestrum ignorare arbitror, Ju-  
dices, hunc per hosce dies sermonem  
vulgi, atque hanc opinionem populi  
Romani fuisse.' *Pierius.*

*Hoc erat, alma parens*] Ita Propert.  
l. ii. 'Hoc erat, inprimis quod me  
gaudere jubebas.' Prisc. legit, *Hocce*,  
ne versus sit acil. ἀκέφαλος. Contra  
quem erudite disputat Nic. Erytha-  
us. Est autem, auctore et verbis  
Scalig. iii. 26. in apostrophe et in in-  
terrogatione tanta efficacia, ut sub-  
sillire faciat animum Auditoris. Quæ  
ubi conjunctæ sunt, nihil deest ad  
summam vim. Cum enim lego illa  
ex Æn. ii. cæteras omnes mihi excu-  
tiunt cogitationes, *Hocce erat*, &c. Sa-  
ne et Scaliger *Hocce* legit: et ego

malim: non, ut numeri aliter deficient; sed ut sic plenior et robustior sit pronuntiatio, in tali præsertim adfectu. *Tubmann.*

*Hoc*] An per duplex æ sit scribendum, propter Synalæpham, cum vocalis absorbetur posterior, disputat Dausquius vol. II. orthogr. *Emmness.*

*Quod*] Propter quod. *Servius.*

667 *Alterum in alterius*] Simili luxu ab Virgilio Ovidius, Tibullus, Propertius. Primus, Trist. IV. 4. 'Alter ab alterius funere mæstus erat.' Secundus I. IV. 'alter et alterius vires necat ær.' Tertius eleg. I. 5. 'Alter in alterius mutua flere sinu.' Hinc est, ut in Æn. III. aliqui legant: 'Alter et alterius, sequitur de cortice sanguis.' Ubi ego tamen *ater* retineo ex consensione librorum. Cur enim, hærentem lectionem commutem facile quavis affante aura? Seneca dixit, de Provid. c. 2. 'Alter alterius manū cæsi.' et de Ir. II. 7. 'Alter in alterius exitium levi compendio ducitur.' *Cerda.*

*Cernam*] Ad omnia pertinet, et propterea non semel accipiendum est. *Donatus.*

668 *Arma, viri, ferte arma*] Notant hoc Critici, quia sæpius armari aliquos dicit, cum exarmatos nusquam ostendat; qui nesciunt non omnia a Poëta (ut supra diximus) dici debere. Nam et diem describit, nocte non præmissa. Superfluo enim dicuntur ea, quæ necesse est fieri. Quis enim domum ingressus, non arma deponat? Vel quia ad auferendum patrem arma deposuerat, vel quia armis Græcorum fuerat armatus. *Servius.*

*Arma, viri, ferte*] Conabatur flectere patrem in suam sententiam, cum filii periculum cerneret. *Donatus.*

*Vocat lux ultima rictos*] Id est, victis moriendum est. *Servius.*

*Vocat lux ultima victos*] Ut intelligat non sumi arma ad salutem, sed ad mortem: nec inde aliud sperari, quam aliquam ultionem. *Donatus.*

669 *Reddite me Danais*] Vel quibus me eripuit mater, vel tanquam quærentibus et invenire cupientibus: et bene *reddite*, quasi retineatur; nam ideo ait *sinite*. *Servius.*

*Insaurata*] Renovata: quod verbum et de feriis et de scenis solebat apud veteres usurpari. *Idem.*

670 *Numquam*] Pro non; ut, 'Numquam hodie effugies.' *Idem.*

*Numquam*] In Mediceo et codicibus aliquot antiquis, *nusquam* habetur, hoc est, quocunque loco cadere contigerit, haud quaquam inulti moriemur. Sed *numquam* Donatus agnoscere videtur. Hujus vero sententiæ similitudo locum memoriæ subjicit apud Livium, aliqua dignum animadversione, libro quinto de II. bello Pun. 'Utrum præsentī torpore pecorum modo inulti trucidentur?' quod in veteri codice legitur, *Utrum præbentes corpora pecorum modo inulti trucidentur*. *Pierius.*

*Numquam, &c.*] Tale quid apud Æschylum in Agam. οὐ μὲν ἄριστος γ' ἐκ θεῶν ἐθνήσκειν. *Germanus.*

*Moriemur inulti*] Ita Statius Theb. I. 'patiemur inulti.' Ovid. de Fabiis, Fast. II. 'sic non moriuntur inulti, Vulnæque alterna dantque feruntque manu.' Livius de Lacio Siccio, qui Decemvirorum fraude a militibus in itinere occisus fuit: 'haud inultum interfecere.' Florus III. 22. 'Ne inulti perirent, sanguine Senatus sibi parentabant.' *Cerda.*

*Hodie moriemur inulti*] Vindicta animo exacerbatō nihil exoptatis, rebus præcipue desperatis. Juv. Sat. XIII. 181. 'At vindicta, bonum vita jucundius ipsa.' Inde Geta Terentianus Ad. III. 2. 15. 'satis se id sibi habere supplicii, dixit, modo ulcisceretur.' Nec *hodie* tam tempus significat (nam dictum hoc nocturno tempore) quam comminationi inservit. Vide Donat. ad Ter. And. I. 2. 25. et plus asseverationis habet *numquam hodie*, quam *non hodie*: eodem interprete teste And. II. 4. 7. 'numquam hodie tecum commu-



taturam patrem unum esse verbum.  
*Emmeness.*

671 *Hic ferro accingor*] Quoniam ne his quidem dictis motus erat.  
*Donatus.*

*Hic ferro accingor rursus, clipeoque sinistram insertabam*] In antiquis exemplaribus legere est, *hinc ferro accingor*. Et *clipeo* per *u*. Sed per *i* potius, ex Cornelli Frontonis sententiâ scribendum videtur. De armis enim est sermo. Sed enim hæc levia: illud me potius moveat, quod antiquissimi quidam codices legunt *clipeumque sinistra insertabam*, pro, *clipeoque sinistram insertabam*: Donatiana præsertim paraphrasi cum antiqua lectione faciente. Ita enim est: 'Jam induebam scutum humero meo.' *Pier.*

*Clipeoque sinistram*] Hunc versum explanat Cæl. Rhodig. x. 4. ubi docet, illud scuti lorum, annuli vice, inter quod, et ipsum scutum, insertamus manum, *insertorium* dici. *Taub.*

672 *Insertabam*] Cunctationem ostendit hoc verbo ejus, qui nec ire ad prælium velit, nec domum relinquere: sic et *ferebam*, dixit. *Servius.*

*Clipeoque sinistram insertabam*] Clipeus ex sinistra propendebat parte, ut hostem dextra libere aggredierentur. Vide Feith. antiq. Homer. iv. 8. Ut hoc loco *insertare clipeo*, sic apud Stat. Theb. v. 'et artis Arma insertatoris.' *Emmeness.*

673 *Ecce autem*] Pathos ab habitu uxoris, et ætate pueri: de quo Macrobius iv. 3. Et est muta persuasio, quæ non verbis fit, sed rebus. Plus enim quandoque spectacula movent, quam verba. *Taubmann.*

674 *Patri*] Melius patri, quam mihi. *Servius.*

*Patri*] Non dixit, mihi, sed patri: ut si maritum non fleeteret, saltem patrium affectum moveret. *Don.*

*Tendebat*] Offerebat: sed non manibus enim gestans. *Servius.*

*Patri tendebat*] Desumpta ex Iliad. vi. ubi Andromache, ut maritum a prælio remoretur, filiam patri in sinu

ostendit: huic adde exemplo orationem Texenæ, quam Justinus habet xxiii. 2. *Emmeness.*

675 *Si periturus abis*] Argutum dilemma, id est, complexio, quæ adversarium ab utraque parte concludit. *Servius.*

*Et nos rope in omnia tecum*] Recte notat Germanus, signari hic uxores, quas *αἰρώδους* et *σώρωδους* vocant Græci. Sunt istæ, quæ omnem fortunam cum viro experiuntur. *Cerd.*

676 *Expertus*] Quidam participium præteriti temporis, sed vim præsentis habere volunt, quia præsens deficit. *Servius.*

677 *Tutare domum*] Hoc est, Cui defensori relinquimur, si tu deseris. *Idem.*

*Cui parvus Iulus*] Interrogantis est: et simul epitheton commendat ætatem. *Idem.*

*Cui parvus Iulus, Cui pater, et conj. &c.*] Efficacissima hæc ad movendum: proponit enim puerum, senem, feminam, imbelles omnes. Eodem argumento Penelope revocare Ulysses nititur apud Ovid. Maroniana forte imitatione: 'Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor, Laërtesque senex, Telemachusque puer.' Dixit salse Naso, graviter Maro. *Cerda.*

678 *Conjux quondam tua dicta reliquor*] *Quondam*, aut aliquando significat: quasi nunc uxor non sit, quæ relinquitur. Aut *quondam* semper significat; ut in Georgicis, 'Quod quondam in stipulis magnis sine viribus ignis.' Et est sensus, Quam semper conjugem nominasti. Haberi enim quævis poterat: nominari non nisi nobilis. Et bene ex ductu literarum, quod eventurum timet, quasi jam contigerit, deflet; se autem ideo nituntur facit, quod ipsa loquitur; diversam autem ætatem pueri, senis, et feminae, ad miserationem commovendam videtur obijcere. *Servius.*

*Quondam tua*] Nam si discedas, non potero esse deinceps tua. *Don.*

*Quondam tua dicta*] Quasi nunc ux-

or non sit, quæ relinquitur. Propert. ii. 7. 'Nec mea dicetur, quæ modo dicta mea est.' *Taubmann.*

679 *Vociferans*] Non solum verbis, verum etiam gemitu ostendens. *Donatus.*

*Replebat*] Veteres aliquot codices, *replevit* legunt. Sed *replebat* melius esse judicant eruditi. *Pierius.*

680 *Subitum*] Pro *subito*, adverbium est temporis secundum veteres. *Servius.*

*Cum subito*] Talis est locus iste, qualis est, 'Talia jactanti stridens aquilone procella.' Item, 'Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,' &c. Item, 'Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat Incassum fletus.' Nam incerta et insperata innectit, non expectans verbosum finem. *Donatus.*

*Subitum*] Veteres aliquot codices, *subito* habent. Sed *subitum* interpretes agnoscunt. *Pierius.*

*Mirabile monstrum*] Τὸν μέγαν est: et a monstrando, id est, monendo, dicitur. Et refertur ad præsens ejus significatio. *Prodigium* vero est quod in longum tempus dirigit significationem. *Servius.*

*Mirabile*] Nam fiebant multa contra naturam, ut flamma, quæ tangebatur, ac non ureret. *Donatus.*

681 *Manus inter*] Mutavit accentum præpositio postposita. Sane *inter* plerumque præponitur. Sed raro apud Virgilium; ut, 'Hunc inter flavio Tyberinus amæno.' Bona autem æconomia ad Iulum venit, dicens eum fuisse *inter manus* parentum, hoc est, inter amplexus. Non enim possumus eum illo tempore portatum dicere, quem et mox pedibus patris comitem fuisse, et post septem annos bella tractasse legimus. *Servius.*

*Namque manus inter*] Perperam *inter manus* pro *per manus*. Non adeo displicet interpretatio Servii: 'inter manus, esse inter amplexus,' &c. Aliam tamen expositionem desiderant illa Plauti. Mostell. ii. 1. 38. 'abripite hunc intro actutum inter manus.'

*Delph. et Var. Clas.*

et Phædr. f. v. 8. 'dextram fregit tibiam, &c. inter manus sublatas,' id est, manibus portatus e theatro. Scipppium adi suspect. lect. i. iii. epist. 5. *Emmenes.*

682 *Levis*] Pro *leviter*. *Servius.*

*Ecce levis summo de vertice, &c.*] Ignis regium sæpe præsagium fuit, et hic futuram et regalem Ascanii dignitatem notavit. Inde facta magna illa animorum commutatio; nam Anchisea, ut vidit Ascanium futurum Regem, alacer factus est ad fugam, reliquique omnes spem eandem concepere. Firmat hoc historia Servii Tulli Romani Regis. Plin. ii. 107. 'Servio Tullo dormienti in pueritia, ex capite flammam emicuisse.' Copiosior Plutarch. de Fortun. Rom. σημειὸν δὲ χρηστὸν ἐπὶ ἀποσπένοντων ἡγεμονίαν, ἥς ἐβρυχε: bonumque indicium insperati regni, quod obtinuit. Huc trahenda narratio de simili prodigio Laviniae, quam per initia Æneid. vii. Virgil. exsequitur. Nec non illa Plinii ii. 27. de Stellis Castoribus: 'Hominum quoque capita vespertinis historiis magno præsagio circumfulgent.' Atque etiam Livii de Marco duce l. xxv. ad finem: 'flammam ei concionanti fusam et capite sine ipsius sensu cum magno pavore circumstantium militum.' Tale quiddam de flamma, non urente, legas inter prodigia, relata ab eodem Livio l. xliii. his verbis: 'Fregellis in domo L. Atræi hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil ejus ambureret ignis, dicebatur.' Lege versus Claudiani in iv. Consul. Honorii: 'ventura potestas Claruit Ascanio, subita cum luce comarum Innocuus flagraret apex.' In his omnibus vides, aut regiam dignitatem indicari, aut certe excellens quiddam et maximum. Non abiit a prodigio Virgillii simile Earip. in Medea, non in re felici, sed cui hæsisse in suo potuit Latinus Vates: Χρονὸς μὲν ἀμφὶ κρητὶ μέγας πλόος θαυμα-

*Virg.*

8 A

σὺν τοῖς νῦμα παμφόρου πυρός. *Cerda.*

683 *Fundero lumen apex*] *Apex* proprie dicitur in summo flaminis pileo virga lanata; hoc est, in cuius extremitate modica lana est: quod primum constat apud Albam Ascanium statuisse. Modo autem summitatem pilei intelligimus. Tangit namque, ut frequenter diximus, latenter historiam. Item hoc de igni, ad Servium Tullum pertinet. Nam quum Tarquinius cepisset Oriculanam civitatem, ex captiva quadam in domo ejus natus est Servius Tullus Hostilius; qui cum obdormisset, caput ejus subito flamma corripuit. Quam cum vellent restinguere, Tanaquil, regis uxor, auguriorum perita, intelligens augurium, prohibuit. Flamma puerum cum somno deseruit. Unde intellexit eum clarum fore usque ad ultimam vitam. Sane perite lucem dixit, non ut in septimo, 'Tum fumida lumine fulvo.' Nam et illic splendor quidem est: sed cum fumo, qui semper causa lacrimarum est. In Ascanio autem solus ostenditur splendor. Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, *apicem, tutulum, galerum*. Sed *apicem* pileum sutile, circa medium virga eminente: *tutulum* pileum lanatum, metæ figura: *galerum* pileum ex pelle hostiæ cæsæ. *Servius.*

*Tactuque innoxia molli Lambere flamma comas*] In antiquis aliquot codicibus, *mollis* legitur. Ut vel *mollis comas* dicas, vel *mollis flamma*, tactu innoxia. Sed enim Donatus in Paraphrasi sua 'pueriles ait comas, perindeque mollis ac teneras.' Cum Donato est codex vetus Camilli Porcii, in quo *molles* omnino legitur. *Pierius.*

*Tactuque innoxia molli Lambere, &c.*] Similem descriptionem, et fortasse ad imitationem Maronis habes in Valer. Flac. Argon. 1. 'ingenti flammantem nubila sulco Direxit per insae facem, quæ puppe propinqua In

bifidum discessit iter, fratresque petivit Tyndareos: placida et mediis in frontibus hæsit Protinus amborum, lumenque innoxia fudit Purpureum.' Ut autem *lambere* de igni, sic Lucret. l. 11. similima tralatione: 'Ignes . . . celeri flamma degustant tigna.' et l. v. 'Ignis enim superavit, et ambens multa perussit:' id est, ambedens. Non recte aliqui legunt *ambiens*. Horatio Satyr. 1. 5. Maronianum placuit, 'per veterem dilapso flamma culinam Vulcano, summum properabat lambere tectum.' *Cerda.*

684 *Circum tempora pasci*] *Pasci*, crescere: ut, 'Sacrum tibi pascere crinem.' Sunt autem hic infiniti pro indicativis. *Servius.*

*Pasci*] Simili tralatione de igne Strabo, lib. enim vi. loquens de *Ætna*, *τοῖκε δὲ λαμβάνειν μεταβολὰς πολλὰς τὰ ἔκτρα τοῦ δροῦς διὰ τὴν νομὴν τοῦ πυρός*: *Montis culmina multas evascipiunt mutationes ab actu ignis.* *Cerda.*

686 *Sanctos restinguere*] Religiosos: non quos tunc sacros sciebant: sed quos mox probaturi sunt. Et bene *fontibus* non aquis. *Sanctos* vero ut venerabilis fieret: sane *Sanctum* est interdum non idem quod sacram, neque idem quod religiosum; interdum non aliud quam sacram: hic ergo *sanctos* sacros accipimus, quippe quo loco auspicia fierent, sicut ex Anchisæ persona ostenditur, cum dicit, 'Oculos ad sidera lætus Extulit:' et, 'Da deinde auxilium, pater, atque omina firma.' Aliter *sanctum* accipi per singula loca dicitur. *Servius.*

687 *At pater Anchises*] Et hic et alibi Anchisen divinandi peritum inducit. *Idem.*

*Pater Anchises*] Apud quem celestium rerum scientia erat. *Donatus.*

*Oculos ad sidera*] Contra opinionem Theocriti, qui eum cæcatum fuisse commemorat. *Servius.*

*Anchises oculos ad*] Aut revera oculos; aut, si cæcus fuit, adfectu et

gestu habitum eum repræsentavit. *Taubmann.*

688 *Et cælo palmas cum voce tetendit*] Fugæ defensio est, ut videatur non solum utilis et necessaria, sed et honesta, quoniam divina snadebant: nam et ideo inducitur noluisse, ut quod vincitur et consentit argumentum voluntatis divinæ sit. *Servius.*

*Cælo*] In codicibus aliquot antiquis, *ad cælum palmas* legitur. Ut illud, 'Ad cælum tendens ardentia lumina.' Præterea non nihil decoris habere videtur repetitio illa: *Oculos ad sidera, ad cælum palmas.* Sicuti tamen placeat, quod in Mediceo codice est, *cælo*, octavus casus, ut figuratior elocutio, non laboro. *Pierius.*

689 *Si flecteris*] Aut secundum Stoicos locutus est, qui fati asserunt necessitatem: aut secundum Epicureos, qui dicunt deos non curare mortalia. *Servius.*

690 *Aspice nos*] Quia intuentes dii juvant. Nam de Jove in i. libro sic ait, cum in Africa esset Æneas: 'Et Libyæ defixit lumina regnis,' Et contra, 'Diva solo fixos oculos aversa tenebat.' Aut secundum Mathematicos, quod, quidquid Jupiter irradiaverit, felix facit: unde est, 'Atque oculos Rutnlorum rejicit ævis.' *Id.*

*Aspice nos*] Possit hæere aliquis, an legendum *respice*. Nam hoc verbum potissimum sedem habet inter ea, quibus precatio fiebat ad superos, quod testimonio Ovidii, Tullii, Planti, Terentii, et aliorum. *Brissonius* firmat. *Legere illum.* Sed tamen retinenda lectio: in *Pindaro* enim *Pyth. od. vi.* in precationibus legas, *ἐβόησαι βλέπων, precor me aspicias.* *Cerda.*

691 *Atque hæc omnia firma*] Secundum Romanum morem petit, ut visa firmentur. Non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili. Nam si dissimilia sint posteriora, solvuntur priora. Unde est, 'Quantum Chæonias aquila veniente columbas.' Nam aquila sine dubio

columbis plus potest. *Servius.*

*Atque hæc omnia firma*] Ad morem Romanorum petit firmari omnia: quibus omen unum et augurium non videbatur satis habere ad persuadendum fidei. Proinde ad confirmationem prioris augurii, secundum poscere solebant. Et, si dissimilia erant posteriora, solvebant priora. *Servius* et *Turn.* XIII. 16. Vide et *Not. Æn.* VIII. 'et propius tua omnia firmes.' *Taubmann.*

692 *Fatus erat*] Proprietatem disciplinæ secutus, quod Augurum effata dicuntur. *Servius.*

*Vix ea fatus erat*] Ostenditur ex hoc magnam Anchisæ meritum. *Donatus.*

*Subitoque fragore*] Signate, nam nubes tonitru frangi dicitur. *Plin.* II. 43. 'Spiritus nube cohibitum tonare, natura strangulante sonitum, dum rixetur, edito fragore, cum erumpat.' *Cerda.*

693 *Intonnit lævum*] Sinistrum, prosperum: quia cæleste est. *Sinistrum* autem a sinendo, quantum ad auguria pertinet: quod nos agere aliquid sinat; unde alibi, 'Si quem numina læva sinant.' Sed hoc loco pontificalis inducitur disciplina. Nam ostendit Anchisen cum vellet fugam filii sequi, omne, quod de Ascanii capite se obtulit, a diis commotum, petiisse de cælo confirmationem: subjungit enim, 'Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore Intonnit lævum.' Prosperum, quia sereno cælo sive audita, sive visa fuerint, quod hic utrumque ostendit, 'Subitoque fragore Intonnit lævum,' quod ad auditum scilicet pertinet. Iterum adjunxit quod ad visum pertinet: 'Et de cælo lapas per umbras Stella facem ducens, multa cum luce currit.' Hoc autem auspiciis cum de cælo sit, verbo Augurum *marinum* appellatur. Sinistras autem partes Septentrionales esse, Augurum disciplina consentit, et ideo ex ipsa parte

significatiora esse fulmina; quoniam altiora et viciniora domicilio Jovis. *Servius.*

*Intonuit laevum*] Sinistra auguria prospera esse docuit Serv. Ecl. ix. 15. 'Ante sinistra cava monuisset ab illice cornix.' Adde illud Stat. Thebaid. l. iii. 'Signa feras, laevusque tones, tunc omnis in astris Consonet arcana volucris bona murmura lingua.' De Anguriis laevis ex consuetudine Romanorum Cic. de Divinat. xii. 30. Grajis vero et barbaris dextra auguria meliora. *Emmeness.*

*De caelo lapsa per umbras*] Docte notat Germanus, cadentis stellæ omen veteribus faustum fuisse, ex Theocrito, Homero, Apollonio. Subjicio ego Aristidem orat. iii. sacror. sermon. ἀστέρη λαμπρὸν διαβαί δι' ἀγορᾶς κυροῦντα τὴν θυσίαν· οὕτω θαρβύσας θύουσα: *splendida per forum visa est transire stella, quæ sacro subsciberet. Itaque audacter sacrificavi.* Herodotus l. iii. simili felicitate de Dario loquitur, ad ejus equum hinnientem, et currentem: ἀστραπή ἐξ αἰθέρης καὶ βροντὴ ἐγένετο: *sereno caelo fulgur emisit, et tonuit.* His contrarium legas in Artemidoro ii. 28. apud quem, οὕτε δὲ καταπίπτοντες ἐπὶ γῆν οἱ ἀστέρες εἰσὶν ἀγαθοί, οὕτε ἐκφανίζόμενοι πολλὰν γῆν ὀλεθρον μαρτυροῦνται: *neque cadentes in terram stellæ, neque disparentes bonæ sunt: multorum enim perniciem præauguriant.* Locum Plinii ii. 26. quo aliqua Poëtæ in hoc loco explicari videntur, jam Beroaldus indicavit. *Cerda.*

604 *Facem ducens*] Lumen, quod nūque ex facibus nascitur. *Servius.*

*Facem ducens*] Lucret. l. ii. dixit, 'longos flammaram ducere tractus:' et Valer. Arg. i. 'direxit per inane facem.' Fax ista est, quam alii aut crinem, aut comam vocare solent. Artemidorus dicto loco, ἀστέρες πυρρῶσαι, *barbata stellæ.* Ibidem quæpiam indicat de mutuo respectu stellarum, ad capillos, et caput. *Cerda.*

*Stella facem ducens*] Dixeris hanc periphrasin Cometæ, qui lucidam caudam post se trahit, et tandem labitur, ut Ge. i. 365. Vide. 'Serpentem stellas,' &c. *Taubmann.*

*Multa cum luce cucurrit*] Nunc theologicam rationem sequitur, quæ asserit flammaram, quos cernimus tractus, nimbum esse descendantis numinis. Alibi physicam: ut, 'Vento impendente videbis Flammaram longos a tergo albescere tractus.' *Serv.*

*Cucurrit*] Alludit ad Græcorum appellationem, qui hujusmodi stellas δειπτόντας appellant. Ceterum lucem capit hic locus e Plinio ii. 26. ubi ejusmodi sive *lampades*, sive *bolides* describuntur. Et potest fieri, ut sit allusum ad stellam, quæ a nece Julii Cæsaris septem diebus perpetuis fulsit, auctore Suetonio. Sed vide mihi Joa. Scaligerum, l. i. Manilii. *Taubmann.*

605 *Super labentem*] Quidam hoc verbum unam partem orationis esse tradunt. *Servius.*

606 *Idea claram se condere oïla*] Stellæ hujus cursus, significat Trojanos conglobatos ad domum Æneæ, Idam petere. Quod dicit, 'Multa cum luce,' ostendit claros. Quod 'Signantemque vias:' scintillas quasdam dicit relictas, quæ ostendant remansuros in diversis partibus socie. Quod, 'Longo limite:' ostendit errorem. Quod 'Sulcum' dicit, significat, 'longum maris æquor arandem.' Quod ait, 'Sulfure fumant:' divini ignis odor ostenditur. Fulgura enim odor sulphuris sequitur. Ex fæno autem mors Anchisæ cognoscitur, sicut ejus oratio sequens indicat, 'Et tenuis fugit sena fumus in auras.' 'Cedo equidem' quasi dicat, Licet me sciam moriturum: et bene quod divinarit Anchisæ, totum ei conceditur. Quidam fumum, bellum quod in Italia futurum erat, significari tradunt. *Idem.*

607 *Limite*] In plerisque veteribus

codicibus, *lumine pro limite* suppositum est, sed probatiora omnia exemplaria *limite* habent. *Pierius.*

*Sulcus*] Ammianus l. xxi. 'siderum sulci.' *Cerda.*

698 *Loca sulfure fumant*] Scribit Plin. fulgura habere odorem sulphuris. Philostratus in vita Scopeliani, τὸ τῶν σικκῆτων πυρ' ὀσμὴ καὶ θεῖος δες: *Ignis fulguris acer est et sulphureus.* Inde illud Persii explicatur: 'quia cum tonat, ocus illex Sulfure discutitur sacro.' *Idem.*

699 *Victus genitor*] Quasi pertinax a pristino proposito recedens. *Servius.*

*Tollit*] Dictum ex augurum disciplina, qui observatis auspiciis, statim de templo, id est, augurali loco, recedebant. Inde natum adverbium, *ex templo.* Sunt qui hic legant *aras*, nam statim sequitur, *affaturque Deos.* *Cerda.*

*Ad aras*] In codicibus aliquot antiquis, quippe Mediceo, et aliquot aliis, legere est, *ad aras*: in aliis quibusdam *ad aras*; ut etiam in Donatiano: quod forte non displiceat, quia sequitur, *Affaturque deos.* Sed et in *aras*, veteres habent codices aliquot. *Pierius.*

700 *Affaturque Deos*] Agit diis gratias, vel certe invocatur, 'Jam jam nulla mora est:' et, 'Cedo equidem,' ostendit eum Æneæ dictis consensisse. *Servius.*

*Affatur*] Est qui monnerit, *affari Deos*, in Virg. esse, implorare atque obtestari Deos. In ix. 'Ipsa Deum fertur genetrix Berecynthia magnum Vocibus his affata Jovem; da, nate, petenti Quod tua chara parens domito te poscit Olympo.' Ubi *affata* valet, obtestata. *Cerda.*

*Et sanctum sidus adorat*] Philostratus in epist. τιμῶσι δὲ οἱ ἀστροὶ καὶ τῶν ἀστέρων τοὺς κομῆτας: *venerantur sapientes ex astris cometas.* Ut videlicet, in quibus insunt præsagia futurorum. *Idem.*

701 *Sequitur, et, qua ducitis, adsum*] Primum est *ducere*, secundum *sequi*; sed ordinato sensu corrigitur, ut sit, *qua me ducitis sequor.* *Donatus.*

*Qua*] In aliquot antiquis codicibus, *qua* legas. Sed in pluribus, *qua*, interpretibus præsertim eam lectionem agnoscentibus. *Pierius.*

702 *Di patrii, servate domum, &c.*] Hic ostendit Anchisen ea, quæ optabat per impetrationem augurii meruisse. *Servius.*

*Di patrii, servate*] Θεοὶ πατρίοι vocantur, qui in patria coluntur nostra: πατρίοι, qui a patribus nostris; et per quorum quasi manus religionem accipimus. Certe et Juppiter inde *δμύριος* Græcis dicitur, quod *familias* præsit. Et hoc posteriore sensu Turnebus hæc intelligit, vi. 11. et xvii. 4. cum Xenophonte, qui ita de Ænea: αἰνέας δὲ σώρας τοὺς πατρίους καὶ πατρίους θεοὺς. Nec aliter Hyginus, apud Macrob. Saturnal. iii. 4. *Taub.*

*Servate*] Verbum *seruo* adhibitum in precationibus Brissonius observat, Fornul. i. et veterum testimonia confirmant. Virg. l. iii. 'serva altera Trojæ Pergamæ.' Tibull. l. i. 'Sed patrii servate lares.' Martial. l. vi. 'Dii servate, precor, matri sua vota patrique.' *Cerda.*

703 *Augurium*] Augurium est exquisita deorum voluntas per consultationem avium, aut signorum: perite ergo signum de cælo *augurium* dixit, ideo et adjecit *servate domum*, id est, genus, familiam. *Servate nepotem*, a quo certum Romanam prolem propagatum iri. *Servius.*

*Vestrum hoc augurium*] Quia vestrum est augurium, vestrum est tueri quod agimus. *Donatus.*

*Vestroque in numine Troja est*] In vobis ea omnia habeo: propter illud, 'Has mihi servassent sedes.' Alii ita exponunt, Augurium numenque vestrum efficiat, ne putem Trojam perisse. *Servius.*

704 *Cedo*] *Cedere* proprie dicitur,

qui contra sententiam suam alteri consentit: ut, 'Cedamus Phœbo.' *Idem.*

*Cedo*] Scilicet potioribus. *Don.*

*Comes ire recuso*] Tantum ad solatium itineris, quoniam prope moriturus; ut in sexto Æneas: 'Ille meum comitatus iter.' Vult enim Virgilius etiam Æneæ concedere patris peritiam. *Servius.*

705 *Dixerat ille*] Hic distinguendum. Alii *ille et ignis*, sed male. *Id.*

*Et jam*] Dum negat, dum ostenduntur aspiciat. *Idem.*

706 *Propiusque*] Quamvis secreta domus sit; propter illud, 'Arboribusque oblecta recessit:' et ordo est: Incendia propius volvunt æstus, id est, calorem. Unde etiam *æstus* dicitur, a calore. *Idem.*

707 *Ergo age*] Quia consensisti, et ignis propinquat. *Idem.*

*Ergo age*] Nam cum impetrassem paternum assensum, quod difficillimum fuit, arripui subitam occasionem: et omnibus difficultatibus, quas objicere potuisset Anchises, occurri. Nam se illum senem et impeditum laturum pollicetur, et omnia communia ipsis futura ostendit, quia nusquam illum deseret: et ne quærat, quid de filio et de uxore faciat: juvabo, inquit, filium auxilio dextræ, et uxor vestigia mea sectabitur. Quod vero ait, 'solus Iulus sit comes et longe servet vestigia conjux,' fuit consilium, ut tutior fieret fuga. Nam si plures fuissent congregati, non facile latuissent. *Donatus.*

*Age*] Non est modo verbum imperantis, sed adverbium hortantis: adeo ut plerunque *Age*, facite dicamus, et singularem numerum copulemus plurali. *Servius.*

*Cervici*] *Cervix*, cum numero singulari dicitur, *collum* significat: si plurali utamur, *superbiam* ostendimus: ut in Verrinis Cicero, 'Frangere cervices.' *Idem.*

*Cervici imponere nostræ*] Quod hic

imponi cervici, et subire humeris, Suet. in Othon. cap. 6. dixit *succollare*. Græci *κατανωτίζεσθαι*, et *ὤμοιςθεῖσθαι*. Strabo l. vi. ita extulit, *οἱ τοὺς γαστέρας ἐπὶ τῶν ὤμων ἀρμόμενοι*: hi parentes humeris sustulerunt. Dio Chrysost. orat. vi. *ὠμῶν φερόμενον ὑπὸ τοῦ δῆλου*: *sublimem a turba portatum*. Dionysius de Ænea loquens Antiquit. l. xiii. *οἱ τοὺς πατέρας ἐπὶ τῶν ὤμων ἐνέγκαντες*. Philostratus in vita Polemonis, *ὤμοις ἐκφέρειν*. Herodotus verbo *ἐκφέρειν*. Philo in Decalogo, *περὶ τῶν αἰχένων ἀχθονορεῖν*, et *μετέωροι φερονται*. *Cerda.*

*Nec me labor iste gravabit*] Euripid. *κῆματος ἐνδύματος*. *Germanus.*

708 *Ipsæ subito humeris*] Inde Ovid. Fast. iv. 37. 'Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes, Sacra, patremque humeris, altera sacra tulit.' Met. xiii. 625. 'Fert humeris venerabile onus Cythereiæ heros.' Recte *subito*, nam ea onera subeuntur, quæ imponuntur, et capite, dorso, vel humeris gestantur. Vide Salmas. exerc. Plin. p. 550. *Emmeness.*

709 *Cadent*] Vetera quædam exemplaria, *quo res cumque cadant* habent, non inveniente. *Pierius.*

710 *Ambobus erit*] Ad filium et ad patrem potest, referri: melius ad patrem: quia de Ascanio post loquitur. *Servius.*

*Unum et commune periculum, Una salus ambobus erit*] Sic x. 201. pro *idem*: 'sed non genus omnibus unum.' Horat. od. i. 28. 'omnes manet una nox.' Ter. Hec. ii. 1. 4. 'Uno animo omnes socrus oderunt nurus.' Ovid. Metam. x. 33. 'Serius aut citius sedem properamus ad unam:' ubi male *inam* non nulli codices, quos melioribus evincit Nobiliss. Heinsius. Sententiæ Maronianæ congruit illud Taciti Histor. l. i. in Orat. Othonis: 'Adeo manifestum est, neque perire nos, neque salvos esse, nisi una, posse.' Ter. Ph. iii. 3. 23. 'noli metuere: una tecum bona, malaque tolerabimus:' quod Ciceroni ad Att. Ep. viii.

3. est 'consilium cum consilio, fortuna cum fortuna conjungere.' *Enn.*

*Parvus Iulus*] In Donatiano codice scriptum est, *mihi solus Iulus Sit comes*. Consiliumque esse, Donatus ait, ut tutior fieret fuga: si enim plures congregarentur, non facile latere potuissent. Idque præcipue ea de causa placet, ne tam paucis versibus, ter *parvos Iulus* repetatur: paulo enim ante, 'cui *parvos Iulus*, dixerat, et paulo post dicturus est, 'dextræ se *parvos Iulus* Implicuit.' Videmus enim Virgilium impendio evitasse illud Homericum τὸν δ' ἀπαμειβόμενος. *Pierius.*

711 *Et longe servet vestigia*] *Longe*, valde: ut, 'Tyberinaque longe Ostia.' Nam *longe* non potest, quia sequitur, 'Pone subit conjux.' Et bene ire singulos facit, Scit enim multitudinem facile posse comprehendere. *Serv.*

*Servet*] Custodiat: ut, 'Et tantas servabat filia sedes:' vel *longe* ideo, ut sit proœconomia, quod errare poterit. *Idem.*

712 *Famuli*] Unde familia. *Idem.*

713 *Urbe egressis*] Hic ablativo junxit, ut Horat. 'Egressum magna me accepit Arctia Roma.' Sallust. accusativo: ut, 'Raro egressa fines suos.' Ergo utrumque dicimus. *Idem.*

*Tumulus*] Modo *terra tumens*: alias sepulchrum. Prudenter autem circa turbatos pluribus utitur præceptis: diversa signa dat, quia scit timoris comitem esse oblivionem. *Idem.*

*Tumulus*] Id est, terra tumens et editior: ubi fanum Cereris, non procul a Scamandro. Et bene id *extra urbem* fecit: quia dea rusticorum, et molitura inventrix. *Desertæ* autem dicit, vel propter bellum: vel a Sacerdote, qui Æn. vi. extinctus inducitur: vel a filia Proserpina: de qua Cicero Verr. vi. et de Nat. ii. Ovid. Met. v. 9. et Claudianus. *Taubmann.*

*Templumque vetustum Desertæ Cereris*] Bene Cereris fanum ante urbem esse facit, quæ dea rusticorum est.

Et librate Æneas et Cereris templum, et vetustum elegit, ad quod nec viria erat aditus, sicut hostes putabant. Nam Æneas scit ante esse profanatum: propter quod, nec prædæ spe Græci poterant duci. *Servius.*

714 *Desertæ Cereris*] Utrum a sacerdote, qui in sexto extinctus inducitur: ut, 'Cererique sacrum Polybetem.' An *desertæ* belli tempore, propter decennalem obsidionem. An *desertæ* a filia; ut, 'Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.' *Serv.*

*Desertæ Cereris*] Credo equidem hoc templum Cereri consecratum, respiciente nuncupatione raptum Proserpinæ, et spoliata et orbatam filia matrem a Dite, et ita desertam a carissima virgine, quam ad inferos usque secuta requisiverit. Quam sententiam adjuvat ἔρμιον vel ἐρμιῶν templum in Peloponneso Cereri et Proserpinæ sacrum asyli vice, quod quasi ἐρμιῶν, vel ἐρημιῶν Grammatici quidam dictum volunt: etiam si ἔρμιον cum nota multi aspirandi scribant. *Germ.*

*Antiqua cupressus*] Ad vetustatem retulit. *Cupressum* autem funebrem arborem bene ante templum deæ lugentis induxit. *Servius.*

715 *Religione patrum*] Timore: et est reciprocum. Sic Terentius, 'Nam mihi nil esse, religio est dicere,' id est, metus. Item Virgilius contra: 'Multosque metu servata per annos.' Connexa enim sunt *metus*, et *religio*. Ut Statius, 'Primus in orbe deos fecit timor.' *Idem.*

*Religione*] Duplicant Latini consonam ad producendam syllabam brevem natura: sic *religio*, *reppulit*, *repperit*, *rettulit*, *relliquia*, &c. Faciunt hoc Græcorum imitatione, qui ἑλλαβεν, ἑλλουσαμένην, ἑλλιτάνευον, ἑλλαχον, ἑλλυτος, ἑλλάννα. *Cerda.*

*Religione patrum multos servata per annos*] In qua veneratione fuerint antiquæ arbores, una Dodonæa quercus exserit, de qua Homer. Iliad. i. xvi. Sed hæc Feithio debentur, quem vide



Antiq. Homer. i. 14. *Emmeness.*

*Multos servata per annos]* Ex illo Lucret. l. i. 'Qualibus ex rebus consistit summa creata, Et multos etiam magnos servata per annos.' *Germ.*

716 *Ex diverso]* Ut non sit suspicio Græcis. *Servius.*

*Hanc ex diverso, &c.]* Ulpianus l. i. sub tit. de pactis, hunc versum ferme exprimere videtur, his: 'Conventionis verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa consentiunt, qui inter se agunt: nam sicuti convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum locum colliguntur et veniunt, ita, qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt.' *Germanus.*

717 *Cape sacra manu]* Non est dantis, sed hortantis ut tollat: quia sequitur, 'Me bello e tanto digressum et cæde recenti Attractare nefas.' Scit enim Græcos ex pollutione Palladii piaculum commisisse. *Servius.*

718 *Bello e tanto]* Aliquot exemplaria vetera habent, et tanto. Aliqua sine ulla præpositione, bello tanto legunt. *Pierius.*

719 *Attractare]* Medicus et vetera alia exemplaria legunt, *adtractare*: neque desunt Liviani codices ita scripti: ut primæ Decadis libro quinto: 'Quod id signum, more Etrusco, nisi certæ gentis sacerdos, adtractare non esset solitus.' Quod ea de causa potissimum adnotavi, ut admonerem lectorem, vulgata exemplaria *more vetusto*, scriptum habere, quod in veteri codice Jani Parrhasii, quum is Romæ summo doctorum applausu bonas literas profiteretur, *more Etrusco* legi. *Pierius.*

*Attractare]* Verbum quod sacris competit, ut notavit Hadr. Cardinal. De abludendis manibus, cæde pollutis, Brisson. de Form. l. i. *Emmeness.*

*Flumine vivo]* Perenni, quia jugiter aqua fluens viva vocatur: semper fluenti, id est naturali: ut, 'Vivoque

sedilia saxo.' Est autem augurale verbum. *Servius.*

*Flumine vivo]* Non enim fas erat Pontificem sacra illotis manibus atrectare. Neque adeo quavis aqua ad purificationem contenti erant, sed vivum et perennem et limpидum considerabant. De quo Turneb. i. 29. et xvii. 13. et xix. 20. Livius, l. i. 'Quin tu vivo perfunderis flumine? in infima valle præterfluit Tybris.' Nota autem, *Æneam*, diis superis sacrificaturum, corpus totum abluisse: cum Dido tamen *Æn.* iv. 635. atque adeo ipse, *Æn.* vi. sacrum diis inferis facturum, levi adspersione ait contentus. De quo Macrobius. iii. 1. *Taubmann.*

*Flumine vivo Abluero]* Donatus pro *abluam*, dictum ait *abluero*, ut Ter. Phor. ii. 3. 73. 'donec perfecero.' et iv. 1. 24. 'donec, quod pollicitus sum, effecero.' Quo pacto illi lustrandi fuerint, qui sanguine se polluisent, docet Feith. Antiq. Hom. i. 6. Inde Scholiast. Sophoclis: *ἔθος γὰρ ἦν ταλαοῖς, ὅτε ἢ φόνον ἀνθρώπου, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποιοῦν, ἀπονίπτων τὰς χεῖρας εἰς κἀθαρσιν τοῦ μύσματος.* Recte vs. 717. 'Tu, genitor, cape sacra manu,' &c. ne inquinaret penates a cæde recens. Vide Schedium de diis Germanis Syngramm. ii. 27. *Emmeness.*

721 *Latos humeros]* Aut more Heroum se landat: aut certe sternendo latos facit. Vel *latos*, sufficientes vecturæ. Vult enim ostendere totum se ad onus præbuisse, et ideo *humeros*, non *humerum*. Idem.

*Latos humeros]* Εὐρύτερους fortes et robustos Græci vocant. *Germanus.*

*Subjectaque colla]* In antiquis aliquot exemplaribus, *projecta* legitur. Sed enim, *subjecta* magis videtur inervire sententiæ. *Pierius.*

722 *Veste super]* Pro, superinstructor: vel, super veste insternor pelle leonina. Heroës autem prisci vel decoris vel horroris gratia pellibus ferarum, præcipue leonum, tegi sole-

bant: ut *Æn.* i. dictum. *Taubmann.*

*Insternor]* Eleganter, tanquam onus laturus, ut de animalibus. *Servius.*

*Insternor pelle leonis]* Humeris instratam habuerunt pellem heroës et viri fortes: probavit hoc multis exemplis Morellus ad Stat. silv. l. iii. ubi *instratum* legendum ex Cod. Adr. Törnebi, non *lustratum*: 'instratumque humeris dimitte gerentibus hostem.' Noster *Æn.* v. 37. 'Acestes Horridus in jaculis et pelle Libystidis ursæ.' et viii. 552. 'Quem fulva leonis Pellis obit totum,' &c. Adi Felth. Antiqu. Homer. iv. 8. qui de hoc amictu ex Græcis plura. *Emm.*

723 *Succedoque oneri]* Figura est; ut, 'Succedunt muro, et flammæ ad culmina jactant.' *Servius.*

*Succedoque oneri]* Pietatem in parentes simulacro Romani significabant Marci Herennii, patrem humeris impositum attollentis, alias Æneæ pari officio Anchisen efferentis, manusque dextra vola Palladium sustententis. *Germanus.*

*Succedoque oneri]* Hæc est pietas illa Æneæ, nunquam satis celebrata veteribus, qua ille patrem humeris suis ex incendio eripuit. Quæras, an vere acciderit hoc miraculum? an cum mendacio confictum sit a Poëta, Æneæ sui perstudioso, ad illius pietatem extollendam? Prodidit hoc antiquitas, firmantque multi. Statius Silvar. iii. 'Felix, cui magna patrem cervice vehenti Sacra Mycenæ patuit reverentia flammæ.' Ovidius Fast. l. iv. 'An magis hunc morem pietas Æneia fecit, Innocuum victo cum dedit ignis iter?' De Pont. 'Cum foret Æneæ cervice subjecta parenti, Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.' Propertius eleg. l. iv. 1. 'Cum pater in nati tremulus cervice pendit, Et verita est humeros urere flamma pios.' Dionys. Antiquit. l. x. in oratione Horatii Cons. contra tribunos pleb. 'O vos miseris, ac cives hæc patria indignos, cujus conditores

parentes suos humeris gestaverunt, quibus per medios hostes armatos et incendia, Dii tutam viam præbuerunt.' Seneca de Beneficiis iii. 37. Huc spectant versus Ovidii Met. l. xiii. 'sacra et sacra altera patrem Fert humeris, venerabile onus, Cythereius heros: De tantisque opibus prædam pius eligit illam, Ascaniumque suum.' *Cerda.*

724 *Implicuit]* Puerilem expressit timorem, ne manu excidat patris. *Servius.*

*Implicuit]* Exprimit causam et factum: nam puer patris fugientis æquare passus non poterat. Exprimit etiam laborem suum, quod in tanta celeritate patrem ferret, filium trahe-ret. *Donatus.*

*Implicuit]* Observavit Maro, illud Venusini de Art. Poët. vs. 156. 'Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores.' Infantuli, pueri, infirmo gradu fugam morantur, et alienis quasi pedibus ambulant, ut Apulejus Metam. l. viii. inde Stat. Thebaid. l. v. 'et tarda quamvis se mole ferentem Vix cursu tener æquat Hylas.' *Emm.*

*Sequiturque patrem, &c.]* Bene de præsentem puerum, qui, ut putabatur, inter manus reginæ erat positus, expressit adfectum. *Servius.*

725 *Pone]* Post; sed loco tantum non et tempori adjungitur, et est adverbium. Atque ideo ultima syllaba habet accentum. *Idem.*

*Subit]* Sequitur. *Idem.*

*Opaca locorum]* Quia dixit, 'Arboribusque oblecta recessit.' Est autem elocutio: ut, 'Strata viarum.' Alii per *opaca* casu accipiendum putant; vel *opaca*, obscura. Alibi *opacum*, amœnum. *Idem.*

*Opaca locorum]* Vel, quia nox erat: vel, propter illud vs. 300. 'arboribusque oblecta recessit.' Est autem hæc plena locutio. Supra, 'angusta viarum.' *Æn.* ix. 82. 'alta pelagi.' Catullus: 'truculenta pelagi.' Lucr. l. i. 'strata viarum:' et, 'clausa

domorum.' Livius: 'adversa montis.' Apulejus lib. 1. de Asino aureo: 'Postquam ardua montium, lubrica vallium, et roscida cespitum, et glebosa camporum emersi.' *Taubmann.*

726 *Et me, quem dudum*] Naturalia plus timet. Quasi et vir fortis et pius non timet bellicum timorem; sed naturalem: propterea quia sequitur, 'Comitique, onerique timentem.' *Servius.*

727 *Glomerati ex agmine*] Propter illud, 'Undique collecti invadunt.' *Idem.*

*Glomerati*] Ita Cicer. Tuscul. II. 'glomeratam cladem' dixit. Notetur autem obiter, primam in *glomerare* produci apud Lucret. I. 1. 'Nam si tantundem est in lanæ glomere, quantum Corporis in plumbo est.' *Taub.*

728 *Nunc omnes terrent auræ*] Hic ostendit etiam fortes viros pro ratione temporis et causarum, et debere et decere metuere. *Servius.*

*Nunc omnes terrent auræ*] Sententiam Poëtæ alii extulerunt. Hor. Od. I. 23. 'Vitas hinnuleo,' &c. Citatur hoc Sophocl. ab Ursino, et Germ. πάντα τοι φοβούμεν ψοφῆ: omnia tibi metuenti adstrepunt. In Apollon. Arg. III. cor in pectoribus fractum dicitur ad δοῦπον ἢ ποδὸς, ἢ ἀνέμοιο παραβέζοντα: *Strepitum prætersonantem aut pedis, aut ventis.* Loquens Heliodorus Hist. Æthiop. I. II. de Cnemone, Græco homine, ita ait: *Magna ex parte insomnem ducens noctem excruciebatur, omnem strepitum, et quamlibet auram ac foliorum motum Thermutin esse existimans.* Non multum abest sententia Euripidis in Phœniss. πάντα γὰρ τοῖς ἀνθρώποις δεινὰ φαίνονται: Omnia audientibus meticulosa videntur. De hac pavoris natura ita Philo loquitur, libr. de Exsecrationib. φύλλον κτύπος κορυφῶτατος δι' αἶρος φερόμενος ἀγῶν ἀργύρεται: frondium strepitus levissimus vento agriatus metum incutiet: et Juvenalis Sat. X. 'Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.' et Lu-

canus I. VIII. 'pavet ille fragorem Motorum ventis nemorum.' Ovidius Met. V. ubi loquitur de fabula Arethusæ: 'vidi præcedere longam Ante pedes umbram, nisi si timor illa videbat, Sed certe sonituque pedum terrebam.' Ad eandem sententiam pertinent, quæ sequuntur in Virgilio, 'Visus adesse pedum sonitus,' &c. *Cerda.*

*Sonus excitat omnis*] Consternat. *Servius.*

729 *Suspensum*] Sollicitum. *Idem.*

*Comitique*] Quidam comiti, pro comitibus accipi volunt. Nam et pro Creüsæ eum timere putant intelligi; et singulariter dictum, ut *equitem* et *peditem* de multitudine dicimus. *Id.*

*Comiti*] Creüsæ perdilectæ. De amore conjugis hoc exemplum dictum habet, cui simile est illud Senecæ, quod emendat et illustrat J. Frœd. Gronovius Observ. II. 20. *Emmenes.*

731 *Subito cum*] Hysterologia est. *Servius.*

733 *Nate*] Hæc singula pronuntianda sunt: quia perturbatis, jugis non datur sermo; nec gaudentibus, nec dolentibus. Quidam adfectuose distinguunt. *Servius.*

*Propinquant*] Non dicit qui: propter sequentem de Corybantibus æconomiam. *Idem.*

734 *Ardentis clipeos atque æra micantia*] Id est, ferreos et caudefactos. Sed nec malè clipeos *fulgentes*, ut vs. 749. 'Cingor fulgentibus armis.' *Clipeum* etiam in usu, ut Non. Marc. ex nostro IX. 709. 'Clipeum superintonat ingens.' Sic *æra* pro armis. Ex ære, quod in pretio apud veteres fuit, arma conficiebantur: inde Scholiast. Homeri Iliad. B. 226. παρὰ τοῖς ἀρχαίοις σφόδρα τίμιος ἦν ὁ χαλκός. *Livius* I. 43. 'Arma his imperata, galeæ, clipeum, ocreæ, lorica, omnia ex ære.' Dictum tamen *æs* putat Turneb. XXVI. 23. pro ferro. Quum non viderit, quia cæcus, potuit tamen Anchises uti verbo (sunt Turnebi) *cerno*: nam

obliti sui plerumque cæci ea dicunt, quæ videntium sunt: pavorque ita consternarat mentem ejus, ut se videre putaret quæ mètuebat: quod oculatis etiam accidit, timore perterritis, ut Considio apud Cæs. de b. G. l. v. *Emmeness*.

*Cerno*] Nonnulli quærent ex cujus persona *cerno* dictum sit. Sed altius intuentes, Æneæ dant. Ut ipse hunc versum dixisse videatur. *Servius*.

735 *Nescio quod trepido*] Excusatio est conjugis longius derelictæ. Et bene *nescio* quod ait, quia hoc postea a simulacro uxoris agnoscit. *Idem*.

*Male amicum*] Non cum utilitate mea favens uxori, quæ in numerum ministrarum Matris deum relata est. Vel *male amicum*, iratum: ut, 'Statio male fida carinis.' *Idem*.

*Male amicum*] *Amicum* non potest dici, quia non servavit universos. Nec rursus *inimicum*, quia præstitit inimicum. *Donatus*.

*Male amicum*] Sic 'male pinguis arenæ' noster Ge. l. 105. Plura illic. *Emmeness*.

736 *Mentem*] Memoriam: quod paulo post ait, 'Nec prius amissam respexi.' *Servius*.

*Confusam eripuit mentem*] Illustrat hoc Germanus ex Apollonio, qui sæpe, *ὅν κε νόος κέχυτο*: ex Calabro; qui, *ἀπὸ φρεσὶ σβύχυντο θυμός*: ex Homero, qui etiam sæpe, *ἐξελέσθαι θυμὸν, ψυχὴν, φρένας*. *Cerda*.

738 *Fatone erepta Creüsa*] Ordo est: *Fato erepta Creüsa, substititne, erravitne via*. Non enim dubitat fato esse sublatam, cum audierit, 'Non hæc sine numine divum Eveniunt.' *Servius*.

740 *Nec post oculis est reddita notris*] Constat. Nam umbram ejus vidit tantummodo. Alioquin mentiebatur dicendo, *non vidi*. *Idem*.

741 *Animumque reflexi*] Animum revocavi, et adverti, ad eum modum, quo Cicero pro Syl. dixit: 'Animum incitatum ad ulciscendam orationem

tnam ipse revoco, et reflecto.' Videtur metaphora ab equis sumpta, qui reflectuntur, revocanturque freno in omnem partem. *Cerda*.

743 *Hic demum*] Hic una deficit. Aliter vitium est. *Huc* enim dicere debuit. *Servius*.

*Una*] Id est, sola: et videtur improprie de necessaria persona *una* dixisse, quæ non sic debet numerari, quasi numero defuerit, sed quasi affectus dolentis; *sola* enim de multis intelligitur. *Idem*.

*Collectis omnibus una Defuit*] Advertit Jul. Scal. orationis hujus oppositiones, *una*, et *omnibus*: deinde *collectis*, et *defuit*. *Cerda*.

744 *Comites*] Utrum natum et virum; an separatim alios, an famulos dixit? *Servius*.

*Natumque*] Qui per ætatem, matrem desiderare debuerat. *Idem*.

*Virumque*] Videtur excusasse oblivionem suam, et culpam ad deos retulisse. *Idem*.

745 *Deorumque*] Hypermetrus versus est ideo, ne si *deum* per genitivum pluralem diceret, *δμιοιρόλευρον* faceret. Dicendo autem, 'Quem non incusavi amens hominumque deorumque,' dat sibi amentiam, quia in furore incusavit deos etiam, quod nunquam: cum enim dixit *quem*, non intelligimus etiam deos. *Idem*.

*Quem non incusavi amens, &c.*] Moris est nimis dolentibus alia incusare ex aliis, ut hoc observavit Donat. ad Ter. Ad. III. 2. 6. et dum omnia criminantur, ne Diis quidem parcant; quod sane dementis est. Noster Ecl. v. 22. 'Cum, complexa sui corpus miserabile gnati, Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.' Non abludivit Ter. Ad. v. 3. 4. 'quid clamem? quid querar? O cælum, o terra, o maria Neptuni!' Stat. Theb. l. vi. 'alio tibi, perfide, pacto, Jupiter, hunc crinem voti reus ante dicaram.' Jure merito idem, hunc affectum graphice describens, exclamat Silv.

l. II. 'Durum et deserti prærepta  
conjuge partem Conclamare thori.'  
*Emmenceus.*

746 *Vidi crudelius*] Bene se com-  
mendat futurus maritus, qui apud  
fœminam sic ostendit priorem se a-  
masse uxorem. *Servius.*

748 *Valle recondo*] Hic jam osten-  
ditur nimia multitudo. *Idem.*

749 *Urbem repeto*] Quidam *repeto*,  
pro *repetere* statuo accipiant. *Idem.*

*Ipsa urbem*] Ostendit affectum puri  
matrimonii. *Donatus.*

*Fulgentibus armis*] Licet intempe-  
stive *fulgentibus* dixerit, tamen potest  
significasse sentum et galeam, quibus  
solis caruerat, patrem portans et fi-  
lium ducens. *Servius.*

*Armis*] Id est, sento et galea: hæc  
enim non habebat oneratus patre et  
filio: cætera armatus erat. De hoc  
autem toto loco ita divinus Scaliger  
Poët. III. 26. 'Illa,' inquit, 'in viro  
forti, non ulla injecta movebant Tela:  
in viro pio, Nunc omnes terrent aura:  
sonus excitat omnis, satis erat: hoc  
addit, suspensum. Apponit causam  
aliam a se, comitique onerique timen-  
tem: et id, collectis omnibus una Defuit.  
Vides, omnibus: vides, una: et, col-  
lectis: et, defuit. Tum quæ sequun-  
tur: Quem non incusari! ponit, homi-  
num; ponit, deorum; adjungit amens.  
Postremo nihil acerbius sibi vidisse  
ait: Aut quid in everna vidi crudelius  
urbe? Nihil marito funestius, quam  
uxorem amittere: nihil turpius viro  
forti, quam prodere hostibus: quare,  
stat casus renovare omnes. Hæc in fac-  
to: in verbis autem, et sentiis, et  
extra sententias quæ Efficacia! Taub.

750 *Stat casus*] Placet; nt, 'Stat  
quidquid acerbum est, Morte pati.'  
*Servius.*

*Stat*] Sic noster XII. 678. 'Stat  
conferre manum Æneæ, stat quicquid  
acerbi Morte pati.' Subaudi *sententia*,  
*consilium*: quamdiu enim deliberatur,  
sententia fluctuat et consilium vacil-  
lat; ubi certum ac statutum est,

quod quis facere vult, consistit con-  
siliu et *stat sententia*: ut plena uti-  
tur structura Terent. E. II. 1. 18. qui  
Ad. IV. 4. 4. 'nihil consilii consi-  
stere potest pectore.' Vide Sanct.  
Minerv. p. 338. *Emmenceus.*

*Renovare*] Antiqui nonnulli codi-  
ces, *renovasse* præterito legunt tem-  
pore, alii quidam *revocare*. Sed om-  
nes magis approbant *renovare*. *Pier.*

751 *Objectare*] Sic Græcis *παρά-  
βάλλεσθαι* est; projicere se ad pericu-  
lum, et audere audax facinus; utique  
*ῥητορικὸν δυνάμει*, et *ῥητορικὸν παράβολον*,  
*audax periculatorque*; et *ἔργον παράβο-  
λον*, *audax facinus*, in bonam quoque  
partem. In Poëta frequentativum  
est ad signandam periculorum fre-  
quentiam. In Sallust. quoque est,  
'periculis objectare' in Jugurthino  
bello. *Cerda.*

752 *Obscura limina*] Aut per noc-  
tem obscura: aut certe posticum,  
*limina* significat. *Servius.*

*Obscureque limina*] Subiit, an hic  
legendum *limina obsessa*; sed cum in  
nemine viderim, abstineo: conjectu-  
ra tamen mea defendi possit, nam  
infra: 'Danaique obsessa tenebant  
Limina portarum;' et supra: 'obscu-  
rumque acta testudine limen.' Si ob-  
scura legas, explica, quia per noctem  
obscura. Quæ hic de postico aliqui,  
non satis probro. *Cerda.*

753 *Quæ*] Pro unde. *Servius.*

*Retro Observata sequor*] Relego re-  
tro et prosequor mea vestigia. *Idem.*

754 *Lamine tustro*] Oculos circum-  
fero, non enim faciem ferre poterat,  
quia proderetur. *Idem.*

755 *Ipsa silentia*] Ipsa quæ terrore  
non debent, præcipue inter hostes.  
Sed, ut diximus, naturalibus tantum  
cedit. *Idem.*

*Silentia terrent*] Tacit. Hist. I. III.  
de Vitellio quærente latebras: 'Ter-  
ret solitudo, et tacentes loci.' De  
Troja ipsa in Troadib. Eurip. *ἔρρε δὲ  
πρὸς Ἐρμύλῳ νεκρὸν*. Similem con-  
questionem excitat Demosthenes, de

falsa legat. *χάρων ἔρπονεν τῶν δὲ φλῆκῃ.* Quem in locum notat Ulpianus, notari affectum φέβου. Inde Poëta in magno silentio terrent, quippe omnis vastitas et solitudo terrori est. Orosius II. 19. 'Horrer quatiebat animos, silentia ipsa terrebant, siquidem materia ipsa pavoris est raritas in spaciosis.' Xenoph. ἀναβ. II. φοβερὰ τῶν ἐρημῶν: et addit rationem, μυστὴ γὰρ πολλὰς ἀπορίας εἰστί. Cerda.

*Ipsa silentia terrent*] Stat. Theb. I. L. ideo 'nigra silentia' appellat, quæ terrorem incutunt. Verum est, quod Juvenal. Sat. x. 20. 'Nocte iter ingressus, gladium, contumque timetis.' *Emmeness.*

756 *Si forte pedem, si forte*] Iteratione auxit dubitationem. *Servius.*

757 *Inruerant Danaï*] Quos Venus ante prohibuerat. Unde est, 'Et ni mea cura resietat.' *Idem.*

758 *Illicet*] Confestim. Hic significat quod *Illico*: sed metri ratione variantur. *Idem.*

*Illicet ignis edax, &c.*] Similes victoris ignis, et summopere excrecentis descriptiones attuli in Georgicis: Ut hic 'edax ignis,' ita Ge. III. 'ignis edebat.' Horatius Od. III. 4. 'peredit ignis.' Statius Theb. IX. 'ignis edat.' Simili verbo Mattius apud Varron. de Ling. Lat. I. VI. 'Corpora Grajorum mœrebant mandier igni.' *Cerda.*

*Summa ad fastigia vento*] Qui urget flammam; ut, 'Veluti cum flamma furentibus austris.' *Fastigia*, modo de summitate proprie dixit: alibi de imo; ut est, 'Forsitan et scrobibus quæ sint fastigia, quæras.' Inde est, 'Cœlumque profundum:' cujus porro fundus est: cum de imo *fundus*, de summo *fastigium* dicatur. *Servius.*

*Summa ad fastigia vento*] Magnis incendiis et venti implicantur, ut notat J. Camerarius probl. x. decur. 4. *Emmeness.*

759 *Furit ætus ad auras*] Est hoc quod I. v. 'atram in nimbo volitare

favillam:' quod in IX. 'aterque ad sidera fumus Erigitur.' Quod Silius I. I. 'Incita sulcatum tremula secat æra flamma.' Solent enim Poëtæ ad explicandum magnum incendium decurrere ad auras, ad cœlum, ad sidera. *Cerda.*

760 *Priami*] Patris ejus. *Servius.* *Arcem*] Ne vel illuc confugiasset. *Id.*

*Procedo, et Priami sedes arcemque revideo*] In veteribus aliquot exemplaribus, *protinus* omnino habetur; plura tamen ex illis *procedo ad Priami sedes*, legunt. In Longobardico lectio est hujusmodi, *procedo, et Priami sedes arcemque revideo*. Et ita habetur in Mediceo, et in Porcio, et aliquot aliis antiquis. Quam lectionem etiam Tl. Donatus agnoscit. Ait enim: '*Procedo*, hoc est, progredior, vel ulterius accedo. *Et Priami sedes arcemque revideo*: ne illa ad domum patriæ sui, aut ad munitum aliquem locum se contulisset.' *Pierius.*

761 *Vacuis*] Magnis, quippe illic erant omnia. Alii *vacuis*, pro *vacuatis* intelligunt, ut sit nomen pro participio; aut *vacuis* a nobis; aut certe *vacuis*, latis. *Servius.*

*Junonis asylo*] Templo: unde nullus possit ad supplicium extrahi. Dicitur *asylum*, quasi *asyrum*. Alii, *asylum* ideo dictum, quod nullus inde tolleretur, id est, quod *συνέσθαι*, hoc est, *abripi*, nullus inde poterat: vel quod fugienti illuc spolia non detraherentur; *σῶλα* enim Græce aut *furta*, aut *spolia* dicuntur. Hoc autem non est in omnibus templis, nisi quibus consecrationis lege concessum est. Primo autem apud Athenienses statutum est ab Herculis filiis, quos insequebantur ii, qui erant a patre opprossi: sicut docet in duodecimo Statius. Hoc asylum etiam Romulus imitatus est. Unde est, 'Quem Romulus acer asylum Rettulit:' non statuit. Quem locum deus Lucoris, sicut Piso ait, curare dicitur. Sunt quidam qui dicunt, ideo Græcos in

templo Junonis, quod Asylum erat, prædam convexisse, vel captivos conclusisse, quod ibi cædem fieri non liceret, et ideo fœminas et pueros clausos, quod imbellis esset ætas et sexus, quibus etiam hostes parcere consueverunt. *Idem.*

762 *Phœnix*] Achillis magister. *Id.*

*Dirus Ulyxes Prædam adservabant*] Hoc etiam loco nonnulli codices manu scripti legunt, *durus Ulyxes*. Sed enim jam *dirum Ulyxem* esse Virgilio diximus, ut *imitem Achillem*. Præterea *observabant* cum Porcio aliquot alii habent codices: quæ lectio variat etiam apud Livium, ut l. vii. de ii. bel. Pnn. 'P. Scipio quum observari Numidam jussisset.' Nam et *adservari* aliquot habent codices. Neque me fugit, quid differentiæ statuant Grammatici inter *adservare*, et *observare*: quam tamen ego non adeo acceptam ab auctoribus invenio. *Pier.*

763 *Huc*] Pro illuc. *Servius.*

*Gaza*] Censuræ, Persarum lingua: et est numeri singularis tantum. *Id.*

*Gaza*] Mela l. ii. 'Gaza, sic Persæ ærarium vocant.' Curtius l. iii. 'Pecuniam regiam Gazam Persæ vocant.' Suidas *gazam* explicat, *θησαυρὸν*. *Servius* ait censuræ omnes et divitiarum Persarum lingua, ea voce explicari. Inde *gazophylacium*, ubi thesauri repositi: et *gazophylaces*, custodes ejus. *Cerda.*

764 *Mensæque decorum*] Postquam excessere omnes adytis. *Servius.*

*Mensæque decorum*] Fortasse hæc sunt, quibus oracula reddebantur, quasque Græci *τεῖνες* vocant. Certe interpretes non ignobiles *τεῖνες* vertunt *mensas*: nunc mihi ante oculos Justus Utejus, qui illud Æliani Var. hist. iii. 48. βαῖν' αὐ' ἐμὴν τεῖνην, reddit, *cede meis mensis*: verba sunt oraculi. *Cerda.*

765 *Crateræque auro solidi*] Qui sunt vel inaurati, vel laminis tecti, vel incrustati. *Servius.*

*Captivæque vestis*] Pro captivorum, et est nota elocutio. *Idem.*

*Captivæque vestis*] Sic in vii. 'Captivi pendent currus.' Statius Theb. ii. 'Nostrisque sub armis Captivo mortibundus humum diademate pulsea.' Ovidius Fast. iii. 'captiva cura.' Propertius eleg. ii. l. de Nilo: 'Septem captivis debilis ibat aquis.' et Tacit. Annal. xiv. 'captivum cruorem,' dixit: 'cruore captivo adolere aras.' Et Liv. l. iii. 'captiva navis:' et in vi. 'pecua captiva.' Vestem hanc accipio Phrygiam, quæ in pretio; ideo peculiaris mentio. *Cerda.*

766 *Longo ordine*] Longa multitudine, ut in sexto, 'Unde omnes longo ordine posset:' quum non dicat per ordinem. Non enim ordo erat in multitudine. *Servius.*

768 *Ausus*] Quod inter hostes. *Id.*

*Ausus*] Vult Germ. participium hoc deductum a Græco fonte a verbo *αἶσω*, quod est, *τολμῶ, video*. Inde et Reges Ausones. *Cerda.*

*Ausus quin etiam*] Scalig. iii. ii. 'Profecto, inquit, me horror capit, atque etiam quatit, ubi videre atque audire video, in nocte, inter hostes, fortem simul, atque pium virum etiam clamore carissimam uxorem querere.' *Taubmann.*

*Voces jactare*] Quæ contrariæ sunt latere cupienti: et hic ostendit, et se fato evasisse, et fato conjugem perdisse; sed inquirendi officium ad eam transtulit, propter noctem: ibi enim voce opus est, ubi visus non suppetit; *voces* vero, quia, 'Iterumque iterumque vocavi.' *Serre.*

771 *Tectis*] Per tecta. Antiptosis. *Idem.*

772 *Infelix simulacrum*] Mihi, non sibi: ut, 'Quæ potui infelix?' Per simulacrum autem apotheosin ostendit: quia simulacra deorum sunt: *umbrae*, inferorum: sicut Ulyxes in Homero apud inferos umbram Herculis cernit: quia post mortem umbræ inferos, animæ cælum petunt. *Idem.*

773 *Major imago*] Quia umbra ma-

jor est corpore. Et per hoc mortuam vult ostendere, aut ex homine deam factam. *Idem.*

*Nota major imago*] Quippe dea. Ita *Æn.* vi. 'majorque videri, Nec mortale sonans:' supra, vs. 591. 'qualisque videri Cælicolis et quanta solet.' *Taubmann.*

*Et nota major imago*] Deam esse ex magnitudine concludit Turneb. xxvi. 23. quoniam Diis et Deabus ampliorum formam attribuebant: ut *Æneid.* iv. 'Et nunc magna mei sub terras ibit imago.' Sed nanci videntur, ut ipse Turneb. recte. Umbram apparuisse *Æneæ*, quæ visa fuit augustior illius oculis ac consueverat, ex Poëta discimus: et Juvenal. Sat. xiii. 221. 'tua sacra et major imago Humana.' *Emmeness.*

774 *Steteruntque comæ*] Præ horrore. *Serv.*

*Obstupui, steteruntque comæ*] Jam sæpe dictum, *obstupui* semper haberi in codicibus antiquis. Sed et *steterunt*, exacta specie, aliquot habent exemplaria: quum tamen Probus *steterunt* agnoscat. *Pierius.*

*Steteruntque*] Sic exciderunt. Vide Modium notant. lect. epist. 52. *Emm.*

*Vox faucibus hæsit*] Ter. Eun. 'lingua hæret metn.' Vide *Æneid.* iii. 48. et iv. 280. *Taubmann.*

775 *Tum*] In antiquis codicibus *tunc* habetur: utrunque idem significat. *Pierius.*

*Tum sic adfari*] Infinitus modus pro indicativo, et hic versus in plerisque dicitur non fuisse. *Servius.*

*Curas demere*] Placitum tibi adjungere ad imitationem, quibus modis idem sæpe dicat Poëta: in vi. 'His dictis curæ emotæ.' In iv. 'Meque his exsoluite curis.' Ibid. 'Et dictis avertère curas.' Ibid. 'Hæc se carminibus promittit solvere curas.' *Æn.* i. 'Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.' *Æn.* iv. 'Lenibant curas, et corda oblita laborum.' In ix. 'Laxabant curas, et corda oblita

laborum.' et Ge. iv. 'Nate licet tristes animo deponere curas.' Itaque *demere*, *emovere*, *solvere*, *exsolvere*, *avertere*, *secludere*, *lenire*, *laxare*, *deponere*. *Cerda.*

776 *Quid tantum*] Consolatio est: sequitur etiam divinatio, quæ animis, liberatis corpore, conceditur. Unde etiam morientibus datur: ut infra Orodes Mezentio: 'Nec longum lætabere: te quoque fata Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.' *Servius.*

*Insano*] Hic sine ratione, aut certe magno: ut, 'Insani feriant sine litora fluctus.' *Idem.*

*Indulgere*] Vel permittere, vel, operam dare; ut, 'indulgent vino.' *Idem.*

*Insano juvat indulgere labori*] Idem versus occurrit ix. 135. Non. Marc. pro augere sumit, apud quem est *indulgere iræ*: ut apud nostrum ix. 615. 'juvat indulgere choreis.' Stat. Theb. v. 'indulgere furori.' Lucret. i. iii. 'luctibus indulgere.' *Emmeness.*

777 *Sine numine divom*] Sine fati necessitate: ut enim Statius dicit, 'Fata sunt, quæ dii fantur.' *Servius.*

778 *Eveniunt: nec te hinc comitem asportare Creüsam*] Hic versus scansione caret: si non convertatur, ut per ecclipses aut synalæphas scandatur ita, *Eveniunt: nec te hinc comitem asportare Creüsam*: unde multi as syllabam detrahunt; si tamen vis fide servata scandatur, fiat conversio; ut, *Nec te hinc comitem asportare*, et potest scandi per synalæpham. Aliter, nec ecclipsim, nec hiatum, nec synalæpham recipit. *Idem.*

*Non hæc sine numine Divom Eveniunt. Nec te hinc comitem asportare Creüsam Fas*] Quia repererat Servius, *comitem hinc asportare*: quam varie versus a multis corrigatur, repetit. At esse sane versus aliquot, qui scandendi rationem, præritam in Grammaticorum scholis, non admittant, inficias non ierim. Inveni tamen in codicibus aliquot antiquis, *nec te comitem aspor-*



*tare-Creisam fas.* Nam *asportare* etiam absque adverbio locali *hinc*, per se plenum satis esse videtur. In Mediceo, et in Porcio, *comitem hinc portare* legitur; neque desunt ingenia eorum, qui *comitem hinc asportare*, recte legi contendant: versumque esse Pentametrum Choriambicum hypercatalecticum. Choriambum enim habere prima et quinta sede, tertia Anapestum, paribus duobus locis Spondæum. Sed enim de numeris et variis metrorum generibus, quæ versum Heroicum ingrediuntur, alibi disacerandum erit. Hoc loco malunt peritiores versum exlegem esse. *Pierius.*

*Creisam*] Quia Latina declinatio est, erit Latinus accentus. *Servius.*

779 *Fas*] *Pro fato*. Quia sequitur, 'Regnumque et regia conjux Parta tibi.' *Idem.*

*Ille*] Superfluum hoc loco pronomen. *Idem.*

*Olympi*] Cur in penultima accentus sit, manifesta est ratio apud Latinos: quanquam Græci discretionem velint per accentum facere montis et cæli, quod superfluum est. *Idem.*

780 *Longa tibi exsilia*] Subaudiendum *obscunda*. *Idem.*

*Arandum*] Quia legimus, 'Subtrahiturque solam:' non immerito dixit nunc *arandum*. *Idem.*

781 *Et terram*] In vetustis aliquot exemplaribus, *et terram* legitur, et ita etiam habetur apud Donatum. *Pier.*

*Hesperiam*] Sequenti epitheto Italianam ab Hispania segregavit; quæ et ipsa Hesperia dicitur. Et videtur per derivationem etiam errori finem dedisse. *Servius.*

*Ubi Lydius*] Ideo sic dictus a fratre Tyrrheni; Tusci enim a Lydis originem ducunt. Nam Lydus et Tyrrhenus duo fratres, quum eos provincia una non ferret, in sortem miserunt, ut, divisus copiis, proficisceretur unus ad novas sedes quærendas: profectus Tyrrhenus est, qui ex suo nomine Tuscos Tyrrhenos vocavit. *Lydia* autem

dicta est, in qua frater remanserat. Unde nunc traxit, ut *Lydium* diceret. *Thusci* autem, a frequentia sacrificii dicti sunt, hoc est *ἀνὰ τοῦ θύειν*. Constat namque illic a Tage aruspicinam repertam; ut Lucanus meminit: 'Sed conditor artis Finxerit ista Tages.' Apud Tuscos etiam togæ usus est, nam hoc habitu in *Lydia* Jovis simulachrum fuisse dicitur. *Idem.*

782 *Leni agmine*] *Leni* impetu, vel flore: et multis rebus hoc nomen adjungitur. *Idem.*

*Leni fuit agmine Tybris*] In codicibus aliquot pervertistis, pro *leni*, *lato* habetur. Sed Ti. Donatus omnino *leni* agnoscit: ait enim, 'Laus interea fluminis illa est, quod copiosus, quod lenis, quod in ipso aquarum redundanti tractu per agros ubertim fluens nihil lædat.' *Pierius.*

*Leni fuit agmine Tybris*] Actus ille, quo flumen volvitur, et aquæ succedunt aquis, *agmen* dicitur elegantius translatione: quæ ante Poëtam in usu. Enn. l. i. apud Macr. 'Quod per amœnam urbem leni fuit agmine flumen.' Et Lucret. l. v. 'super terras fuit agmine dulci.' Locutionem de amne leniter fluente, Poëtæ alii variis flexibus. Horatius de Liri, 'quæta Mordet aqua taciturnus amnis.' Ovidius, 'sine vertice aquas, sine murmure euntes.' Ausonius: 'et amœna fluente Subterlabentis tacito rumore Mosellæ.' Tibullus, 'At te, Cyde, canam, tacitis qui leniter undis Cæruleus placidis per vada serpis aquis.' Statius in Silv. 'Qualis Cinyphius tacente ripa Pænos Bagrada serpit inter agros.' Silius l. viii. de Numico: 'Labitur, et leni per valles volvitur amne.' *Cerda.*

*Leni fuit agmine Tybris*] Quædam notavi de hoc amne Ge. l. 499. Quid sit *leni agmine fluere* docet Sciopp. suspect. lect. iii. epist. 22. Servii interpretationem laudans, ubi emendat Apulejum, qui *amnis* pro *agminibus stagnantibus* male habet, et citat Ennii

versum, qui in quinto ait: 'Quod per amplexum urbem leni fuit agmine flumen.' De Tybride, leni agmine fluente, sæpe Līvius 1. 3. ubi Albulæ nomen habet, et post, *Tybridis*. Idem c. 4. 'super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis:' et 11. 5. 'fudere in Tiberim, tenui fluentem aqua, ut modis caloribus solet.' De Coccyo Horat. Od. 11. 14. 'flumine languido' errante. *Emmenas*.

783 *Regnumque, et regia*] Cur ergo Æneas horum non meminit, et considit in Thracia et aliis locis? *Servius*.

784 *Parat*] An parata, an adquisita armis? *Idem*.

*Lacrimas dilecta pelle Creüsæ*] Melius ad posteriora referimus; ut dicat, *Noli flere*: nec enim captiva sum. Male enim plerique dicunt, quia habes uxorem paratam. *Idem*.

786 *Servitum*] Ut serviam. Verbum finitum et modus gerendi est. *Servius*.

787 *Dardanis*] Laus a majoribus. *Idem*.

*Dardanis*] Laus communis a genere. *Donatus*.

*Nurus*] Laus a cognatione. Sane hunc versum quidam ita supplevit, et *hæc conjux*. *Servius*.

*Veneris nurus*] Laus propria ipsius. Sum ergo liberata ab hominum infimorum servitute, et ei deæ collocata, ex qua se ortos omnes dii gloriantur, et habitabo in locis originalibus. Magna ergo consolatio, qui uxorem nec captivam nec occisam invenit, sed detentam voluntate ejus deæ, quæ nulla est potior. *Donatus*.

788 *Sed me magna Deum genetrix*] Ad hujus loci explicationem signatissima sunt verba Pausan. in Phocicis: *De Creüsæ memoriæ preditum est, a Deum matre, et Venere Græciæ ereptam, et in libertatem vindicatam: fuisse vero eam Æneæ uxorem: vere itaque rapta est a Cybele*. *Cerda*.

*His oris*] In quibus colitur plus quam in Creta. *Servius*.

*Delph. et Var. Clas.*

789 *Jamque vale*] Recedentis significatio est. Unde et mortuis dicitur, ut, 'Salve, maxime Palla, Æternamque vale.' *Idem*.

*Nati serva communis amorem*] Quasi mater sollicita, quod dixerat eum aliam habiturum uxorem. Bene ergo propter futuram novercam commendatur Ascanius. *Idem*.

*Nati communis*] Nam et illo poterit levare uxoris amissionem: et etiam admonet propter novercam suspicionem, ut magis indulgeat filio. Ac propterea hoc novissimum collocavit, ut magis pectori infixum relinqueret. Non tamen apertius hoc dixit, ne si aliter sentire videretur, necessari animam laderet. *Donatus*.

*Nati communis amorem*] Epilogus plenus amoris in Ascaniam. Sic et Alcest. apud Eurip. moriens ad virum Admetum, *ταῦτάς χεῖρας ἐξ ἐμῶν δόχων, ἃ δὲ νῦν γυναιὶ τοῦτοῦ ἀντ' αὐτοῦ πατρὸς τίνας: liberos cape ex manu mea, Tu nunc esto pro me mater hinc liberis*. et Propert. eleg. 1v. 12. ore Cornelie ad Paulum: 'Nunc tibi commendo communia pigra natos. Hæc cura et cineri spirat inusta mea.' *Cerda*.

790 *Hæc ubi dicta*] Ingratum facinus fuisset, nisi demonstrasset, et plurase fuisse dicturum, et ad illius dicta responsurum, ac diutius eam retenturum, nisi ipsa decessisset. *Donatus*.

*Hæc ubi dicta dedit*] Habes verba eadem in Lucillio Satyr. 1. 1. 'Hæc ubi dicta dedit, pensam facit ore loquendi:' et in Livio 1. xxii. 'Hæc ubi dicta dedit stringit gladium.' *Cerda*.

792 *Ter conatus*] Demonstrat proprie volentem amplecti, quod corporale non fuerat. *Donatus*.

*Conatus*] Ibi enim ponitur conatus, ubi effectus non sequitur. *Idem*.

*Ter conatus*] *Ter*, id est, sæpius. Et bene, *conatus*: nam ibi ponitur conatus, ubi effectus sequi non potuit. Hæc autem Scaliger cum Nomerico componit, v. 3. Atque eadem aliter

*Virg.*

8 B

offeruntur, Ge. iv. de Eurydice: 'Dixit, et ex oculis subito, sen fumus in auras Commixtus tenues, fugit diversa,' &c. Et est descriptio spiritus. *Taubmann.*

793. *Compressa*] In vetustissimis aliquot exemplaribus Vaticanæ bibliothecæ, et nonnullis aliis, præcipueque in Longobardico et in Mediceo, *compressa* legitur, et ita etiam legere est apud Donatum. Facile vero crediderim antiquorum more, *compressa*, Sicilico, geminationis nota, superimposito fuisse prius, unde *compressa* emanarit eorum errore, qui Sicilicon pro a littera, ut plerumque alias, accipere. Neque illud dissimularim, esse veteres codices, in quibus *compressa manu effugit*, absque synalæphe legatur. Sed enim hoc non æque placet, quia versus ita nimium elangueret. *Pierius.*

*Manus effugit imago*] Quasi imago, quæ non tenebatur. Naturale enim est, ut non possit teneri. Nam in sexto quod ait, 'Da dextram misero,' auxilium significat. *Servius.*

794. *Par levibus ventis*] Puris et non vehementibus. *Idem.*

*Simillima somno*] Pro somnio: sic Cicero, 'Simillimum deo iudico.' Nam genitivo plurali, debuit jungi superlativus. *Idem.*

*Par levibus ventis, volucrique simillima somno*] Non prætereunda fuit lectio Medicei codicis, *par levibus pennis volucrique simillima vento*: licet somno dubio procul castior lectio sit, et agnita Servio: et, *Levibus ventis*, alia fere omnia habeant exemplaria. *Pier.*

795. *Sic demum*] Novissime. *Serv.*

*Socios consumpta nocte revisa*] Propert. l. i. 'Namque ubi longa meæ consumpti tempora noctis, Languidus exactus heu mihi sideribus.' *Germ.*

797. *Invenio admirans*] Quum invenissem, admiratus sum. Vel admiratus sum tantos evadere potuisse. Sane adamat Poëta ea, quæ legit, diverso modo proferre. Nævius belli Punici

primo de Anchisa et Ænea fugientibus hæc ait, 'Eorum sectam sequuntur multi mortales.' Ecce hoc est, 'Invenio admirans numerum.' Multi alii e Troja strenui viri, ecce hi sunt animis parati; ubi foras cum auro illuc exibant: ecce et opibus instructi. *Servius.*

798. *Exsilio*] Ad exilium alii. Donatus contra metrum sensit, dicens ex Ilio, quasi de Ilio. Nam I longa est. *Idem.*

*Exsilio*] Donati sententiam impugnat Stephanus lect. Virgil. p. 16. peccari in legem metri: producenda enim prima in Ilium: 'fuit Ilium et ingens,' &c. Notari velim, quod monéo alias, Servium Donatumque miris hic modis confundi; adeo ut utriusque sententiam sequaria, vix videas. *Emmenes.*

*Miserabile vulgus*] Magnum est quod addidit vulgus: sic Statius, 'Unde hoc examen, et una Tot miseræ.' *Serv.*

*Miserabile vulgus*] Magnus Scaliger, III. 26. non immerito quærit, cuiusmodi facie hoc vulgus miserabile describi aut pingi possit? *Taubmann.*

799. *Undique convenere*] Videtur hoc loco tanquam omnium consensu regnum ad Æneam esse delatum. *Serv.*

*Animis opibusque parati*] Et volebant et poterant, vel fortes pariter et divites. *Idem.*

800. *Deducere terras*] Juxta morem Romanum deduci colonias dicebantur. Bene ergo de Ænea dixit *deducere*, quod eis civitatem conditurus erat. *Idem.*

801. *Jamque jugis summa surgebat Lucifer Idæ*] Ut Trojanis videtur. Sic alibi: 'Tibi deserit Hesperus Cætam.' Secundum persuasionem eorum, qui circa montes habitant; illic enim vel occidere vel oriri putant sidera, unde videri vel incipiunt vel desinunt. Hoc est autem quod ei Venus promissit: 'Nunquam abero.' Varro enim ait hanc stellam Luciferi, quæ Veneris dicitur, ab Ænea, donec ad Lau-

rentum agrum veniret, semper visam, et postquam pervenit, videri desiisse. Unde et pervenisse se agnovit. Bene autem Poëta diligentia sua dierum horis, hic quæ aguntur, accommodat: ut hoc loco quod de patria cum patre et filio discedit Æneas, ait *surgebat*. Idem.

*Jamque jugis summa*] Apoll. i. ἀντὰρ δὲ τ' ἀγλαῆσσα φαινοῖς ὄμμασιν ἥδ' Πηλίου αἰπυρὰς Ἴδεν ἄκρας. et III. ἤδη δὲ φάος νύφθεντος ὑπερθεῖν Κανκιάσου ἡργενῆς ἥδ' βάλειν ἀντέλλουσα. Vide autem num Virgilius respexerit Lucretii illos versus l. v. de Ida monte solis exortu insigni et admirabili: sunt autem hi: 'Ant quia conveniunt ignes, et semina multa Confluere ardoris consueverunt tempore certo, Quæ faciunt solis nova semper lumina gigni. Quod genus Idæis fama est a montibus altis Dispersos ignes orienti lumine cerni: Inde coire globum quasi is unum, et conficere orbem.' In quem locum Lucretii citat et hanc Diodori Sic. testificationem l. xvii. Lambinus: Ἴδεν δὲ τι καὶ παράδοξον συμβαίνει. Germanus.

*Jamque jugis*] Jnga seu promontoria montis Idæ quattuor esse, *Phalacram*,

*Lectum, Pergæum, Gargarum*, docet Cælius xlii. 29. Taubmann.

802 *Ducebatque diem*] Quia Lucifer lucis est prævius. *Servius*.

*Ducebatque diem*] Quia prævius, et quasi dux lucis est. Ita Aratus, ἀγείν ἡμαρ, de Luna. Plaut. Menæch. Luciferum eleganter 'diurnam stellam' vocat. Taubmann.

803 *Opis*] Ferendi auxilii. Vel ad cæteros liberandos, qui non fuissent occisi, vel ad eruendam de captivitate patriam, quia dicit, 'Danaïque obsessa tenebant Limina portarum.' *Servius*.

804 *Cæsi*] Hoc est, tantis difficultatibus vel malis; et proprie *cedere* dicuntur, qui patriam relinquunt. *Idem*.

*Sublato genitore*] Ubique inventa opportunitate pietatem suam erga patrem vult ostendere. *Idem*.

*Montem*] Hoc est, Idam. *Idem*.

*Et sublato montem genitore petiri*] Sunt qui *montis* plurali numero legendum adserant. Eam lectionem ex antiquis codicibus, in Mediceo tantum inveni: in aliis *montem* unitatis numero scriptum observavi. Sed in contextu etiam Donatiano, *montis* est, numero multitudinis. *Pierius*.

## ÆNEIDOS

### LIBER III.

1 *Postquam res Asia, Priamique evertere gentem*] Secundum interrogationem Didonis, post insidias Græcorum, et casus suorum, proprios errores exequitur, quos pertulit antequam ad Africam perveniret: ordine, ut supra diximus, commutato. Nam rectum operis initium est: *Fracti bello, satisque repulsi*. Fuga autem ejus

hæc est: Relinquens Ilium, Idam tenuit: inde Antandram civitatem: juxta quam factis navigiis tenuit Thraciam, in qua Ænum constituit, ut multi putant. Mox prodigiis territus, Delum tenuit. Illic accepto augurio, errore patris prætervectus Cycladas, venit ad Cretam: ubi cum pestilentia laboraret, a diis penatibus

monitus, ad Strophadas devectus est insulas. Inde prætervectus maritima Græciæ, apud Epirum susceptus est Heleni hospitio. Unde profectus Calabriam tenuit: et illinc statim territus adventu Diomedis, abcessit; navigavitque usque ad Scyllam et Charybdim, quæ sunt Ætnæ vicinæ. Unde vento pulsus, circumita maxima parte Siciliæ, Drepanum venit: ubi, secundum Virgilium, perdidit patrem. Inde (ut est in primo) ad Didonis regna pervenit. *Servius.*

*Postquam]* Hæc particula connectendis adiungitur rebus: ut, 'Postquam altos tetigit fluctus.' Sic enim dictis sequentia copulantur. *Idem.*

*Postquam]* Propositio *περαβερναι*: a qua suspiciale libros suos orditur Maro: sicut Homerus a *χρονόγραφικ*. Strictim autem tangit jam dicta, et summatim proponit post dicenda: in utrisque quidem calamitosa sibi omnia; tam præterita, quam futura. Cæterum, versus hos sonoros esse cum maiestate, docuit Scaliger Poët. II. 11. *Taubmann.*

*Res]* Quamvis multa, prout locus exegerit, significet; modo tamen imperium: aut *res* hic pro universò statu Asiæ. Bene autem Asiæ, quasi orbis tertiæ partis. Nam Phrygia in Asia est: Ilium in Phrygia Minore. *Servius.*

*Res Asiæ]* Id est, Imperium Iliense: ita vs. 64. 'Res Agamemnonias,' dixit. Et ambitiose, 'Res Asiæ:' quasi tertiæ orbis terrarum partis. *Taubmann.*

*Priamique evertere gentem]* Non est iteratio. Nam potuit aliud sine alio fieri, ut vel Phrygia tota everteretur; vel solum Ilium. *Servius.*

*Gentem Immeritam]* Bene gentem. Nam Laomedontis et Paridis culpa, universa gens petire non debuit. *Id.*

*Priamique evertere gentem Immeritam]* Aut Uram, allusum a Poëta ad versus plures Homeri Il. iv. apud quem Juppiter statetur, nullam esse

urbem, nullam gentem, quam ille æque dilexerit ac Trojam, ac Priamum, et Priami populum: cujus rationem assignans, ait: *Ὅς γὰρ μὴ ποτὲ βλάβος ἐβόητο βαρὺς Ἀσπίς τε κλέος τε:* Non enim mihi unquam ara carebat convivio pari, Libationeque mîdoreque. Immerita ergo everti urbs, Rex, et populus, qui tam impense colebant Némîna. *Cerda.*

*2 Visum Superis]* Ut ipse ait, Neptunum, Jannem, Minervam vidisse se eversores Trojæ. Laus Ilii est, quod non nisi dii potuerant subvertere. Quotiescunque autem ratio, vel iudicium non apparet, *sic visum*, interponitur: ut Horatius, 'Sic visum Veneri: cum amorem ostenderet non esse pulchritudinis. Et bene accusatio in deos habet quandam venerationem, alioquin sacrilegium est. *Servius.*

*Visum Superis]* Invidiose, ut apud Horatium od. 1. 33. 'Sic visum Veneri, cui placet impares Formas atque animos sub juga æthereæ Sævo mittere cum joco.' Et apud Claud. Rapt. l. III. in querelis de rapta filia, Ceres, 'sic placitum patri.' Reddit Græca Sophocl. in Ajac. *θεὸς γὰρ ἐς Ἰστοί.* Et est laus Ilii, quod non nisi a Diis everti potuerit. *Cerda.*

*Visum Superis]* Quotiescunque ratio non apparet, *Sic visum*, interponitur. Vide Not. *Æn.* II. 428. 'Diis aliter visum:' item Turneb. VI. 21. Et occulte purgat et laudat suos: ut qui non a Græcis, sed a diis vinci potuerint. *Taubmann.*

*Superbum Ilium]* Nobile. Ilium autem Virgilius, neutro tantum genere declinat. Horatius etiam feminino: ut, 'Non semel Ilios Vexata.' Satre modo Ilium proprie de civitate dixit. Nam regio Troja est: quamvis interdum pro civitate provinciam ponat: ut, 'Et campos ubi Troja fuit.' *Servius.*

*Superbum Ilium]* Id est, nobile, sive magnum. Ilium autem (auctore Ser-

vio) noster genere neutro tantum declinat: Horatius, et Græci, etiam fæminino. Epod. xiv. 'quod si non pulchrior ignis Accendit obsessam Iliou.' Idem Od. iv. 9. 'non semel Illes Vexata.' Homer. *αἴπε Ἰλιον ἴφην*, Et notavit princeps litterarum Joseph. Scaliger, Latinos in commune omnes urbes fæminino genere recte efferre. Ita Catullus, 'regia Cranon:' 'Sirmo venusta.' Silius, 'regia Pleuron.' Juvénalis, 'quam Dorica sustinet Ancon.' Ovidius, 'defensa est Iliou armis.' Idem: 'Vestris disjecta lacertis Iliou:' ubi vulgo *Ilios* supponunt, perperam. *Taubm.*

3 *Humo fumat Neptunia Troja*] *Humo*, ab humo, id est, funditus: ut significet patriæ sææ solum quoque aruisse. *Servius.*

*Fumat*] Sane quæritur quomodo dixerit *cecidit*, et *fumat*. Sed aut per licentiam poëticam, tempus pro tempore posuit: ut, 'Meminisse horret, luctuque refugit.' Aut certe naturam rerum expressit. Nam ruina fit brevi, *fumus* vero longo permanet tempore. *Idem.*

*Fumat*] Solæcismum esse *cecidit* et *fumat* Probus et Charisius opinantur. Sed non raro præsens pro præterito invenias, præsertim si res necdum finem habere videntur. Ex ingenti incendio fumus diuturnior esse solet. Idcirco hoc loquendi genus exaggerandi vim habet, eo nempe tempore flammæ necdum cessare. Ita Ter. Ad. III. 3. 11. *enarramus* pro *enarravimus*. Apud Pers. Satyr. II. 69. 'impulit et mutat' et Ov. Trist. I. 11. 'Dardaniamque petit auctoris nomen habentem:' præcessit *reliquit*. De hocce Maronis loco, qui Euripidi, apud quem *ναυροῦντος* *Troia*, debetur, agit Petr. Victor. xxxiv. 11. *Emmeness.*

*Neptunia Troja*] Bene et subtiliter etiam diis invidiam commovet, ut ea cecidisse dicat, quæ putabantur deorum. Sane fabula talis est: Laome-

don, rex Trojanorum, sollicitus pro opibus suis, petit ab Apolline et Neptuno, ut Ilium cingerent muris, mercede promissa; quo impetrato, quæ diis promiserat, denegavit. Sed Neptunus iratus, cetos, id est, belluas marinas immisit; quod malum Trojanæ passi sunt, nece filiarum, quas bellua consumebat, donec, apertiore responso, Hesiona, Laomedontis filia, monstro exponeretur, quam Hercules, Troja eversa, liberavit, et amico suo Telamoni dedit uxorem. Sane, Laomedonte occiso, Priamo Phrygiæ donavit imperium. *Neptunia* autem *Troja*, quia Neptunus et Apollo eam cinxit muris, sicut prædiximus. *Servius.*

4 *Diversa exsilia*] Multi ad illud referunt, 'Magnum quæ sparsa per orbem.' Constat namque diversas partes orbis tenuisse Trojanos, ut Helenus et Antenor. Sed melius est, ut specialiter hoc *Æneæ* daret, qui compulsus auguriis est, diversas terras, hoc est, in diversa regione positas, quærere: ideo, 'Incerti quo fata ferant.' *Idem.*

*Desertas*] A Dardano accipe. Nam ubique uberes esse legimus: aut *desertas*, ut quidam volunt, quas et tenuimus et deseruimus; ut Cretam et Thraciam. *Idem.*

*Terras desertas*] *Desertas* Sanctius pro *deierendas* dici asserit in Min. p. 55. ubi plura, quibus sententiam firmat. Turnebus xvii. 6. intelligit *loci sola*, in quibus antea oppidum non fuerat conditum. Pierii lectionem tamen, quæ sequitur, non aspernamur. *Emmeness.*

*Diversa exsilia, et desertas quærere terras Auguriis agimur Divum*] In codicibus aliquot manu scriptis, et vetustate ipsa venerabilibus legere est, *Diversa exsilia, et diversa quærere terras*. Sed *desertas* Ti. Donatus agnoscit ut in integris ejus in Virgilium commentariis legimus: ex hisque duobus pessima *Æneæ* proposita dicit: avel-

lebantur quippe a cineribus patriæ, diversa exilia et terrarum solitudines petitori: hoc enim modo *Desertas terras* interpretatur. Servius vero, quum videret Terras, *Æneæ* fati debitas, hominum robore, et frequentia, et ubere glebæ commendari, commentus est, non solitudinarias, aut incultas, sed a Dardano desertas, interpretari: quæ sententia, sicuti magis adrideat, non laboro. Sane vero sunt, qui respexisse Virgilium dicant, ad primam urbis Romæ ædificationem: quam Strabo dicit non apto, neque idoneo loco positam, solo neque feraci, neque agro satis ad alendum spacio, sed quem Romulus et Remus necessitate coacti, potius quam voluntate, colnerint. Ita enim Strabo, *Κτίσαι τὴν Ῥώμην ἐν τόποις οὐ πρὸς αἰρέσειν μᾶλλον, ἢ πρὸς ἀνάγκην ἐπιτηδεύουσιν, οὐτε γὰρ ἐρυμνὸν τὸ ἔδαφος, οὐτε χώραν οἰκίαν ἔχον τὴν περὶ ἑσθὴν πόλιν πρόσφορον*. In superioribus autem quod vulgata legunt exemplaria, *visum Superis*, vetera quædam habent, *cisum est Superis*, substantivo verbo interjecto: quod quamvis verum numerosiorem faciat: absque eo tamen structura videtur elegantior. Missa vero sint, quæ multa super *sumat* disputant Grammatici, si dixerō Comminianum asserere *sumat*, hoc loco solæcismum esse per tempus. *Pierius*.

5 *Auguriis agimur dicum*] Pro ostentis; id est, ex flamma, quæ tempora Ascanii pasta est, cursu stellæ, et Cræusæ admonitione, quæ dixit, 'Ad terram Hesperiam venies.' *Serv.*

*Sub ipsa Antandro*] Juxta Antandrum. Est autem civitas Phrygiæ, dicta *Antandros*, vel quod de Andro insula eam condiderunt coloni, quasi ἀντὶ ἀνδρου: vel quia Græci venientes per Thraciam, ceperunt Polydorum: pro cuius pretio hanc accepere civitatem, quæ ex facto nomen accepit *Antandros*, id est, propter virum data. Fertur tamen quod post acceptum

pretium a Græcis occisus sit lapidibus: quamvis huic opinioni Virgilius non consentiat. Nonnulli adserunt Antandron insulam esse vicinam Trojanis regionibus; ab hac populos Medos, coactos loci angustia, ad vicina littora profectos, civitatem *Antandron* ex nomine patriæ condidisse. Alii a Polymnestore occisum dicunt post eversam Trojam, et in maria præcipitatum. Cujus quum mater Hecuba agnovisset cadaver, cum captiva duceretur, flendo in canem conversa est, cum se præcipitare vellet in maria. Quod ideo fingitur, quia nimio dolore inaniter Græcis convitiabatur. *Idem*.

6 *Antandro et Phrygiæ, &c.*] In exemplaribus aliquot antiquis, absque et particula copulativa legitur, *Antandro, Phrygiæ molimur montibus Ida*. Verum ea particula nimirum loco hoc et necessaria est, et ad venustatem facere videtur. *Pierius*.

*Sub ipsa Antandro*] Ob commoditatem et copiam (ut verbis Turnebi xvii. 6.) navalis materiæ ex Ida monte quasi ex ὀλοτομίῃ Maro *Æneam* Antandri classem ædificasse scribit. Quo loco plerumque naves struebantur, teste Xenophonte Hellen. l. i. ἐκέλευσε ναυπηγεῖσθαι ἐν Ἀντάνδρῳ. Iterum, καὶ ἄλλας ἐν Ἀντάνδρῳ ἐναυπηγεῖτο. His adde Strabonem l. xiii. qui docet eundem fuisse locum, ubi a Paride disidentes judicatæ Deæ sunt. Stephanus πάλιν statuit ὅπῃ τὴν Ἰδην. Nec aliter Strabo l. xiiii. Ἀντάνδρος ὑπερκείμενον ἔχουσα ὄρος, ὃ καλοῦσι Ἀλεξάνδρειαν, ἀ Παρίδε, qui etiam dictus fuit *Alexander*. Antandrus nunc *S. Dimitri* scriptore Sophiano. De origine nominis disputat Is. Vossius ad Melam i. 18. Meminit hujus Ovid. Met. xiiii. 627. 'profugaque per æquora classe Fertur ab Antandro.' *Emmenes*.

*Phrygiæ Ida*] Ad discretionem Cretensis. *Servius*.

*Molimur*] Fabricamus, paramus.

Et bene petit loca, in quibus et late-  
ret, et navigia præpararet. *Idem.*

*Molitur]* Moliri, est operari, et  
industrie aliquid conari, aut tractare :  
ut hic explicat J. Gulielm. Plaut.  
Quæst. Epid. c. 4. Cicero: 'Nihil  
agit, nulla opera molitur.' Plautus  
Bacchid. 'Insanum magnum molior  
negotium, metuoque ut possim emo-  
liri.' *Taubmann.*

*Idæ]* Cælius Rhod. xxviii. 1. do-  
cet, quemlibet montem, unde circum-  
jecta spectari valeant, recte dici  
*Idæm*, auctore Didymo: et *Idæum*  
capi pro montano. Trojam item dici  
*Idæam*, *παρὰ τὸ Ἰδῆν. Idem.*

*7 Incerti]* Quia quisquis navigat,  
licet mente destinet locum, quo ta-  
men feratur, incertus est. Ergo non  
ignari, quibus dictum erat, ut Italiam  
peterent; sed incerti ubinam esset  
Italia. *Servius.*

*Quo fata ferant]* Quia nec in Thra-  
cia permausit, nec in Creta. *Idem.*

*Ubi sistere detur]* Propter diutur-  
num errorem, et quia sicut dictum  
est, ad multa delatus loca est; aut  
propter dubietatem oraculorum: cer-  
tum enim erat, nos a Troja debere  
proficisci, incertum tamen, ubi esset  
consistendum. *Idem.*

*Ubi sistere detur]* Pro eo Ovid. Me-  
tam. i. 107. 'ubi sidere detur.'  
Quam lectionem ex Ovidianis codici-  
bus firmat Nob. Heinsius. Hanc ta-  
men genuinam lectionem agnoscere  
videtur. *Emmeness.*

*8 Contrahimusque viros]* Colligimus.  
Eos scilicet, qui ad auxilium vene-  
rant. Unde est, 'Unam quæ Lycios  
fidumque vehebat Orontem.' Item,  
'Et fratres Lycia missos, et Apollinis  
agria.' *Servius.*

*Contrahimusque viros]* Sic Græci  
*ἀνδρολογεῖν, στρατολογεῖν, καταλέξασθαι*  
*τὴν στρατίαν, συνάγειν, et συναγείρειν*  
*στράτευμα* dicunt, contrahere et com-  
parare exercitum. Homer. Od. ζ.  
*ἔσσι ξυναγείρατ' Ὀδυσσεύς.* Et Xeno-  
phon: *συνάγειν ἀνδράποους εἰς κηδείαν,*

*et σὺλλογον ποιεῖσθαι.* Videri potest  
pari forma Pindarus Olymp. Od. x.  
*ὁ δ' ἔρ' ἐν Πίλῳ ἔλσας ἴδων τὲ στρατὸν,*  
&c. *ἀπὸ τοῦ ἔλσας, nisi conflatum sit,*  
*pro ἔλσας. Germanus.*

*Vix]* Mox: ut, 'Vix e conspectu  
Sicilæ telluris in altum Vela dabant  
læti.' *Servius.*

*Vix]* Nam fugitivi maturum tem-  
pus expectare non possunt; et quia  
definita loca non habuimus, naviga-  
mus, quo fata ducebant. *Donatus.*

*Prima ætas]* Ut prima pars æsta-  
tis, quia est ea adulta et præceps.  
Aut vernum tempus dicit: quamvis  
Palephatus tradat, capto Ilio, Æneam  
post triennium navigasse. *Servius.*

*Prima ætas]* Accipe ver primum,  
id est, initium veris, ex nota, quam  
jam dedi in Georgicis. Veteres enim  
cum annum in duas tantum partes  
dividerent, eas nominabant hiemem  
et æstatem, abstinebantque a nomine  
veris et autumnus. *Cerda.*

*Vix prima inceperat ætas]* Sequitur  
eos, qui fine veris Ilium captum vo-  
lunt, paulo ante solstitium: ut dispu-  
tat Jos. Justus Scaliger, de Emendat.  
Tempor. l. v. *Taubmann.*

*9 Et]* Hæc conjunctio velocitatem  
videtur ostendere. *Servius.*

*Et pater Anchises]* Ut agendarum  
rerum auctoritatem adsignet Anchi-  
sæ. Et ut diximus, *τὸ πρῆπον* servat,  
ut pater jubeat. *Idem.*

*Dare fatis vela]* Id est, navigare,  
'quo nos cunque ferat melior for-  
tuna:' ut loquitur Horat. od. i. 7.  
*Taubmann.*

*10 Litora cum patriæ lacrymans]* A-  
mat Poëta quæ legit, immutata aliqua  
parte vel personis, ipsis verbis pro-  
ferre. Nævius enim inducit uxores  
Æneæ et Anchisæ cum lacrimis, il-  
lum relinquentes his verbis, 'Ambo-  
rum uxores noctu Trojade exibant,  
capitibus opertis, flentes ambæ, abe-  
untes lacrimis cum multis.' Hoc iste  
Ænean eodem in tempore ejusdem  
rei causa inducit fecisse, cum dicit,



‘Litora tum patriæ lacrimans portusque relinquo.’ et multi tradunt hoc in primo dictum, ‘Trojæ qui prius ab oris.’ *Servius*.

*Litora*] Nam patria perierat; et commoto terram, locum stabilem et certum, et sequor incerta maris. *Donatus*.

11 *Campos ubi Troja fuit*] Hoc est; quod ait, ‘omnis humo fumat Neptunia Troja.’ *Servius*.

*Et campos*] Non sine summo dolore videt latitudinem camporum, in qua mœnia diruta jacebant. Et tria posuit, quæ per naturam suam non potuerunt perire: *litus, portum, campum*. *Donatus*.

*Et campos ubi Troja fuit*] Testatur Rudolph. Agricola, his verbis summam totius *Æneidos* contineri. Est autem exemplum miræ brevitatæ, tantæque adæq., ut arcitari magis et contrahi brevitas ipsa non possit. Quippe verbis paucissimis maximam civitatem hausit et absorpsit: non reliquit illi nec ruinam. Simile illud Cic. ad Herennium: ‘Lemnium præteriens cepit: inde Tharsi præsidium reliquit: post urbem in Bithynia sustulit: inde pulsus in Hellespontum, statim potitur Abydo.’ Macrob. v. l. et Quintilian. Institut. Rhet. Ovid. in Epist. Penelopes: ‘Pergama captivo jam bove victor arat. Jam seges est, ubi Troja fuit.’ Hanc tantæ urbis vastitatem tantam significantissime Strabo ἀφανισμὸν τέλειον appellavit: Suetonius ἄλωσιν Ἰλίου, ut et Petronius. Nam Strabone et aliis auctoribus, Troja urbs ita funditus eversa est, ut indicium sui vix reliquerit: quippe cum illius lapides etiam translati sint, quibus vicina oppida instaurarentur: additis insuper, pro more veterum, diris et imprecationibus: ne quis eam postmodum incoleret. Horat. Od. i. 16. Habet autem vox *Troja* emphasin: quasi dicat nobilis illa urbs et antiqua, et armis virisque potens, totius Asiæ opibus florentis-

sima, &c. Scaliger iii. 46. *Eumionis* sive *Penatristionis*, quæ brevis est figurata, exemplum hoc adducit. Et versus, inquit, divinus: quem adeo probavit Maro, ut seipsum, in decimo, sit imitatus: ‘Atque solum, quo Troja fuit.’ Etiam Lucanus l. vi. ‘Nunc super Argos arant.’ *Taubmann*.

*Erui*] Quasi trans solum missus, aut extra solum vagus. *Servius*.

12 *Penatibus, et magnis Dis*] Alii deos magnos *cælum* ac *terram* putant, ac per hoc *Jovem* et *Junonem*. Dii penates a Samothracia sublatis, ab Ænea in Italiam advecti sunt; unde Samothracæ cognati Romanorum esse dicuntur: quos inter cætera ideo *magnos* appellant, quod de Lavinio translatis Romam, bis in locum suum redierint; quod Imperatores in provincias ituri, apud eos primum immolabant: quod eorum nomina nemo sciat; quod præsentem adesse sentiantur: nam cum ambæ virgines in templo deorum Lavinii simul dormirent: ea, quæ minus casta erat, fulmine exanimata, alteram nihil sensit: quod Romani, penates in cultu habeant, quos nisi sacerdoti videre fas nulli sit; qui ideo *Penates* appellantur, quod in penetralibus ædium cœli sedeant; nam et ipsum *penetral*, *penus* dicitur, ut hodie quoque *penus Vestæ claudi*, vel *aperiri* dicitur. *Id.*

*Cum sociis, natoque, Penatibus, et magnis dis*] Duo humana posuit, et duo divina: patris non fit mentio, quia secundum Virgilium ad Italiam non venit. *Idem*.

*Cum sociis, natoque, &c.*] Tacuit patrem, quia jam eum nominaverat. *Donatus*.

*Cum sociis, natoque, Penatibus, et magnis Dis*] In antiquis aliquot codicibus, *gnato* cum *g* ante *n*: prout veteres scriptitasse Victorinus auctor est, et *dis* unico *i*, κατὰ κρδων. Probus tamen mavult *diis* per duas *i* litteras scribi. *Pierius*.

*Penatibus, et magnis Dis*] Varro u-

num esse dicit, *Penates et magnos deos*. Nam et in basi scribebatur, *Magnis diis*. Potest tamen hoc et pro honore dici. Nam et dii magni sunt, Juppiter, Juno, Minerva, Mercurius: qui Romæ colebantur. Penates vero apud Laurum Lavinium. Unde apparet non esse unum. Idem Varro et alii complures *magnos deos* adfirmant simulachra duo virilia, Castoris et Pollucis, in Samothracia ante portum sita, quibus nanfragio liberati vota solvebant. *Servius*.

*Penatibus, et magnis diis*] Coniungunt aliqui hoc argumento, quod Penates dicerentur *θεοὶ πυρδαίοι*. Quamvis hoc sit verum, sed nihil suadet, ut hoc credamus: imo dissuadet Poëta, qui inaniter eandem rem bis diceret. Ergo hic *magni Dii* sunt Juppiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Juno, alique hujusmodi: nam *Æn. II.* 'Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ Numina magna Deum.' Et mox commemorat Neptunum, Junonem, Palladem, aliosque hujusmodi. Eodem traho versum illum, 'Numina magna vocat, meritosque indicit honores.' Item illum *XII.* 'Hoc habet, hæc melior magnis data victima Divis.' Neque enim his verbis ulla necessitas, ut Magnos Deos, id est, Penates, intelligamus. Demum a me contra nonnullos interpretes Turnebus est, qui *xv. 21.* explicans versum, in quo sum, sic ait: '*magnos Deos* a Penatibus diversos facit Maro, etsi multi eosdem censent: sed Penates Dii penetrales videntur fuisse, Dique familiæ: Dii magni illi, qui maximum imperium, et nomen habent, publicæque coluntur, ut Juppiter, Juno.' Quod deinde firmat duplici testimonio Arnobii: 'Non denique Dii magni, aut fugientes se Deos genus omne mortalium territant:' et, 'Hoc ergo Dii magni monuerunt, perpetiuntur, sentiunt:' sic mihi visum de hoc loco: erunt qui confundant cum Macrobio. Non

indigna, quæ audiatur Passeratii Nota in Prop. el. II. 34. Dii magni dicuntur tribus modis. Uno, cum omnes Dii ornantur hoc epitheto: altero, cum Dii majorum gentium intelliguntur, et hi sunt duodecim illi Ennii versibus inclusi: tertio, cum Divi potentes significantur, *θεοὶ μεγάροι*, de quibus ita Varro Ling. Lat. I. IV. 'Ops, et Saturnus, id est, Cælem, et Terra, Dii Magni.' *Corda*.

*Cum sociis, Penatibus, &c.*] *Socios* nominat, quorum tamen Dux orat; quod mire facit ad benevolentiam. Vide *Æn. I.* 'O socii, neque enim ignari,' &c. Cur autem Patrem tacuit? Causam putat Servius, quod is ad Italiam non pervenerit: Donatus, quod Pater modo, ut solverent, imperaverit. Jam de *Penatibus* et *magnis diis* mirifice variant auctores. Consulatis interea Macrobi. Saturn. III. 4. et Alexandr. VI. 4. Turnebus xv. 21. ad hunc locum. *Turnebus*.

13 *Terra procul*] *Procul* est quasi *perre ab oculis*. Unde potest et *antis longe* significare: et *non valde*. Hic tamen, pro *non valde longe*, penitur: brevis est enim Hellesponti transitus. *Servius*.

*Terra procul*] Optime Ignoranti Didoni terram exponit: in qua sitas loci, et incolarum persona, et opportunitas, cum propter propinquitatem laborem longioris itineris levaret: propter fertilitatem indigentibus posset opitulari. Quoniam autem Thracæ amiserant Lycargum regem, videbatur, quod nullus adversarius venientes prohibere posset. Firmabat autem spem religio fœderis, diuturnitate temporis roborata. *Donatus*.

*Procul*] De hac voce vulgus putat tantum esse, longe: non sic est: *procul* idem est, quod *pro oculis*, modo sit longe, modo prope. Servius *Æn. VI.* in illud, 'horrendæque procul secreta Sibyllæ.' sic ait: '*Procul*: haud longe, procul enim est, quod præ oculis est, (mallem diceret, pro oculis,) et quod

porro ab oculis, unde duplicem habet significationem.' Hæc ille: quo loci, ut vides, *procul*, explicat, *haud longe*: et Ecl. vi. ad illud, 'serta procul,' ita ait: 'Modo prope, id est, juxta.' Eodem modo explicat l. x. illud, 'procul ærea ramis Dependet galea,' id est, juxta: et hic etiam ait, *procul* sumi pro *non longe*, quia brevis transitus Hellesponti. Sed firmo hoc aliunde. Liv. l. xl. 'Postero die Perseus, cum primum conveniendi potestas patris fuit, Regiam ingressus perturbato vultu in conspectu patris tacitus procul constitit. Cui cum pater: Satin' salvus? et quænam ea mæstitia esset? interrogaret eum. De lucro tibi, inquit, vivere me scito.' Non potest esse longa loci intercapedo, ubi pater et filius ita facile verba commutant. *Cerda*.

*Vastis*]. Vastatis, et per hoc desertis, aut magnis. *Servius*.

*Vastis colitur Mavortia*, &c.] Maro imitatus Euripidem Thraces gentem Martiam dicit; et campos frumentarios: *vasti enim campi sunt magni campi*: quod arabantur et serebantur, frugiferi intelligi debent, auctore Turnebo xi. 19. Mela, et alii Geographi, eam regionem nec cælo, nec solo lætam, nisi qua mari propior sit, adserunt. Hinc alii *Thraces arant*, simpliciter interpretantur, habitant: alii, *arant*, id est, improbo et assiduo labore exerceant, et ad frugem quasi cogunt. *Taubmann*.

14 *Thraces arant*] Figurata, nam minus est quam. *Servius*.

*Acri*] Sævo et cruento. *Idem*.

*Regnata*] Participium est sine origine verbi. *Idem*.

*Regnata*] Passive, ut Hom. Od. Δ. αὐτὴ περιναυερδόνειν, ἀνδρῶνται δ' ἐμὸν αἰνῶ. *Idem* Virg. regnandam accepit Albam: et Epig. l. vi. ἀπολόβολος Ἡμαθία τοῖς κραίνεσσι ἡγεμόνι: et Eurip. in Supp. οὐ γὰρ ἀρχεται ἐνδὲς ποδὲς ἀνδρῶς, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις: et Ho-

rat. Carm. iii. 'Quid Sereas, et regnata Cyro Bactra parent': ut βασιλεύω, et βασιλεύομαι passive. Et Ovid. Metamorph. viii. 'arva suo quondam regnata parenti.' *German*.

*Lycurgo*] Lycurgus vero, ut alii dicunt, cum indignaretur Liberum ab omnibus gentibus coli, ut primum eum Thraciæ fines cum socio comitatu introiisse cognovit, comprehensas Bacchas ejus flagellis verberavit, ipsum vero insequi, ut occideret, cepit. Sed postquam se Liber fugiens, ut evaderet, præcipitavit in mare, nympha exceptus liberatus est. Lycurgus autem hic filius Dryantis, rex gentis Bistonum fuit: qui, ut habet fabula, dum contemnens Liberum patrem, vites manu sua semper absunderet, immisso a Libero furore, ipse sibi crura succidit. Revera autem abstemius fuit: quos constat acrioris esse naturæ, quod etiam de Demosthene dictum est. *Servius*.

*Regnata Lycurgo*] Sic En. vi. 793. 'regnata per arva Saturno quondam.' Horat. od. ii. 6. 'Regnata Phalanto rura.' Fabulam Lycurgi, qui fuit παῖς Ἀφάρτος, Rex Thraciæ, Divorum et præcipue Bacchi contemptor, homo crudelissimus, de quo Petron. in Satyrico, tradit Apollod. l. iii. Bibl. p. in Edit. Fabri 174. Hyginus Fab. 132. et 242. idem est, de quo Horat. od. ii. 19. Alius est legislator Lacedæmoniorum. *Licurgus* scribendum ex optimis codicibus adstruit Torrentius. Nonnulli retinent quidem y, sed c in g mutant, ut Dausquius in Orthogr. *Emmeness*.

15 *Hospitium antiquum*] Aut carum: aut re vera antiquum. Nam tanta inter ipsos familiaritas fuit, ut Ilione filia Priami, Polymnestori nuberet Thracum regi. *Servius*.

*Antiquum*] In antiquo admodum codice legere est, *anticum*: et ita inferius, *Terra antica*, per e eadem proportionem, qua. *posticum* dicimus. Ait tamen Velius Longus, in uno ex his v

insertum esse: in altero minime, ne quis novam hanc esse quæstionem patet. *Pierius.*

*Sociique Penates*] Vel propter supra dictam conjunctionem Iliones et Polylnnestoris; vel quia cum omni hereditate majorum; diviserant etiam deos penates Dardanus et Iasius fratres; quorum alter Thraciam, alter Phrygiam incoluit occupatam. *Serv.*

16 *Dum fortuna fuit*] Scilicet bona: et simul ostendit fidem cum felicitate deficere. Sane sciendum, quod quotiescunque *fortunam* solam dicimus, felicitatem intelligi. Unde et *fortunatos* tantum felices: et *infelicitates* solos infelices vocamus. *Idem.*

*Dum fortuna fuit*] Gnome pulcherrima. Cum florent opes et fortuna, amici suppetunt; illæ ut fugiant, isti avolant. Jocastra apud Eurip. in Phœniss. rogat Polybioem: φίλοι δὲ πατὴρ, καὶ ξένοι οὐδὲν ἐφέλουν; *Amici vero patris, et hospites te non adjutabant?* Cui ille, ὅθι πρόσσε τὰ φίλων δ' οὐδὲν, ἦντι δυστυχῆ: *Felix sis: officia enim amicorum nulla erunt, si infelix fueris.* De his Lucian. in Dial. Mort. ἀρχῆς ὄντες φίλοι, καὶ πρὸς τὸν καιρὸν ἀποβλέποντες: *amici imperii, et temporis sorrientes.* Et in Misanthropo socios vocat, ἐνὶ τῆς τραπέζης μόνον: *tantum ad mensam.* Horat. od. i. 35. 'diffugiunt cadis Cum sæce siccatis amici Ferre jugum pariter dolosi.' Paterculus l. ii. 'Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? Nazianzenus epist. ad Amphilochoium advocat versus istos Theognidis: Πολλοὶ πὰρ κρητῆρι φίλοι γίγνονται ἑταῖροι, Ἐν δὲ σπουδαίῳ πρᾶγματι παννύχτεροι: *Ad calices multi sese prostentur amici, Rebus at in dubiis rarus amicus erit.* Petron. in Fragm. 'Cum fortuna manet, vultum servatis amici: Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.' Lucan. Civ. viii. 'Nulla fides unquam miseros elegit amicos.' Tritum Ovidianum, 'Si fueris felix,' &c. *Cerda.*

*Feror*] Nam non suo consilio venit. *Donatus.*

*Litore curco*] Perpetuum epitheton litorum est. Nam quod in sexto ait, 'Tunc se ad Cajetæ recto fert litore portum:' significat eum ita navigasse, ut non liqueret litus. *Servius.*

17 *Prima loco*] Quia apud Cretam alia fecit. Modo autem *Ænum* significat: ut Sallustius, 'Ænum et Maroneam: viamque militarem.' Quamquam Homerus dicat inde auxilia ad Trojam venisse. Ergo jam fuerat: Euphorion, et Callimachus hoc dicunt etiam, quod 'Ænum dicatur a socio Ulyssis, illic sepulto, eo tempore, quo missus est ad frumenta portanda.' *Idem.*

*Fatis iniquis*] Bene, quid sit futurum, præoccupat. *Idem.*

*Fatis iniquis*] Hoc exitus rerum, non initia docuerunt. *Donatus.*

18 *Æneadas*] Ecce nec Virgilius *Ænum* dicit. *Æneadas* autem hic secundum accusativum nomen derivatum, aliter juxta nominativum. *Serv.*

*Æneadasque meo nomen de nomine fingo*] Adnotat Servius *Æneadas* non *Ænos* a Virgilio dictum, quippe quod constet *Ænum* ante Trojana bella celebrem fuisse urbem. Homerusque Il. Δ. ductorem Thracum ex *Æno* venisse dicit, ὃς ἔρ' ἀνέθεν εἰληλοῦσθαι. Is vero forte ad sua tempora respexit. Quod et Virgilius eo loco fecit, 'Portusque require Velinos.' Nam Plinius omnino *Ænos oppidum* Thraciæ memorat: ubi Polydori tumulus, et ab *Ænea* conditum, cui sacrificium quotannis, ut conditori fieret, etiam apud Livium legas his verbis ex antiquo codice desumptis: 'Proficiscuntur ab Thessalonica *Ænum* ad statum sacrificium, quod *Æneæ* conditori cum magna cerimonia quotannis faciunt.' *Pierius.*

*Æneadas*] Ne repetam, quæ Pierius elucidavit, nomino duntaxat Turneb. xvii. 6. ubi quod oppidum *Ænean*, Græce ἀνεῖαν (non autem *Ænum*)

*Æneas* condiderit, exserit; quod male etiam *Hæmus* a Solino, expungente hoc mendam; asserente verum nomen in Plin. exerc. Salmasio p. 161. *Emmeness.*

19 *Sacra Dionæ matri*] Veneri, a matre Dione secundum Homerum. Et bene dispensat, ut si adversa navigatio sequatur, Dionæam Venerem dicat, ut hoc loco: si prospera, de mari eam dicat esse procreatam; ut, 'Unde genus ducit.' Hæc autem, in quantum potest, reservat. *Servius.*

*Sacra*] Primo invocabam auxilium maternum, deinde aliorum deorum, qui auspicio novorum fundamentorum essent necessarii. *Donatus.*

*Sacra Dionæ matri*] Id, quod Deorum est, *sacrum* dicitur, distinguente Trebatio apud Macrobi. Saturn. iii. 3. inter *sacrum, sanctum, et religiosum*. De Dionæa Venere dictum Ecl. ix. 47. *Emmeness.*

20 *Auspiciis captorum operum*] Jovi, qui arcis deus est: Apollini, propter anguria: Libero, quasi causa libertatis. Nam dii alii si invocentur, ad privatam pertinent causam. Unde de Didone legimus, 'Junoni ante omnes cui vincla jugalia curæ,' propter nuptias: quamvis enim reipublicæ utilitas simularetur, erat tamen specialis causa Didonis. Similiter et hic *Æneas* sacrificat Veneri. Quod autem de Libero diximus, hæc causa est: ut signum sit liberæ civitatis. Nam apud majores aut stipendiariæ erant, aut fœderatæ, aut liberæ. Sed in liberis civitatibus simulachrum Marsyæ erat, qui in tutela Liberi patris est. Sed *auspicia* omnium rerum sunt; *auguria* certarum: *auspiciis* enim cuius, etiam peregre licet; *augurium agere*, nisi in patriis sedibus non licet. Peritissime ergo Virgilius veteris consuetudinis meminit, cum facit *Æneam*, quia peregre, id est, in Thracia agit, *auspiciantem*, id est, 'Auspiciis captorum operum.' *Sero.*

*Nitentem*] *Nitescere* dicantur, quorum

cutia, corpore bona fide facto et extenso, splendet; qui splendor proprie *nitor*, ut Ter. E. ii. 2. 11. Phœdr. f. iii. 8. Canis ad Lapum: 'unde sic quæso nites:' unde *nitidus* pro probe saginato. Horat. epist. i. 4. 'Me pinguem et nitidum bene curata cute visces.' Sic Turneb. iv. 22. *nitentem* interpretatur *opimum*: et noster ad agros transtulit G. i. 153. 'inter nitentia culta.' *Emmeness.*

21 *Maclabam in littore taurum*] Contra rationem, Jovi taurum sacrificat: adeo ut hinc putetur subsecutum esse prodigium. Ubique enim Jovi juvenecum legimus immolatam; ut, 'Statuam ante aras aurata fronte juvenecum, Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.' Item Juvenalis, 'Qui vexat nascendi fœdera cornu.' Nam in victimis etiam ætas est consideranda. *Servius.*

*Taurum*] Cur *taurum*? cum Jovi tauro, verre, et ariete immolari non licuerit, sed tantum juveneco. Respondetur: Poëta non ignorantia, sed, ut monstro locum faceret secutaro, argute fecit hostiam contrariam. Nam et Deo non litatum esse ostendit; ideo secutum 'Horrendum dictu,' &c. Videatur Macrobius Saturnal. iii. 10. *Tausman.*

22 *Forte fuit juxta tumulus*] Excusat dicendo *forte fuit*, quod juxta eum locum sacrificaverit: *tumulus* autem dicendo, uno sermone, et collem et sepulchrum fuisse significat. Potest enim *tumulus* et sine sepulchro, interpretatione collis interdum accipi. Nam et terræ congestio super ossa, *tumulus* dicitur. Sane apparatus mortuorum *fusus* dici solet; extractio lignorum *rogus*; subjectio ignis *pyra*; crematio cadaveris *burnum*; locus *ustrina*; operis extractio *sepulchrum*; nomen inscriptum *monumentum*. *Servius.*

*Quo summo*] In quo summo. *Idem.*

*Cornea Virgulta et myrtus*] Bene legit, *hastis apta virgulta*. Nam legi-

mus, 'Et bona bello Cornus.' Et alibi, 'ac myrtus validis hastilibus.' Ergo si telis fuerat confixus, merito illic hæc coaluere virgulta. *Cornus* autem declinatur ut *ſcus*, si arbor sit. Nam *cornu* animalis, indeclinabile est: licet genitivum usurparit *Lucanus*: ut 'Cornus tibi cura sinistri *Leontule*.' Sic *Cicero* in *Arato*, 'Hujus *gebus*:' pro genu. *Idem*.

23 *Virgulta*] Copiose *virgulta*, *hastilia*, *siloam*, *ramos*, *arborem*, *vimen*, *corticem*, *stipitem*, *segetem*, *jacula*. *Id.*

*Horrida myrtus*] *Horrida* ad lœci faciem retulit, non ad arboris naturam: vel certe umbrosam. *Idem*.

*Myrtus*] Sane de myrto fabula talis est. Hæc *Myrtus* ex fama de plebe antiquorum nata, Græco vocabulo *Myrene* vocitata est, forma pulcherrima: hanc cum quidam popularium dives et nobilis adamasset, a parentibus ejus postulavit uxorem. Interea latrones urbem occupaverunt, quam cum depopulantur, *Myrenem*, fratribus ejus occisis, captivam duxerunt, et in latebris condiderunt, donec alia loca vastarent. Sed hæc *Myrene*, inventa occasione, fugit, et ad cives reversa est. Gratulati cives, eam sacerdotem *Veneris* esse jusserunt; quæ cum sacra celebraret, unum de latronibus, per quos abrepta fuerat, in plebe cognovit, eumque comprehensum in medium vulgus extraxit. Latro penis adactus, omnia, quæ intendeantur, confessus est, socios quoque abinam essent prodidit. Sed juvenis qui eam ante amaverat et petierat sibi conjugem, ad investigandos latrones sibi negotium depoposcit; quos cum inventos cepisset et præmium posceret, data ei potestas est a populo, ut virginem, quam amaverat, in matrimonium duceret: ob quam rem irata *Venus*, illum mori fecit; virginem autem in *myrtum* arborem vertit, eique, quod sacerdos fuisset, præstitit, ut perpetuo, et omni odore gauderet. *Idem*.

*Densis hastilibus horrida myrtus*] *Myrtum* etiam sepulcralem fuisse constat ex hoc loco, et *Theophrasti*: qui auctor est primo visam in tumultu *Elpenoris* socii *Ulyssis*: et illo in *Calice*: 'myrtus veteris non nescia fuit:' ubi alludit Poëta ad *myrtum* in *Veliterno* conspicuæ magnitudinis ab *Africano* satam, non ita procul a specu quodam, ubi draco manibus *Scipionis* servandis præfectus dicebatur. *Germ.*

*Myrtus*] De utraque arbore idem testatur *Ge. II. 447*. 'At *myrtus* validis hastilibus et bona bello *Cornus*.' Vide etiam *Turn. XXIII. 22*. præter alia *virgulta myrtum* veteres Græci tumulis imponebant, eodem notante hanc consuetudinem *IV. 22. Emmen.*

24 *Accessi*] Non ad *cornum*, sed ad *myrtum*, quæ inter verbenas est. Et bene *metri* sacrificaturus aras coronat ex myrto. *Servius*.

*Siloam*] Sicut dictum est, bene variat, ut nunc *siloam*, nunc *vimina*, nunc *virgulta*, nunc *arborem* dicat. *Id.*

25 *Ramis tegerem*] Excusatio a voluntate. *Idem*.

*Ramis tegerem ut frondentibus aras*] Antiqui exornant aras fronde aliqua felici, quam verbenam appellabant, de qua *Turneb. XXI. 21. vide Notas ad ecl. VIII. 65. Emmen.*

26 *Mirabile*] In codicibus aliquot manu scriptis, *miserabile* legitur. Sed *mirabile* id fuisse *Ti. Donatus* ait, quod sanguis ex ligno flueret. *Pier.*

*Monstrum*] Bene *monstrum*: nam statim quid esset apparuit: et hoc proprietatis est: abusione tamen plerumque corrumpitur. *Servius*.

27 *Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbor Vellitur, huic atro liquantur sanguine guttæ*] In antiquo admodum codice scriptum erat, *namque ubi prima*: et pro *huic atro*: hinc atro, ut adverbium adverbio responderet: recenti vero emendatione repositum id, quod in vulgaris habetur exemplaribus. Pro *liquantur* autem sunt vetera exemplaria, quæ *linquantur*

habent. Sed enim *liquuntur* magis omnino placet, quod etiam agnoscit Servius. *Pierius*.

28 *Atro*] Hic pro corrupto sanguine. *Servius*.

*Atro*] Sic Grat. Cyneg. vs. 353. 'atroque cadant cum sanguine fibræ.' Græci μέλαν αἷμα. Vide Vlitium legentem pro utro recte *atro*. Emmen.

*Liquuntur*] *Li* in verbo producitur, ut hoc loco. In nomine vero corrigitur, ut *liquor*. *Servius*.

*Liquuntur sanguine guttæ*] Non. Marcellus supra l. ii. Georg. eo loco: 'Huc summis liquuntur rupibus amnes:' et hoc quoque, *liquuntur* legit; ubi *linquere*, inquit, defluere est. *Germanus*.

29 *Tabo*] Corrupto sanguine. *Serv.*

*Et terram tabo maculant*] Præclare: nam cum allusione ad atrum sanguinem; ater enim cruor ex corruptione, et pulvere, proprie est tabidus. Quod Virg. *maculant*, Lucret. l. iii. 'Terram conspergere tabo.' *Cerda*.

*Tabo*] Cur *tabo* potius, quam *tebe*, quo contentus fuit Ovidius? querit Scalig. Poët. iv. 16. *Taubmann*.

30 *Membra quatit*] Causa pendet ex causa. Nam timor sanguinem gelat, qui coactus frigus gignit. *Serv.*

*Gelidusque coit*] Physice loquitur et rationabiliter, nam hiuc et pallor nascitur, cum se ad præcordia fugiens contrahit sanguis. *Idem*.

*Gelidusque coit formidine sanguis*] Sic et Æschyl. in ἐντὶ κακῶν μου κραδίᾳ τι περὶ...περὶ κῆρος: nimirum propter abscessum, et constipationem spirituum cum sanguine, ut sit per contrariam passionem dilatatio, eorundemque diffusio: τὰ γὰρ λυπηρὰ καὶ ἡδέα auctore Aristot. πάντα σχεδὸν μεταβιβάσκει τινος, καὶ θερμότητος. *Germ.*

31 *Lentum vimen*] Molle et flexuosum. Unde et qui incurvi sunt per senectutem dicimus *rietos*. *Serv.*

*Lentum vimen*] Ad hunc locum consule Rob. Tit. l. iii. *Emmenesa*.

32 *Tentare latentes*] Miraculum enim est ex arbore sanguinem fluere. *Servius*.

33 *Ater et alterius*] In codicibus antiquis plerisque, *alter* non *ater* habetur. Animadverti vero in aliquot exemplaribus, l litteram abrasam esse, in aliquot additam aliena *manu*, ut in Mediceo discernitur. *Pierius*.

34 *Multa movens*] Non dicit quæ, sed ex sequentibus intelligimus. Cogitabam, inquit, ne forte bellum immineret, quod sanguinem vidissem; ne lucum Nympharum violassem; ne forte sanguis ex Nymphis esset. Hamadryades namque cum arboribus et nascuntur et pereunt. Unde plerunque, cæsa arbore, sanguis emanat. Nam Ovidius ait, quæ Eriichton arborem incidere, primo sanguis effluxit: post ubi latus secutus est. Inde Statius, 'Nec amplexæ dimittunt robora Nymphæ.' Item: Cogitabam ne forte ex terra Martis iure sanguis efflueret: nam quod dicit hæc se veneratum esse numina, illas constat præcessisse cogitationes. *Servius*.

*Venerabar*] Id est, precabar, orabam. Vide Lambinum ad Horat. Sat. i. 2. *Emmenesa*.

35 *Gradiumque patrem*] *Gradium*, exilientem in prælia: quod in bellatibus sit, necesse est. Aut gravem deum patrem: aut ideo, quia apud Pontifices, Mars pater dicitur. Alii *gradium*, quod gradum inferant, qui pugnant: aut quod impigre gradiantur. Alii *gradium*, quia nunquam equester, a *gradu* dictum, quod huc et illuc gradiatur; unde Martem communem dici. Nonnulli eundem Solem et Vulcanum dicant: sed Vulcanum generis esse omnis principem; Martem vero Romani tantum stirpis auctorem. *Servius*.

*Geticis*] Thraciis. Getæ autem populi sunt Mysie: quæ quia lata est, multas continet gentes. *Idem*.

*Geticia qui præsidet arcis*] *Getica*

arva Thraciæ interpretatur Turnebus, cuius partem Getæ olim tenuerunt ex Thucydide. Sæpe autem a Poëta dicitur Martia Thracia, et 'Rhesi Mavortia tellus:' ut et Eurip. in Hecub. sub persona Polymestoris, ἡ θρηάκης λογχοφόρον, ἐνοπλον, εὐκταον, ἀρεὶ πάτοχον γένος. Quos autem locis præsidere deos Latini dicunt, Græci προστάτην τοὺς θεούς, et προστάτας. Germanus.

Geticis, &c.] Val. Flac. Arg. v. 'Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris.' Et Claudian. Pan. in Probum, Probin. et Olib. fratres: 'Qualis lethifera populatus cæde Gelonos Procubat horrendus Getico Gradivus in antro.' Stat. Theb. iii. 'Gradivum acciri propere jubet, ille furentes Bistonas, et Geticas populatus cædibus urbes.' *Cerda.*

Geticis qui præsidet arvis] Id est, Thraciis arvis, cuius partem olim tenuerunt Getæ: ut scribit Thucyd. l. ii. Videatur Turneb. iv. 22. sed cur potissimum *Nymphas* et *Martem* rogabat, ut visa prosperarent, omenque bonum ac leve facerent? Quia cogitabat, an forte sanguis esset Hamadryadum Nympharum, quæ cum arboribus nasci et mori credebantur, an vitium esset regionis a Marte sanguinario habitatæ. *Visus* autem dixit pro *visa*: ut Livius l. i. 'Hoc velut domestico exterritus visu.' *Taubm.*

36 *Rite secundarent*] Recte prospere facerent. *Servius.*

*Visus*] Pro *visa* posnit. Tunc enim masculino utimur genere, cum de his loquimur, quibus videmus: ut si dicas, 'Nubecula obest visibus meis.' Si autem neutro utamur, ea, quæ videntur, significamus: ut si hoc loco diceret, *Rite secundarent visa*: quod propter metrum non potuit. *Idem.*

*Secundarent visus*] Præclare. Post primum infaustum malumque omen, petebant veteres, ut secundum esset, non alterum: explicatius: si sequens omen faustum esset, secundum dice-

batur; si adversum, alterum. Itaque omen secundum proprie est, omen felix post malum: sed, omen alterum, erit, post malum omen malum alterum. Inde adjectivum *secundus*, et verbum, *secundo*, *as*, traducta ad felicitatem signandam. Ergo, petit Æneas, ut visus secundentur, id est, felices sint: sic l. vii. 'Dii nostra incepta secundent.' Et Seneca in Furente: 'Votum secundet, qui potest, nostrum Deus, Rebusque lassis adsit.' *Cerda.*

*Omenque levarent*] Bonum ac leve facerent. Id est, in bonum converterent. *Servius.*

37 *Tertia sed postquam majore hastilia nisu Adgredior*] *Nisu* unico scribi placere Valerio Probo, qui nomen appellativum *nissus*, nihil differre ait scriptione a nomine proprio *Nissus*, et plura ita exemplaria vetusta convenire dictum. Majoris illud momenti, quod Sosipater Carisius, ubi de adverbii per ordinem agit, verum hunc citans agnoscit *tertio* adverbium. Cujus ut stet sententia, vel Creticus Heroico condonandus, vel manifesta Synizesis admittenda. Vel o, breve fuerit ea ratione quod ajunt Grammatici, o finalem sæpe corripitur, quando in adverbium transeat, ut, *cito, sero, modo*. Statius: 'Sero memor thalami.' Martial. 'Accipe quomodo das.' Sed enim vix tanti fuerint Grammatici veteres, ut *tertia hastilia* cuiquam displicere possit. Sit sane locus adverbii, ut *tertia* pro *tertio* positum sit: nomen pro adverbio positum sæpe apud auctores omnes reperimus. *Pierius.*

*Nissu*] Ea voce etiam utitur Horat. od. iv. 4. 'insolitos docnere nissus:' de avibus dici monet illic Torrent. utrumque tamen *nissus* et *nixus* probat Dansq. in orthograph. *Emmeness.*

38 *Obtuctor*] Acrius nitentem ostendit. *Servius.*

*Genibusque adversæ obtuctor arenæ*] Hunc aetum Græci ἐγκοκῶν dicunt,



conatu a genuum nisu deducto : quamvis aliis dñs rñs *kovlas* vel *kovlōs* : quod propterant pulvere pedes inficiant : unde et *kovlas* et *kovlōdes*, et *γυννερειν* Græci *ingeniculari* dicunt : et *ἑρπυραϊς* signum in cælo, *Ingeniculus* astronomis, hoc est, *Hercules* qui dextro genu nixus, sinistro pede capitis draconis dextram partem opprimere conatur. Græci item *ἀροππεϊσθαι*, quod *Apulejus* ‘*appropinare in genas.*’ *Germanus*.

39 *Eloquar an sileam*] Parenthesis ad miraculum posita. Quæ magnitudinem monstri ostendit, et bene auditorem adtentum vult facere. *Serv.*

*Gemitus lacrimabilis*] Potest enim esse etiam irascentis. Et *lacrimabilis* cum lacrimis, an dignus lacrimis. *Idem*.

*Gemitus*] Moraliter primo gemitus, deinde voces auditæ sunt. *Donatus*.

*Imo auditur tumultu*] Ex imo tumultu, ut longe vox cum quodam defectu sonans, auditu ipso miserabilior videtur. *Servius*.

*Auditur*] Vetus codex habet *auditus*. *Idem*.

40 *Vox reddita*] Pro data. Redditur enim quicquid ad nos per alterum transit, quamquam hic etiam hoc possit intelligi : nam ad eum vox missa per tumultum est. *Servius*.

41 *Quid miserum, Æneas*] Artificiosa res : si enim *Æneas* loqueretur, diceret *foei*, et absoluta qualitate sese defenderet, quia nescius fecerat : sed *Poëta* eum inducit defensorem, qui accusator esse debuit. Ideoque acerbiter latius extendit, et ex uno crimine multa posse exoriri evidenter ostendit : sed instruit, et non arguit. Primum crimen est, sepulchrum violatum : et hoc ratione loci, temporis, et personarum. Addit miseriam, quæ sublevatione et non oppressione digna est. *Donatus*.

*Ænea*] Ex nomine proprio apparet, notum cum noto loqui. *Idem*.

*Laceras*] Per membra discindis.

Nam *lacerare* est sæpius vulnerare. *Servius*.

*Parce*] Id est, *parce tibi* : vel sepulto *parce*, cui vivo nemo pepercit. *Idem*.

*Sepulto*] Modo mortuo vel jacenti significat. Nam *sepultus* est quasi sine pulsu. Non enim hunc sepultum possumus dicere, cujus sepultura non sit rite perfecta, sed fortuita est obrutus terra. *Idem*.

*Jam parce sepulto*] Lex erat xii. tab. ‘*Defuncti injuria ne afficiantur : deorum manium jura sancta sunt.*’ Ex *Solonis* sanctionibus, ‘*Ne in vita defunctos convitia jaciuntur ; ne quis sepulchra deleat, aut violet etiam,*’ &c. Violatoribus sepulchrorum supplicia erant proposita ex *Panli I. C.* sententia : humilioribus, capitis molestatio : honestioribus, in insulam deportatio, relegatio, aut in metallum damnatio. *Pontas*.

*Sepulto*] Sunt codices antiqui, ubi *sepulcro* legatur. Quam lectionem *Th. Donatus* agnoscit, nisi ter eadem pagina eodem verbo peccatum est. *Pierius*.

42 *Pias*] Bene etiam ille, qui laeditur, excusat *Æneam* : quod pietatis grande testimonium est. *Pias* autem propter *Penates* de excidio liberatos, aut quia sacrificabat. *Servius*.

*Parce pias manus*] Cur *parce*, si jam patrata res fuerat? Quia quod ignorans fecerat, merebatur veniam. Non autem mereretur, quod deinde esset factururus. Sic : ‘*Si mihi parceas, te crimine solves.*’ *Donatus*.

*Scelerare*] Polluere : nomen tamen fecit sine verbi origine, non enim dicitur *scelero*. *Servius*.

*Parce pias scelerare manus*] Hunc versum omnino vertisse videtur *Epigr. Græc. 4. in Medeam* : ἀμαρτι μὴ χροῦσαι φειδόμενος παλῶμαι ut supra, ‘*natorum sanguine matrem Commaculare manus.*’ *Germanus*.

*Non me tibi Troja*] Peccares enim in hominem, in miserum, in defunc-

tum, in civem, in tuum. Ergo, non tulit me tibi Troja externum, id est, non solum civem, sed affinem: frater enim Crēuse erat. *Donatus.*

43 *Externum tulit*] Ordo est, Trōja me tibi tulit, et bene *tulit*, hoc est educavit: non *externum*; nam et civis Æneæ fuerat et cognatus. Et cito se et Trojanum esse, et adfinem ostendit. *Servius.*

*Externum tulit*] Sunt codices nonnulli, in quibus *extremum* scriptum est. Sed enim Servius cur *externum* legendum sit, rationem adjicit, Polydorum civem et cognatum Æneæ fuisse. Eadem apud Livium sententia, ubi Scipio milites ad Ilergetum excidium ferociter accendit: 'Non enim eos, ait, esse neque natos in eadem terra, nec ulla secum societate conjunctos.' Et eruditus ille vir qui Virgilium in aedibus Aldi tertio editum emendavit, in recognitione, *externum* subjecit. Quæ dicta volui, quia nonnullos esse scio, qui lectionem *extremum* ament, referrique ad nobilitatem generis dicant, clamante scilicet Polydoro, se non extremo loco natum, quo debeat ita contemptui et injuriæ expositus esse: quod ridiculum est. *Pierius.*

*Externum*] Civi opponitur *externus*, ut apud Stat. Theb. l. i. 'quæ causa furoris Externi juvenes? neque enim meus audeat istas Civis in usque manus.' *Parce accelerare*, pro noli: vide N. Ecl. iii. 94. *Emmeneus.*

*Aut*] In antiquis aliquot codicibus, *haud* legitur puncto firmo præfixo. In multis vero obaerves aspirationem abrasam. Quo quidem loco *aut*, pro *neque* positum ait Priscianus, de constructione. *Pierius.*

*Aut cruor hic de stipite manas*] Mire, quasi ostendens cruorem suum de stipite. De ligno ait; nam *stipes* yere est lignum sectum siccum. *Servius.*

*De stipite manas*] Personarum et temporis posuerat partes, nunc ponit loci. *Donatus.*

Delph. et Var. Clas.

44 *Crudelis terras*] Id est, crudellum et avarorum. Ex moribus enim cultorum, terræ laudantur vel vituperantur: ut, 'Devenere locos lætos.' *Servius.*

*Crudelis terras*] Demonstrat hoc esse vitium terræ parentis, ut per hoc omnes eodem vitio laborare significaret. Ergo et ab aliis poterat eandem injuriam expectare, atque etiam si tutus permansisset, pium inter impios versari. *Donatus.*

*Fuge, fuge*] Ex duplicatione verbi, necessitatem ostendit fugiendi. *Idem.*

45 *Polydorus ego*] Sive *ego* distinguas: sive *ego hic*: subaudias *sum* necesse est. Et quasi *δευτικῶς*, id est, Polydorus sum, non stipes. *Servius.*

46 *Telorum seges*] Multitudo. Plautus Aulularia, 'Stimulorum seges.' Sane putatur non verisimile jaculis coniectis puerum occisum; nam repugnat cum illo, 'Polydorum obtruncat:' nam emisisse radices jacula mirum est, nisi monstruosum ait. *Idem.*

*Telorum seges*] Per segetem telorum, silvam innuit densissimam, non aliter ac Catullus plurima oscula cum dixit: Non si densior aridis aristas Sit nostræ seges osculationis.' Ita in Æn. vii. 'atraque late Horrescit strictis seges ensibus:' in xii. strictisque seges mucronibus horret Ferrea.' Quibus et aliis locis multitudo signatur. *Cerda.*

*Increvit*] Reviruit. Traxit autem hoc de historia Romana. Nam Romulus, capto augurio, hastam de Aventino monte in Palatinum jecit: quæ fixa fronduit. *Servius.*

*Increvit*] In codicibus aliquot antiquis, *implecit* habetur: paraphrasi etiam adjecta, *abundavit*. Ti. Donatus, ut in integris ejus commentariis habetur, verbum id exponit, *crebro percussit*; accipiendumque esse, ut non remanserit locus immunis a vulnere: et paulo superius dixerat ad illius funus accumulato ferro multitudinem sævam confluisse. Tu quæ Servius

Virg.

8 C

de hasta Romuli dicat, videris. *Pier.*

*Incipit*] Id est, reviruit. Maro ab Euripide, in Hecuba: cum noster dicat Polydorum jaculis confossum; ille autem ab educatore Polymestore clam cæsum, et in mare projectum fuisse. Videatur Turneb. xi. 19. item Ovidius Met. xiii. 5. *Taubmann.*

47 *Tum vero*] Quia supra dixerat: 'Mibi frigidus horror membra quatit.' Nam ad illum horrorem, qui fuit ex sanguine, accedens vox lamentabilis Polydori mentem in hebetudinem convertit, et vox in silentium transit. *Donatus.*

*Verò*] Adfirmative. *Servius.*

*Accipiti*] Duplici, quod et sanguinem viderat, vel accipiti formidine, una quod sepulchrum læserat; altera quod metuere cœperat læsum ipsam. *Idem.*

48 *Obstupui, steteruntque comæ*] In antiquis aliquot codd. legere est, *obstupui steterantque*. Sed enim *steterant* et receptum est a doctis viris, et agnoscitur a Valerio Probo. De syllaba vero, quæ pene ultimam præcedit, in *obstupui*, satis alibi dictum, ne toties eadem repetamus. *Pierius.*

49 *Hanc Polydorum auri*] Licet de Polydoro superius sit relatam, tamen propter varietatem rei necesse est repeti. Priamus cum videret longa obsidione res suas in ultimo constitutas, filium parvulum Polydorum, Polymestori, regi Thraciæ, genero suo per Ilionam filiam, cum magno auri pondere nutriendum commendavit; qui victa Treja, auri cupiditate impulsus, Polydorum obrutum telis occidit. *Servius.*

*Hunc*] Ea ratione misit Priamus, ut cum se in summis periculis cerne- ret, saltem posteritas sua in hoc filio remaneret, et auri vim magnam dedit, ut esset, quo viveret: et ex se natu- ram Polymestoris conjectans, tutum filium apud veterem amicum credidit. Infelix ergo, qui dum filium in tuto collocare putat, eum perdidit. Ergo

Priamus nec incautus, nec imprudens, nec in filii causa indiligens fuisse demonstratur. Dederat enim vicino, affini, amico veteri: dederat cum divitiis, dederat regi. *Donatus.*

50 *Infelix*] Aut qui jam infelix esse cœperat: aut eui etiam provisa nocuerunt. Aut *infelix*, quia superstes liberis fuit; aut quia illi perfidus non ab hostibus tantum est. *Servius.*

*Furtim*] Ne Græci acirent. *Idem.*

*Mandarat*] Aphæresis est, sive dixeris *commendarat*, sive *amandarat*. Et *mandarat* est amoris; *amandarat* vero odii est; et *amandare* est sub specie legationis aliquem relegere. *Idem.*

*Furtim mandarat alendum*] Eurip. superiori exemplo *δραστήριον* ut et Sophocli, *δραστήριον*. *Germanus.*

51 *Threicio regi*] Auxit ex provincia crudelitatem, ex qua fuerant Diomedes, qui equos habebat qui humanis carnibus vesciebantur; Lycurgus, ob injuriam Liberi patris punitus; Tereus, qui Philomelæ sorori uxoria, post inlatum stuprum, linguam abscidit. *Threicio* autem pro *Thracio*, ut supra pro *Thracia*, *Thracissæ*. Nam solutio est Ionicæ lingvæ. Cum enim sit *θραξ*, Iones dicunt *θραξ*: cujus solutio facit *Threicius*, vel *Thracissæ*. *Servius.*

52 *Cingique urbem obsidione videret*] Inter ipsa principia obsidionis, nam postea jam minime poterat. *Idem.*

*Obsidione*] Et neutro genere utitur Ennius, teste Non. Marc. 'cum sup obsidio magnus Titanum premebat.' *Emmeness.*

53 *Ille, ut opes fractas, et Fortunam*] Bene utrunque innoxuit, sæpe enim alterum sine altero valet, aut opes, aut fortuna. *Servius.*

*Ille, ut*] Vel postquam, vel tantum quod: vel deest *statim*, ut sit, *Ille statim ut*. *Idem.*

*Ille*] Scilicet qui speraretur humanus, cujus fidei commissus fuerat, qui dives, qui ex plurimis delectus, qui susceperat innocentem amici filium:

notatur hic persona scilicet avara. Item locus. Nam mare interpositum erat, inter se et Trojam. Item tempus, scilicet, in quo perierat imperium, ut non timeret ultionem. Ostendit præterea Poëta in rebus adversis, ne amicis quidem fidendum. Damnat avaritiam, tanquam quæ ad omnia scelera impellat. *Donatus.*

*Ille, ut opes fractæ, &c.]* Revoca, quæ supra ad illud, *Dum fortuna fuit*, et adde ista Clementis Alex. Strom. vi. 1, ex Theognide, et Euripide, quorum prior, Οὐκ ἔστιν φεύγοντι φίλος, καὶ πιστὸς ἑταῖρος: Exulanti nullus est amicus, et fidus socius. Posterior, πεινῶντα φεύγει πᾶς τις ἐκ ποδῶν φίλος: *Procul fugit quisvis amicus pauperem.* Item illud Epigr. Græc. Πάντα τύχης τε βροαῖς συµμεταβαλλόμενα: Omnia commutantur ad momentum fortune. Cæsar quoque Civ. ii. de Varrone dixit: 'se quoque ad motum fortune movere cæpit. Faciunt ad rem Ovidii versus Met. xiiii. de eadem hac historia: 'Ut cecidit fortuna Phrygum, capit impius enses Rex Thracum, juguloque sui demisit alumni.' *Cerda.*

*Fortuna]* Melior scilicet. *Servius.*

*Teucrum et fortuna recessit]* In codicibus aliquot antiquis, non habetur et copulativa particula, quæ quidem non si læsione tam numeri quam elegantie judicio meo ex hoc versu detrahi potest. *Pierius.*

*Et fortuna recessit]* Cæsar quoque de Varrone. bel. civ. l. ii. 'se quoque ad motum fortuna movere cæpit: imitacione, credo, illius in Troad. Eurip. εἰς τὴν τύχην δ' ὁρῶσα. τοῦτ' ἔσκες, ὅπως ἔσσοι ἐν αὐτῇ' et Epigr. Gr. πάντα τύχης τε βροαῖς συµμεταβαλλόμενα. *Germ.*

*54 Res Agamemnonius]* Hoc est, imperium, vel partes Agamemnonis. *Servius.*

*Victoria]* Omnia nomina a verbo venientia, cum in ore exeunt, masculina sunt, ut victor; cum in friz, feminina sunt, ut victrix. Neutra vero

non faciunt, nisi autem ex numero plurali. Unde est *victoria*. *Idem.*

*55 Fas omne]* Et cognationis, et juris hospitii. *Idem.*

*Obtruncat]* Pro occidit. Nam obtruncare, proprie est capite cadere. *Id.* *56 Vi]* Violentia. *Idem.*

*Potitur]* Verbum de his est, quæ permiscet conjugationes: cum enim sit tertiæ, infinitum modum a quarta facit, ut potiri. *Idem.*

*Quid non mortalia pectora cogis]* Ad quod flagitium homines non compellis, detestandi auri cupiditas? *Idem.*

*57 Auri sacra fames]* Sacra, execrabilia. Alii sacra devota accipiunt, unde et ver sacrum. Alii sacrum pro sceleratum, vel sacrilegum. Tractus est autem sermo ex more Gallorum: nam Massilienses, quotiens pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis et purioribus cibis. Hic postea ornatus verbenis et vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis, et sic projiciebatur. Hoc autem in Petronio lectum est. Sane sciendum latenter Æneam hoc agere, ut Trojanos Didoni ex infelicitatis similitudine commendet. Nam et ejus marito frater, auri causa intulit necem. *Serv.*

*Quid non, &c.]* Inter sententias Maronianas numerat hanc Macrobi. Satyr. v. 16. Sic Stat. Thebaid l. ii. 'Sacro præculta supervenit auro,' pro execrabili. Pers. in Prol. 'dolosi spei auri' nominat. Juvenal. Satyr. xiv. 173. 'Inde fere scelerum causas, nec plura venena miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullam Humanæ mentis vitium, quam sæva cupido Immodici census,' &c. De hac apostrophe vide Quint. ix. 2. et 3. Scal. xiii. 16. Cæli. Rhod. xx. 23. *Emmeness.*

*58 Proceres]* Qui processerunt ante alios. *Servius.*

*Primumque parentem]* Bene primum,

id est, ante proceres. *Idem.*

*Primumque parentem*] Vetera quædam exemplaria, *parentum* legunt: hoc est primum ex patribus, aut ex senioribus. Sed *parentem* magis omnino placet. *Pierius.*

59 *Monstra Deum*] Quæ ostenderant: et modo mala: nam medium est, quia interdum dicuntur et bona. *Servius.*

60 *Omnibus idem animus*] *Idem* plus est quam si diceret *similis*. Est unus animus, aut idem consilium, et hoc juxta disciplinam auguralem dixit, quæ appellatur consensio; sicut in libro secundo dictum est. *Idem.*

*Idem*] Solet decerni, quod majori parti placet; sed hic tam manifestum scelus fuit, ut omnes fugiendum censerent inde, ubi per scelus fuerat soluta amicitia, quæ fœdere devincta erat. Non ergo utile illic morari, nec religiosum, cum sanguine pueri pollutus esset locus. *Donatus.*

*Scelerata terra*] Pro *sceleratorum*: ut supra, 'Captiva yestis.' *Servius.*

61 *Classibus austros*] Hypallage est; nam classes austris damus. *Servius.*

*Dare classibus austros*] Sic Calpurn. l. v. 'campos ovibus, dumeta capellis Orto Sole dabis.' Pro, dabis campis oves, dumetis capellas. *Cerda.*

62 *Instauramus funus*] Modo sepulchrum, quod virgulta evellendo diruerat. Nam proprie *funus* est incensum cadaver. *Servius.*

63 *Aggeritur tumulo tellus*] Ut ostenderet verum tumulum, ne forte aliquis alius illud errore violaret. *Idem.*

*Stant*] Positæ sunt. *Idem.*

*Manibus*] *Manes* sunt illo tempore animæ, quo de aliis recedentes corporibus, necdum in alia transierunt. Sunt autem noxiæ, et dicuntur καὶ ὀνίπρασιν. Nam *manum* bonum est, unde et *mane* dictum est. Similiter etiam *Eumenidas* dicimus, ut *Parcas*, bellum, lucum. Alii *Manes* a manando dictos intelligunt. Nam *Manibus*

plena sunt loca inter lunarem et terrenum circulum, unde et desinunt. Quidam *Manes*, deos infernos tradunt. Quidam alios *Manes*, alios *deos infernos* dicunt: plurimi *deos cælestes* ut vivorum, ita *Manes* mortuorum tradiderunt. Alii *Manes nocturnos* esse ejus spatii, quod inter cælum terramque est, et ideo humoris, qui noctu cadit, potestatem habere; unde *mane* quoque ab iisdem Manibus dictum. *Servius.*

64 *Cæreleia mæsta vittis*] Cato ait, deposita veste pupurea, fæminas usas cæreleæ, cum lugerent. Veteres sane cæreleum nigrum accipiebant. Vittæ autem cæreleæ in acerbo funere, præcipue filiorum familias, adhiberi solebant, sicut hic; nam Polydori funus, utpote adhuc pueri, acerbum est, et quia ejus ætatis erat, ut filius familias adhuc esse potuisset. *Idem.*

*Mæsta ara*] Cicero pro Murena, 'Imaginem lugentem.' *Idem.*

*Cæreleia mæsta vittis*] Vides, cæreleum colorem solitum usurpari et in luctu, et in acerbo puerorum funere. Eundem in genere ad res sacras destinari, discas ex multis, nunc mihi in mente Val. Flacc. Arg. i. 'multa pallens ferrugine taurus Stabat adhuc, cui cæreleæ per cornua vittæ.' Notam Magii iii. 14. et quæ ibi ex Theocrito adducit, lege ipse. *Cerda.*

*Atraque cupresso*] Nigra, funesta. Nam inferis consecrata est, quia cæsa nunquam revirescit. Fabula autem de cupresso talis est: Cum haberet in deliciis Cyparissus puer cervum, et ipse ab Apolline diligeretur, imprudens cervum suum jaculo occidit, eumque dum luet, neglecta consolatione Apollinis, dolore consumptus est; cujus ut exstaret memoria, in luctuosam arborem, id est, cupressum, mutatus est, quæ defunctis adhibetur. Moris autem Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingres-

sus. Hinc Horatius: 'Nec Te præter invisam cupressum Ulla brevem dominum sequetur.' *Atra* autem, quod atratos lares significet. *Serv.*

[*Atraque cupresso*] In antiquis plerisque codicibus, *cupressu* est: non tam, quia nomen quartæ olim fuerit declinationis, quam quod multa hujusmodi passim reperiuntur apud veteres o in u mutasse, prout multi adhuc loquuntur populi, maximeque a Piceo in Brutios usque. Testimonio vero sunt monumenta pleraque, in quibus antiqua scribendi ratio sese fidelius, quam in libris ostendat. Videli ego Spoleti extra portam divi Petri dejectum ad ripam fluminis lapidem, in quo scriptum erat pulcherrimis characteribus:

IN. FRONT

P. XIIX

IN. AGRV

P. XIIX.

In monte vero Tarpeio, antiquissimo sane monumento legitur, HERCULES INVICTÆ CAUTIUS HOC TUO DONU, pro DONO. Quid quod *annus* pro *annos* Romæ pluribus locis legas. In Æde Divæ Sabinæ: JUSTA QUÆ VIXIT ANNUS L. MENSIS V. DIES XX. Et alibi: NICEPHORUS PITINNUS QUI VIXIT ANNUS DUO. In quo illud etiam adnotatione dignum, quod in *vixit*, s littera adjecta est post x, veluti sæpe alibi *auxilium*, *maximus*. Et hujusmodi pleraque reperiuntur eodem modo scripta. Sed ut ad Virgillianam lectionem redeamus, in Mediceo prius *cupresso* per o scriptum erat, nunc ea abrasa vocalis u superaddita est aliena manu. *Pierius*.

[*Cupresso*] Maro hic *atram* vocat, et *Æn.* vi. *feralem*, sicut et Ovid. *Trist.* iii. 13. et Petron. *Satyr.* Horatius *funebrem*, *Epod.* v. idem *od.* ii. 14. *incisum*. Papinius *deploratam*, *Theb.* l. iv. denum hic idem Maro *funeream*, *Æn.* iv. Arbores, quas ferale facit Virgilius, et mortui dicat, hæc fore

sunt: *cupressus*, *arbutus*, *querens*, *fraxinus*, *ilex*, *picea*, *robur*, *ornus*: in xi. 'Molle feretrum. Arbutis textant virgis et vimine querno.' *Cerda*.

[*Atraque cupresso*] Nihil notius quam hanc arborem inter iudicia funestorum ædium numeratam fuisse. Ne lectorem fatigemus exemplis poetarum, et aliorum, legendos commendamus Kirchm. de Fun. Rom. i. 14. et Guther. de jure Man. i. 19. qui, quid sit *instaurare funus*, docet ii. 18. solenni nempe iterum ritu sepelire. De Cæreleis vittis in luctu, idem iii. 28. *Emmeness*.

65 *Crinem de more*] Aut de more gentis, ut etiam in Ægypto est. Aut certe de more plangentium. *Serrius*.

[*Crinem*] In antiquis aliquot codicibus, *crinis* legitur numero multitudinis. Sed magis poeticum est *crinem* per figuram intellectionis. *Pierius*.

[*Crinem de more solutæ*] Erat hic habitus flentium fœminarum. Ariadne apud Ovid. 'Aspice demissos lugentis more capillos.' Idem *Fast.* vi. 'Attonitæ flebant demisso crine ministræ.' Lucanus mœstam Romam describens: 'Turribero effundens canos a vertice crines.' Silius l. xii. 'solutis Crinibus exululant matres, atque ubera nudant,' Seneca in *Œt.* 'Et comas nullo cohibente nodo Fœmina exertos feriat lacertos.' Ita commutato rerum statu, et redeunte lætitia, capilli colligebantur. Ovidius enim pacatam Germaniam indicans: 'sparsos Germania crines Colligit.' *Cerda*.

[*Crinem de more*] Hunc ritum exemplis illustravit Kirchmann. de Fun. Rom. ii. 12. Insignis locus apud Terent. H. ii. 3. 49. cum dixisset virginem vestitam fuisse veste lugubri, postea hæc addit: 'capillus passus, prolixus, circum caput rejectus negligenter.' *Emmeness*.

66 *Inferimus*] Inferias damus proprie. *Serrius*,

*Tepido lacte*] Statim mactato. *Idem.*

*Cymbia*] Pocula in modum cymbæ facta. *Idem.*

*Cymbia*] Pocula sunt, teste Isidoro xx. 6. ex similitudine cymbæ navis. Non. Marc. Maronis citat hunc versum *Æn.* v. 267. 'Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.' In libello de vasis et poculis, de quibus etiam agit Macrobi. Saturn. v. 21. ubi *κύβιον* Græcum esse, Latinoque sermone non usitatum docet. *Emmen.*

*Inferimus tepido, &c.*] Unde et *inferiæ*, iusta quæ mortuis solvuntur. Notat autem Turnebus *χοὰς* constituisse ex lacte, melle, aqua, vino, olivis, floribus. Virg. quoque alibi: 'Hic duo rite mero libans carchesia Baccho, Fandit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro, Purpureosque jacet flores.' Non temere autem videtur Servius sensisse elicitam his sacris fuisse Polydori animam, cum iisdem pene Ulysses Tiresiæ animam exciverit Od. A. Quod autem frequentius lacte, vino, oleo libarent veteres, *χοὰς τρισπόδους* Sophoclem vocasse, interpretes asserit eo in *Antigone* loco: *χοαῖσι τρισπόδοι τὸν νέκυν στέρει.* *Inferre* autem funebre esse vocabulum sæpe apud hunc et cæteros auctores constat: unde et *inferiæ* dictæ, more Græcorum, qui *χοὰς θανούσιν ἐπιφέρει* dicunt. Plutarch. *ἐν παρακμῇ τοῖς δὲ πατρίοις καὶ παλαιοῖς ἔθεσι καὶ νόμοις ἐμφαίνεται μᾶλλον ὅτι τούτων ἀλλήθεια τοῖς γὰρ αὐτῶν νηπίοις ἀποθανούσιν οὕτε χοὰς ἐπιφέρουσιν, οὕτε ἄλλα δρῶσι περὶ αὐτῶν, οἷα εἰκος ποιεῖν ὅτι ἐρ θανόντων ἄλλους. Γερμανός.*

67 *Sanguinis sacri*] De victimis sumpti. Ideo autem lactis et sanguinis mentio facta est, quia adfirmantur animæ lacte et sanguine delectari. Varro quoque dicit mulieres in exsequiis et lactu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciatur; quare etiam institutum est, ut apud sepulchra et victimæ

cædantur. Apud veteres, etiam homines interficiebantur; sed mortuo Junio Bruto, cum multe gentes ad ejus funus captivos misissent; nepos illius, eos qui missi erant, inter se composuit, et sic pugnaverunt, et quod muneri missi erant, inde ~~murus~~ *murus* appellatum. Sed quoniam sumptuosum erat et crudele, victimas vel homines interficere; sanguinei coloris cæpta est vestis mortuis injici, ut et ipse testatur *Æn.* vi. 'Purpureasque super vestes velamina nota:' et *Æn.* v. 'Purpureosque jacet flores.' Alii sanguinis inferendi ad adscendas defunctorum animas illa ratione consuetudinem tradunt, ut, quod amiserunt, videantur accipere. Sanguis enim velut animæ possessio est, unde *exsanguis* mortui dicuntur. Nam et Homerus in *Necromantia* non prius facit loqui animas, nisi sanguine gustato. Alii lac et sanguinem ab hoc accipiant, quod una res nutrit, alia nutriatur. *Servius.*

*Sanguinis*] De liquoribus, quos inferebant mortuis, videndus Kirckm. de Fun. Rom. iv. 2. De lactis usu in Sacris dicta quædam Ecl. v. 67. Locus *Æn.* v. 71. et seqq. inferias veterum illustrat, quem inter alia adhibet Gather. de Jure Man. ii. 11. *Emmeness.*

*Pateras*] Sic vasa appellata quibus sanguis excipiebatur a popa. Græce *σφάγιον*, vel ut non nullis, *ἑμνιον*. Consule disputantem Bochart. Hist. anim. ii. 32. *Idem.*

*Animamque sepulchro Condimus*] Bene animam lacte et sanguine ad tumulum dicit elicitam. Lacte namque corpus nutritur post animæ conjunctionem: et anima sine sanguine nunquam est, quo effuso, recedit. Legimus præterea in sexto, insepultorum animas vagas esse: et hinc constat non legitime sepultum fuisse. Rite ergo reddita legitima sepultura, redit anima ad quietem sepulchri, quam Stoici terris condi, id est, me-

dium secuti, tam diu durare dicunt, quam diu durat et corpus. Unde Ægypti periti sapientia, condita diutius reservant cadavera; scilicet ut anima multo tempore perduret, et corpori sit obnoxia, nec cito ad alia transeat. Romani contra faciebant, comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret naturam. Dicit ergo nunc sacrificiis quibusdam elicitem animam et sepulchro conditam, obnoxiamque factam corpori: quod ante horrebat, quasi per vim extorta. Ideo autem Stoicos medium sequi diximus: quia Plato perpetuam dicit animam, et ad diversa corpora transitum facere statim pro meritis vitæ prioris. Pythagoras vero, non *μετεμψύχων*, sed *παλινγενεσίας* esse dicit: hoc est, redire, sed post tempus. *Servius*.

*Conditum*] Erant placandi Manes læi, præsertim illius qui civis et affinis et regia filius erat: et qui recte monuerat Trojanos, ut sceleratam terram relinquerent. Docet autem Poëta, quæ possint curare; quod male sint gesta, esse curanda. *Don*.

*Animamque sepulchro Conditum*] Quod Virgil. *animam condere*, Plin. Epist. vii. 'Manes condere,' dixit. Ovid. *umbras* Fast. v. ex nota Dalecampii: 'Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras.' Inde est, ut sepulcrum (quæ nota est Rittershus. in Opp.) et *conditorium* dicatur: et Senecæ, atque Petronio *conditium*. *Cerda*.

*Animamque sepulchro Conditum*] Turneb. iv. 22. hunc locum interpretatur, et e veterum opinione poetam dixisse, asserit, qui sepulcrum mortuorum domicilium credebant, et portum corporis appellabant. Cicero: 'neque sepulcrum quo recipiatur, habeat portum corporis, ubi, remissa vita, corpus requiescat malis.' Leges etiam ad hunc locum Magium Misc. lect. iv. 12. *Emmenius*.

68 *Supremum*] Non est nomen,

sed adverbium: ut, 'Torvum clamat.' *Servius*.

*Cienus*] Est autem hoc loco quod dicimus more solenni, id est, tertio, Vale: nos te ordine, quo natura permiserit, cuncti sequemur. Quidam dicunt eorum mortuorum nomina ter vocari, qui in aliena terra dimittuntur; ut in vi. 'Et magna Manes ter voce vocavi.' *Idem*.

*Magna supremum voce cienus*] Voces supremæ in funeratione, *Salve, vale*, ut Græcis *χαῖρε, εὖλα*. Vide eum locum: 'Salve æternum mihi maxime Palla, Æternamque vale.' A vocando autem et ciendo mortuos *περδαιννα* et *προκλήσεις* Græcos dixisse constat ex Plutarcho. *Germanus*.

*Supremum voce cienus*] More post exsequias solenni conclamamus: VALE. Videatur et Turneb. xiii. 10. *Tausmann*.

69 *Fides pelago*] Hoc est, ubi fidem pelago habere cœpimus, nos tuto navigaturos. *Servius*.

*Inde ubi prima fides pelago*] Observandum, esse idem in Virgilio, *inde ubi*, et *inde ut*. Nam ut hic, 'inde ubi prima fides,' &c. et in vi. 'Inde ubi venere ad fauces,' &c. et in eodem vi. dixit, 'Navita quos jam inde ut Stygia prospexit ab unda,' &c. Ait autem Germ. videri respectum fieri ad illam navigationem, quæ classicis auctoribus dicitur prima, quæ videlicet post sævitiam hiemis vel tempestatis, navigantibus aperitur: quam et Græci vocant *πρώτον πλοῖον*, referentes ad *δευτέρον*. Ut autem hic pelago *fidem* dat, sic Ge. i. dixit, 'Et quando infidum remis impellere marmor.' Transferenda huc, quæ ibi, Herodotus l. vii. vocat mare *δολοπόν*, *dolosum*. *Cerda*.

70 *Lenis crepitans auster*] Duo epitheta posuit vitiose, ut diximus supra. Fecit autem hoc improprie in decem versibus. *Servius*.

*Et lenis crepitans vocat auster*] In codicibus aliquot antiquioribus, *len*



*crepitans*: quod quidem et placeret, et erudite positum videretur, nisi *lenis* agnoscerent interpretes: quorum hæc paraphrasis: 'Nam tempus fiduciam dabat, quo et mare placidum fuerat, et flatns ita temperati, ut lenitate sua, etiam invitos hortari potuissent ad navigandum.' *Pierius*.

*Auster*] Quivis ventus. Nam ad Thraciam Aquilone navigatur; *lenis* autem ideo, quia superius ait, 'vix prima incepterat æstas,' et lenes venti per æstatem sunt. *Servius*.

71 *Deducunt*] Proprie, ut e contrario *subducunt*. Idem.

*Deducunt*] Quas miseri subduxerant. *Donatus*.

*Deducunt*] Proprie *deducere* est naves de terra in aquam ducere. Stat. Achill. l. iv. 'Nec non et geminas regnator Scyrius alnos, Deducit genero.' Contrarium est *subducere*: vide N. *Æn.* l. 551. *Emmeness*.

72 *Terræque urbesque recedunt*] Physicam rem dicit: hoc enim navigantibus videtur, quasi ab his terra discedat. Item aliter: Juno, cum vidisset Latonam a Jove adamatam, jnravit eam non parituram in terris: Juppiter mutavit eam in coturnicem, quæ Græce *ὄρνις* appellatur, et monstravit ut veniret Delon, quæ illis temporibus circa omnia litora ferebatur ventis. Post partum vero Latonæ quo Dianam et Apollinem peperit, *Ortygia* dicta est, quæ ante *Delos* nominabatur: et postea *Delos*, cum eam Apollo revinisset Gyaro et Mycone altissimis montibus. *Servius*.

*Recedunt*] Solventibus terræ ipsæ et portus videntur recedere. Tale illud Sen. in Troad. ex ms. quod Delirus animadvertit: 'Cum semel ventis properante remo Prenderint altum, fugietque litus:' in vulgatis legitur, *fugient*. Apte ad hanc sententiam versus Lucret. l. iv. 'Qua vehimur navi, fertur, cum stare videtur; Quæ manet in statione, ea præter creditur ire, Et fugere ad

puppim colles, campique videntur, Quos agimus præter navim, velisque volamus.' Videat itaque Lector, an verba hæc Livii, l. xxix. 'Vento secundo vehementi satis profectis celeriter conspectu terræ ablatis sunt,' legi ex conjectura nostra sic debeant: 'Vento secundo vehementi satis profectis celeriter conspectu terræ ablatae sunt.' Nam *profectis*, et *ablatis* nescias, qui incongruum. Deinde magis proprie *conspectus* dicitur de hominibus, quam de terra. Itaque Poëta dicit, terras ablatas e conspectu navigantium, non ipsos e conspectu terræ. Pindaro tamen, Pyth. Od. iv. trita locutio placuit, *ἀπὸ τῆς βρεχέρας, Recessit navigatio*. Cerda.

*Terræque urbesque recedunt*] Hanc opinionem attingit Cicero in Lucullo. eodem autem verbo utitur Ovid. Met. xi. 466. 'ubi terra recessit Longius, atque oculi nequeunt cognoscere vultus.' Pro eo idem vi. 512. 'Admotumque fretum remis, tellusque repulsa est.' *Emmeness*.

73 *Sacra mari colitur medio*] Ordo est: In mari medio *Ægæo* colitur tellus sacra Neptuno, Nereidum matri, id est, Doridi gratissima. Fabula autem talis est: Post vitiatam Latonam, Jupiter cum etiam ejus sororem Asteriem vitare vellet; illa optavit a diis, ut in avem verteretur; versaque in coturnicem est. Et cum vellet maria transfretare, quod coturnicum est, adflata a Jove, et in lapidem conversa, diu sub fluctibus latuit. Postea supplicante Jovi Latona, elevata est super aquas: hæc primo Neptuno et Doridi fuit consecrata. Postea cum Juno gravidam, Pythonem immisso, Latonam insequeretur, terris omnibus expulsa Latona, tandem applicante se litoribus, sorore suscepta est: et illic Dianam primo, post Apollinem peperit: qui statim occiso Pythone, ultus est matris injuriam. Sane nata Diana, parturienti Apollinem matri dicitur præbuisse obstetricis officium. Unde cum

Diana sit virgo, tamen a parturientibus invocatur: hæc namque est Diana, Juno, Proserpina. Nata igitur duo nomina terram sibi naturalem errare non passa sunt, sed eam duabus insulis religaverunt. Veritas vero longe alla est: nam hæc insula, cum terræ motu laboraret, (qui fit sub terris latentibus ventis, sicut Lucanus, 'quærentem erumpere ventum Credidit') oraculo Apollinis, terræ motu caruit. Nam præcepit, ne illic mortuus sepeliretur, ut in Vulcanus: et jussit quædam sacrificia fieri: postea e Mycone et Gyaro vicinis insulis populi venerunt, qui eam tenuerunt, quod etiam Virgilius latenter ostendit. Quod autem diximus Dianam, primo natam, rationis est. Nam constat primum noctem fuisse: cujus instrumentum est Luna, id est, Diana: post, diem, quem Sol efficit, qui est Apollo. Ut autem Delos primo *Ortygia* diceretur, factum est a Coturnice, quæ Græce *ὄρυξ* dicitur. *Delos* autem, quia diu latuit, et postea apparuit: nam *δῆλον* Græci manifestum dicunt. Vel quod verius est, quia cum ubique Apollinis responsa obscura sint, manifesta illic dantur oracula. *Delos* autem civitas dicitur et insula. Unde interdu recipit præpositionem. *Servius*.

*Sacra*] Ut ostenderet vittas et laurum non esse signa lætitiæ, quæ tristiæ Trojanorum non conveniebat, sed sacerdotii. Magna autem exempla posuit malæ bonæque amicitiae: Polymestorem et Anium, quæ nos ad bonum hortentur, et a malo revocent. *Donatus*.

*Sacra mari*] Sane *sacrum* dicitur, quod rite sacratur Deo, ut ædes, aræ, simulacra, dona. Hic igitur ædium sacrarum, etsi non aperte, attamen ejusdem ritus meminit, cum de insula loqueretur, in qua præterquam ut *sacra* dixerat, id est, sacrata, gratiam quoque posuit non solum Doridi matri Nereidum, quæ traduntur deæ

maris; sed Neptuno etiam addidit dominatori videlicet omnium in mari deorum. *Servius*.

*Sacra mari colitur medio*] Sita Delos in medio Cycladum, et veluti aliarum domina. Strabo l. x. *ἐν δὲ τῷ Ἀγιάφω μᾶλλον αὐτὴ τε Δῆλος, καὶ αὐτὴ περὶ αὐτὴν Κυκλάδες*: In *Ægæo* magis Delos eminet, circumstant illam Cyclades. Plin. iv. 12. 'Ipsaque longe clarissima Cycladum media, templū Apollinis, et mercatu celebrata Delos.' Solin. cap. 17. 'Cyclades in orbem circa Deldin sitæ sunt.' *Cerda*.

*Tellus*] Major dignitas est tellus, quam si dixisset insula. *Servius*.

74 *Nereidum matri*] Doridi, quinquaginta Nympharum matri, conjugii Nerei. *Idem*.

*Neptuno Ægæo*] Quia in *Ægæo* mari hæc insula posita est. Sane inter Hellespontum et Adriaticum mare, omne illud *Ægæum* appellatur; quod nomen a patre Thesei *Ægæo* rege Atheniensium traxit, qui in mare se præcipitavit, sperans mortem filii. Cum enim in labyrintho Minotaurus esset inclusus, et quotannis ex nobilitate Atheniensium septem pueri vel puellæ ad vescendum Minotaurum mitterentur, tandem dolor Theseum subiit. Profectus itaque est ad Minotaurum perimendum, placuitque cum patre, ut si illud monstrum vicisset, vela candida navibus daret; si forte a Minotauris fuisset oppressus, navigium cum atris velis rediret. Sed cum extinxisset Minotaurum, oblitus non cum candidis, sed cum nigris velis reverti cœpit; et patri in specula constituto, triste sui interitus signum dedit, qui extinctum filium credens se præcipitavit in mare, unde *Ægæum* pelagus appellatum est. *Idem*.

*Nereidum matri, et Neptuno Ægæo*] Ut missas faciam varias multorum lectiones et sententias in hoc versu, quum alii *Neptunio* legendum velint, alii *Ægæo*, ut in codice Longobar-

dico est, *Neptuno Ægeo* absque synaesthesia, veluti etiam *matrī* et ad Græcorum imitationem posita non inerudito docti omnes arbitrantur. *Pier.*

75 *Pius arcitenens*] Apollo est. Bene *pīus*, aut qui ultus est matrem de *Tityone*, de *Niobe*, de *Pythone*: aut quia patriam stabilivit errantem. Legitur et *pīus*. *Servius*.

*Pīus*] Antiqui aliquot codices, *pīus* legunt: ut sit *pīus errantem*. Sed magis placet *pīus*, ut ostendat Apollinem eo beneficio insulam promeruisse, ob officium matris suæ toto orbe erranti præstitum: cujusmodi pietas filium addecat. *Pierius*.

*Arcitenens*] Sic dictus Apollo ab *arcu*. *Nævius* l. ii. *Belli Punici*, 'Deinde pollens sagittis inclytus *Arcitenens*, Sanctusque *Delphis* prognatus *Pythius* Apollo.' *Hostilius* l. ii. *Belli Histrici*: 'invictus Apollo, *Arcitenens*, *Latoninus*.' *Accius* in *Astyanacte*: 'Utinam unicam mihi antistitam *Arcitenens* suam tuetur.' *Homero* *αὐτότοπος* dicitur, *arcu inclytus*: et *τοξότοπος*: sic et *Diana Dea Arcitenens* ab *Accio* dicitur, hoc versu: 'Quod utinam me suis *Arcitenens* tellis mactasset *Dea*.' *Cerda*.

*Oras et litora circum Errantem*] Hujus aut fabulæ aut historiæ plures meminerant: unum tantum adducam. *Plin.* *Hist.* iv. 12. 'Ipsaque longe clarissima, *Cycladam* media, templo *Apollinis*, et mercatu celebrata *Delos*, quæ diu fluctuata, ut proditur, sola motum terræ non sensit ad *M. Varronis* ætatem.' Ad *Strabonem*, qui *Geogr.* l. x. eadem narrat ex *Pindaro*. Inde dicta et *Delos*. *Idem*.

76 *Gyaro Myconoque revinxit*] Quidam per historiam dictum putant, nam inter *Myconum* et *Gyarum*, *Syrum* unam de *Cycladibus* esse dicunt: unde fuit *Pherecides* philosophus. Alii nullum auctorem aliam esse adserunt, qui *Delon* ab *Apolline* reliquetam dicat. Constat enim eam ante

evagare, et propter *Latonæ* partum restitisse. Alii hanc insulam inter *Myconum* et *Gyarum* humilem esse dicunt, ut his quasi vinculis contineretur. *Servius*.

*Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit*] Antiqui codices plerique omnes hoc dictionum ordine verum legunt, *errantem Gyaro celsa My. q. re.* non nulli: *errantem Mycone celsa Gyaroque revinxit*. *Gyaron* enim, genere muliebri dici, auctor *Stephanus*. Neque vero tacendum *Gyaro* nomen aptotum esse *Probo* *Grammatico*, *Hæc Gyaro, hujus Gyaro* declinanti. Cujusmodi esse etiam *Celso* tradit. Illud sane scitu dignum, quod *Antigonus Caristinus* esse in ea insula mures tradit, qui ferrum abrodant. Pro *Mycone* autem *Mycono* passim in veteribus exemplaribus inveni, ita quidem Græce scribitur, καὶ μικρὸν λέγεται μία τῶν κυκλάδων. Et eo casu quippe in eo finitum nomen apud *Strabonem* et *Thucydidem* reperitur. Quod vero *Gigantes* illos, quos postremo *Hercules* confecerit, in ea positos fabulantur, ut apud *Strabonem* libro x. legere est, animadvertendum est codices etiam Græcos variare. In aliquibus enim legitur, τῶν γιγάντων τοὺς ὀστέους, quod nimirum postremos significaret. Sed in aliquot aliis τοὺς ὀστέωνος legas, hoc est, validissimos. Unde forte sit proverbio locus, *Omnia sub unam Myconum*, quum superfuisset adhuc aliquid longe difficilium ad expugnandum invictum: vel id denique confectum esse, quod se nostris conatibus difficilimum objecisset. Neque vero hæc a me dicuntur, ut alterius cujuspiam sententiam improbem, sed quia non temere scriptum crediderim validissimos *Gigantum* in ea positos. *Pier.*

*Gyaro celsa*] *Gyarum* hic *celsa* dicitur, ut apud *Juvenal.* *Sat.* x. 170. scopuli ejus celebrantur, intra quos exales, qui alicujus rei erant, conessebant. Inde idem *Sat.* i. 78.

'Aude aliquid brevibus Gyaris aut carcere dignum.' Et Sat. XIII. 246. 'nigri patietur carceris uncum, Aut maris Ægæi rupem scopulosque frequentem Exulibus magnis.' Ob paupertatem nobiliss, teste Strabone l. x. (ubi etiam Deli descriptionem invenias) vix enim tributi nomine centum denarios imperare ausus est legatus Cæsaris: *Λυσipπορὴν* sterilissima omnium Ægæo mari insularum fuit, una ex Sporadibus, de quibus videndus Mela II. 7. *Emmeness*.

*Myconaque revinxit*] Apud Stephanum et Strabonem *μυκόνος*, l. x. Melam *Myconos*, et una ex Cycladibus est, II. 7. vulgo *Micolì*. 16. mill. pass. abest a Delo. *Humilem* illam nominat Ovid. Metam. VII. 463. respectu fluctuantis Deli: ubi *Myconon* legendam docet Nob. Heinsius, et adstruit epist. Heroid. XXI. 81. et quæ alligatum Delum fuisse testantur duabus insulis, Mycono et Gyaro, illic vide. Turpes fuisse ob calvitium Myconios, docet Strabo. *Emmeness*.

*Revinxit*] Putant autem retraxit. *Servius*.

77 *Coti dedit*] A vicinis scilicet populis. *Idem*.

*Inmotam*] *Ἀκίνητον*. Herodotus in Erato tale oraculum narrat, *Κιθήρα καὶ Δῆλον, ἀκίνητόν περ εἶδεναι*: *Μόνοβο Δελόν, πάντως ἤνι ἀκίνητον*. Callicmachus in hymno ad Deum eam vocat *ἄρπυιον, ἀμείνων*, quia videlicet *ἀκίνητος καὶ ἀσειστός*, ut ait interpres, *inmotā, inconcussa*. Addit idem interpres, καὶ Θουκυδίδης σείσμον γενόμενον μέγαν βουλευμένους ἐξηγήσασθαι, φησὶν, *ὅτι τοσοῦτον ἦν μέγας, ὥστε τὴν Δῆλον ἤσαν σεισθῆναι*: Thucydides narraturus magnam terræ motum, ait, *ita magnam fuisse, ut quati quoque potuissent Delos*. De eadem Delo, contratio verbo *ἐκινήθη* dixit Herodotus l. VI. ab motu. Aristides oratione in Serapim *ἐμφρόνως*, quasi circumstantibus. Sed hoc Poëta errantem. Idem Aristides oratione in Asclepiadas,

*Δῆλον περιπόρην*. *Corda*.

*Inmotamque coti dedit*] Quæ erraverat ante, fixa fuit loco stabili. Locum adde Statii, qui Achill. l. II. fere simili modo de Creta: 'te longus honos, æternaque cingent Tempia, nec instabili fama superabere Delo, Et ventis, et sacra fretis, interque vadosas Cycladas, Ægææ frangunt ubi saxa procellæ, Nereidum tranquilla domus,' &c. De Delo Latonia, quæ Servius habet Ge. III. 6. adi: quomodo incolis frequentata fuit, expedit Strabo l. x. *Emmeness*.

*Contemnere centos*] Propter terræ motum. *Servius*.

79 *Egressi*] Sunt antiqui codices in quibus, *eggressi*, *g* littera geminata scriptum invenias: quod verbi compositio sit ab *extra* et *gradior*, non ab *e* et *gradior*: ideoque sit ea littera geminanda, ut ex compositæ dictionis singulis partibus aliquid appareat: *e* quippe et *e*, quod in *x* duplici littera latitabat *eggressi*. Inde *c* ob cognationem in *g* abeunte *eggressi*. Ita olim *Exfatus*, mox *ecfatus*, tactum a Ter. Scauro: et omnium denique usu effatus receptum. *Pierius*.

*Apollinis urbem*] Delon: et est definitio. Ejusdem nominis et urbs, et insula Delos dicitur. *Servius*.

80 *Rex Anius*] Anius autem rex Deli, Apollinis sacerdos, cum trium filiarum esset parens, ne unius tantum Dei esset tutus auxilio, *filias* numini Liberi patris devovit, qui patrem ei gratiam reddens, effecit, ut quidquid una adtigisset verteretur in fruges, altera in vinum, tertia in oleum. Id cum comperisset Agamemnon dux Argivorum, cum mille navibus oppugnaturus iret Trojam; misit, qui eas accerserent, ut posset alere Græciæ exercitum: quæ cum victæ tenerentur, invocaverunt Liberum patrem, quas ille in columbas vertit, et ita vincula fecit effugere: unde hodieque Deli columbas violare nefas est. Hunc tamen Anium, Palefa-

tus etiam propinquum tradit Anchisæ. Alii dicunt hujus Anii filiam occulte ab Ænea stupratam, edidisse filium nomine Anium. *Idem.*

*Rex et sacerdos*] Hic Anius, Apollinis filius, rex Deli et sacerdos fuit, qui habuit filium Andron nomine: unde *Andros* insula appellata est, ad quem Anchises ante Troicum bellum consultum venerat; an Salaminam peteret comes Priamo; unde et agnoscitur. Sane majorum hæc erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos, vel pontifex. Unde hodieque imperatores, dicimus *pontifices*. *Idem.*

*Rex Anius, rex et sacerdos*] Olim Reges etiam sacerdotes erant: ut docent Plutarchus et Plato in Polit. Et sacerdotium pontificatus Maximi in gente Julia multis sæculis perduravit. De hoc *Anio* Apollinis F. Cælius VII. 15. et Turneb. IV. 22. *Taub.*

*Rex Anius, rex idem, &c.*] De hoc Ovid. Metam. XIII. 630. et seqq. Quod reges et sacerdotio functi sint, discas ex Livio I. 20. Justino XXXVI. 2. ad quem locum consule Bernegg. Hæc sacra Apollinis non tantum culta in Delo, sed inde ad alias nationes pervenerunt, ut Mela III. 5. *Emmen.*

81 *Vittæ et lauro*] *Vittæ*, sacerdotis sunt: *laurus* vero etiam imperatoris victoria. *Servius.*

*Occurrit*] Magna benevolentia, ut rex et sacerdos non expectaverit peregrinos ad se venire, sed ultro occurrerit. *Donatus.*

82 *Anchisen amicum*] Κατὰ τὸ σιωπῶμενον intelligimus: nam quomodo fuerint amici, palam poëta non dicit. *Servius.*

*Veterem amicum*] Quasi dicat: illum talem tunc habuit amicum, qualem habebat, stante Trojanorum felicitate: neque secutus est fortunam, ut Polymestor, et tantum habuit amicum, quantus fuit, non quantus veniebat. *Donatus.*

*Occurrit: veterem Anchisen agnoscit amicum*] In antiquissimo codice

*obcurrit* præpositione incolumi scriptum est, quod improbat Scaurus. Eodem modo, *agnoscit*: quamvis in Mediceo, et in plerisque aliis *agnovit* præterito tempore positum est, quæ quodammodo redditio causæ videtur esse, cnr occurrerit. Sane præteritum *agnovit* hoc loco Pontanus etiam agnovisse videtur. *Pierius.*

*Occurrit*] Vetustissimi codicis fide hic legendum monet Dausquius *obcurrit*, &c. *Emmen.*

83 *Hospitio*] Licet Probus quærit, quid sit *Jungimus hospitio dextas*; tamen casus *septimus* est, id est, jure hospitalitatis. Nam ad hospitium non potest intelligi, quia jam amicus fuit; aut sicut quidam tradunt, *jungimus dextas, et hospitio tecta subimus*. *Servius.*

84 *Templa Dei*] Hoc juxta angurii genus, quot *staturum* dicitur, retulit, in quo considerantur, quo in loco auguria peragi debeant. Nam ideo ait, 'Templa dei saxo venerabar structa vetusto,' et subjunxit, 'Quove ire jubes.' Et exinde, 'Da, pater, augurium.' Sane quæritur cur *saxum retustum* dixerit. Sed traditur a plurimis, inter quos etiam Epafus, vir peritissimus, refert, Delphis quodam tempore evenisse, ut templam religiosum ante et intactum, spoliatum incensumque sit; ac post multas Corinthii urbes singulasque proximas terræ motu hastas; Delon neque antea, neque postea hoc incommodo vexatam, sicut Tuthrodes: quod etiam Cicero in prætura Verrinarum ita ait: 'Tantaque vis hujus religionis est et semper fuit, ut ne Persæ quidem cum bellum totum Asiæ diis hominibusque indixissent, et mille navium classem Delum appudissent, quicquam conarentur, aut violare, aut adtingere.' Non mirum ergo, si aut ad tempora poëta respondit, aut ad pristina; utpote quod religio nunquam omnino vexata illo suo antiquo et vetusto saxo colebatur. Vel *retusta*,

religioso: et quod *Venerabar* ait, ostendit se precatum. *Idem*.

*Tecta subimus. Tempia, &c.*] Dissiti sunt hi versus, nec cohererent. De quibus J. C. Scalig. iv. 23. et Servius Danielis. Sæpe, inquit, discontinuatos versus legimus in Æneide: quos idcirco præcisus sensibus videamus, quod auctor morosissimo iudicio alios de medio sustulerit, quibus illi cohererebant: quoad excogitaret atque insereret meliores. Sicut nec illi quidem cum cæteris colligantur, infra vs. 639. 'Sed fugite, o miseri, fugite, atque ab litore funem Rumpite.' Quare? 'Nam qualis,' &c. Atquin illo occupato non est fugiendum. Certe alii versus intercedebant. *Taubmann*.

*Saxo vetusto*] Cur templum *vetusto saxo* struetum dixerit, disputat Macrobi. Saturn. iii. 6. et Servius Daniel. Sunt qui templum vetus interpretentur: sunt, qui religiosum. *Id*.

*Venerabar*] In plerisque codicibus antiquis, *veneramur* numero plurium habetur. Sed multi supra *bar* ultimam syllabam *mur* notatum habent, non tam variandæ lectionis causa, quam paraphraseos. Quippe ut *Venerabar* pro *Venerabamur* positum innuant: quia verba reliqua eadem periodo contenta, sunt in pluralitatis numero, *jungimus, subimus*. Sedenim quia subsequuntur preces, in persona Æneæ nuncupatæ, mihi non displicet, *venerabar*, unitatis numero. Nam etiam in vi. reliquis hoc vel illud procurantibus, 'Pius Æneæ arces quibus altus Apollo Presidet, horrendæque proci secretis Sibyllæ, Antrum immane petit.' Quod vero saxum vetustum appellavit, id redigit in memoriam mihi, quod apud M. Tullium in Verrinis legere est: ubi de hac insula loquitur, et Apollinis templo. 'Est enim tanta apud eos ejus fani religio atque antiquitas, ut in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur.' *Picrius*.

85 *Da propriam*] *Da*, dic, indica;

Apollo enim non dandi, sed dicendi habet potestatem. Queritur etiam cur Æneas cum Delum venisset, nullis prius hostiis cæsis, statim a precibus cœperit: quia tradunt multi, inter quos et Varro, esse aras tam Apollinis, quam filii ejus, non tantum Deli, sed in plurimis locis, apud quas hostiæ non cædantur; sed consuetudo sit deum solemniter tantum prece venerari. Quod autem ait, Neptuno et Apollini tauris postea sacrificatum, apud alias aras hoc factum accipi oportet. *Servius*.

*Propriam*] Perpetnam, stabilem, firmam; ut, 'Propriamque dirabo.' Et bene post experimentum male conditæ civitatis, perpetuas postulat sedes. *Idem*.

*Propriam*] Nam incerti hactenus vagabantur, ut, 'Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur.' Est autem precatio brevis, et quæ omnia contineat: nam petit et movet commiserationem. *Donatus*.

*Thymbræe*] *Thymbræus* Apollo dicitur a loco, Trojæ vicino, pleno Thymbra, quæ *Satureja* dicitur; et bene Deli positus, *Thymbræum* appellat, quem in Troja adseverat colere in agro, in quo ejus et nemus est, et templum: ubi a Paride Achilles occisus est: unde fingitur manu Apollinis vulneratus. Ergo *Thymbræus*, ut *Delius*: nam numina a locis frequenter nomen accipiunt. Alii *Tymbram* locum in Delo consecratum Apollini tradunt. Sane quia Græce *θύμβρον* facit: in derivatione η in diphthongum mutat: ut *ἄλνῃ*, Ætænus, *ἄλκῃ*, Diræus. *Servius*.

*Thymbræe*] Apollo Thymbræus in campo erat Trojano. Strabo Geograph. l. xiiii. ἐστὶ τὸ πεδὶον ἢ Θύμβρα, καὶ δι' αὐτοῦ βέως ποταμὸς Θύμβριος, ἐμβάλλον εἰς τὸν Σκάμανδρον κατὰ τοῦ Θυμβραίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν: campus est Thymbra, quem Thymbræus fluvius interfuit, emittens se in Scamandrum, ad Apollinis Thymbræi templum. Papinius

quoque de ad Apollinem: 'Seu Trojam Thymbræus habes.' *Cerda*.

*Domum*] Familiam: ut, 'Domus tenet a quo Sergia nomen.' *Servius*.

*Da mania fessis*] Lucan. l. 1. 'Quæ sedes erit emeritis, quæ rara dabuntur, Quæ noster veteranus aret, quæ mania fessis?' Ubi Budæus *fessis*, τοῖς σπαραξέουσιν στρατιώταις exponit. *Traub.*

86 *Mansuram*] Perpetuam. Duo petit, et urbem et perpetuitatem. *Mansuram* autem ideo, vel propter Trojam, vel propter eam quam in Thracia condidit. *Servius*.

*Serva altera*] Non quia prima servavit: sed quia servare voluit, ut Homerus dicit. *Idem*.

*Serva altera Troja Pergama*] Censet Salmas. exercit. Plin. p. 289. eandem esse loquendi formulam ac *altera Salamis*, *altera Tingi*, de qua Mela 11. 6. ad discrimen pervetustæ urbis Tingi, de qua 1. 5. quam lectionem speciosam quidem, sed veram non esse asserit Isaacus Vossius ad Pomponium p. 197. *Emmeness.*

87 *Achillei*] Sic veteres declinabant. *Servius*.

88 *Quem sequimur*] Quia Cadmus oraculo Apollinis bovem secutus, in Hyante Bæotiam condidit. Veteres enim oraculis signa, quibus civitatem conderent, accipiebant. *Idem*.

*Quem sequimur*] Notavit Brissonius Form. l. 1. his duobus versibus contineri formulas quasdam augurum, qui plane optabant, petebantque a Diis, certa sibi, et clara, et prospera e cælo signa dari: advocatque Dionysium l. 11. et Livium l. 1. ille enim Romulum infert deprecantem Jovem, Deosque alios, quos duces sibi fecerat colonizæ deducendæ, ut, si volentibus ipsis, urbem ipse moderaturus esset, *σημεῖα οὐράνια φασγῖναι καλὰ, prospera signa e cælo apparent*: hic autem augurem sic auspiciantem inducit: 'Jupiter pater, si fas est, hunc Numam Pompilius, ejus ego caput teneo, Regem Romæ esse, ut tua signa no-

his certa ac clara sint inter eos fines, quos feci.' Ex eodem ritu in l. 14. dixit Virgilius: 'Adia, o placidusque juves, et aïdera cælo Dextra feras.' *Cerda*.

89 *Da, pater*] *Pater* religionis, ut supra diximus, nomen est. Nam et hominibus datur: ut, 'Inde toro pater Æneas:' et montibus, ut, 'pater Apenninus:' et fluminibus, ut, 'Tybri pater:' numinibus etiam, ut, 'Quidve, pater Neptunæ, paræ:' item, 'Ipse pater Danais animos viresque secundas Sufficit.' Item, 'Odit et ipse pater Pluton.' *Servius*.

*Da*] Id est, ostende. *Donatus*.

*Da, pater, augurium*] Paterno animo infunde animis nostris aperta et perspicua oracula. Usus est autem imperativo *da* et *illabere*, quod est deprecantis ex fiducia Apollinem, qui Trojanis favebat. *Idem*.

*Augurium*] Modo oraculum: sed usurpative. *Augurium* enim est, exquisita deorum voluntas per consultationem avium aut signorum; quod tunc peti debet, cum id, quod animo agimus, per augurium a diis volumus impetratum; ut in hoc loco Æneas, postquam omnia, quæ volebat animo, petit, ait, 'Da, pater, augurium:' et est species ista augurii, quæ *legum dictio* appellatur: *legum dictio* autem est, cum conditio ipsius augurii certa nuncupatione verborum dicitur, quali conditione augurium peracturus sit: quod hic facit exsequens formas petitionis versibus supradictis; tunc enim quasi legitimo jure *legum* adscribit, 'Da, pater, augurium.' *Serv.*

*Animis illabere nostris*] Quia Apollinis responsa semper obscura sunt, vera tamen. Unde cum intelligentiam oraculum postulat. *Idem*.

90 *Tremere omnia*] In consequentibus quid sit *omnia* docuit, dicendo, *Liminaque laurusque dei*: et hoc augurium juxta augurali disciplinam dictum est, quod appellatur *tripudium senarium*, id est, a septo: ad quod

pertinet; si arbor sponte radicibus cadat, si terra tremat, quod hic Æneæ factum ostendit, antequam voce divina responsa perciperet. *Id.*

*Via repente]* Stoicos et Academicos sequutus est, qui dicunt ea, quæ contra naturam sunt, non fieri, sed fieri videri. Unde magica ars est exclusa omnis: sicut Plinius Secundus docet in naturali historia. *Idem.*

*Tremere omnia via repente]* Hæc Deum præsentem esse indicio erant. Et tam vera reddebantur Oracula; sicut eo absente, falsa. De quo Turneb. iv. 22. Lucan. l. v. de Phœbade: 'non rupta trementi Verba sono, nec vox antri complere capacis Sufficiens spacium, nulloque horrore comarum Excussæ laurus, immotaque culmina templi, Secarumque (astantes nullo fragore terrens) nemus veritam se credere Phœbo Prodiderant.' Hec autem augurium appellabatur *tripudium conubium*, a sono, &c. de quo Serv. Daniel. *Tautmann.*

91 *Liminaque]* Que brevis, est pro longa posita: quæ hac ratione defenditur: aut quia omnia monosyllaba ad artem non pertinent, et his licenter uti possumus: aut certe, quia omne *ῥῆμα*, id est, particula, quæ sui substantiam non habet, membrum putatur superioris orationis; quod si est, *liminaque*, quasi una pars orationis est: et potest *que*, finalitatis ratione, vel prodaci vel corripi. *Servius.*

*Laurusque dei]* Aut ideo singulariter, quia in Delo insula laurus Apollini consecrata est; aut lucum dicit; aut quia traditur Latonam, duas Laurus amplexam, Dianam et Apollinem omixam. Fabula sane de Lauro talis est: Daphnis Penei, vel, ut alii dicunt, Latonis filia, ab Apolline adamatata est: a qua cum precibus et promissis non potuisset Apollo, ut secum concumberet, impetrare; vim ei adhibere conatus est, cumque eam insequeretur, et illa fugiens defecisset lassata, terræ imploravit auxi-

lium, quam terra hiata facto recepit, et pro ea arborem edidit, quæ Græce nomen suum retinuit, Latine *Laurus* dicitur; sed Apollo eam etiam mutatam ita dilexit, ut adscriberet efficereque, ut propter virginitatem servatam semper vireret. *Idem.*

*Liminaque laurusque dei]* Hinc ego sane præteriturus eram inveniri codices manu scriptos, in quibus *limina* per ei prima syllaba scriptum sit: et ita alibi, ut in xi. *leimen erat*: nisi Probus Grammaticus interpellasset, nomina esse dicens, quæ plenitudinem patiuntur, hoc est, quæ e littera plus scribantur: ut puta, *limca*, *leimen*. In Carisii same codice, quem lectitavi, ubi ex C. Julii Ro. sententia, *laurus* hoc loco numero multitudinis positum asseritur, animadverti nomen *laurusque* citatum esse, non *limina*: quod quidem memoriæ lapsus factum crediderim a librario, donec quid magis fide dignum invenero: quum *limina* castior omnino lectio videatur, quam tot veteres codd. ostendant, Quintilianus agnoscat, et Val. Probus octavum positionis modum observet in *Liminaque laurusque Dei*, sicuti septimum in eo versu: 'Omnia vincit amor, et nos cedamus amori.' *Pierius.*

*Tremere omnia, &c. Liminaque laurusque dei]* Locus debetur Callimacho, qui sic in hymno Apoll. vs. 1. *Οἶον ἔσθ' ἄλλαντος ἀσέλαστο δάφνην ἱερῆς, Οἶα δ' ἔλον τὸ μέλαθρον*: ad quem locum Vulcanium adhibe. *Emmen.*

*Moveri]* Quia opinio est sub adventu deorum moveri templa. *Serv.*

92 *Mons]* Cynthus. Unde *Cynthus* Apollo. *Idem.*

*Cortina]* Locus unde oraculum datur. Dicitur autem *cortina*, vel quod Apollinis tripos corio Pythonis tectus est: vel quod certa illinc responsa funduntur, quasi *certina*, vel (quod est verius) quod cor illic vatis tenetur, Nam caverna quidem in templo Apollinis fuit, ad quam *Phœbas*



rapta vaticinabatur; ut Lucan. ostendit. Alii *cortinam* quasi *ortinam* tradunt; quod inde vox oriatur. *Id.*

*Cortina*] In explicando hoc loco insistam vestigiis viri docti Gifan. in Coll. ad Lucret. Tripus erat vas ingens, tripodem tegebat cortina, quæ nihil aliud, quam integumentum et operculum tripodis; huc ascendebat Pythia, editura oraculum, quæ ideo dicebatur loqui ex tripode. Aperit hoc Prudentius Poëta: 'Delphica damnatis jacuerunt sortibus antra: Non tripodas cortina tegit, non spumat anhelus Pata Sibyllinis fanaticus edita libris.' Hanc laminam, sen cortinam impositam tripodi, Græci δλμον vocant, teste Polluce l. x. Græca signata ad rem sunt: τοῦ Δελφικοῦ τρίποδος τὸ ἐπίθημα, ᾧ ἐγκάθηται ὁ προφήτης, δλμος καλεῖται: *Delphici tripodis tegumentum, cui cates insidet, holmos dicitur.* Itaque cortina Prudentii, et δλμος, idem. Hinc lux ad Plin. xxxiv. 3. 'ex ære factitavere et cortinas tripodum nomine Delphicas, quoniam donis maxime Apollinis Delphici dicabantur:' ubi qui per *cortinas* capiunt pelves, non ita probe. *Cerda.*

*Reclusis*] Nunc apertis: alias denuo clusis. *Servius.*

93 *Submissi*] Utrum corpore an anima? an quia supplices rogamus, an quod verum est, *inclinati*? Et sciendum pro qualitate numinum, orantes interdum ima, interdum summa respicere. Nam potestates aliæ cælestes sunt, aliæ terrenæ, aliæ permixtæ. Unde nunc Apollinem deprecantes, terram petunt. Ipse enim est et Sol, et Liber pater, qui inferos petiit: ut Horat. 'Te vidit insomnis Cerberus.' *Idem.*

*Petimus terram*] Bene ergo terram petunt, unde ad eos responsa perveniunt: et quia Apollo etiam inferis notus est. *Idem.*

*Submissi petimus terram*] Imitatur phrasim Lucretianam l. 1. 'Mnta

metn, terram genibus submissa petebat.' Et l. iii. 'insequitur languor, terræque petitus.' Notat Turn. ex Diomede et Varrone, dictum ab Ennio 'terram pinsere,' de eo, qui in genua cadit, eisque terram petit: quod Homero dictum ἐλε γαῖαν ἀγούσῃ. *Cerda.*

*Ad auris*] Codices antiqui omnes ii, qui *auris* admittunt, *auris* per i scribunt ex Velli sententia. Sed sunt etiam vetera quædam exemplaria, in quibus *ad auris* scriptum invenitur: quod quidem non ita placet. *Pierius.*

94 *Dardanida*] Ut diximus, obscura quidem, sed vera sunt omnia. Nam dicendo *Dardanida*, ostendit Italiam, unde Dardanus fuit: quod si Cretam significaret, *Teuciada* diceret. *Serv.*

*Duri*] Vel futurum ostendit laborem: vel eorum arguit insipientiam, qui intellecturi non fuerant. *Idem.*

*Stirpe*] Hoc verbo, Trojanis factus est terror. Sane *stirps*, genere feminino *originem* significat: ut, 'Hen stirpem invisam.' Masculino, *astorem*: ut, 'Sed stirpem Teucris nullo discrimine sacrum.' Sed Horatius contra regulam nititur: ut, 'Stirpesque raptas et specus et domus.' *Serv.*

*A stirpe*] In codicibus aliquot antiquis legere est, *de stirpe*: sed *a stirpe* jam omnes recipiunt. *Pierius.*

*A stirpe parentum*] Libet hic verba Caji adducere J. C. explicantis, quid intelligatur hac voce *Parentes*, in L. appellatione parentis, de verborum et rerum significatione: 'Parentis appellatione non tantum pater, sed etiam avus, proavus, et deinceps omnes superiores continentur,' etc. Recte itaque Poëta de superioribus *Æneæ*, et longe remotis ab ejus ævo, dixit, *parentes*. Dardanus enim longe ultra tritavum erat: et l. v. Acestes dicitur fuisse 'veterum non immemor ille parentum.' Quo loci Trojani omnes intelliguntur. *Cerda.*

95 *Prima tellus*] Italia, unde Dar-

danus venit. Teucer enim de Creta post venit. *Servius*.

*Prima tellus*] Turneb. Ad. vii. 9. *Taubmannus*.

*Ubere lato*] Quod est Italiæ proprium: ut alibi, 'atque ubere glebæ.' *Servius*.

96 *Matrem*] *Matrem* autem, *terram* Apollo significat. Tractum autem est de historia: nam Brutus et filii Tarquinii, cum oraculum Delphici Apollinis peterent; responsum est, ejus imperium fore, qui primus matrem reversus oscularetur: quod solus Brutus agnoscens, de navi egressus, simulans casum, osculatus est terram: unde et potitus imperio est. *Idem*.

*Antiquam matrem*] Uno verbo Euripides *καλαιομένη* dixit, id est, terram. Ita Lucret. l. ii. 'Humorum guttas mater quum terra recepit, Fœta parit fruges, &c. Quapropter merito maternum nomen adepta est.' Intelligit autem Italiam, unde Dardanus, auctor gentis Trojanæ, primum in Troadem commigravit. Teucer vero de Creta post venit. Videmus igitur, in quantum errorem unius verbi negligentia Anchisen ex affectu et tædio peregrinationis Oraculum interpretantem conjecerit. De quo etiam Macrob. vii. 7. in somn. Scipionis. *Taubmann*.

*Exquirite*] Dicens *exquirite*, ostendit difficultatem. *Servius*.

97 *Hic*] Pro *illic*. *Idem*.

*Domus Enæ*] Ad illud respicit, 'Da propriam, Thymbræ, domum.' *Idem*.

98 *Nati natorum*] Propter illud, 'Mansuram urbem.' Nam oraculum semper ad petita respondet. Sane hic versus Homeri est, quem et ipse Orpheo sustulit. Item, Orpheus de oraculo Apollinis Hyperborei. Mire autem sequenti versu hoc ostendit; dicendo, 'Hæc Phæbus.' *Idem*.

*Nati natorum*] Idem quod Ovid. *Metam.* xiii. 624. 'Nec tamen ever-

*Delph. et Var. Clas.*

sam Trojæ cum mœnibus esse Spem quoque fata sinunt.' Ea adi, quæ de posteris *Enæ* notata *Æn.* i. 278. *Emmeness*.

99 *Tumultu*] Quia dixit, *Exquirite*. *Servius*.

100 *Lætitiâ*] Propter promissam imperii æternitatem: finis enim auspicii in demonstratione comprehensus, dedit petentibus lætitiæ optandam gratulationem. *Idem*.

*Cuncti, quæ sint ea mania, querunt*] Post ejusmodi responsum, quo solum continebatur incertum, ut constaret, quæ esset illa regio, ad quam tendere deberent: læti quidem fuerunt omnes, quod optata cognovissent; sed universi quærebant nomen loci. Antiqua enim memoria fuit, quam posterioris ævi homines ignorabant: quam cum nemo nosset, Anchisæ, qui longe cæteris scientia et annis præstabat, revoluta priscorum familia, expositionem responsi audacter est ingressus. *Donatus*.

101 *Vocet*] Aut revocet, aut hortetur. *Servius*.

102 *Monumenta virorum*] Historias. *Idem*.

103 *Spes discite vestras*] Aut quasi senex loquitur: aut quia (ut supra diximus) scit se esse moriturum. Ubique enim sciens futurorum inducitur. *Idem*.

104 *Creta*] Dardanus Jovis filius et Electræ, profectus de Corytho civitate Tusciæ, primus venit ad Trojam, et illic parva ædificia collocavit. Post cujus obitum Teucer venit ex Creta, et invenit Dardani socios, habitantes in vallibus, qui constituit arces et mœnia. Modo ergo errat Anchises: nec respiciens adventum Dardani, oraculum Cretam significare credit. Argumentatur ex his, quæ solent ab advenia fieri. Ida, inquit, illic est; quæ in Troja ad similitudinem dicta: ut, 'effigiem Xanthi Trojamque videtis, Quam vestræ fecere manus.' Item sacrorum similitudo:

*Virg.*

8 D

quam apud majores nefas erat perire. Unde Æneas in duodecimo, 'Sacra deosque dabo, socer arma Latinus habeto.' *Idem.*

*Jovis magni*] Quia illic dicitur nutritus esse: quod (ut Salustius dicit) ideo fingitur, quia 'primos Cretenses constat invenisse religionem.' Sane nati Jovis fabula hæc est: Saturnus postquam a Themide oraculo comperit a filio se posse regno depelli, natos ex Rhea uxore filios devorabat, quæ natum Jovem, pulchritudine delectata, Nymphis commendavit in monte Cretæ Dictæo: ubi eum aluerunt apes. Pro quo involutum lapidem glutendum Saturno dedit, quem cum Saturnus, fraude cognita, vehementius quæreret, ei adhibiti sunt Curetes et Corybantes, qui tinnitu æris, id est, lusus excogitato genere, ut cum clipeis æreis inter se currerent, prohibeant audiri pueri vagitum: unde ipsi sunt Matris deum ministri: sed nonnulli eosdem *Curetes* et *Corybantes* dicunt. Ut autem fingatur Saturnus filios suos comesse, ratio hæc est: quia dicitur deus esse eternitatis et seculorum. Secula autem annos ex se natos in se revolvunt, unde Græce *αἰῶνες* quasi *χρόνοι*, id est, *tempus*, dicitur. *Idem.*

*Creta Jovis*] Jovem in Creta natum, certum est: ideo Creta dicta ejus insula, et ipse *Creticus*. Minutio Felici: 'Mars Thracius, vel Jupiter Creticus, vel Juno Argiva.' A Cicrone de Nat. Deor. *Cretensis*, ut est etiam apud Lactantium l. 11. Sed sciendum, rem hanc incertam, ut pleaque fabularum. Nam Demetrius Scepsius, ut est apud Scholiastem Apollonii l. III. tradit, Phrygas Jovem apud se natum et educatum contendere cum Cretensibus et Arcadibus: ex qua fabula Delrius in Troad. Sen. lucem dat Propertio eleg. III. 1. 'Idæum Simoënta, Jovis canabula parvi.' Lege Pansaniam in Arcadicis et Messenicis, apud quem utra-

que hæc gens sibi vindicant natales Jovis. *Cerda.*

*Medio ponto*] Potest quidem intelligi secundum Salustium, longe a continenti; sed altior est hoc loco potius intuitus. Nam apud Chorographos legimus, quæ insula in quo sit mari: ut Sardinia in Africo, Delos in Ægeo: et de aliis omnibus. De Creta omnes dubitant, in quo sit mari. Nam parte Libycum, parte Ægyptium, parte Achaicum, parte Ionium respicit. Ergo *medio ponto*, ac si dici possit, *medio pontorum*: quod Latinitas non recipit. *Servius.*

*Medio ponto*] Homerus Odyss. XIX. *Κρήνη τις γαῖ' ἐστὶ μέσῳ δὲ ὀφρεὶ ὠκεῖοις*: *Creta tellus est medio in nigro ponto.* Ab Homero Aristides in Cyzicena, de eadem Creta ait, *ἐστὶν ἡ μέση τοῦ ὀφρεὶ ὠκεῖοις*. De illa Mela II. 7. 'in medio mari ingens.' Qui legat Strabonem l. X. plane noverit, cur ea dicta esset in medio maris: numerat enim, quæ maria hinc inde alluant. *Cerda.*

*Creta Jovis magni medio jacet insula ponto*] Non temere quærit Servius, cur *medio ponto* dixerit Virg. Neque insulae dubitationem solvit, dum tot maria enumerat, quæ Cretam insulam adluunt. Dicamus itaque *medio ponto*, id est, ambiguo. Hic enim est Latinitatis modus, ut ea in medio esse dicamus, quæ nulli adhuc parti sint adjudicata. Sed in Virgilianam hanc sententiam nemo proclivius ivit quam Solinus. Ait enim is: 'Promius est Cretam dicere, quam absolvere, in quo mari jaceat. Ita enim circumflui illius Græci nomina permiscuerant, ut dum alia aliis ingerunt, pene oblimaverint universa.' *Pierius.*

*Creta Jovis, &c.*] Sic Ovid. Metam. VIII. 99. 'Certe ego non patiar Jovis incunabula Creten.' Adi Callimachum in hymno Jovis. *Emmenius.*

105 *Mons Idaeus ubi*] *Idæus* derivativum est pro principali: et est *Ἰδὴ Ἰδαία*, ut *Ἄφρῳ Ἐθναίῳ*. *Servius.*

*Mons Idaeus ubi*] Montem hanc in

Creta omnes agnoverunt, et Virgilius ipse in XII. 'Dictamnna genitrix Cretæ carpit ab Ida.' Plin. IV. 12. 'Montes, Cadiscus, Idæus, Dictæus, Morycus.' *Cerda*.

*Gentis cunabula*] Nutrimenta. Nam ubi jacent infantes, *cunæ* vocantur. Et latenter dat gloriam Trojanis, dicens eos a diis originem ducere. Unde est, 'Ab Jove principium generis.' Ibi enim et de Dardano et de Teucro intelligimus, quasi Jovis rives. *Serv.*

*Cunabula*] Occulte laudat Trojanos, ut qui a diis originem ducant: unde Æneid. VII. 'Ab Jove principium generis: Jove Dardana pubes Gaudet avo.' Primi autem Cretenses religionem instituere, auctore Sallustio: ideo putati educasse Jovem. *Taubm.*

106 *Urbis habitant*] Non dicit qui; sed intelligimus Cretenses: ant certe *habitant* pro *habitatur*: ut, 'Insinuat pavor.' Et primo quidem centum habuit Cretæ civitates: unde *Hecatompolis* dicta est: post viginti quatuor: inde, ut dicitur, duas, Gnoson et Hierapidnam. Quamvis Livius plures a Metello expugnatas dicat. *Serv.*

*Centum urbis*] Exponit quod dixit *jacet*: et ostendit magnitudine et ubertate præcipuum regnum, ut et intimet, quod dixit, 'gentis cunabula nostræ,' ponit Teucrum. *Donatus.*

*Centum urbis*] Gellius XIII. 19. hic *urbes* legendum putat *εἰρωνας* causa, non *urbis*. Cretæ descriptionem accuratam tradit Mela II. 7. 'Super eas jam in medio mari ingens, et centum quondam urbibus habitata Crete.' Inde Homero Iliad. II. 649. *Κρήνη φαιστόπολις*. Horat. Od. III. 27. 'Quæ simul centum tetigit potentem Oppidis Creten.' Et Epod. XIX. 'Cretam centum urbibus nobilem.' Sed de hac insula curæ Meursii testantur uberius. *Emmeness.*

*Uberissima regna*] Hic decipitur, quia audit, 'Ubere glebæ.' *Servius.*

*Uberissima regna*] Ad hoc pertinent verba hæc Solini c. 16. 'Nonnulli

etiam a temperis eam *μακροπόρον* appellatam prodiderunt; est vero *μακροπόρος* felix ac beata iassula.' Et hæc item Plinii XXV. 1. loquentis de dictamno: 'procedente persuasione illa, quicquid in Creta nascitur, infinito præstare ceteris ejusdem generis sibi genitis.' Facile in hanc opinionem venerit, qui legerit Strabon. I. X. Homerus Odys. XIX. *καλὴ καὶ πλεῖστα, πύκτρα καὶ πinguis*. *Cerda*.

107 *Maximus unde pater*] Fallitur. Nam antiquior dicitur Dardanus. Alii *maximus*, *antiquissimus* tradunt; per *patris* autem appellationem, majorum cognitionem ostendit. *Servius.*

*Maximus*] Ubi deest nomen consanguinitatis, dicimus *mejores* et *patres*. Ergo *maximus*, est pater ipsorum majorum. *Donatus.*

*Si rite audita recorder*] Bene dubitatione excusat errorem. *Servius.*

*Rite*] Bene advertit Passerat. hac voce signari hic ordinem, ut in Catull. 'Manes carpebant rite laborem.' et in Horat. 'Rite crescentem face Noctilucam.' In quibus locis frustra ad religionem confugas. *Cerda*.

108 *Teucus*] De hoc fabula duplex est, nam et de parentibus ejus dupliciter traditur. Alii enim Curetis et Idææ nymphæ. Alii, inter quos et Trojus, Scamandri filium tradunt, qui Scamander, cum Cretæ frugum inopia laboraret, cum parte tertia populi ad externas sedes quærendas profectus est, ab Apolline monitus, ibi eum habiturum sedes, ubi noctu a terrigenis oppugnatus esset. Cum ad Phrygiam venisset et castra posuisset, noctu mures arcuum nervos et labraments armorum adroserrunt. Scamander hos interpretatus hostes esse terrigenas, in Idæ montis radicibus ædificia collocavit; qui cum adversus Bebrycæa finitimos bellum gereret, victor in Xantho flumine lapsus non comparuit: qui post a Cretensibus in honorem regis sui, *Scamander* appellatus est, filioque ejus Teucro regnum tra-

ditum, qui cives e suo nomine *Teucros* appellavit, qui post a rege Troo *Trojan* dicti sunt, et templum Apollini constituit, quem *Sminthium* appellavit. Cretenses enim murem *Sminthi-*  
*cem* dicunt. Alii non Scamandrum, sed Teucrum ipsum sub conditione supradicti oraculi profectum Creta dicunt, et civitatem et templum condidisse, et *Sminthos* mures vocari a Phrigibus. Tradunt præterea nonnulli Dardanum, a Teucro in Phrigia inventum, filiam suam ei sociasse, et Dardanum populares suos socero cognomines fecisse. Quidam Teucrum Dardani filiam uxorem duxisse tradunt, et ideo *Teucros* appellatos: *Trojanos* autem a Troo Rege. *Servius*.

*Teucrus*] Promisue *Teucer* et *Teucrus* dici docet Charis. Gramm. l. i. *Emmeness*.

*Rhateas*] Rhæteum promontorium Troados, licet alii *Rhetias* legunt, propter Rhetiam Rhitonis filiam. Et amat Virgilius declinationes Græcas, salva regulæ reverentia, in Latinas convertere, « Græcam diphthongum in e longum mutans: ut *Alvelas Æneas, Mhdeia Medea, Πορτειον Rhateum*. *Serv.*

*Teucrus Rhateas primum est advectus ad oras*] In codicibus aliquot antiquis, *Teucros* idiomate Græco scriptum est, in Longobardico *Teucer*. Sed enim Sosipater Car. ex Aurelii sententia, nomina, quæ apud Græcos aut per pos, aut per τπος, aut per δπος, aut per κπος, efferuntur, ea omnia, omissa Græca extremitate, per er apud nos efferri, et per secundam declinationem declinari docet: ut, ἀγρὸς, ager agri: ἀντίπατος, Antipater Antipatri: μένανδρος, Menander Menandri: τεύκρος, Teucer Teuceri. Quanquam ait ille, Virgilius *Teucrus* et *Ecandrus* extulerit. Præterea duo tantum nomina designat, quæ semper in suo statu permaneant, *Codrus* et *Congrus*: non enim dicitur *Coder*, neque *Conger*. Priscianus etiam hoc citato versu Virgilium ait *Teucrus* et *Ecandrus* pro-

tulisse. Quod vero vulgata plurimum exemplaria legunt, *ad oras*, antiqui plerique codices cum Mediceo in *oras* habent. Sed etiam *ad* reperitur. *Pierius*.

*Rhateas*] Rhætei oppidi Troadis, et promontorii meminit Strabo eodem libro. Ut de oppido, *ῥατειον τόλις ἐπὶ λόφῳ*: *Rhateum urbs in colle sita*: et Livius l. xxxvii. 'Dardanum primum, deinde Rhæteum, utraque civitate obviam effusa, venit.' Ut de promontorio tam ipse Strabo, quam alii sæpe. *Cerda*.

109 *Optavitque*] Elegit: ut, 'Pars optare locum tecto.' *Servius*.

110 *Habitabant*] Hi sunt qui cum Dardano venerant. *Idem*.

*Habitabant vallibus imis*] Ad montium radices habitabant, qui cum Dardano olim venerant: quos Teucer postea Ilio et menibus circumsepit. Turneb. iv. 22. et Pimpont. *Taub.*

111 *Hinc*] Id est, de Creta, unde venerat Teucer. *Servius*.

*Mater cultrix Cybele*] *Mater* proprie; *cultrix* autem *Cybeli*, id est, montis Phrygiæ, in quo colitur, a quo *Cybele* dicta est. Alii dicunt *Cybelum* sacerdotem ejus primum fuisse in Phrygia, et ab eo *Cybelen* dictum. Nonnulli *Cultrix Cybele* legunt, ut sit quasi *Cybeleia*. Alii *Cybele*, ἀπὸ τοῦ κυβιστῆν τὴν κεφαλὴν, id est, a capitis rotatione, quod proprium est ejus sacerdotum. *Idem*.

*Hinc mater Cybelæ*] Ab observatione sacrorum, arguit eos esse majores suos. *Donatus*.

*Hinc cultrix Cybelæ*] Quia varia literarum versura totus hic versus in antiquis codicibus deluxatus est, lectio ea nonnullis magis adridet, *hinc matris cultri Cybeles*: ut adludatur ad evirandi ritus, quum præsertim sequatur ad sacrificii supplementum *Corybantique ara*. Alii legunt *cultrix Cybeli*: quæ scilicet Cybelum, Phrygiæ montem, incoleret, a quo Dea sit *Cybele* cognominata. Porro *Cy-*

belum Ti. Donatus agnoscit in xi. locum, in quo Cybele colebatur. Sane *Κυβέλην* Phœniciae oppidum agnoscit Herodianus. *Κύβελλα* vero oppidum ajunt Phrygiae, et *Κίβελλον* sacellum, a quo Rhea sit Cybele appellata, neque non *Κυβελήϊνης* et *Κυβέλης*, ut Pisander in x. Quantum vero pertinet ad l litteram in eo nomine nunc simplicem, nunc geminam, Poëtæ id ex commodo suo facit solent, non quod ea scriptione Phrygiae oppidum ab altero Phœniciae discernatur. Legamus itaque *hinc mater cultrix Cybeli*. Quam lectionem Servius etiam videtur agnovisse. Est autem *colere*, inter alia significata, locum aliquem præsentia sua honorabilem reddere, ut eo loco, 'Posthabita coluisse Samo:' et 'Pallas quas condidit arces Ipsa colat.' Et apud Livium, 'Vos, Ceres mater ac Proserpina, precor, cæteri superni infernique Di, qui hanc urbem, hos sacratos lacus, lucosque colitis.' *Pierius*.

*Mater*] Orpheus in hymnis: *Μήτηρ μήτερ θεῶν, ἥδε θνητῶν ἀνθρώπων*: *Mater Deorum, ac mortalium hominum*. Dicitur etiam, *μεγάλη μήτηρ, magna mater*. Lucretius l. II. 'Quare magna Deam mater, materque ferarum, Et nostri genitrix hæc dicta est corporis una.' Græci *Pasitheam* vocant, quod nimirum esset *πάσι θεοῖς μήτηρ, omnibus Deis mater*. *Cerda*.

*Cultrix*] Achilles Statius in Catnll. ait, Cybelem dici cultricem, id est, versantem in montibus, sicut Catullus ipse est locutus, 'Unigenamque tuam cultricem montibus Idæ:' atque Servium aliena ab hoc loco comminisci. *Idem*.

*Cybelæ*] Unde dicta sit Cybele lege Liliū Syntag. iv. Sanctum Augustinum l. vii. Civitatis. *Idem*.

*Corybantique æra*] *Corybantes*, dæmones, ministri Matris deum. Dicti autem sunt Dæmones, quasi *δαίμονες*, qui totum sciant. *Ærea* autem cymbala Corybantibus Iasonis filiis, quibus vagitum Jovis celaverunt: quos

quidam *Corybantes* dictos tradunt, ἀπὸ τῆς κόρης. *Corybas* enim Proserpina, quæ *κόρη* dicitur Græce, sine patre natus. Alii *Corybantes* ab ære appellatos, quod apud Cyprum mons sit æris ferax, quem Cypri *corium* vocant. *Servius*.

*Corybantique æra*] *Corybantes* ministri fuerunt Cybeles. Hi sonitu cymbalorum sacra Deæ hujus peragebant. Inde *κορυβαντίη, furere*, ne insanire, et divino furore percelli. Origo Cymbalorum hæc esse traditur. *Corybantes* adhibiti sunt custodes Jovis cum is infans, ne ejus vagitus audiretur patri Saturno. Minut. Felix: 'Quæ Jovis sacra sunt. Nutrix capella est, et avido patri subtrahitur infans, ne voretur: et Corybantum Cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur.' Inde est, ut *κορυβαντίη* etiam pro *vigilare* accipiant, quia hi patentibus oculis dormiebant, cum custodiebant infantem Jovem. De qua re adjungo locum Plinii xi. 37. 'Oculis patentibus lepores dormiunt, multique hominum, quod *Corybantian* Græci dicunt.' Qui genus et nomina *Corybantum* volet, adeat Liliū 1. Syntag. et Cæsarem Calpagninum in Dialogis, quibus titulus est, *Equitatio*, ubi late et docte; tum etiam Natalem, aliosque, qui obvi. *Cerda*.

*Corybantique æra*] Locus est de his apud Horatium od. i. 15. 'Non Dindymene non adytis quatit, &c. non acuta sic geminant *Corybantes æra*.' Vide Lambinum, qui hic multa de *Corybantibus*, et *Schedium* de diis Germ. &c. p. 146. 147. *Emm*.

112 *Idæumque nemus*] Ut ostenderet Idæum montem, qui sit in Troja: de Crætæ Ida cognomen indeptum. *Servius*.

*Fida silentia sacris*] Hinc, inquit, inventum est servare sacris fidele silentium. *Idem*.

*Fida silentia sacris*] Ad hoc alludit illud Horatianum od. iii. 2. 'Est et fidei tuta silentio Merces. Vetabo,

qui Cereris sacrum Vulgarit arcanæ, sub iisdem Sit trabibus,' &c. Inde eodem lib. od. 30. 'Dum Capitolium Scandet cum tacita virgine pontifex.' Sed nulla sacra, quam Cereris, silentio magis tegenda, de quibus Just. v. 1. 'Mysteria Cereris initiorum sacra, nullo magis quam silentio solemnia.' Vide Brisson. l. i. de Form. *Emmeness*.

• 113 *Et juncti currum dominæ subiere leones*] *Dominas* deas dicunt: ut alibi, 'Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.' Sane *dominam* proprie Matrem deum dici, Varro et cæteri adfirmant; nam et ibi Proserpinam ideo a Virgilio *dominam* appellatam, quod ipsa terra esse dicatur, sicut et Mater deum. Sane fabula talis est: Scyros civitas est, exinde fuit virgo Atalante, Schænei filia, præpotens cursu: adeo ut cum responsum accepisset, se post nuptias, ut quidam volunt, interituram, ut quidam vero, in naturam aliam commutandam, sponso provocatos ac victos occideret. Postea Hippomenes Venerem, ut sibi in eo certamine adesset, rogavit: a qua cum accepisset de horto Hesperidum tria mala aurea, provocavit puellam ad cursum, et cum se videret posse superari, singula cœpit jacere. Tunc Atalante cupiditate colligendorum malorum retenta, superata est. Sed Hippomenes potius victoria, cum gratiam Veneri, vel oblitus esset, vel neglexisset referre, impulsu ejus, in luco Matris deum, amoris impatientia, cum victa concubuit. Unde irata dea in leones eos convertit, et suo currui subjugavit; et præcepit, ne secum unquam leones coirent. Nam et Plinius in naturali historia dicit, leonem cum parda libenter, et pardum cum læna concumbere. Ideo autem Mater deum currui vehi dicitur: quia ipsa est terra, quæ pendet in aëre. Ideo sustinetur rotis, quia mundus rotatur, et volubilis est. Ideo ei subjugantur leones, ut ostendatur maternam ple-

tatem totum posse superare. Ideo Corybantes ejus ministri cum strictis gladiis esse finguntur, ut significetur omnes pro terra sua debere pugnare. Quod autem turritam gestat coronam: ostendit superpositas terræ esse civitates, quas insignitas turribus constat. Hanc eandem *Heram* appellari, hoc est, *dominam*, tradunt. Alii ipsorum leonum *dominam* a Virgilio dictam arbitrantur. *Servius*.

*Et juncti currum, &c.*] Cybele terrarum omnium Dea currui vehi dicebatur, quia mundus rotatur et volubilis est. Eidem subjugabantur leones, quia materna pietas omnia potest superare: sic Mythologici. Ovid. Fast. iv. causam reddit his versibus: 'cur huic genus acre leonum Præbeat insolitas ad juga curva jubas? Nimirum feritas quoniam mollita per illam Creditur: id curru testificata suo est.' Causam aliam adducit Macrobi. Saturn. i. 21. aliam item Lucr. l. ii. Historias Heliogabali apud Lampridium, Marci Antonii apud Plinium, adi ipse. *Cerda*.

*Dominæ*] Apta ad hunc locum verba Serv. Petri Dan. Plato Leg. E. Terram, et Patriam *θεοῦ δέουσαν* vocat: *Deam dominam*: quod notavit Germ. unde proprie (ait Briss. Form. l. i. Ovid. locutus est Fast. iv. 'Almonis dominam, sacraque lavit aqula.' *Cerda*.

114 *Divum ducunt*] Et necessarium posuit, et honestum. *Servius*.

*Divum ducunt qua jussa, sequamur*] Nam non amplius sunt incerti quo fata ferant. *Donatus*.

115 *Placemus ventos*] Non quia tunc essent asperi, sed ut deinceps illis prosperis utantur. Facit autem rem facilem a brevitate navigationis. *Idem*.

*Placemus ventos*] Nunquam veteres se mari committebant sine hoc munimine. Justinus l. xi. qui de Magno Alexandro: 'Priusquam ulla navis litore excederet, hostias credit.' Alludit vero Poëta vel ad *Βαβυλῶνα*,

erant hæc sacra, quæ pro felici maris trajectu peragebantur, vel ad ἡγεμόσσω, erant hæc sacrificia quædam, quæ alicui Deo persolvebantur pro felici ductu itineris. Horum mentio est in Xenophonte l. iv. 'Ἀναβ. ubi ἡγεμόσσω fiunt Jovi, Herculi, Diis aliis. *Cerda*.

*Cnossia regna*] Cretensia, a Gnoso civitate ejus: et est argumentum a possibili. *Servius*.

116 *Nec longo distant cursum*] A Delo, scilicet: est argumentum a facili. *Id.*

*Modo Jupiter adsit*] Aut aër: ac si diceret, Tantummodo sit serenum: ut Horatius: 'Manet sub Jove frigido Venator, teneræ conjugis immemor.' Aut quia Jupiter præest insulæ Crætæ, quam petebant: aut quia ventos prosperos Jupiter præstat. *Idem*.

*Juppiter*] Temerarium enim est polliceri aliquid de futuro, cujus sumus incerti, nisi deus faveat. *Donatus*.

*Modo Juppiter adsit*] Aut revera Juppiter, qui Crætæ præest: aut *Juppiter*, pro cælo, aut vento ponitur: ut Horat. od. i. 'manet sub Jove frigido Venator,' id est, sub dio: Item od. iii. 10. 'puro numine Juppiter,' id est, sereno cælo. Ita Catullus Carm. 4. pro vento: 'sive utrumque Juppiter Simul secundus incidisset in pedem.' *Taubmann*.

117 *Tertia lux*] Hoc quidam juxta speciem auguralem positum tradunt, quæ appellatur *condictio*, id est, denunciatio, cum denunciatur, ut ante diem tertium quis ad inaugurandum adsit: quod Anchises post impetrationem augurii, et Apollinis responsum, suadens in Crætam eundem, ostendit conditionem in tertium diem; addit enim, *Modo Juppiter adsit*, hoc et pro civitate dicitur. *Servius*.

*Crætæis*] Quia Κρήνη, ideo *Crætæis*, ut *Ænæis*. *Idem*.

118 *Meritos honores*] Unicuique aptos. *Taurum* figurate dixit: varietas enim ipsa idem significat. Ratio enim victimarum, sit pro qualitate numi-

num. Nam aut hæ immolantur, quæ obsunt eorum muneribus: ut porcus Cereri, quia obest frugibus: hircus Libero, quia vitibus nocet. Aut certe a similitudine, ut inferis nigras pecudes, superis albas immolent: item tempestati atras, candidas serenitati. Sane hic ostendit dicendo *meritos* rite Neptuno et Apollini tauros. *Idem*.

*Meritos*] Convenientes. Neptuno, propter ingruentem navigationem: Apollini, propter acceptum oraculum. *Donatus*.

*Meritos honores*] Hic *honor* pro ipso sacrificio. De hac voce et significatione disputat Heraldus animadvers. in Jamb. c. 5. Noster, 'Ne qua inter sacros ignes in honore deorum Hostilis facies occurrat, et omnia turbet.' *Emmeness*.

119 *Taurum Neptuno*] Propter futuram navigationem. *Servius*.

*Taurum Neptuno*] Brissonius etiam ex Plutarchi Symposio ostendit, *Taurum* Neptuno immolari solitum. Vide et Agell. xiii. 25. Inprimis Macrob. iii. 10. Cur autem *nigrum*, cum unus sit deorum cælestium, quibus *alba* conveniunt, docet Interpretes Hom. qui ait: *Taurum* quidem immolari, ob maris violentiam; *nigrum* vero, propter eum, qui ex profunditate sit, aquæ colorem. *Idem* ad Iliad. A. recenset victimarum genera, quibus ἡλεῖ ἀνδράλων: faciebant: atque inter *Solares* istas victimas numerat etiam *agnos*, *oves*, *asinus*, *equos*; ratione hostiarum sigillatim reddita, cur *θεῶν νομῶν* (*pastorali*) καὶ *ζωονόμων* promiscuis variisque victimis sacrificarint. Quanquam Xenophon ubique fere *equos* Soli victimas assignat. Sacrificat autem *Æneas Neptuno*, propter instantem navigationem: *Apollini*, propter sponsi beneficium. *Hiemi* denique sive *Tempestati* mactat pecudem: (id est, ovem: nam, ut ad Plauti Mercat. act. iii. 1. docuimus, *pecus* maxime *oves* significat) quomodo et Horatius Epod. x. *Tempestati*, quæ ritu Ro-



mano dea erat, *agnam* immolat. De quo et Turnebus IV. 22. *Taubman*.

*Pulcher Apollo*] Propter oraculum datum. Sane hoc loco Virgilius sequutus veterum opinionem, Neptunum tantum et Apollinem nominavit; dicuntur enim hi dii penates fuisse, quos secum advexit Æneas, quamvis diversis locis alias opiniones aliorum secutus Poëta de diis penatibus diversa dixerit; et quidam *pulcher Apollo* epitheton datum Apollini reprehendunt; *pulchros* enim a veteribus *exsolutos* dictos, nam et apud Lucilium *Apollo pulcher* dici non vult. *Servius*.

120 *Nigram Hiemi pecudem, Zephyria felicitibus albam*] Bono usus est ordine, ut prius averteret mala, sic conciliaret optanda. Frustra enim profutura poscuntur adversis sequentibus: nam et Romani veteres, Diis asperioribus sacrificabant, ne nocerent. *Idem*.

*Nigram Hiemi pecudem*] Avertit prius mala, ut mox optanda conciliet. Tale illud *Æn. v.* 'et tempestatibus agnum:' adi. Inde hic *hiemem*, pro tempestate capio, et capiunt nonnulli interpretes. Versus integer factus ad Homeri imitationem: *Ὀσσεε δ' ἄρ', ἕτερον λευκὸν, ἕτερον δὲ μέλαινα: Fere-tis (agnos) alterum album, alteram nigram.* Morem Poëtæ firmat Aristophanes in Ranis: *"Ἄρ', ἄρα μέλαινα παῖδες ἐξενέγκασε· Τυφὸν γὰρ ἐκβαλεῖν παρασκευέσεται: Agnam, agnam nigram afferte pueri: Vortex enim parat erumpere.* Ceterum Gyraldus de Navigiis c. 9. ex Græcorum commentariis adducit, procellosis ventis, quos Typhonas vocant, nigram agnum immolari, ut iis spiritus desinat: et inde fortasse dictum a Virgilio, *nigram hiemi pecudem*. Videndus Turnebus dicto loco, et in Plin. Dalecampius. *Cerda*.

*Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicitibus albam*] Ad hunc locum consule Leopardum emendat. II. 23. qui Servium in hunc locum justo concil-

siorem affirmat. *Emmeness*.

121 *Fama volat*] Opportunitatem convenientem oblatam ostendit. Favere ergo Trojanis locus, quia secundum Anchisen, fata Cretam portendebant. Item tempus, quia regnum vacabat, erantque domus paratæ, ne essent cum magno labore edificandæ. *Donatus*.

*Pulsam regnis cessasse paternis*] Non dicit quare. Sed talis historia est: Idomeneus, de semine Deucalionis natus, Cretensium rex, cum post ever-sam Trojam reverteretur, in tempestate devovit diis sacrificaturum se de re quæ ei primum occurrisset. Contigit ut filius ejus primus occurreret: quem quum immolasset; ut alii verò, immolare voluisset; et post orta esset pestilentia, a civibus pulsus regno, Sallentinum Calabriae promontorium tenuit, juxta quod condidit civitatem: unde est, 'Et Sallentinos obsedit milite campos Lictius Idomeneus.' Relatio ergo historię ad injiciendum Trojanis Cretam eundi desiderium pertinet: et re vera aliter ad hostis provinciam ire non poterant. *Sere*.

122 *Idomeneæ*] Hujus nominis penultima syllaba natura brevis, contra regulam producta est. Sed quia quinque Græcæ linguæ sunt, *Æolica*, *Ionica*, *Dorica*, *Attica*, *Communis*: hinc fit ut in uno nomine varietas inveniat: ut ecce in *Idomeneus* *Communis* lingua facit genitivum *Ἰδομενέως*, *Dorica*, *Ἰδομενέως*; *Attica* *Ἰδομενέως*; *Ionica* *Ἰδομενέως*. Unde est hic in versu accusativus, sicut et *Ἰλιονεα*. *Idem*.

123 *Hoste*] Multi hic distinguunt. *Idem*.

*Hoste vacare domos*] In exemp. admodum vetustis *domum* legi numero unitatis. Sed plenius est *domos* dicere, quod satis universa facit multitudini, commodumque ita omnia hospitium pollicetur. *Pierius*.

*Astare*] *Ese* quod tunc significat, quando de his loquimur quæ cadere

non possunt; ut si dicas *terras adstare*. Et ostendere vult se non temere credidiase. *Servius*.

124 *Ortygia*] De hac plenius supra dictum est. *Idem*.

*Pelagoque volamus*] Quia ut alibi, 'Mare velivolium.' *Idem*.

*Volamus*] Ostendit ex prospera navigatione, quantum valuerint obsequia sacrificiorum. *Donatus*.

*Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus*] *Linquimus* pro dimittimus dici monet Non. Marc. sed rectius *discedimus, solvimus*. *Volare* autem pro *celeriter navigare*: inde navis currens pansis velis, avi volanti comparatur, ut notavit Schottus Nod. Cic. i. 24. *Emmeness*.

125 *Bacchatamque jugis Naxon*] Ant vitibus consitam, aut celebratam Bacchis: aut ubi Bacchus ex Indis, vel, ut quidam volunt, post devictos Gigantes egit triumphum. Nam, ut supra diximus, ipsi consecrata est, quæ et *Dia* dicitur. *Bacchatam* ergo in qua bacchatus sit Liber; aut ideo gratam Baccho, quod ibi cum relicta a Theseo Ariadne libentissime concubuerit, cui etiam coronam donavit, quæ postea inter sidera collocata. *Servius*.

*Bacchatamque jugis Naxon*] Parrhasius, ad illud Claudiani l. i. 'ululatus Ida Bacchatur;' notat: *Bacchatur*, id est, a fanaticis per furorem quatitur. Et passive dixit, ut Maro, 'Bacchatamque jugis Naxon:' ubi per epitheton nominis rationem Poëta expressit, ex Euphorionis sententia, qui *Naxon* dictam tradit a verbo *νέξαι*, quod est *bacchari*, atque rem divinam facere: quamvis alii nomen insulae datum velint ab Endymionis filio *Naxo*, &c. Sunt, qui *bacchatam* Virgilio *Naxon*, *ἡλώς* dictam putent, eo, quod in ea Liberi patris orgia celebrarentur; eadem ratione, qua *Cithæron* a Papinio Theb. iv. 'et te, bacchate Cithæron.' In Ge. ii. 'Virginibus bacchata Lacænia Taygeta,'

id est, a bacchantibus frequentata. Vide et Turneb. xxi. 21. Nic. Erythræus docet, hanc insulam *Strongylon*, deinde *Dian*, mox *Dionysiada*, a vinearum fertilitate dictam: alios *Siciliam minorem*, aut *Callipolim* appellasse: hodie *Nixian* vocari. *Taubm.*

*Naxon, viridemque Donyeam*] In codicibus aliquot antiquis, *Donusam* per *u* Latinam vocalem in pene ultima scriptum legas: non hic, quia ut Verrio Flacco placet, eadem apud nos *u* litera sit, quæ apud Græcos *y* pylon. Sed quia insula ea *Ἰονοῦσία*, Græcis est, κατὰ παραφθορὰν ex *Dionysia*: quippe quod Bacchus in eam ex Naxo trajecerit Ariadnam, quam Minos pater insequabatur. Est et *Donusam* legere in antiquo Taciti codice iis libris, quos Leo x. Pontif. Opt. Max. ab interitu vindicavit, pro hac eadem insula. *Naxon* vero in codicibus aliquot per *s* notatum invenies. Græci tamen per *ξ* nomen hoc scriptitare solent. Eodem hoc modo apud Livium in captivitate Syracusarum corrigendus locus ex veteri codice, 'Epicides ab insula, quam ipsi *Naxon* vocant.' Nam *Naxon* per *s* in impressis codicibus habetur. Sed ut ad *Naxon* alteram, qua de nunc agitur, redeam, illud minime præterierim, traditum ab Asclepiade, 'Naxias mulieres solas hominum octimestrem fœtum vitalem parere.' Sive quod Bacchus sibi Junonem conciliaverit: sive quod eo temporis spatio sit ipse natus, cujus rei memoriam ita voluerit illustriorem fieri. *Pierius*.

*Viridemque Donusam*] Vel a colore marmoris Lacedæmonii, vel silvestrem. *Servius*.

*Viridemque Donusam*] *Viridem*, vel a pabulo, quod ibi abundantissimum: vel a colore marmoris viridi: ut et 'niveam Paron' dixit, a candido marmore. Ciri, vs. 478. 'Marmoreamque Paron, viridemque allapsa Donyeam.' *Taubmann*.

*Bacchatamque jugis Naxon, viridem-*

*que Donusam*] De utraque insula ex Stephano et Eustathio, qui eam inter Sporadas ponunt, mentionem facit Vossius ad Melam, qui inter Cycladas numerat II. 7. In Naxo relicta a Theseo fuit Ariadne, ejusque insulæ meminit Ovid. Heroid. epist. x. qui ob sterilitatem vituperat: 'Quid faciam? quo sola ferar? vacat insula cultu: Non hominum video, non ego facta bonum.' Baccho consecrata: inde apud Stat. Achill. I. IV. 'Bacchica Naxos.' *Donusa* scribendum non per y, quia Græce *δοῦσα*, quod commoveri hæc terra soleat monet cum Vossio Dansquius in Orthogr. *Emmeness*.

126 *Olearon*] Non adjecit epitheton causa varietatis. *Servius*.

*Olearon*] In antiquis aliquot exemplaribus, *Oliaros* secunda vocali per *lāra* scriptum invenias, uti etiam scribitur apud Græcos: de qua ita traditur, 'Ὀλίαντος νῆσος τῶν κυκλάδων μία. Solent tamen Latini *lāra* libenter in e vertere, vocali alia præcipue subsequente, ut in nomine *Æthereus*. Fuit vero Oliaros Sidoniorum colonia, ut Ponticus Heraclides tradit, in libro de Insulis. Ea vero a Paro distat octo et i. stadia. *Pierius*.

*Olearon*] Inter Sporadas nominat Mela II. 7. ut hoc in loco, ita Stat. Achill. I. IV. et *Paron* et *Olearon* conjungit tanquam vicinas insulas. *Emmeness*.

*Nicoamque Paron*] Unde candidum marmor; ut, 'Pariuseve lapis circumdatur auro.' *Servius*.

*Paron*] In codicibus aliquot antiquis, *Parum* idiomate Latino scriptum inveni. Sed enim propria nomina Græce declinata, plerunque nescio quid venustius sonare videntur. Sic *Paron* magis placet. Ita etiam apud Historicos, ut in ant. Livii cod. *Corinthon* legi, et 'clam Cypron profugit:' et alia hujusmodi pene innumera. *Pierius*.

*Nicoamque Paron*] Propter candi-

cans marmor, cujus frequens mentio. Strabo, I. x. ἐν δὲ τῇ Πάρῳ ἡ Πάρια λίθος λεγομένη ἀρίστη: *In Paro lapis Parius, qui optimus*. Meminit et Callistratus in statu: sed coloris candidi signatior in aliis, Ovidio Am. I. 'Astittit illa gemens albo, et sine sanguine vultu, Cæduntur Pariis qualia saxa jugis.' Horatio, qui splendorem dat. Od. I. 19. 'Urit me Glyceræ nitor Splendentis Pario marmore purius.' Seneca in Hipp. qui claritatem, 'Lucebit Pario marmore clarius.' Ab hac insula omnes Cycladas Horat. *nitentes* vocat Od. I. 14. 'interfusa nitentes Vites æquora Cycladas.' Sed quidem Strabo I. XV. candidissimum marmor non tam in Paro, quam in Proconnesso constituit: *ἔχουσα καὶ μέγαλλον μέγαν λευκοῦ λίθου σφόδρα ἐπαινούμενον: habet et albi lapidis venam magnam, et imprimis laudatam*. Sed nobilitas Pari effecit, ut sibi tribueretur nobilissimi marmoris dignitas. *Cerda*.

*Sparsasque per æquor Cycladas*] Et hæc, quas dixit, Cyclades sunt: unde minus est, et alias. *Sparsas* autem, quia nullo ordine continentur, ut Stæchades: quæ ἀπὸ τοῦ σταίχων dictæ sunt: rectæ enim sunt. *Cyclades* vero non ideo dicuntur, quia in rotunditate sunt, sed quod longo ordine eas circumire necesse est. Alii *Sporadas*, nomine Cycladum dictas tradunt, quod sparsæ sunt. *Servius*.

*Sparsasque*] Post specialia transit ad generalitatem. Nam cum dixisset nomina aliquarum insularum, addit, 'crebris legimus freta concita terris:' quia nec cognitionem habere *Æneas* omnium vocabulorum potuit, et odiosum fuit relationem ipsam facere longiorem. *Donatus*.

*Sparsasque per æquor Cycladas*] Frequens opinio scriptorum est, Cycladas dictas, quod circum Delum sint, et veluti in orbem conglobatæ, Strabonis, Plinii, Solini, Ammiani. Quosum, primus I. x. περὶ τῶν (Δῆλον)

*Æneides. Cyclades circum Delon.* Alter, 'Circa Delum in orbem sitæ, unde et nomen traxere, Cyclades.' Tertius, 'In orbem circa Delum sitæ sunt, et orbem *κύκλος* Græciloquuntur.' Quartus l. xxii. 'Cycladas sic appellatas, quod omnes ambiunt Delon.' Sed omnibus opponitur Servii auctoritas, qui non vult Cycladas dictas, quod sitæ in rotunditate, sed quod longo ordine eas circuire necesse sit, propter promontoria. Nam Virgilius *sparsas per æquor* dixit, tanquam nullo certo et composito ordine constitutas. Deinde, epithetum *sparsas* Sporadas respicit, quæ insulæ sunt ad Cretam, non in orbem coarctatæ, sed sparsæ per maria. Ergo sicut illæ, Sporades, id est, sparsæ dicuntur: cur non id etymi Cycladibus conveniet, quæ sparsæ quoque a Poëta dicuntur? De numero Cycladum lege Strabonem l. x. et Plin. iv. 12. uterque plures nominat. Orosius i. 2. ait esse quinquaginta tres. *Cerda.*

127 *Legimus*] Præterimus: ut, 'Litora que Epiri legimus.' Tractus autem sermo a nautis, quod funem legendo, id est, colligendo, aspera loca prætereat. *Servius.*

*Legimus*] Est nauticum verbum, cum colligunt funes, cum pelagi prolixa transmittant: et pertinet ad omnes insulas, et ad freta. *Donatus.*

*Freta concita terris*] Vel propter promontoria: vel quod naturale est, ut concitatoria sint maria vicinitate terrarum: quas constat anhelitum quendam ex se emittere. Unde in quinto navigaturus Æneas, Eryci sacrificat. *Servius.*

*Et crebris legimus freta concita terris*] In codicibus aliquot manu scriptis legi, *freta concita remis*, in quibusdam *consita*. Frequenti quippe navigatione sollicitata, quod quidem fieri in multarum insularum, earundemque passim habitatarum, vicinitate, par est. Sed neque displicet *terris*, ut freta dicat crebris incursionibus tam fre-

quentium insularum concitari. *Pier.*

*Freta concita*] Multi *consita*, multi *concita*. His hæreo: certe illud genus epitheti insulis potius conveniret, quæ disseminatæ et sparsæ dicuntur per pelagus, quam freta: ergo legamus *concita* cum Servio, Donato, aliis; et apte: freta enim tot insulis interjecta, non possunt non esse concitata crebris undarum reciprocationibus. Denique lectionem, quam sequor, firmat in nonnullis mss. legi *crebris freta concita remis*, cum qua lectione nequit consistere *consita*. Firmat etiam auctoritas Paulini epist. 34. ubi loquens de navi quapiam: 'Siciliam transcurrit, circa quam concita et verticosa crebria, ut ferunt, insulis freta.' In quibus hærens Virgilio, *concita* dixit, non *consita*: iterum epist. 42. 'Si concitata ferventer ventis freta.' *Cerda.*

128 *Nauticus exoritur*] Id est, *Celeusma*. Martial. epigr. iv. 64. 'Quem nec rumpere nauticum celeusma, Nec clamor valet helciariorum.' Sunt autem *helciarii*, qui molliunt moles funibus, navesque ducunt. Scalig. iv. 28. versus hosce exemplum proponit Oratoris *ἀνυρότρον*, id est, dissitæ et divisæ: quæ hic faciat ad celeritatem. *Taubmann.*

*Certamine*] Sunt naris admodum emunctæ viri, qui pro *certamine* legendum autem *hortamine*, sustinerique versum adspirationis vi contendunt. Eam ego lectionem nusquam in antiquis codicibus inveni. Legi vero apud Ti. Donatum, in navi varia esse officia, et tamen omnia cum certamine et labore. Quare quam is lectionem agnoverit, meridiana luce clarius apparet. *Pierius.*

*Vario certamine*] Nam varia officia sunt, et omnia cum certamine et labore. *Donatus.*

*Clamor*] Vel morem nantarum expressit, vel eorum gaudium, qui, suffragantibus ventis, prospera sperabant. *Idem.*

129 *Cretam proavosque*] Sane proa-

vos appellando, cognationem declarat. Celeusmaticum est hoc hemistichium. Et bene metro Celusmatis usus est, id est, Anapæstico trimetro hypercatalecto. *Celeusma* autem quasi præceptum. Unde Salustius, 'Impediabant iussa nantarum.' *Servius*.

130 *Surgens*] Flans: ut, 'Et flando surgentes demoror austros.' Et contra, non flans, *ponens* et *residens* dicitur: ut, 'Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus.' *Idem*.

*Surgens a puppi ventus*] Quem Latini vocant *secundum ventum*, et a *puppe*, Græci *οὐρον* et *οὐριον* nominant, quasi a cauda; nam videlicet ab animalium caudis puppim vocant *οὐραν*. Inde *ἐξ οὐπλᾶς πλεῖν*, *secundo vento navigare*, puppimque feriente. Idem omnino, qui ab Homero *φῆρον ἄνεμος* non semel dicitur, et *ventus ferens* a Seneca de vita Beat. et *venti ferentes* a Virgilio *Æn.* iv. et a Plinio in *Panegy.* Pollux l. i. vocat *φορὸν ἄνεμον*, *ἐπιφορὸν*, *ἐπικαυρον*, *ἐπιπνέοντα*, *προπνέοντα*, *προπέμποντα*, *παρὰπνέοντα*, *συνπροπέμποντα*. Versus Poëtæ affinitatem habet cum illis Homericis *Odyss.* xi. 'Ἡμῶν δ' αὖ κατόπισθε νεὸς κυανοπρόροιο Ἴκμενον οὐρον ἱεὶ πλοησίσιον, ἐσθλὸν ἐταῖρον. Et cum illo *Il.* i. τοῖσιν δ' Ἴκμενον οὐρον ἱεὶ ἐκδ' ἔργος Ἀπόλλων. *Cerda*.

131 *Et tandem*] Ad desiderium pertinet: nam sequitur, 'Ergo avidus muros.' *Servius*.

*Tandem*] Non prolixæ navigationis fuit, sed cupiditatis navigantium. Nam cupienti omnia tarda sunt, etsi summo opere properentur. *Donatus*.

*Curetum*] Hi Curetes primi cultores Cretæ esse dicuntur. Alii tradunt *Curetes* et *Corybantes* Matris deum ministros, custodes, sicut dictum est, pueri Jovis, ad plurimas res maximi usus hominibus extitisse. *Servius*.

*Allabimur*] Ostendit prosperam navigationem fuisse. *Idem*.

*Curetum allabimur oris*] Pro eo O-

vid. *Met.* viii. 153. 'Ut egressus rati-  
bus Curetida terram Contigit.' ad  
illum locum consule Nob. Heinsium.  
De Curetibus ipais notavimus quæ-  
dam *Ge.* iv. 151. *Emmeness*.

132 *Ergo avidus muros*] Ordo est:  
*Avidus urbis optatæ muros molior*; non,  
*avidus molior*. *Servius*.

*Avidus*] Non avarus, sed quasi ocii  
cupidus. *Donatus*.

133 *Pergameamque voco*] *Zeugma*  
a superioribus, hoc est, urbem. Le-  
gitur sane in libris antiquioribus, *Æ-*  
*neam* vere Cretam tempestate dela-  
tum locum Trojam nomine Pergamum  
appellavisse. Alii dicunt, Pergamum  
in Creta conditam a Trojanis capti-  
vis, qui ex classe Agamemnonis illo  
erant delati, ibique putant *Æneam*  
quendam, generis auctorem, Ilio inco-  
lumi, cum eo ad sacrum Apollinis  
venisse, et gravidam hospitis filiam  
fecisse; ex qua ortus eodem nomine  
*Æneæ*, classem Agamemnonis est ad-  
gressus hieme disiectam; cui se fe-  
runtur junxisse hi, qui Cretam seces-  
serant, deserto Agamemnone; unde  
loco nomen Pergamum ab illo conditum,  
quod obtinuisse desertores fe-  
runtur, juxta Cydoniam: quod poë-  
tam latenter attigisse debemus acci-  
pere. *Servius*.

*Pergameamque voco et latam cognomine gentem*] In pluribus antiquis  
exemplaribus versus hic in duo mem-  
bra dispescitur: cum superiori enim  
versu, *Ergo avidus muros optatæ mo-*  
*lior urbis*, hemistichium adiungunt,  
*Pergameamque voco*: coma mox inter-  
jecta subjungunt, et *latam cognominis*  
*gentem Hortor amare focos*. Pontanus  
versum pro unico membro citat:  
non taciturnus, si et illud insertum  
agnovisset. *Pierius*.

*Pergameam*] Pergami in Creta op-  
pidi *Plin.* meminit iv. 12. 'Oppida  
ejus insignia Phalasarne, Elææ, Cy-  
sæum, Pergamum.' De eo nihil  
*Servius* vulgaris, sed multa *P. Danie-*  
*lis*, quæ et locum *Plinii*, et hunc *Vir-*

gillii illustrent. *Cerda.*

*Lætiam*] Propter Pergama restituta. *Servius.*

*Gentem*] Sociorum multitudinem. *Idem.*

134 *Amare focos*] Sacrificia celebrare. Quidam *focos* lares, et per hoc domicilia tradunt. Ergo *focos* pro *penates* posuit. At e contrario, *penates* pro *focis*, ut 'Flammis adolere penates.' Sane Varro rerum divinarum libro, refert: inter sacratas aras, *focos* quoque sacrari solere, ut in Capitolio Jovi, Junoni, Minervæ, nec minus in plurimis urbibus oppidisque, et id tam publice, quam privatim solere fieri; *focum* autem dictum a *foci*, ut *colinam* ab eo quod ibi ignis colatur; nec licere vel privata vel publica sacra sine foco fieri: quod hic ostendit Poëta: *focorum* enim commemoratione, instantium sacrificiorum mentio inducitur: quod ita esse multis locis docetur. Quidam aras superiorum deorum volunt esse; Medioximorum, id est, marinorum, *focos*; Inferorum vero *mundos*. *Idem.*

*Focos*] Ut haberent cum laribus novis affectus. *Donatus.*

*Hortor amare focos*] Id est, sacrificia celebrare: ut quidem *Servius*, et *Pimpon.* exponunt: fortasse, quod *focus* pro *Vesta* interdum sumatur: (Glossar. *Focus*, 'Eorla') hæc autem sit ignis inextinguibilis, &c. vel, quia nihil novi sine sacris aggrediebantur veteres. At *Turneb.* xxviii. 5. ex Onomastico veteri P. Danielis, *Focos amare*, interpretatur, domos construere. Etiam *Servius Daniel.* *Focos* lares intelligit, et per hos domicilia. *Taubmann.*

*Arcemque attollere*] Poëtica periphrasis, id est, domos ædificare. Nam *arx* est locus in civitate munitus. *Servius.*

*Arcemque*] Quæ præcipue amavit in Troja, hæc reparare cupiebat. *Donatus.*

*Arcemque attollere tectis*] Minore opera potuisset dicere Poëta; atque *arcem tollere*, sed efficacia in attollendo periisset: et erudite disputat *Scalig.* iv. 48. *Idem* c. 46. de *Pleno* et *Vacuo*: 'Maluit, inquit, Poëta, *Attollere*, quam *Tollere*: opera enim multa eget arcis ædificatio.' *Taubm.*

135 *Fere*] *Re*, longa est. *Servius.*

*Sicco subductæ littore puppes*] In sicco subductæ littus. *Idem.*

*Sicco*] Nam udum etiam est litus. *Donatus.*

*Sicco subductæ littore puppes*] Tria in hoc versu nomina geminatis consonantibus notata, in antiquis codicibus simpliciter scribuntur, *sicco*, *littore*, et *pupes*: sive ita deposcat analogia: sive quia, ut *Victorinus* ait, antiqui consonantes geminare non consueverunt: ut in his *annus*, *Lucullus*, *Memmius*, et his similibus. Supra vero consonantem, quam geminari oportebat, *Sicilicon* imponebant: cujus figura hæc est *Victorino*: *an'us*, *Lucu'us*, *Mem'ius*: idque signum geminandi apparere in multis veteribus adhuc scriptis libris attestatur. Sed enim de *littore* cur unico omnino describi debeat, in vii. disputatum. *Pierius.*

136 *Connubiis arvisque*] Quæ res ostendebat magnam fiduciam manendi. *Donatus.*

*Operata juventus*] Perfecit sacrificia propter connubia, et novas sedes: quia apud veteres, neque uxor duci, neque ager arari sine sacrificiis peractis poterat: ut alibi, 'Lætis operatus in herbis.' Item *Juvenalis*, 'Et matutinis operatur festa lucernis.' *Servius.*

*Operata juventus*] In Sacris usum habet sæpe hoc verbum, ut ex *Non. Marcell.* et *N. ad Ge.* i. 339. Simpliciter etiam pro opus facere, quemadmodum *Horat.* epist. i. 2. 'In cute curanda plus æquo operata juventus.' *Emmenes.*

137 *Jura domosque*] Leges vivendi

et domos: aut ipsarum domorum jura, id est, dominia a legibus deputata. *Donatus.*

*Jura domosque dabam*] Aut, leges vivendi et domos: aut, ipsarum domorum jura, hoc est, dominia legibus deputata. Sed V. N. ad illud *Æn.* l. 430. 'Jura magistratusque legunt.' *Taubmann.*

*Subito cum*] Id est, cum subito. *Servius.*

*Subito cum tabida membris*] Securus ac dispositis omnibus, subita pestilentia coorta est ex æris corruptione, non hominibus solum, sed et arboribus, et satis victus causa: supra enim dixerat: 'Arvis operata juventus.' Langore autem corporis, letum effugere non poterat. *Donatus.*

*Subito cum tabida*] Descriptio pestilentie, a causis suis et effectis: quam breviori quidem ambitu concludit, sed versu sublimi. Eandem *Ge.* l. iii. descripsit larga vena, sed casta, quas inter se comparare operæ pretium censeat *Scalig.* iv. 23. De origine morborum et pestilentie luculentissimis versibus tractavit etiam *Lucretius* l. vi. sub finem. *Taubmann.*

138 *Corrupto cali tractu*] Hic est ordo pestilentie, ut *Lucretius* docet: primo æris corruptio, post aquarum et terræ; mox animalium. Notandum sane, Apolline offenso, pestilentiam creari semper: quod etiam *Homerus* ostendit, cum eum armatum inducit sagittis. Unde et *Apollo* dicitur secundum aliquos ἀνδρὶ τοῦ ἀνθρώπου. Contra si cytharam teneat, mitis est. Unde *Horatius*, 'Condito mitis placidusque telo Supplices audi pueros Apollo.' *Servius.*

*Miseranda*] Metonymia, quæ miseranda facit. *Idem.*

139 *Arboribusque satisque lues*] Quidam dicunt diversis numinibus, vel bene vel male faciendi potestatem dicatam; ut *Veneri* conjugia; *Cereri* divortia; *Janoni* procreationem li-

berorum: sterilitatem horum, tam *Saturno* quam *Iunoni*: hanc enim sicut *Saturnum* orbandi potestatem habere. *Idem.*

140 *Lingebant dulcis animas*] *Idem* alibi, 'Et cum frigida mors animam seduxerit artus.' Quare anima dicitur relinqui, et non magis relinquere? Secundum eos scilicet, qui dicant animam esse perpetuam, et ad diversa corpora transitum facere: quod si est, bene dicimus nos animas linquere, quorum nihil præter corpus est. Nam anima perpetuitatis est. Unde *Palimurus* in sexto, 'Nunc me fluctus habet:' hoc est, corpus, quod solum meum est. Aut certe simpliciter animæ eos linquebant, quia morientibus maxime dulces videntur. *Terent.* 'Animam relinquam potius quam illud deseram.' *Idem.*

*Lingebant*] Ex principali malo hæc proveniebant: aut moriebantur homines, aut corporibus tabe dissolutis trahebant miserabilem vitam. *Donatus.*

*Lingebant dulcis animas, aut ægra trahebant Corpora*] In codicibus aliquot antiquis una eademque periodo concluduntur: *Et letifer annus Lingebat dulcis animas, aut ægra trahebant Corpora*; ut *letifer annus* sit subjectum. In aliis tamen exemplaribus curiosioribus legi, *lingebant animas dulcis, aut ægra trahebant Corpora*: quæ lectio recepta. *Pierius.*

*Lingebant*] Adumbrat *Lucretium*, qui l. v. 'Dulcia lingebant labentis humana vitæ.' Verbum *lingere* necias quo veterum omnium consensu tractum est ad mortem, quod *Hieronym.* *Columna* in l. iii. *Annal.* *Ennii* probat, ex *Ennio* ipso, ex *Virgilio* bis, ex *Lucretio* bis, ex *Cicerone*, *Nævio*, *Lucilio* semel. *Corda.*

*Aut ægra trahebant*] Duo mala significat, aut mortem, aut aegritudinem prolixam. *Ægra* autem *ægrotat*: et bene addidit *corpora*, quia et animas æger potest esse. *Servius.*

141 *Exurere Sirius agros*] *Sirius* stella est in ore Canis posita: quæ annis omnibus oritur circa octavum Kalendas Julii: quæ orta plerumque pestilentiam toto anno facit, plerumque paucis diebus, interdum innoxia nascitur. Hinc est, 'Et in totum regnaret Sirius annum.' Item supra, 'et Iothifer annus.' Tunc autem pestilentiam creat, si in hanc rem etiam cæterorum consentiat cursus astrorum. Sane *Canicula*, in cuius ore est, tantum generis fœminini est: cum sit Canis communis generis, unde hoc nascitur. Nam in diminutione mutavit genus. *Idem.*

*Exurere Sirius*] Ergo qui spem evadendi habebant fame perituri videbantur, cum *Sirius* exurendo omnia sterilia redderet. *Donatus.*

*Sterilis exurere agros*] Exurendo steriles reddere. *Servius.*

142 *Arabant herbæ*] Signum pestis atrocissimæ, quæ non in homines tantum et pecora, sed in herbas quoque et agros grassatur. Seneca (*Edip.* 'denegat fructum Ceres Adalta, et altis flava cum spicis cremat, Arente culmo sterilis emoritur seges.' Iterum, 'Non rura virent ubere glebæ, Non plena suo vitis Iaccho Brachia curvat.' Manilius l. i. in sua peste: 'Squalidaque cinai deplorant arva coloni.' *Cerda.*

*Segetes agræ*] *Segetes* interdum terram significat: ut Horatius, 'Hæc segetes ingratos tulit, et feret omnibus annis.' Interdum frumentum: ut, 'Quod faciat lætas segetes.' Hoc loco utrumque potest intelligi. *Servius.*

143 *Rureus*] Pater, qui prudentia alios præbat, primus sensit aliquid factum contra præcepta Apollinis. *Donatus.*

*Rureus ad oraculum Ortygiæ*] In antiquis plerisque codicibus *oraculum* integra dictione scriptum invenias. In quo forte putabant a secundam syllabam a principio corripri posse ratione polysyllabice dictionis: quod

ajunt quidam in hujusmodi vocabulis medias plerumque ad placitum poni, ut *Sidonia Dido*, et *Sidoniam picta*. Sed enim omnes jam probant *oraculum*, κατὰ οὐγκονή. *Pierius.*

144 *Hortatur pater ire mari*] Bene filium mittit, quia erroris causa pater fuerat. *Servius.*

*Veniamque precari*] Et beneficium: ut, 'Orantes veniam:' et re vera veniam erroris Anchisæ, qui oraculum male interpretatus est. *Idem.*

145 *Quem fœsis finem*] In antiquis aliquot codicibus *quam* legitur f. g. ut hoc loco Non. Marcellus agnoscit: quamvis alibi dictum sit a Virg. 'Hic finis fandi.' *Finem* porro f. g. proferre maluerunt Varro, Cassius, Cæcilius, Attius, et Lucretius. *Pierius.*

146 *Laborum Tentare auxilium*] *Laborum*, periculorum: ut, 'Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum.' Tentare autem laborum auxilium propter pestilentiam dixit: et quidam post *auxilium* distinguunt; ut sequatur, 'Jubeat quo vertere cursus.' *Servius.*

*Vertere cursus*] Propter sedes ait. *Idem.*

147 *Nox erat*] Virtutes animi sui et meritum, gratia deorum commendat: et ostendit, quod cæteris dormientibus, ipse acriter rebus publicis invigilaret. *Donatus.*

148 *Effigies sacræ divum, Phrygiæque Penates*] \*Ἐν δὴ θεῶν. Varro sane rerum humanarum secundo, ait, *Æneam* deos penates in Italiam reduxisse, quædam lignea vel lapidea sigilla, quod evidenter exprimit dicendo, 'Effigies sacræ divum, Phrygiæque penates.' Quamvis alio loco alias opiniones secutus diversa dixerit. Sane hos deos Dardanum ex Samothracia in Phrygiam, *Æneam* vero in Italiam ex Phrygia transtulisse, idem Varro testatur: quos, quidam dicunt, ideo inductos a poëta monere per somnum: monitu nam eorum per quietem jussum cum Latino fœdus



fecisse: eorum etiam monitu Latinum Ænæ se conjunxisse: eosdem tradit visos aliquoties in somnis, quid fieri vellent imperasse, eaque nostros publice curasse majores. *Serv.*

149 *Mediisque ex ignibus urbis Extuleram*] Hoc quibusdam videtur ad majestatem potius deorum referendum, quam ad jactantiam virtutis Ænæ; et significantius erit, si quæ non legeris intelligas. *Idem.*

150 *Visi astare*] Non adstant sed videbantur. Unde et *visa* dicuntur: non enim sunt, sed videntur. *Idem.*

151 *In somnis*] Multi hic distinguunt, et volunt unam partem esse orationis, id est, vigilantis. Nam quemadmodum videbat Lunam infusam fenestris? Multi in *somniis* dicunt, et posterioribus jungunt, unde et *visi*; sed corpus post somno vinci volunt, mentem vero vigilare et meminisse omnium: ideo etiam dormiens de Luna scire potuit. Sane in *somniis* collisio est, quomodo *peculi* pro *peculii*. *Idem.*

*Multo lumine*] Cum nimbo suo: qui circa deos solet videri. *Idem.*

*Multo lumine*] Cum nimbo suo, qui cum numinibus semper est: ut dictum Æn. II. Græce *μυλτος* vocatur, ut Scalig. ad Catalecta annotat. Isidorus: 'Lumen, quod circa Angelorum capita pingitur, nimbus vocatur.' Ita nostri pictores Apostolos, Virginem *θεοτόκον*, ipsum Servatorem *Christum*, nimbo et orbiculo splendenti et radiato pingunt: more a Paganis traducto. *Taubmann.*

*Multo lumine*] De nimbo, id est, de lumine, quod circa deorum et imperatorum capita exsplendescere videtur, agit Cuperus in *Observat.* II. 16. *Emmeness.*

*Qua se Plena*] Voluit demonstrare, quomodo in nocte videre potuit, scilicet per radios Lunæ. *Donatus.*

152 *Insertas*] Aut clatratas: aut non seratas; ut sit quasi *inseratas*, id est, non clausas: et dictum, quomodo

*Abproque molares*, pro *asperes*: *compositus* pro *compositus*: *vixet* pro *vixisset*: vel *insertas fenestras*, quasi lumine suo Luna inseruerat, ab inserendo, quod, se per rimas insereret. *Serv.*

*Insertas*] *Servius* exponit clatratas, aut non seratas: ut *insertas* sit, quasi *inseratas*, id est, non clausas: ut *asprum* pro *asperum*. *Turnebus* IV. 22. *insertas fenestras* exponit, quæ ædibus insertæ et interpositæ erant. Sed rectius hoc interpretatur *Pimpointius* ex illo *Lucretii* I. II. 'Contemplator enim, quum Solis lumina cunque *Insertim* (ita enim et *Gifan.* legit, et vett. cod. et *Serv.* in *Ecl.* VI. non *inserti*.) fundunt radios per opaca domorum.' ut *insertas* accipiamus pro *trajectis* et *penetratis*: ut pellucida corpora a lumine aut corpore luminoso, ut *Sole* et *Luna*, transmitti solent. Vel dic *simplicius*, *Luna inserta*: ut sit *επαλλαγή*. Cur autem *Luna plena* dixerit, docet *Cælius Rhodig.* XX. 7. nempe, quia canonica pestilentie ratio ab siderum positu ex cælestium rerum præcipue studiosorum observatione producatur, &c. Videas licet. Ego *plenum Lunam* simplicissime ceperim, claro et copioso lumine lucentem. *Taubmann.*

*Fundebat*] Scilicet abundans lumen. *Servius.*

153 *Tum sic adfari*] Hic versus in multis non invenitur. *Idem.*

*Tum sic*] Ne ulterius recurrentibus curis frangeret. *Donatus.*

154 *Quod tibi delato*] Ne gemineatur labor redeundo, Apollo facit, ut hæc referentibus nobis, hic audias, quæ apud eum esses auditoris. Magnus ergo numinis favor: non rogatur, et favet. Non navigas, neque domo egrederis; et dei jussa, famulantibus diis, ad tuas aures veniunt. *Idem.*

*Ortygiam*] Ad *Ortygiam*: more suo detraxit præpositionem, ut paulo post; *Creta* pro *in Creta*. Sane quibusdam visum est rarum auxilium deorum penatum; cur enim ante pes-

silentiam non mouerunt mutandas sedes? Ideo aliquibus videtur somnium fuisse appetitum. *Servius*.

. 155 *Cavet*] Proprie, quia oraculam. *Idem*.

*Hic cavet*] Versus decem accentuum, quos totidem dictiones singulæ singulos secum afferunt: quod est rarissimum. Similis *Æn. II.* 'Jam jam nulla mora est: sequor, et; qua ducitis, adsum.' Item, *I. XII.* 'Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?' *Taubmann*.

*En*] Quasi demonstrantis est, ut fidem faciat, ne somnium putetur: ut paulo post, 'haud dubitanda refer.' *Servius*.

156 *Nes te*] Ad hominem errore jam a patre imbutum debuit mitti persona, cujus auctoritate ac meritis, etiam incredibilia credi possint. Dii ergo penates hujuscemodi erant, qui præterita memorando, futura meliora pollicerentur. Artis est igitur excludere ante sollicitudinem primam, et liberato angoribus animo, alterius navigationis labores ingerere. *Donat*.

*Dardania*] Derivativum nomen a constitutore: et sciendum regionem pro civitate positam. *Servius*.

*Tuasque arma secuti*] Ac si diceret, tuas partes vel imperium; ut, 'Socer arma Latinus habeto.' *Idem*.

157 *Tumidum*] Ita *Ge. I.* 'freta tumescere.' et *Ge. II.* 'maria tumescant.' et *Æn. I.* 'tumida æquora.' Non abhorret, 'mare turgidum,' apud *Hor. Od. I. 3.* Signant istæ voces iras maris, tumor enim iram sequitur. *Cerda*.

*Sub te*] Sub tuo jure agentes. *Serv.*

*Permensis*] Evecti: ut est contra, 'Pelagoque remenso.' Multi autem *permensis* sine a legunt, a verbo *permecior*. Hic versus variasse dicitur. *Id.*

*Permensis*] Phrasis *Livii Andron.* qui in *Helena*: 'Tu qui permensus ponti maria alta velivola.' Sed qui non sic locuti, et ante *Poëtam*, et post illum? Ad ærem traduxit *Xenophon* *Me-*

*Delph. et Var. Clas.*

*morab. I. v. ἀερομετρεῖν*. De eo videlicet, qui nugatorius est, et inanis, ut qui velit ærem metiri, ἀδολοχεῖν *τε δοκῶ, καὶ ἀερομετρεῖν*. *Cerda*.

158 *Idem*] Nos scilicet, qui te sumus secuti. *Servius*.

*Venturos*] Plus est quam si dixisset *futuros*. Nam quasi eos jam esse significat. *Idem*.

*In astra nepotes*] Significat *Cajum Julium Cæsarem*, qui primus inter deos relatus est. Et bene *in astra*, cujus sidus apparuit: ut, 'Ecce *Dionæi* processit *Cæsaris* astrum.' *Idem*.

159 *Urbi*] *Kar' ἐξοχῆν* *Romæ*: ut supra diximus. *Idem*.

*Magnis*] Id est, nepotibus: et bonum ornatum a sermonis fecit similitudine: *magnis* vero dixit, vel penatibus, ut *Magnis diis*: vel nepotibus: sed ad exhortationem *Ænæ* pertinet, *magna para*, dicendo. *Idem*.

160 *Fugæ*] Profectionis. Dicens autem *fuga*, videtur crimen proditionis excusare. *Idem*.

161 *Mutandæ sedes*] Argumentum a necessitate. Simul arguitur error *Anchisæ*. *Idem*.

*Suasit*] Deest *capere*. *Idem*.

162 *Delius*] Ordo autem est, *Delius Apollo*. *Idem*.

*Aut Cretæ jussit considerare*] In codicibus aliquot antiquis replicata negatione legitur, *haud Cretæ*: nti prius etiam erat in codice Mediceo; quod Interpretes non admittunt. Sunt etiam codices, in quibus *consistere* legatur. Sed *considerare* magis placet: ut illud, 'Vultis et his mecum pariter considerare regnis.' Quod vero *Cretæ* adverbialiter, ut urbium propria nomina positum sit: ne quis carminis id necessitati condonandum dicat: oratores etiam eadem *usos* elocutione scimus. Apud *Varronem* libro primo de *Agricultura*: 'Itaque *Cretæ* ad *Cortinam* dicitur *platanus* esse, quæ folia hieme non mutat.' *Pierius*.

*Cretæ*] Non sic dicitur *Cretæ*, quem-

*Virg.*

8 E

admodum *Romæ*: neque enim bene, sicut dictum est, sine præpositione insula ponuntur, nisi hæc tantum, quæ ejusdem nominis civitates habent. *Servius*.

[*Cretæ*] Grammaticorum superstitionem ridet Sanctius in *Minerva* p. 353. ubi regionum, insularum nomina ab optimis in genitivo usurpata, velati urbium, docet. *Emmeness*.

163 *Est locus*] Ut ante diximus, totius orbis comparatione. *Servius*.

[*Hesperiam*] Deest *quam*. *Idem*.

[*Cognominis*] Ab *Hespere* Hispaniam rege: vel stella, quam intuentur, petentes *Italiam*. *Idem*.

164 *Antiqua*] Nobilis, ut jam dictum est. *Idem*.

165 *Ænotri*] Dicti, vel a rege ejusdem nominis, vel a vino. *Italis* enim primus vitem ostendit *Saturnus*: ut in septimo legimus, 'Vitisator curvam servans sub imagine falcem, Saturnusque senex.' *Idem*.

[*Ænotri*] In antiquis plerisque codicibus, *Ænotri* unico i scriptum est: ut in primo diximus. Quanquam etiam si *Ænotri* scribatur si geminato, duo illa si unica pro syllaba per eam, quæ frequentissima est apud veteres Poëtas, figuram *Synizesin*, accipientur: non aliter ac dii unica syllaba Grammatici quidam veteres enuntiari jubent, duabus quantumvis scriptam vocalibus, quæ minime coire in diphthongum possint. In monumentis autem veterum sæpe videntur eam litteram geminari *Attiano* more, pro unica vero proferri: ut illud *Romæ*: LIBERTIS LIBERTABUSQUE SUIIS. Quam tamen dictionem (liceat hæc in doctorum quorundam gratiam inserere) etiam per ei scriptam ex instituto *Lucillii* non semel invenias. Ut illud, MONUMENTUM FECIT ET SIBI ET SUEIS. Eandem porro scribendi varietatem in nominativo plurali masculini generis a pronomine *Is, ea, id*, observavi. Nam in arcu *Aquæ* duc-

tus, qui est in *Celio monte*, scriptum est: P. CORNELIUS P. F. DOLABELA, et quæ sequuntur, FACIUNDUM CURAVERUNT: EIDEMQUE PROBAVERUNT. *Attiano* vero more in arcu quodam legitur inter *Aventinum* et *Tyberim*: P. LENTULUS. C. N. C. SCIPIO. T. QUINTUS CRISPINUS, VALEARIANUS COS. R. S. C. FACIUNDUM CURAVERE, IIDEMQUE COMPROBAVERE. Ut ex hoc etiam terminationes illas *curaverunt*, et *curavere*: *probaaverunt*, et *probavere*: eodem accipi significato videamus, quum alteram in *re* scilicet exeuntem, nonnulli dualis esse numeri voluerint. *Pierius*.

166 *Italiam dixisse*] Bene omnia *Italiæ* nomina in unum contulit, propter errorem *Æneæ*. *Servius*.

[*Dixisse*] Quod in codicibus aliquot antiquis *dixisse* legatur, librorum omnino negligentia factum puto. Nam tota hæc sententia super nominis nomenclature versatur. *Pierius*.

167 *Propria sedes*] Perpetua: quia infirmas et in *Creta* et in *Thracia* condidit. *Servius*.

[*Hinc Dardanus ortus, Iasiusque pater*] *Iasius* et *Dardanus* fratres fuerunt, *Jovis* et *Electræ* filii: vel, ut quidam volunt, *Dardanum* de *Jove*, *Iasium* de *Corytho* procreatum; de cuius nomine et mons et oppidum nomen accepit: postea *Iasium* dicitur *Dardanus* occidisse. Hi tamen fratres cum ex *Etruria* propensissent sedes externas petere, profecti: et *Dardanus* quidem, contracta in *Troja* juventute, *Dardaniam* urbem condidit, a qua *Trojanorum* origo crevit. *Iasius* autem *Samothraciam* cepit, et ibi liberum locum imperio tenuit. Alii dicunt utramque ex *Corytho*, *Jovis* filio, procreatos, et sicut dictum est, relicta *Italia*, profectos; sed *Iasium* *Samothraciam* imperio tenuisse; *Dardanum* vero in *Phrygiam* pervenisse, ibique auxilia falsæ *Tenæro*,

Scamandri filio, qui tum finitimas gentes bello subigebat, filiamque ejus duxisse in matrimonium, et post mortem socii regnum adeptum, *Dardaniam* Trojanam regionem ab suo nomine appellasse. Græci et Varro humanarum rerum libro, Dardanum non ex Italia, sed de Arcadia urbe Pheneo oriundum dicunt: alii Cretensem: alii circa Trojam et Idam natum. Sane per patris appellationem cognationem ostendit. *Servius*.

*Hinc Dardanus ortus*] Ostendit, cum Apollo dixit: 'quæ vos a stirpe parentum Prima tulit tellus,' non de Creta et Teucro: sed de Italia et Dardano esse intelligendum. *Donat*.

168 *Genus a quo principe nostrum*] Non ab Iasio, sed a Dardano: nam anteriori respondit. Quod autem dicit, *A quo principe genus nostrum est*, potest et generaliter intelligi, id est, unde originem ducimus: ut *Deos penates*, quasi Trojanos intelligas: et ad ritum referri, de quo dicit Labeo in libris, qui appellantur, *De diis quibus origo animalis est*: in quibus ait: 'esse quedam sacra, quibus animæ humanæ vertantur in deos, qui appellantur *animales*, quod de animis fiant.' Hi autem sunt dii penates et Viales. *Servius*.

169. *Surge age*] Ostenditur per somnum hoc vidisse, quamvis aliqui exponant *incomnis*, id est, vigilans. *Donatus*.

*Latus*] Id est, ommissa tristitia, quam de sociis habebat amissis; vel quia ei designatus evidenter fuerat locus, ad quem sine errore et pergere et pervenire deberet. *Servius*.

*Longævo*] Occulte corripit ipsam senem; de origine suorum non debuisse falli. *Donatus*.

170 *Haud dubitanda refer*] Ideo dicunt, si forte non crederet, quod per somnum vidit: aut quia dubitaverant ex consilio Anchisæ: aut ne propter somnium non crederent: aut

quia non dubie, ut Apello, noverunt. *Servius*.

*Corythum*] Designant civitatem, ne erraret, et partem provinciæ, ne alter error procreetur ex magnitudine locorum. Quidam autem de Corytho hanc fabulam tradunt: Dardanus cum equestri prælo, ab Aboriginibus pulsus, galeam perdidisset, propter quam resistens, et in audaciam suos reducere, victoriam adeptus est; tum ob rem feliciter gestam, oppidum, ubi galeam amisserat, condidit; cui Corytho nomen indidit, eo quod Græce κόρυς galea dicitur; vel *Corythum* montem, in quo *Corythus* sepultus est. Alii *Corythum* a *Corytho* Paridis et Œvones filio conditam ferunt. *Idem*.

*Corythum terrasque requirit*] In codicibus aliquot antiquis, *requiras* legitur. Sed plura sunt exemplaria, manu scripta, quæ cum Mediceo, et eo quem mihi Camillus Porcius legendum dedit, *requirat* tertia persona legant. Ad Anchisen enim hæc referenda sunt, et ejus acquiescendum est sententiæ: quam lectionem Ti. Donatus etiam agnovisse videtur. *Pierius*.

*Corythum*] Sunt qui per scribi volunt, inter quos Dausquius: non nullis est Helenæ et Menelai, alii est filius Paridis et Helenæ: de hoc Eustath. Odyss. viii. Meminit hujus urbis sive montis Noster *Æn. vii. 209*. 'Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum:' et x. 719. 'antiqui Corythi de finibus Acron.' Non procul abest ab Arretio, teste Sil. Italico. l. v. 'Pœnus nunc occupet altos Arreti muros, Corythi nunc diruat arcem.' *Emmeness*.

171 *Ausonias*] Appellata *Ausonia* ab Ausonio Ulyxis. et Calypsus filio: et primo pars, postea omnis Italia nominata. *Servius*.

*Dictæa*] Dictæus mons est in Creta, ubi herba Dictamnus nascitur;

quæ admota vulneribus, ferrum inhærens solet expellere: qui mons dictus est a Nympha Dictæ, quæ ibi colitur; quam cum Minos rex amaret, et insequeretur per loca avia, illa se amore castitatis præcipitem dedit, et excepta piscatorum retibus invita reducta est, a qua rex abstinuit, et nomine ejus *Dictæa* loca appellari jussit. In hoc monte dicitur altus Jupiter: ut, 'Dictæo cæli regem pavere sub antro.' *Idem*.

*Negat tibi Juppiter arva*] Ex definito. Et bene *Juppiter*: quasi ipse qui Cretensibus præest. *Idem*.

*Juppiter*] Qui Cretæ peculiaris amator est. *Donatus*.

178 *Tulibus attonitus visis*] Hoc est, talibus deorum vultibus, propter 'Visi ante oculos adstare.' Unde sequitur, 'Et voce deorum.' Nam et voce se dicit attonitus et visis. *Attonitus* vero est stupefactus. Nam proprie *attonitus* dicitur, cui casus vicini fulminis et sonitus tonitruum dant stuporem. *Servius*.

*Attonitus*] Duo erant miranda: et deos videre, et optata loquentes audire. *Donatus*.

*Visis ac voce*] In antiquis plerisque codicibus, *et voce* legitur, prout etiam est in Donatiano codice. Verum *ac* minime displicet. *Pierius*.

179 *Nec sopor illud erat*] Soluta elocutio. *Servius*.

*Nec sopor*] Non enim pleno somno viderat, aut audiverat; nam nec plene vigilabat, nec plene dormiebat. *Donatus*.

174 *Velatas comas*] Vittatas: ut, 'Victoris velatum auro vittisque juvenum.' Aut coronatas: ut, 'Velat materna tempora myrto.' Nam dii, qui erant apud Laurum Lavinium, non habebant velatum caput. *Serv.*

*Velatas*] Id est, vittatas: ut Plautus *Amphitr.* i. 1. 'velatis manibus orant:' Turn. iv. 23. *Velati*, auctore Scaligero, dicebantur, qui caput cinctum

lanceo habebant. *Taubmann*.

175 *Manabat*] Fluebat. Hinc et *lapis manalis*, quem trahebant Pontifices, quoties siccitas erat. *Servius*.

*Gelidus sudor*] Et hoc confirmat, deos vidisse *Æneam*. *Donatus*.

*Gelidus manabat corpore sudor*] Hæc timoris nota Poëtis frequentissima: Ennio apud Macrobi. 'Tum timido manat ex omni corpore sudor.' Valerio *Ædituo* in Epigram. 'Per peccatus miserum manat subito mihi sudor.' Ovidius *Am.* iii. 13. 'Mens abit, et morior quoties peccasse fateris, Perque meos artus frigida gutta fluit.' Sappho: ὁρῶς ψυχρὸς χέεται, τρέφας δὲ Πάσαν αλπεῖ: effluit sudor gelidus, tremorque Occupat totam. Sed cur in timore sudor sit gelidus, ratio clara: quippe ex affluxu caloris ad intima, fit ut partes extimæ, eo destitutæ, succedente frigore, emittant frigida liquamina. *Adi Cæli Rhod. Lect.* Ant. vi. 5. Sudoris frigidi meminit Aristoteles in *Problem.* ubi quærit, διὰ τί τῶν θερμῶν οἱ θερμοὶ κρῖνονται βελτίους εἶναι τῶν ψυχρῶν; *Cerda*.

176 *Corripio e stratis corpus*] Ne satietate videatur reliquisse somnum. Et sciendum, quia quotiens ex abrupto somnus aufugerit, significat omen infelix: ut ecce hoc loco tempestas sequitur. Item in secundo, *Excusior somno*: et statim sequitur civitatis excidium. Nec sine ratione: nam si somnus munus deorum est, ut, 'et dono divum gratissima serpit,' non sine infelicitatis significatione ex abrupto deorum munus abscedit. *Serv.*

*Corripio e stratis*] Ostendit prope vigilantem. Nam posuisset *expergo factus sum*, si dormisset. Exprimit autem festinantem. *Donatus*.

*Corripio e stratis*] Antiqua aliquot exemplaria, *corripio stratis* absque præpositione separativa legunt: ut, 'Haud segnis strato surgit Palinurus.' *Pierius*.

*Tendoque supinas Ad cælum cum voce*

*manus*] Honesta elocutio, cum uno sermone respondemus duobus : ut, 'Interea fessos ventus cum Sole reliquit.' *Ad calam* autem ideo, quia dii penates et Jovis et Apollinis fecerunt mentionem. *Servius*.

*Tendoque supinas*] Livius l. xxvi. 'supinas manus ad cælum, ac Deos tendentes.' Supinæ manus esse videntur, ita sublatae, ut palmæ spectent cælum. Ita in iv. Iarbas dicitur orasse 'manibus supinis.' Quem locum vide. *Cerda*.

*Tendoque supinas Ad cælum cum voce manus*] Nonnulla notavimus ad *Æn.* i, 97. Similem locutionem Petron. habet : 'Protendo igitur ad genus vestra supinas manus.' Idem, 'Lycas trepidans ad me supinas porrigit manus.' *Emmeness*.

*Munera*] Quæ sunt vinum et thus. *Donatus*.

178 *Intemerata*] Rite perfecta : ut si leniter fundendum vinum est, aut mola injicienda, sic fiant, ut ratio exigit sacrificii : aliter si fiant, temerata, ac turbata sunt sacra : unde Helenus, 'Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum Hostilis facies occurrat, et omnia turbet.' Item in octavo : 'Audax quos rumpere Pallas Sacra vetat, raptoque volat.' *Servius*.

*Focis*] Et hic, sicut superius dictum est, ostendit cum aris etiam focos solere numinibus consecrari : sed hic, ideo *focis*, non *aris*, quia privatum sacrificium sequitur, nam penatibus sacrificat. *Idem*.

*Perfecto honore*] Peracto sacrificio : qui est honor deorum. Et bene ordinem servat, ut ante sacrificet, quam somnium narraret. *Idem*.

*Perfecto honore*] Id est, sacrificio, quo dii honorantur. Videtur autem innuere τὸ τέλειον ἔργον, id est, sacrificium plenum perfectumque : de quo Cælius xii. 1. *Taubmann*.

179 *Certum*] Quia primæ interpretationis vitio reddebatur incertus.

Ostendit autem Poëta divinas admonitiones referendas non esse, nisi primo patri sacrorum : et precis obsequia sunt, ut prosperentur, quæ bona sunt, quæ autem mala, vertantur in melius. Deceptus autem fuerat Anchises : quia memoria Dardani antiquior erat quam Teucri, et propterea obscurior. Apollo autem cum dixisset *antiquam*, ostendit fuisse recentiorum : notat enim et primam esse, et secundam. *Donatus*.

*Anchisen facio certum*] Hoc isti notent, qui negant Latine dici, *Facio te certum* : sed tantum, *certiorem*. Jcti *certiorare* dicunt, et *certificare*. Ut autem *certiorem facere*, dico ; ita *certiorem reddere*, non dici, Manutius docuit, Epist. Fam. ii. 4. Vide et Floridum, Successiv. Lect. i. 2. *Taubmann*.

180 *Ambiguum*] Non incertam, sed modo duplicem : ut in sequentibus probat, dicens, 'Geminosque parentes.' Ergo geminos hic duos, ut 'gemi Atridae.' *Servius*.

*Polem ambiguum*] Sic Horat. od. i. 7. 'promisit Apollo ambiguum telure nova Salamina futuram.' Illio consule Torrent. *Emmeness*.

181 *Seque novo*] Adventu scilicet Teucri. *Servius*.

*Veterum locorum*] Id est, Italiæ : deest sane *esse*, ut sit deceptum esse. Sane *novo errore veterum locorum* : aut per contrarietatem sermonum declaravit : aut *novo* pro *magno* posuit. *Idem*.

*Errore locorum*] In antiquis aliquot eodibus, *errore parentum* legitur. Sed quia sermo est de sedibus fato præmonstratis, *locorum*, id multis etiam reperitur ; atque ea lectio plurimum, subditiicia priori abraza, quæ *parentum* fuerat. *Pierius*.

182 *Iliaciis fatis*] Non proprio fato laborabat. Excusans igitur laborem irritæ navigationis ad Cretam, *Fatis* adnectit : ut invidiam, qua afficiebatur, quod illi frustra laborassent, pur-

get excusatione, cum factum negari non possit. *Donatus.*

*Exercite*] Fatigate, exercitate: nam *exercitatus*, peritus significat: ut *expertus* et *expers*. Nam *expertum* rerum si dixerō, significo peritum: si *expertem*, ignarum. *Servius.*

*Exercite*] Sic Ter. H. 1. 1. 22. 'exercere servos.' Ad. iv. 2. 46. 'exercere silicernium,' est ad laborem cogere, ut Nostrer Ge. 1. 210. 'exercere tauros,' pro defatigare. *Æn.* 1. 434. 'Qualis apes æstate nova per florea rura Exercet sub sole labor.' Plura Præzus ad Apulejum p. 503. et eleganter, quando in adversis versamur, exerceri dicimur, quod observavit Schott. Nod. Cic. ii. 20. *Emmeness.*

183 *Sola mihi*] Uni enim Cassandræ credendum non fuit: deinde non videbatur verisimile, tam longinquas sedes esse petendas. *Donatus.*

*Causa Cassandra canebat*] Hæc compositio jam vitiosa est, quæ majoribus placuit: 'Anchisen agnovit amicum.' Et, 'Sale saxa sonabant.' Et bene Cassandræ inseruit testimonium, quæ divinationem ab Apolline acceperat. *Servius.*

*Causa Cassandra canebat*] Brevissima Anchisæ errorem contentis et probabiliter excusantis Oratio. Neque vero est, cur vel hic Maronis, vel ille Ciceronis versus, 'O fortunatam natam me consule Romam,' a Quintil. ix. 4. et Juven. S. x. irrideatur, ob iterationem earundem syllabarum, cum hoc veteres in delitiis habuerint. Ita et Cicero in Lælio: 'Eo loco locati sumus,' &c. Quam venustam figuram a posteris inepte fastiditam, conqueritur Turneb. vii. 19. Videantur et Notæ nostræ, ad illud Plauti Menæch. act. ii. 3. 'Quasi supellex pelliionis, palus palo proximus est.' *Taubmann.*

184 *Portendere*] Significat debita portendere: minus est deberi: ut in septimo, 'Portendi generum.' *Serv.*

*Portendere debita*] Hæc, inquit, de-

beri generi nostro, et hos casus nobis imminere, sicuti nunc recorder, sola mihi prædixerat Cassandra, &c. Sunt qui censeant, *portendere* κατ' ἐπαλλαγῆν dictum, pro *portendi*. *Taubm.*

185 *Regna vocare*] Satis proprie; unde in octavo: 'Expectate solo Laurenti arvisque Latinis.' *Servius.*

186 *Tenucros Cederet*] Scilicet propter longitudinem spatii. *Idem.*

187 *Tum vates Cassandra moveret*] Bene tum, quia jam probavit. Et duo argumenta posuit, quibus purgavit errorem. *Idem.*

*Cassandra moveret*] In codicibus aliquot antiquis, *moveret* scriptum est. Magis vero placet *moveret*; ut sit: Cuinam hoc ea persuasisset, Trojamis rebus tunc adeo florentibus? *Pierius.*

188 *Cedamus Phæbo*] A necessario et utili scilicet. Cuius instinctu dii penates profutura dixerunt: ut, 'Hic canit, et tua nos en ultro ad limina mittit.' *Servius.*

*Meliora sequamur*] Potest bis subaudiri *meliora*: meliora moniti, aut meliora sequamur. *Idem.*

189 *Cuncti*] Hoc est, cuncti adstantur, nam *cuncti prefeci*, pugnat cum paucis relictis. *Idem.*

*Dictis*] Vel Apollinis, vel Anchisæ. *Donatus.*

*Ovantes*] Alacres, non utique gaudentes. *Servius.*

*Ovantes*] Propter ereptum laborem iterum in Delum enavigandi, et propter magnam spem propositam. Est autem hæc descriptio navigationis, in qua eadem res sapius dicitur, diversa et splendida compositione verborum. Tempestas autem egregie descripta est, cum uno pulsu omnia simul elementa turbantur. In hoc et initium posuit: ut, 'Cæruleus supra caput adstitit imber.' Et augmentum: ut, 'noctem hiememque fereus.' Et quæ solent consequi ex huiusmodi rebus: ut, 'Inhorruit unda tenebris, et: 'Continuo volvunt fluctus mare, et reliqua, quæ maximam ostendunt

violentiam, ut, quamvis multum laborarent tamen a cursu detorti, quo volebant non pervenirent. *Donatus.*

190 *Hanc quoque*] Quemadmodum Trojam et Thraciam: et cum dolore dictum accipe, 'Hanc quoque deserimus sedem.' Expressit enim miseriam totius sedis relictæ. *Servius.*

191 *Cura trabe*] Navium periphrasis optima. *Currinus æquor*: sicut, 'Tyrrhenum navigat æquor.' *Idem.*

*Casa trabe currinus æquor*] *Trabe* pro navi Horat. od. i. 1. 'ut trabe Cypria Myrtoom pavidus nauta secat mare.' Noster *Æn.* iv. 566. 'Jam mare turbari trabibus.' Juvenal. Sat. xiv. 296. 'Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur Obrutus.' Festus *trabem* dicit proprie esse *duo ligna compacta*. Inde apud Pacuvium 'Trabica navis,' quæ trabibus confixa est. Ut hoc loco *currere æquor*, sic Sanctius Min. p. 164. 'Currere iter, currere stadium.' Notum est Græcum *θέω*, apud Homer. II. A. 488. Sic Ovid. epist. Heroid. xviii. 'Currere me nota nec patiantur aqua.' *Emmenes.*

192 *Postquam altum tenuere rates*] Tempestatis copiosa et splendida descriptio: qualis est *Æn.* i. 85. (quamquam hanc tempestatem tantum per *θορότωσαν*, illam vero in libro i. per *διάρηκωσαν* representavit: de quo Scalig. iii. 32.) desumpta ex *Odyss.* xii. et xiv. Et repetuntur hi versus *Æn.* v. initio. Talis et apud Livium lib. xxi. 'Transeuntem Apenninum adeo atrox tempestas exorta est,' &c. Quod autem hic *altum*, *Æn.* v. est *pelagus*. *Taubmann.*

193 *Cælum undique et undique pontus*] Theocrit. eld. xx. de Europa navigante in dorso tanri: 'Ἄλλ' ἄρ' μὲν ὑπερθε, ὑπερθε δὲ πόντος ἀνέλων: sed *air* quidem *desuper*, *subter* autem *immensus pontus*. Virgilius aërem mutavit in cælum. Plato in Protagora aliud agens, altum ita describit: *φεύγειν εἰς τὸ πέρατος τῶν λόγων, ἀποκρύ-*

*ψαυρα γῆρ*: *fugere ad mare altum orationis, occultata terra*. Aristides in Rhodiaca, ita: *ἀλλ' ἦν ταῦτα θάλαττα ψιλή ποτε: ἐρανὶ ἡὲν ὅλως μενύμενον*. Nazianzenus oration. 21. ita: *πέλαγος ὁδὸν ὁρίζομενον τοῖς ὀφθαλμοῖς*: *pelagus non circumscriptum oculis*. Lucret. l. iv. hoc idem sic: 'Quippe ubi nil aliud, nisi aquam cælumque tænetur.' Ovid. Trist. i. 2. 'Quocumque aspicio, nihil est nisi pontus et æther.' *Cerda.*

194 *Supra cœpat*] Capitalis, perniciosus. *Servius.*

*Ceruleus imber*] Id est, ater, more Græcorum, qui *κυανέον* pro *cæruleo* et nigro usurpant. Ita et *Æn.* vi. 'cærulea subvectat corpora cymba,' id est, atra, nigra. Turn. xiv. 4. *Taubmann.*

195 *Noctem hiememque*] Pluviamque cum obscuritate. *Hiemem* autem Græce dixit, nam *χειμὼν* etiam *tempestas* dicitur a Græcis. *Servius.*

*Ferens*] Adferens. *Idem.*

*Inhorruit unda tenebris*] Horridior est facta per tenebras. *Idem.*

196 *Magna Æquora*] Aut epitheton est, ut surgant æquora, quæ magna sunt; ut 'Magna æquora,' magni finctus. *Idem.*

*Magna Æquora*] *Mare magnum* non idem esse Græcis, quod Latinis, contendit Robert. Tit. controvers. vi. 2. *Emmenes.*

197 *Gurgite vasto*] Epitheto auxit Tapinosim. *Servius.*

198 *Incolvere diem*] Aspectum ademerunt. *Idem.*

*Nimbi*] Nubes. *Idem.*

*Nox humida*] Nubes caliginosæ. *Idem.*

199 *Abrupti nubibus ignes*] 'Ἀνεφύγδρες, abrupti ignes. Ita enim legendum, e Mss. et vett. editis probant Lambin. et Gifanius: non, *abruptis*: ut et in illo Lucret. l. ii. 'Transversosque volare per imbreis fulmina cernis: Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes Concurant: ca-



dit in terras vis flammea vulgo.' Et notat Turneb. v. 27. eodem modo Græcos *ῥῆ. ἀνεφύργς* dicere, id est, ignem abscissum: quod fulmen nubes dividat ac rumpat. Ita Cicero de divinat. ii. 'Cum se in nubem induerunt (scil. anhelitus frigidi terræ) ejusque tenuissimam quamque partem ceperunt dividere atque dirumpere, idque crebris facere et vehementius, tum et fulgores et tonitrua existere. Si autem nubium conflictu ardor expressus se emiseric, id esse fulmen,' &c. Taubmann.

200 *Excutimur curas*] A proposito itinere avertimur. *Servius*.

*Cæcis in undis*] Incertis: quia sidera non apparebant: aut quæ non viderentur. *Idem*.

201 *Ipsæ*] Hoc est, navigandi perit. Hoc enim significat emphasis pronominis. *Idem*.

*Ipsæ*] Maximum habet intellectum, id est, qui peritissimus esset gubernator, qui viam in fluctibus observatione siderum norat. Descriptis autem omnibus, quæ orta tempestate perpassi erant, ut finem ostendat, addit: 'Vela cadunt.' Verum contraria videntur, quod cum dixerit: 'Ipse diem noctemque negat discernere cælo,' deinde addat: 'Tris adeo incertos cæca caligine soles.' Quomodo enim hæc scire potuit, si nulla erat distinctio noctis et diel? Sed respondet, voluisse Poëtam obscuritatem aëris nimis satiare. Nam qui fieri potuit sic accidere tenebras, ut inter ipsas et veram noctem nihil interesset? Vel intellige dierum et noctium numerum distinxisse crebris cornicationibus, quæ vel stellas vel Solem ostendere potuerunt. *Donatus*.

*Negat discernere cælo*] Figurata, ut, *Æn.* ii. 'Excissa vitam producere Troja.' *Servius*.

202 *Via*] Mari dedit, quod proprium terræ est; ut alibi *sulcari* ait, unde et terra æquor. *Idem*.

*Palinurus*] Hic Iasii filius gubernator

*Æneæ* fuit; qui, *Æneæ* de Sicilia ad Italiam veniente, præcipitatus in mare, nomen in Lucania monti celebri dedit. *Idem*.

203 *Incertos soles*] Bene *incertos*, quia quantavis sit obscuritas, tamen noctis est manifesta discretio. Unde superflua quæstio est eorum, qui dicunt tres dies quomodo transisse scierunt, si noctem a die diacernere non poterant? Ergo *incertos* obscuros dixit; ut *Æn.* vi. 'Quale per incertam lunam.' *Idem*.

*Tris adeo incertos cæca caligine soles*] Vetera quædam exemplaria, ad Kapacisum declinandum dictionum ordinem ita disponunt: *Tris adeo cæca incertos caligine solia*. *Servius* tamen cacephaton illud videtur agnovisse. *Pierius*.

*Cæca caligine*] Cacephaton in sermone. *Servius*.

*Soles*] Pro diebus: sic apud Catull. 'Soles occidere, et redire possunt.' Et: 'Fulsere quondam candidi tibi soles.' Et Seneca Trag. in Theb. 'nate post multos mihi Remisse soles.' Græci etiam usi hoc lepore. Pind. Olymp. xiii. ἀλλ' ἀμφὶ ἐν: sole in uno. Exemplaria alia alii conjunxerunt: ut Catullus. *candidi soles* pro diebus faustis: contra Horatius *nigrum solem* dixit, pro die infelici Sat. i. 9. *Cerda*.

*Tris adeo, &c.*] Diurno tempore veteres moderabantur navigationem e cursu solis, nocturno ex siderum motu; quod docet Apollonius i. 107. ἐστὶν δ' ἀνέμου θυέλλας καὶ πλεόν ἡλιό τε καὶ ἀστέρων τεκμήρασθαι. ad hæc verba Scholiastes: ἀγαθὸν μὲν καὶ ἡμέρας τῷ ἡλίῳ, καὶ τὸς δὲ πρὸς τινὰ τῶν ἀστέρων, &c. *Soles* pro *dies* alibi notatum. Pers. Sat. iv. 'memini consumere soles.' *Emmense*.

204 *Erramus pelago: totidem sine sideris noctes*] Hinc *Pelopis* gentes *Malæque* sonantia saxa *Circumstant*, pariterque undæ terræque minantur. *Pul-samur sævis et circumsumimur undis*.

Hi versus circumducti inventi dicuntur, et extra paginam in mundo. Servius.

*Pelago: totidem]* In codicibus aliquot antiquis, et *totidem*. In aliquot *totidem* et *sine*. Sed enim magis placet, si particula ea penitus submoveatur: quæ lectio est etiam codicis Medicei. *Pierius*.

205 *Quarto terra die, &c.*] Quam compte et graviter, quæ Homerus multis his Od. v. 'Ἄλλ' ὅτε δὴ τρίτον ἡμᾶρ εὐπλόκαμος φέρον ἦδ' ἐπὶ γαλήνῃ ἔπλετο νηρείῃ· ὃ δ' ἦρα σχεδὸν εἰσίδε γαίαν, ὅτ' ὃ μάλα προΐδον· Sed quando jam tertium diem pulchricoma adduxit Aurora; Deinde tunc ventus quievit, atque serenitas Erat tranquilla: ipse vero prope conspexit terram, Valde acute prospiciens. Cerda.

*Attollere Viam]* Viam naturaliter dixit. Quotiens enim propinquamus littoribus, et exurgere terra videtur, et fumum emittere. *Servius*.

206 *Aperire]* Ostendere: ut Salustius, 'Caput aperire solitum.' *Id.*

*Volvère fumum]* Pro, aperiuntur montes ac fumus volvit. *Idem*.

*Volvère fumum]* In Mediceo codice, ac ducere fumum legitur: proprium tamen est fumi tortuose volvi ob crassitudinem, dum cum aëre collucatur. *Pierius*.

*Ac volvere fumum]* Homericum verbum ex Odyss. x. contulit in hemistichium satis elegans: Καπνὸν δ' ὅλον ἄρ' ἔμειν ἀπὸ χθονὸς ἀπασσεντα: Fumum autem solum videbamus e terra erumpentem. Et alterum ejusdem libri: Καὶ μοι δέσσαντο καπνὸς ἀπὸ χθονὸς εὐρυδαίης: Et mihi apparebat fumus a terra lata. Cerda.

207 *Remis insurgimus]* Cum remis inhæremus, id est, exurgentes fortius remigamus. *Servius*.

208 *Adnixi torquent spumas, et cæcula verrunt]* Pro eo Sil. Ital. l. xiii. 'obnixi torquent obices': sic obnixi hoc loco agnoscit Non. Marcell. Cæ-

cula pro mari cæruleo, ut Græce γλαυχή simpliciter pro mari, quod notavit Cl. Grævius in lectionibus Hesiodicis p. 124. Ex Ennii Annal. l. xiv. locum sumsit Maro, teste Ursono, 'Verrunt extemplo placide mare marmore flavo Cæruleum spumat sale conferta nave pulsu.' Pro cæcula Noster vi. 320. 'vada livida verrunt,' id est; feriunt, percutiunt, interprete Non. Marcello. *Emmeness*.

209 *Servatum ex undis]* Ac si diceret, de periculis in graviora se pervenisse discrimina. *Servius*.

*Servatum ex undis]* Non perseveravit mala fortuna, sed nec in totum prospera provenit. Nam in litus fertile venerunt, quod fuisset felicissimum, nisi Harpyiis esset occupatum. *Donatus*.

*Strophadum in littora]* Phineus, Agænoris filius, Thracum rex, vel, ut quidam volunt, Arcadiæ, Cleobulæ, Aquilonis et Orithyæ filiam, habuit uxorem, et ex ea duos filios, quibus superduxit novercam: quos noverca ad patrem, tanquam stupri adfectatores, detulit, ob quam rem eos Phineus cæcavit: quare irati dii, vel, ut quidam volunt, Aquilo ventus, propter nepotum injuriam, eum cæcavit: et ad Pelagias insulas detulit; adposuitque Harpyias, quæ cum ei diu cibos abriperent, somnosque inquietarent; hic Iasonem cum Argonautis, propter vellus aureum Colchos petentem, suscepit in hospitio: cui etiam ductorem propter Symplegadas petras dedit. Hoc ergo beneficio inlecti Argonautæ, cum ei gratiam vellet inferre, Zethum et Calain filios Boreæ et Orithyæ, alatos juvenes, ad fugandas Harpyias miserunt: quas cum strictis gladiis persequerentur, pulsæ de Arcadia pervenerunt ad insulas, quæ appellantur Plotæ. Et cum ulterius vellet tendere, ab Iride admoniti ut desisterent a Jovis canibus, et suos converterent volatus: quorum conversio, στροφέη, nomen in-

salia dedit. Quod Apollonius plenissime exequitur. Ut autem canes Jovis dicerentur, hæc ratio est: quia ipsæ Furias esse dicuntur: unde etiam epulas prohibentur abripere, quod est Furiarum: ut, 'et manibus prohibent contingere mensas.' Unde et avari finguntur Furias pati: qui abotinent partis. Item ipsas Furias esse paulo post ipse testatur dicens; 'Vobis Furiarum ego maxima pando.' Furias autem canes dici, et Lucanus docet, dicens; 'Stygiasque canes in luce superna Destituiam.' Et in sexto Virgilius, 'Visæque canes ululare per ambram, Adventante dea.' Sane apud inferos Furiæ dicuntur, et canes: apud superos *diræ* et *aves*: ut ipse in XII. ostendit. In medio vero, *Harpyiæ* dicuntur. Unde duplex in his effigies invenitur: et has Virgilius tres dicit, quarum nomina sunt Aëlo, Ocypete, Celæno. Apollonius duas dixit, quem in XII. Virgilius sequitur: ut, 'Sunt geminæ pestes.' Quidam autem dicunt, hunc Phineum ob divinitatem a Thracibus regem cooptatum, consilia divina prodidisse: et obcæcatum adpositis Harpyjiis. *Servius*.

*Strophadum me litiora*] Græci *Στροφάδες*, sed Latini in multis illud a corripunt, teste Dausquilo; qui exemplis illustrat. In *Epiro*, inquit Mela II. 7. 'Echinades et Strophades, olim Plotæ.' Strabo I. VIII. *αὐτῶν Κυρραιοσίων πελάγαι πρόκειται δὲ, νῆσοι προσαναγορεύμεναι Στροφάδες, ἀπέχοντα μάλιστα πῶς τῆς ἡπείρου*, &c. hodie *Stritali* appellantur. *Emmeness*.

210 *Accipiant*] In veteribus aliquot exemplaribus, *excipiant* legitur. Quia dixit, 'Servatum ex undis.' Sed enim et *accipere* in hoc significato non improprium: ut, 'Hinc Drepani me portus et inlætabilis unda Accipit.' *Pierius*.

*Stant*] Sunt. *Servius*.

211 *Ionio in magno*] In magno mari Ionio. Et sciendum *Ionium* sinum

esse immensum, ab *Ionis* usque ad *Siciliam*: et hujus partes esse *Adriaticum*, et *Achaicum*, *Epiroticum*. *Maria* enim vel a provinciis, vel ab insulis, vel a civitatibus nomen accipiunt. Bene ergo in magno, quasi etiam in quo alia maria sunt. Quidam sane *Ionium* ab *Io* *Inachi* filia dictum volunt, quod amata hoc mare transverit; quod in VII. ubi de scuto *Turni* loquitur, plenius invenies. Nonnulli *Ionium* ab *Ionio* rege, qui in insula, quæ ante *Illyricum* jacet, regnaverat, dictum tradunt. *Idem*.

212 *Harpyiaque coluit alia*] Ergo et *Celæno* *Harpyia*. Has *Hesiodus* dicit *Thanmantis* et *Electræ* filias, quas, sicut dictum est, quidam Furias putant, cum Furiarum mater, secundum *Hesiodum* *Tetra*, secundum *Æschylum* *Nox* sit. *Idem*.

*Phineia*] Versio Græca est. *Idem*.

*Harpyiaque, &c.*] *Thanmantis* et *Electræ* filias dicit *Hyginus* in præfatione, et *Hesiod.* in *Theogon.* vs. 286. quarum hæc sunt nomina, *Iris*, *Harpyia*, *Celæno*, *Ocypete*, *Podarce*: de numero non convenit. *Fabulam* *Harpyjarum* *Phinei* narrat *Apollodorus* *Biblioth.* I. I. *Ovid.* *Met.* VII. in principio. *Emmeness*.

213 *Mensaque metu*] Hoc est, sicut dictum est, pulsæ a *Zetho* et *Calai*. *Servius*.

214 *Tristius haud*] Non potest ab inferis tristius quicquam excitari, quam *Harpyiæ*. *Donatus*.

*Nec scior ulla Pestis, et ira Deum Stygiis sese extulit undis*] Ut pœna in *Statio*. Et non dicit has de inferis esse natas, sed peiores esse omnibus inde procreatis. *Servius*.

216 *Virginei volucrum cultus*] Si subdistinguas *virginei*, major erit admiratio. *Idem*.

*Virginei cultus*] Non esset hoc monstrosum, si cætera essent similia. *Donatus*.

*Virginei volucrum cultus*] *Ovid.* *Metam.* VII. 4. nominat 'virgineas

volucres.' Idem. XIII. 710. 'Strophadumque receptos Portubus infidis exterruit ales Aëlio.' *Προφωρά* *ἄλας*, ut Apoll. et Nost. vs. 226. 'magnis quantunt clangoribus alas.' Et XII. 876. 'Obscenæ volucres; alarum verbera nosco.' De his etiam Cœlius ant. Lect. XVI. 27. *Emmenas*.

*Fœdissima*] Hic tarpis, ut Terentius in Eunucho, 'Nunc hæc videtur fœdus, quia aliam non habet.' Alibi *fœdum* cruentum, ut, 'Sanguine fœdantem:' et, 'fœdatique ora Galeæ.' *Servius*.

217 *Proluvies*] Sordis effusio. Et vitavit, ne diceret *stercus*; et per hoc nimiam edacitatem ostendit; et quidam volunt *proluvia* cum *stercus ventris* significet, a Virgilio hoc loco figuram ventris significatam; ergo quasi annosum et panticosum ventrem. Aliquando *proluvia* sola effusio. Terentius, 'Quod proluvium; quæ hæc est subita largitas.' Aliquando pro aquis multis ponitur. *Idem*.

*Proluvies*] Nihil in intestinis morari patiuntur, sed statim effundunt. Ergo non solum non satiabantur, sed semper famescebant. Indequ erat pallor. *Donatus*.

*Fœdissima ventris Proluvies*] *Proluvies ventris*, sunt recrementa alvi et sordes: sic Lucret. I. VI. 'Et nigra proluvie alvi.' *Serv.* ait, *proluviem* esse, sordium effusionem, vitatumque a Poëta, ne diceret stercus. Quam magna fuerit illa effusio indicat Græcus Poëta in Epig. qui volens exprimere *δυσωδία* καὶ *δυσοσμία*, *tetrum pestiferumque odorem*, ait non posse conferri *Ἀπρυίαν περυσά*, *Harpymarum proluviem et sordes*. De hac voce *venter*, non te prætereant nota Is. Casauboni in Athen. VIII. 11. Est enim vox Græca. Græcis γέντερ, est locus τῶν ἐντέρων, *intestinorum*, est autem in γέντερ, γ. Æolicum digamma, quod sæpe in v, verritur. *Cerda*.

*Ventris proluvia*] Magis proprie Lucretio I. V. *Proluvies alvi* dicitur: nam *alvus* ea pars est ventris, per quam sordium sive recrementorum fit effusio. Donato in Heaut. et Nomo idem est *illuvies*. Veteres etiam *proluvium* dicebant: ut et *diluvies*, *diluvium*, &c. ut notat Gifanias. Glossæ: *proluvia*, κοιλίας ἀνερέκτρωσις, ἐκχυσίς, ῥέως. *Arnob.* I. VI. 'In quascunque se detulerit deonerati proluviae podicis.' *Taubmann*.

*Uncaeque manus*] Pro ungulbus manus posuit: hoc est γαμφύλυχας. *Servius*.

218 *Fame*] Veluti fame; nam abundare dicit armenta. Aut re vera *Fame*, quam eis inferebat non inopia, sed avaritia. Alii fami præsidēs esse tradunt; quia et Phineo propterea adpositæ sunt, et Trojanos ab epulis prohibent, et his tantum famem prænotant, et ipsæ sunt fame pallidæ. *Idem*.

219 *Delati*] Quod necessitatis est. Nam voluntate aliquo non deferimur, sed venimus. *Idem*.

220 *Læta*] Pingua: nam in animalibus, in quibus cognosci non potest sensus, lætitiā pingue corpus ostendit: non mens, ut in hominibus. *Idem*.

*Ecce Læta boum*] Omnia convenerant, quibus illa invadere cuperemus: diversitas generis animalium, abundantia, pinguedo ex copia herbarum. *Donatus*.

*Passim campis*] Ulyxis socii boves solis occidisse inducuntur: Virgilius credibilis finxit. *Servius*.

221 *Caprigenumque pecus*] Satis nove, et affectate. *Idem*.

*Caprigenumque pecus*] *Caprigenum* formam neutri generis esse putant: sed concinnator Annotationum Edit. Fabricianæ (qui Jo. Camerarius non obscuris indicis esse colligitur) Genitivum potius censet esse, κατὰ συνηγορίην, pro *caprigenarum*. *Taubmann*.

*Nullo custode*] Deest cum. *Servius*.

*Per herbas*] Ordo est, non per herbam, sed per campos in herbis videmus armenta. *Idem*.

*Per herbas*] In antiquis aliquot codicibus, *per herbas* numero multitudinis legitur: quod parvi tamen momenti est, an legas *herbam*, quod non nulli codices habent. *Pierius*.

222 *Et diuos*] Ut quod fiebat illicitum, esset nobis commune cum diis. *Donatus*.

*Ipsamque vocamus*] *Ipsam*, id est, regem deorum, aut certe Prædatorum; hoc est, cui de præda debetur aliquid. Nam Romani moris fuit, ut bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur: adeo ut Romæ fuerit unum templum Jovis Prædatoris: non quod prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur. Vel quod hic Deus justitiæ præest. Ergo cum eum invocant, testantur se nihil mali facere, cum sine custode interimunt armenta. *Servius*.

223 *In partem prædamque*] In partem scilicet prædæ. *Idem*.

*In prædam partemque Jovem*] In plerisque pervetustis codicibus dictionum ordo mutatus est in hunc modum, *in partem prædamque*. Et hanc lectionem agnoscit *Servius*. *Pierius*.

*In prædam partemque*] 'Εν δὴ διῶδ, pro, in prædæ partem. *In partem autem vocare*, Juris verbum est, pro, participem facere. Cicero pro Cæcina: 'Mulieres in partem vocatæ sunt.' Nam et de præda diis immolabatur, et partes etiam quasdam eis interdum suspendebant de tholo et consecrabant: ut Dianæ aprorum capita et cervorum cornua: ut in *Ecl. vii.* et *Æn. ix.* 'si qua meis venatibus auxi, suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.' *Turneb. iv. 22.* Et Romæ templum erat Jovis Prædatoris: quod ei aliquid ex præda debeatur: unde et *ληϊστροφ*, Juppiter dictus, et *λαφρόστριος*, sicut *ληϊστῆς*, Minerva, quæ prædationibus præesse,

Homero dicitur. Vide *Alexand. iii. 22. Teubmann*.

*Tunc litore curvo*] Tacuit de apparatu epularum, quem descripsit in primo de cervis. Ibi enim nulla necessitas exigebat brevitatem: hic autem, quia proposuerat, 'Et breviter Trojæ supremum audire laborem,' et propter noctis tempus, in quo auditores quærebant quietem, erat properandum. *Donatus*.

224 *Extruimus*] In primo dixit: 'Fusique per herbam,' quia lassitudine et fame naufragi urgebantur. Hic dicit: 'Extruimusque toros,' quia in magna copia herbarum, non fuit magnum, congeries cespitum struere, quibus discumbi posset: et magna properandi ad epulas necessitas urgeret. *Donatus*.

*Extruimusque toros*] Græci toros extruere quia ex herbis et frondibus fiunt *στριβάδας* et *στριβάδια* *τροστροφῶν* appellant. Vide *Bisetum* ad *Aristoph. Plutum. Emmeness*.

*Dapibusque epulamur*] *Dapes*, deorum sunt: *Epulæ*, hominum. Bene ergo utrumque posuit: nam et sacrificiis et conviviis operam tribuunt. *Servius*.

*Opimis*] Pinguibus. *Idem*.

*Dapibusque epulamur opimis*] *Dapes* opimæ in re sacra sunt, ut opimæ victimæ, hostiæ, &c. Vedelicet, optinæ, egregiæ, lectæ, eximæ. Festus: 'Hostiæ opimæ, præcipuæ, pingues; et spolia opima, magnifica, et ampla.' *Varro Rei Rustic. ii.* 'Boves altiles ad sacrificia publica saginati, dicuntur opimi.' Inde *cæna dapalis*, *dapsilis*, *dapsatica*, celebrata veteribus, ut opipara et lanta: voces istæ obviæ sunt in Latinis auctoribus. Græci *δαφλῆς* dicunt, *λαμπρόν*, *λατρόν*, *πολυτελές*. *Cerda*.

225 *Subito*] Pro subito, adverbium in nomen deflexum. *Servius*.

*At subito*] Res omnino abominabilis: insultus improvisus: sonitus alarum: unde metus, contactus fœ-

das, odor teter fugiendas faciebat. *Donatus.*

*At subitæ horrifico, &c.]* Notum est, Virgilium hæsisse Apollonio Arg. l. ii. et utrique Valerium Flaccum Argon. xv. Omnes conferamus in his tantum quæ attingit Virgilius. Quod hic, 'At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt Harpyiæ:' Græcus, *Δὲ νεφέων ἔκρου πέλαις ἵπσουσαι Ἀρπυῖαι:* 'E nubibus subito ruentes Harpyiæ. Val. 'in mediis dapibus videre volucres.' et, 'ilicet omnes Deveniunt, niger intorto ceu turbine nimbus.' Quod Virgil. 'diripiuntque dapes;' Græcus, *Χαίρων τ' ἀπὸ γαμφυλῆσι Συναχέας ἡρπάζον:* *Manuum curvitatibus continenter rapiebant.* Valerius, 'Diripiunt, vertuntque dapes, sædataque turbant Pocula.' Quod Virg. 'contactuque omnia sædant Immundo,' Valerius, 'Tum sola colluvie, atque illas stramina mensis Fœda rigant. Quod Virg. 'odorem tetrum.' Græcus, *ἐπὶ μυδαλέην ὀδμήν χέον, odorem putrem fundebant:* et *ἀπένεε λείψανα δαρδύς, exhalabant epularum reliquia.* Valer. 'flagrat odor:' et 'Flagrat acerbus odor, patriæque exspirat Avernæ Halitus.' Reliqua Græci Virgilius contempsit, Valerius utrique multa addidit. Variat nonnulla ex his Virgilius in sequentibus. *Cerda.*

*At subitæ]* Hos versus cum Apolloniæ Græcis comparat Scaliger Poët. v. 6. *Taubmann.*

*Lapsu]* Celeritate: ut supra. *Serv.*

*Admæ]* Velocitatem ostendit. *Id.*

*226 Harpyiæ]* T: Græca diphthongus est. Nam Latina esse non potest: quia ne v quidem habemus. *Id.*

*Clangoribus alas]* Deest cum: ut sit, alas quatiebant cum clangoribus: ut, 'Atque Ixionii. vento rota constitit orbis,' id est, cum vento. Aliter Acyrologia est, si *clangorem* dixit alarum sonitum. Plantus in Querulo de anseribus, 'Cuncti alas quatiunt diris cum clangoribus.' *Idem.*

*Clangoribus]* Antiqui nonnulli co-

dices *plangoribus* legunt: hoc est, alarum quassationibus strepitum ci-entibus. Nam *clangor* diversum quid significat: nisi velimus intelligere additas etiam voces horribiles alarum strepitui, ut utroque modo terrarent. Quod tamen aliorum iudicio relinquimus. *Pierius.*

*227 Contactuque omnia sædant]* Subaudiendum, *quæ relinquebant.* *Serv.*

*228 Tum]* Præterea: deest *erat*, vel *audiebatur*: et tria mala ipsarum posuit, vocem, tactum, odorem; sed sane hic versus, qui circumductus est, talis auditur, 'Resonant magnis stridoribus alæ.' *Idem.*

*229 Rursum]* Ad illud solum pertinet, 'Instruimus mensas:' nam ante in speluncis non fuerant. Et sciendum hanc particulam interdum sic poni, ut iteratum aliquid significet: ut si dicas, *Veni ad te mane, rursum veni.* Interdum sine iteratione est: ut, *fui apud te, rursum veni*: non ideo dicis *rursum*, quia etiam primo venisti, sed quia illic fuisti. *Idem.*

*Rursum]* Antrum et rami, volatum Harpyjarum impedire credi poterant. Ibi igitur securiores dapes et sacrificium restituerunt, sed frustra. Nam per insperatas cæli partes ad occultas latebras venerunt, et cibum rapuerunt, et quicquid reliquerant, ore polluerunt. Ergo deficiente industria, fuit necessitas, ut ad vim recurrerent. *Donatus.*

*Rursum in recessu longo]* Quod in codicibus plerisque veteribus legere est, *rursum in recessu*: et ita inferius, *rursum ex diverso*, non ita absurdum est, ut non suos fautores habeat. Alique pedem Amphimacrum, quo etiam alibi usus sit Poëta noster, esse contendunt: alii collisionem ex u et s fieri, ut alias nonnunquam. Tametsi non sum nescius veteres quosdam Grammaticos negare *rursum* per s dici, sed *rursum* per m, ut iterum, proferri debere. Cui quidem opinioni ita adhærescant, ut illud etiam

rursus ad orachum superius habitum, rursus absque ecthlipai legi contendant. Sed video apud doctos hæc jam ex usu recessisse, paucissimosque esse, qui veterum hujusmodi figuras ferre possint. *Pierius*.

*Cavata*] Pro *cava*, nam *cavatum* proprie manu factum dicimus. *Serv.*

231 *Instruimus mensam*] *Struo*, et composita de conviviis: in i. 'cura penum struere.' *Papin. Sylv. v.* 'propere mensasque torosque Instruit.' sic Græci *σκευάζω*, et *παρασκευάζω*. *Athenæus Dipnosop. xi.* afferam vero integrum testimonium, ut morem obiter scias: *ἔθος ἦν τοῖς δέσποινι τῷ ἐστιατορίῳ καταλύοντι προδίδουσαι γραμματείδας τι περιέχον ἀναγραφῇ τῶν παρεσκευασμένων, ἐφ' ᾗ εἰδέναι, ὅ, τι μέλλει ἔφρον φέρειν ἃ μαγειρος: Consuetudo in conviviis fuit, ut accumbenti jam illi, qui convivio alios excipiebat, daretur schedula, in qua descripta erant universa, quæ structa erant, ut sciret, quod prius obsonium coquus deberet mittere. Redeo. Inde *structor*. *Martialis*: 'Et quæ non egeant ferro structoris Ofellæ.' Hic ab aliis *scissor*, et *captor*: eundem *Juvenalis* Græco nomine *Chironomonta* appellavit. Verba, quæ huic muneri respondeant, si quæras, hæc sunt, *carpere, concerpere, discerpere, lacerare, secare, dissecare*. Vult *Ursinus* eum esse structorem, quem *Athenæus* vocat *ὑπαρφεοκόμω*. *Cerda*.*

*Arisque reponimus ignem*] Ecce quod dixit, 'In partem prædamque Jovem.' Sane sciendum iterationem hanc fieri secundum ritum sacrorum; nam displicuisse prima ex prodigiis indicatur. Sunt autem hæc animales hostiæ, quæ tantum immolantur, et caro sacerdotibus proficit. Alibi tantum sanguinem in aras fundi significat: ut, 'Sanguinis et sacri pateras.' Alibi partem corporis: ut, 'Extaque salios Porriciam in fluctus.' Alibi integras victimas: ut, 'Et solida imponit taurorum viscera flam-

mis.' *Servius*.

232 *Ex diverso cæli*] Ut, 'ex secretò montium:' subaudiis loco. *Idem*.

233 *Turba sonans*] Impetum ostendit; nam de tribus loquitur. Et alludit ad *Furias*, de quibus ait alibi, 'Vocat agmina sæva sororum.' Ergo *turba*, tanquam *turba*: quare *turbæ* cum tres dixerit? quia apud Græcos, qui dualem numerum habent, pluralis numerus a tribus incipit. Ergo bene *turba* quasi plures; vel *turbæ* propter tumultum et strepitum alarum. Alii tradunt ideo *turbam*, quod plures, non tres tantum *Harpyiæ* sint. Alii quod eis cum *Furiis* consortium; unde, 'Vobis *Furiarum* ego maxima.' Alii eas etiam *Parcas* esse, unde et divinatio ei data est. *Idem*.

*Turba sonans prædam*] In antiquis aliquot exemplaribus, sublata dictione *prædam* legere est, *turba sonans pedibus subito circumvolat uncis*: quod itidem superius dixerat. Sed enim mihi magis placet legere *prædam*, ut et rem, qua dolebant, tangat, et varietur versus, ne in *Homericum τὸν δ' ἀνταρσέμενος* recidat. *Pierius*.

*Prædam pedibus circumvolat uncis*] Aut circum *prædam*, dixit, volat uncis pedibus: aut intra volam interiorem manus amplectitur *prædam*. Unde et involare dicimus, intra colam tenere. Unde *pyra* quædam *volæma* dicuntur, eo quod volam impleant. *Servius*.

234 *Polluit*] Contingit, et pollutum sacrificium contactum dicitur; et hoc est, 'Contactuque omnia fædant *Inmundo*.' *Idem*.

*Polluit ore dapes*] Est hoc, quod *Petronius Sat.* 'maduere veneno *Fallaces epulæ*.' *Cerda*.

*Sociis tunc, arma capessant*] Ex more Romanorum, quo milites, ubi impetus faciendus esset, jubebantur arma capere, ad quem et morem et verborum formulam hoc loci *Poëta* alludit. Ita *Silius vii. 12.* 'propere capere arma manipulis Edicit.' et *i. viii.* 'Ita igitur, capite arma, viri.' Tale quid-

dam Homerus Odys. II. Τηλέμαχος δ' ἐνέρουσιν ἐνερπὺς ἐπέειπεν "Οὐλῶν ἐπτεσθαι· τοὶ δ' ἐνερπύοντες ἔκυσαν : *Telemachus autem socios hortatus iussit Arma aptare; hi vero adhortantem audierunt.* Idem.

235 *Dira*] Sabini et Umbri, quæ nos mala, *dira* appellant. *Servius.*

*Dira cum gente*] Excusat crimen violentiæ, quam Celzeno, faciens pro causa sua, plenissime exequitur. *Donatus.*

236 *Ac iussi*] Hic *iussi*, utrum verbum an participium sit; id est, utrum illi iussi sint, an ego iussi? *Servius.*

*Iussi*] Verbum est, non participium. *Donatus.*

*Tectosque per herbam Disponunt*] Hoc est, disponunt et tectos faciunt. Sicut et acuta condendo latere faciunt. *Servius.*

*Disponunt ensis*] Brevissima fuit narratio, in qua solum videt, et bellum esse gerendum, et propterea arma capiunt. *Donatus.*

*Tectosque per herbam*] In antiquis aliquot exemplaribus, *per herbam* legitur plurali numero: sed hoc parvi est momenti. *Pierius.*

239 *Signum*] Utique militare. *Serv.*

*Misenus*] Bene Misenum dicit tubicinem. Ipse est enim, qui filius fuisse Æoli dicitur: unde ait, 'Misenum Æolidem' quia constat sonum omnem ex vento creari. *Idem.*

240 *Nova*] Mira: ut, 'Pollio et ipse facit nova carmina.' Nam novum non est, cuius extat exemplum. Hercules enim in monte Arcadiæ Stimphalo vicit Stimphalidas: ut Statius, 'Et erisonum Stimphalon.' Aut *nova* ideo; quia vulnerari non poterant. *Idem.*

241 *Obacanas*] *Obacana* sunt aves, quæ canendo adversa significant: ut paulo post, 'Infelix vates.' *Idem.*

*Obacana*] Proprie existimo accipiendum propter prolaviam ventris, qua menses fœdabant: sic inf. 'vestigia fœda relinquunt:' sic sup. 'fœ-

dissima ventris Prolavies.' De iisdem Flacc. Arg. I. IV. 'fœdataque turbant Pocula: flagrat odor.' Iterum, 'flagrat acerbos odor.' Itaque *obacana* volacres, ab immunditie, et sordibus effusus ventre. Sunt qui malint respectum ad omina, ut *obacana* dicantur, quia male ominentur. Omnia enim mali ominia sic dicebantur veteribus, ut est apud Postum, et Varro-nem. Accius in Cœnomao apud Non. 'Cives ominibus faustis angustam adhibeant Faventiam, ore obscœna dicta segregent.' Ac perinde obacœnitas faventiæ opponetur. *Cerde.*

*Pelagi volucres*] Quia dicuntur Ponti et Terræ filie: unde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Alii dicunt eas Neptuni filias, qui fere prodigiorum omnium pater est, nec immerito. Nam secundum Milesium Thaletem, omnia ex humore procreantur: unde est, 'Oceanumque patrem rerum.' Hinc fit, ut quotienscunque desunt parentes, redeatur in generalitatem. Sic et peregrinos, Neptuni filios dicimus; quorum ignoramus parentes. Quidam *Pelagi* adverbialiter accipiunt, ut *belli*, ut *domi*, propterea quod res in insula geritur. Alii vero dicunt, Harpyjas esse filias Thanmantis et Electræ. *Servius.*

*Fœdare*] Cruentare. Ennius: 'Fero fœdati jacent.' *Idem.*

242 *Vim plumis ullam*] Naturale enim est, ut eludat ictum plumarum levitas. Unde et addidit *plumis*. Nam quod alii dicunt, ideo eas fuisse invulnerabiles, quia de Styge erant natæ, non probatur. *Idem.*

244 *Semesam*] Semicomesam. *Id.* *Vestigia*] Vel pedum signa: vel indicium sordium, quibus epulas discedentes polluebant. *Idem.*

245 *Præcelos rupe*] Quia viderat parari vehementiam belli. *Donatus.*

246 *Infelix vates*] Nuntia infœlicitatis: ut Homerus *μῦθον κῆρυξ*. Hoc



est, nobis infœlix, ut, *sis felix*, id est, nobis, et videtur hic auspicii genus inducere secundum augures, quod de diris colligitur; quorum unum genus est, quod ex signis colligitur, quo nunc utimur. Diram autem esse Harpyjam duplici modo memorat, et oscinis et alitis: etenim cum facit loquentem oscinem, auspiciū expungitur; *dirum* tamen quod futuram famem denuntiat; nam ipse ait, 'Sive deæ, seu sint diræ obscœnæque volucres.' Et, 'Quam vos dira fames.' Verum cum ait, 'Pinnis ablata refugit'; ab alite auspiciū factum docuit: aliter enim certa genera avium ab auguribus appellantur, quæ pinnis vel volatu omina possunt facere; quæ si fuerint prosperæ, *præpetes*; si adversæ, *inhibræ* dicuntur; quod etiam in XII. significat, cum dicit, 'Alitis in parvæ subito collecta figuram,' ubi vere diram vult videri. *Servius*.

*Rumpit vocem*] Cum indignatione loquitur: ut, 'Quid me alta silentia cogis Rumpere?' Et notandum (ut supra diximus) *rumpit vocem*: cum hoc de silentio melius dicatur fieri. An *rumpit*, quia tantum humanam habens faciem, contra naturam sui corporis loquitur? *Idem*.

247 *Bellum etiam pro cæde bonum stratisque juencis*] Iteratum est ad augendum invidiam; ut, 'Stirpis Achillæ fastus, juvenemque superbum.' Atque num ætates bonum voluit comprehendere? *Idem*.

*Bellum*] Invectio, quam non oportuit habere principia; fuit enim irascens. Fuit brevis invectio, sed omnia continet. Nam asseruit personam suam innoxiam, deformavit adversam, appellando *Laomedontidas*. Dixit causam: Juvencos stratos, et proposuit invasionis crimen. Dixit criminis augmentum: ut, post violentiam in armenta, etiam de expugnatione dominarum cogitaverint. Dixit insones, dixit factum. Non tamen factum fuit, sed pro facto tenet, quod

facere cogitarunt. Nam, invadere greges, armare juventutem, eo tendit, ut reperirent alienum imperium, non male quesitum, sed relictum a parentibus. Ultio autem est, quod diu expectent, quod metuant. *Donat*.

248 *Laomedontiada*] Perfidi: a rege natum opprobrium, qui deos fefellit. Sane alibi indifferenter hoc nomen ex persona poetæ ponitur, ut, 'Laomedontius heros,' 'Laomedontia pubes,' *Servius*.

*Bellumne*] Necessario iteravit, ut verbum in quo culpa consistit. *Idem*.

*Bellumne inferre paratis*] In antiquis aliquot exemplaribus affirmative non interrogative legitur *bellumne inferre paratis*, elocatione eleganter continuante cum *et*, quod subsequitur, 'et patrio Harpyias.' Diximus enim alias Homericum et omnium apud Græcos præstantium Auctorum esse, post *re* addere *kal*. Quod et diligenter et frequenter admodum Virgilius imitatur. Quamvis non negarim in interrogatione plus esse ponderis, et majorem objurgationis vim, quæ minas etiam tacite secum trahat, et confessionem criminis. Quare lectionem eam *bellumne* nequaquam immutarim. Quod vero in vulgatis habetur exemplaribus, *et patrio insones Harpyjas*, ut leve præterissem, nisi multorum veterum codicum consensu monitus essem ad vocalitatem facere, quod in eis alio dictionum ordine legitur, *et patrio Harpyjas insonis pellerè regno*. Illud autem minime dissimulandum, quod in *Harpyja* nomine scribendo variant Librarii. Multi siquidem Servium secuti, pene ultimam diphthongum ponunt impropiam, ut apud Græcos scribitur *Ἥρπυια*. Quorum a sententia longe diversus est Sosipater Carisius, qui negat i litteram coallitam in diphthongum esse y litteræ præcedenti: sed pro consonante accipi debere. Syllabam enim eo etiam inquit modo positione longam fieri, si vo-

causa, breuem accipitur: I vice rati-  
onantis posita, ut *Harpyia*. Quare  
si diligenter Grammaticis credi-  
mus an eo nomine, sic ultima syllaba  
per tres litteras erit emittenda, quam  
alii in uno: tantum duplationem par-  
tem adire contendunt. *Pierius*.

250 *Pater vago*]. Aut *Neptunio*:  
aut sicut alii dicunt, quia *Thetis*,  
pater eorum ex *Electra*. *Panti* et  
*Terre* filius fuit. Alii *pater*, proprio  
accipiunt: ut, 'et patrios cultusque  
decorum', id est, proprios. *Servius*.

250 *Accipit ergo*]. Quia non hel-  
le appetit: ac si diceret, 'U' firm-  
um fimum iam nunc possitis timere.  
*Idem*.

*Figur*]. Id est, quæ infixa vos vul-  
nerant: dat autem orationi auctori-  
tatem, cum veluti ex præcepto *Jovis*  
illæ dicere demonstraret, et *Apollinis*  
jussu: et sibi aliquam tribuit pote-  
statem, cum dicit, '*Furiarum maxi-  
ma*.' Nam propter hoc digna vide-  
tur, per quam tristitia susciarentur.  
*Donatus*.

251 *Quæ Phæbo pater omnipotens*].  
Tribuit auctoritatem, ne possint a se  
dicta quasi ab irata confecta contem-  
ni. Simul notandum, *Apollinem*, quæ  
dicit, ab *Jove* cognoscere. *Servius*.

*Phæbus Apollo*]. *Purus*, impollutus:  
et est *Apollinis* fixum antonomasi-  
um: quod alii dari non potest. Nam  
sunt et alia communis; ut, '*Pater*  
*omnipotens*.' *Idem*.

252 *Furiarum ego maxima*]. Adeo  
ipsæ sunt *Furiæ*, ut et unum epithet-  
on habeant, et causis consentiant.  
Nam ait de *Tisiphone*, '*Furiarum*  
*maxima* juxta Accubat: et manibus  
prohibet contingere mensas: quod  
etiam hæ faciunt, et inferentes *Tro-  
janis* famem et prænuntiantes. Alii  
dicunt ideo adsumpsisse sibi *Furiæ*  
nomen *Harpyjam*, ut terreat. *Idem*.

*Furiarum ego maxima pando*]. In  
plerisque veteribus exemplaribus, non  
est pronomen in contextu. Sed ita  
legitur, *Furiarum maximam pando*. Sed

*Delph. et Var. Clas.*

pronomen illud et resumptum habetur,  
et contrarium adhibetur, et immensum  
verbaliter efficere videtur. *Quintus*.

*Reverens ex maxima*]. Hoc per  
is facti, quæ *Harpyia* resonat: *Pan-  
tis*: quæ *Serides* dixerunt: *Dantes*  
vocat: *Ætrophos* inter ceteros *Ætrophos*  
(de quo *Or. Met.* III. 4. et 5.)  
recenset. *Taciturnus*.

253 *Italiam cava petitis*]. Ex his  
quæ norunt, fidem dicendis accom-  
modat. Id est, ex hoc mihi fidem  
habebitis futurorum, si precedentia  
vera sunt. *Servius*.

*Italiam*]. Hæc posuit, ut ex his foret  
et fidem sequentibus. *Donatus*.

255 *Datum*]. *Fatis* concessum. *Ser-  
vius*.

*Sci non ante datum*]. Ostendit, quod  
necessitati famis, non licito remedio,  
sed sacrilegio essent adinventuri.  
Nam mensis diei, quæ ex fimentis  
confecta, diis penatibus consecran-  
tur. Et ne hoc genus panis ad ubi-  
tione *Harpyiarum* discretum videretur:  
addit, '*Nostræque injuria ced-  
dis*.' *Donatus*.

256 *Quam res dira famas*]. Ut *Var-  
ro* in secundo divinarum dixit, '*ora-  
culum hoc a Dodonæo Jove apud*  
*Epicurum* acceperunt: quod modo  
dixisse fingit *Harpyias*, sed tamen  
colorate tangit historiam dicendo,  
'*Quæ Phæbo pater omnipotens*.'  
*Servius*.

*Nostræque injuria cedis*]. Quidam  
*injuriarum*, pro vindictam accipiunt, et  
*Harpyia* ista mentitur. Nam immi-  
nens *Trojanis* est fames fatalis. *Idem*.

257 *Antheas*]. Undique rana, hoc  
est, rotundæ. Majores enim matris  
hæc habebant in honore deorum: pa-  
nicias scilicet. *Idem*.

258 *In altum*]. In collibus ple-  
risque vetustioribus in *altum* legitur,  
numero multitudinis: utrunque par-  
vi hoc refert. *Pierius*.

*Refugit*]. Non metu (nec enim mi-  
nantibus convenit) sed ne possit ro-  
gatu placari. *Servius*.

*Virg.*

*Gellidus Deriguit*] Id est, gellidus factus, dirigit. *Idem.*

260 *Cecidere*] Qui spe prosperorum fuerant in sublime producti. *Don.*

*Nec jam amplius armis*] Subaudi, *ut sunt.* Nec enim potest esse ab inferioribus Zeugma: quod plerumque fit, ut per omnia unus sermo sufficiat: ut, 'Trojugena interpres divum: qui Numina Phœbi, Qui Tripodas Clarii lauros, qui sidera sentis:' per omnia sentis, intelligis. Plerumque aliud subauditur: ut hoc loco. Item, 'Disce, puer, virtutem ex me, verumque laborem; Fortunam ex aliis:' subaudis *opta.* Nam fortuna non discitur. *Servius.*

261 *Sed votis precibusque*] Duplici ratione placantur numina: aut votis, aut precibus. Unde est, 'Junonis magnæ primum prece numen adora.' Item, 'Junoni cane vota libens.' *Idem.*

*Sed votis precibusque*] Duplici ratione placantur Numina, votis et precibus: nam hæc distinguunt: quæ tamen Græcis communi vocabulo sunt *εὐχαι.* Val. Max. 1. 1. 'Prisco instituto, Rebus divinis opera datur. Cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, voto: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum vel extis vel sortibus, impertito: cum solemnî ritu peragendum, sacrificio.' Quid autem sit, *pacem exposcere*, diximus *Æn.* 1. 523. 'Orantes veniam,' &c. *Taubmann.*

*Jubent*] Volunt: ut, 'Infandum, regina, jubes renovare dolorem.' Terentius, 'Jubeo Chremetem.' *Serv.*

262 *Sive deæ*] Quia divinant. *Idem.*

*Sive deæ*] Quasi dicat, non erat respiciendum, an deæ essent, an monstruosæ volucres: dummodo fierent ea, quibus imminetia mala removeri possent. *Donatus.*

*Sive deæ, seu sint*] In hoc versu hærens Scaliger, sic ait III. 12. 'Præterea cum videret Harpyjas,

atque una ex ipsis sese diceret maximam Furiarum, summa modestia, parique scientia dixit, Sive Deæ, seu sint diuæ obcænæque volucres.' Vult nimirum probare, Virgilium rerum omnium naturam calluisse. Tu huc transfer, quæ nos late *Æn.* 1. ad illud, 'An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una.' *Cerda.*

*Obcænæque volucres*] Quia in his ventris cernebant proluviem. Bene autem etiam si aves sunt, eas dicit placandas, propter pessima omina. *Servius.*

*Obcænæ*] Aliqui putant dici *obscænum* ex *ob* et *cænnum*, et *cænnum* dici a Græco *κῶνός*, id est, *sordidum reddo*: unde nos dicimus in quinto. Ergo per *æ* diphthongon scribendum esset. Alii volunt ex *ob* et *cæno*: et tunc careret diphthongo. Varro tamen ait ex *ob* et *scænâ*: et sic habere diphthongon *æ*. Alii dicunt *obcænæ* dici ab *Oscis*, qui essent populi malis moribus. *Donatus.*

263 *Et pater Anchises*] Huic semper dat partes consiliorum et scientiam sacrorum: sic in flamma Ascæni, sic in piculo Polydori. Ergo et hic omisso errore aliorum, non rogat Harpyjam, quam constat esse monstruosam, et quæ aliorum jussiones pertulisse profitetur, sed magna numina. Ipsa enim placanda fuerant, a quibus illi nuncii esset origo. *Idem.*

*Pæsis*] Apertis, solutis. *Servius.*

264 *Numina magna vocat*] Hoc est, Jovem, Minervam, et Mercurium; ut, 'Penatibus et magnis diis.' Ita autem invocatur, ut magna dicat. *Idem.*

*Meritos*] Congruos, i. e. expiatorios: unde sequitur, 'Di prohibete minas.' *Idem.*

*Meritos*] Pro magnitudine petitionis convenientes: vel *meritos*, secundum anteriorem sacrorum scientiam. *Donatus.*

*Indicit*] Verbum *indico* ad sacra spectare admonet Servius his verbis: 'sacrorum verbo est usus, nam sup-

plicationes, et dies festi indici dicebantur,' et ex illo Brissonius Form. 1. additque Silium et Livium: illum l. XXVII. 'Dum Roma antiquos templis indicit honores' hunc l. XXVII. 'supplicatio omnibus Diis, quorum pulvinaria Romæ sint, indicta est.' Est vero *indicare*, sollemni ritu (ait Hortensius) denuntiare, *παράγγελλειν*, *ἀπαγγέλλειν*. Sic indicitur jejunium, bellum, festum, honores, ludi, funus, spectacula. *Cerda*.

265 *Di, prohibete minas*] Hoc per speciem auguralem, quæ *invocatio* appellatur, nonnulli dictum putant. *Invocatio* autem est precatio, uti avertantur mala, cujus rei causa id sacrificium augurale peragitur, et hic de auspicio Harpyjarum invocatione suscepta. *Servius*.

*Di prohibete*] Poterant hæc esse vera et non vera: hocque cognoscebat Anchises, quod ex verbis suis apparet. Nam cum dicit *Di prohibete minas*, ostendit nihil fuisse dispositam: sed prohibete, inquit, minas, ne oriretur favor divinus. *Donatus*.

*Avertite casum*] Bene etiam si contingat, casum credit esse, ultionem: aut certe ideo *casum*, ne, si fatalis, averti non possit. *Casum* autem, id est, periculum; nihil est enim fame gravius, quod ait postea, 'obsœnamque famem, quæ prima pericula vito.' Salustius, 'Sin vis obsistat, ferro quam fame æquius perituros.' *Servius*.

*Avertite casum*] Ut si vere esset casus ejusmodi, qui potuisset existere, averteretur. Ergo singula singulis dedit. Supra dixit *prohibete*; hic *avertite*, ut prohiberetur nasci, quod non erat: averteretur autem, quod credebatur ingruere. *Donatus*.

*Di, prohibete minas: di, talem avertite casum*] Antiqui aliquot codices, *prohibete nefas*, et *avertite pestem* legunt. Cujusmodi hemistichium habemus inferius de Cyclope. Sed *minas et casum* ut in Mediceo, et in

vulgatis codicibus legitur, omnino melius est. *Pierius*.

*Di, prohibete minas*] Est hoc, quod Herodotus dixit l. III. τὸ μᾶλλον ἀποτρέψαι. Quod Demosth. in Æschylo. De verbi *averto* significato, quo hic Poëta, satis multa Brias. Adi illum. Deum avertentem mala, *Averruncum* Latini dicunt, Græci Ἀλεξιακόν. *Cerda*.

266 *Servate pios*] Propter facta sacrificia. Merito ergo servate nos, qui pii sumus, ut, initio Æn. VII. 'Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës.' *Servius*.

*Tum litore funem Deripere*] Placet Virgilium comparare cum Livio l. XXII. ubi similem celeritatem proponit hunc in modum: 'Vixdum omnes conscenderant, cum alii resolvunt oras, aut anchoram vellunt, ne quid teneat, anchoralia incidunt, rapiuntque omnia præpropere agendo: militum apparatu nautica ministeria impediuntur; trepidatione nautarum capere et aptare arma miles prohibetur.' *Cerda*.

268 *Tendunt vela noti*] Scalig. v. 8. 'Diffluentiam, inquit, Homericam coercuit Maro duobus hisce mirificis versibus. Et divinus alter est, qui dat classem et vento et gubernatori.' *Taubmann*.

*Fugimus*] In codicibus aliquot antiquis, *ferimur* legitur. Interpretes vero *fugimus* agnoscunt, quod festinationi apte congruit. *Pierius*.

*Ventusque gubernatorque vocant*] Honestius hac elocutione per pluralem utimur numerum, licet possit singularis esse. *Servius*.

*Vocant*] Verbum id numero plurali fere passim habetur in vulgatis codicibus. Sed in antiquis aliquot, *vocabat*, ut propinquiore adhæreat. *Pierius*.

270 *Jam medio apparet fluctu*] Juxta morem cotidianum, dixit *medio*; ut si dicamus, in medio mari naufragium fecit, cum interdum non longe

a litore contingit. *Servius*.

*Nemorosa Zacynthos*] Hæ omnes insulæ Græciæ sunt, quas, Homerum secutus, mutatis tantum conjunctionibus, de Græco in Latinum transtulit. *Nemorosa* autem ἡλεσσα Ζάκυνθος commemorat. *Idem*.

*Zacynthos*] Vulgata pleraque omnia exemplaria, *Zacynthos* idiomate Græco scribunt. Sed in antiquis nonnullis, *Zacynthus* Latino casu scriptum est: delectat tamen casus ille Græcus in propriis præsertim nominibus. Præterea Probus in Arte, eo capite, quo agit de nominibus fœminini generis in *os* rectum terminantibus, et ablativum in *o*, in exemplum ponit nomen hoc *Zacynthos*. *Pierius*.

*Nemorosa Zacynthos*] Ovid. Epist. Her. i. 'alta Zacynthos:' quia silvosa est, ut Strabo l. x. Hodie il *Zante*. Mela ii. 7. in Ionio mari ponit et reliquas hasce insulas: 'in Ionio Prote, Hyria, Cephalenia, Neritos, Same, Zacynthos, Dulichium.' De his Hom. Odyss. A. 246. Δουλιχίῳ τε, Ζάκυνθον τε, καὶ ἑλλήντι Ζακύνθῳ. Same et Samos, utrumque in usu esse ex Strabone discimus. *Neritos* non *Neritos* scribendum monet Dausquius. *Emmeness*.

271 *Sameque*] Cephaleniæ civitas est ista: nam Samos in Asia est. *Servius*.

*Neritos*] Mons Ithacæ. *Idem*.

*Dulichiumque, Sameque, et Neritos*] Sunt codices aliquot antiqui, in quibus *Samosque* legitur. Sed *Same* alia, alia vero *Samos* Servio est. Apud Homer. tamen, qua de nunc agitur, *Samos* scribitur, Ζάκυνθον τε πικυαλοέσσας. Od. A. Et in Catal. de iis, qui Ulysses secuti sunt, ἧδ' οἱ Ζάκυνθον ἀμφερόμηντο; itaque *Samos* recte. *Pierius*.

272 *Effugimus*] Celeriter transimus. *Idem*.

*Effugimus scopulos Ithacæ*] In antiquis fere omnibus legas, *effugimus scopulos Ithacæ*. Non recte in aliis,

*effugimus Ithacæ scopulos*. Nempe quia Tritimemeri timuerunt. Atqui, nisi cæsurae suam velimus auctoritatem esse incolumem, certe *Ithra* ut Græci tradunt, et Latini, vel in principio dictionis, etiam pro vocali collocata, vim habet producendi precedentem syllabam natura brevem: cuius rei exemplum ponunt ex Il. X. Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν λαχὴ, τί ποτ' ἀπ' ἔμπευ. Ita illud, de quo supra, apud nos volunt: 'Pectoribus inhians spirantia consulit exta.' Sed utcumque hæc accipiantur, passim tamen observamus tam Græcos quam Latinos auctores cæsura plurimum tribuisse. In Mediceo autem codice non tantum est *scopulos Ithacæ*, verum una plus dictione legitur et *Laërtia regna*: magis tamen placet appositivè positum, absque et copulativa. *Pierius*.

*Laërtia regna*] Inrisorie, cum præmiserit *scopulos*: ut, 'Immania saxa, Vestras, Enre, domos.' *Servius*.

*Scopulos Laërtia regna*] Per hunc enim tractum maris Ionii, immo per totum fere Epirum regnabat olim *Laërtes* Ulysses pater. Verum ad contemptum et irrisorem *Scopulos ac regna* dixit: et imitatus est Cicero, qui de Ulyssis patria sic scribit, l. i. de Oratore: 'Ut Ithacam illam in asperrimis scopulis ceu nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret.' Turneb. iv. 23. Ita et Æn. i. Æoli regnum irrisorie antrum vocat. *Taubmann*.

*Scopulos Ithacæ, &c.*] Per unum Ulysses nobilis est, ut ex Mela ii. 7. 'et inter non ignobiles, Ulyssis nomine Ithaca maxime illustris.' Hunc Maronis locum imitatus est Sil. Ital. l. xv. *Emmeness*.

273 *Ulix]* In Mediceo codice *Ulyxei*, ut 'Ajacis Oilei.' *Pierius*.

274 *Leucata nimbosa cacumina*] Leucata est mons altissimus, prope peninsula, in promontorio Epiri, juxta Ambraciam sinum et civitatem: quam Augustus Nicopolin appellavit, victis

illic Antonio et Cleopatra. Ibi et templum Actiaco Apollini constituit, et ludos Actiacos. Unde nunc Virgilius, in honorem Augusti, quæ ipse fecit, dat ejus origini. Nam Æneam illic dicit ludos celebrasse: ut alibi inducit Æneam templum promittentem Apollini, quod fecisse constat Augustum: ut, 'Tum Phæbo et Triviae solido de marmore templum Constituam.' Sane de hoc Leucate amatores se in mare, ad excludendum amorem, præcipitare dicebantur. *Servius.*

*Nimbosa cacumina*] Semper enim quamvis aliis cæli partibus serenis, Leucatis montis cacumen nubibus tectum est. *Idem.*

*Leucata, &c.*] Plinius iv. 1. promontorium Leucatem nominat. Nomen huc loco ab albo lapide; in eo templum Apollinis. Strabo l. x. postquam dixit Leucadem sumpsisse nomen a Leucate: Πέτρα γὰρ ἐστὶ λευκὴ τὴν χροάν, προκειμένη τῆς Λευκάδος εἰς τὸ πέλαγος, καὶ τὴν Κεφαλληνίαν, ὥς ἐντεῦθεν τοῦτομα λαβεῖν. ἔχει δὲ τὸ τοῦ Λευκάτα Ἀπόλλωνος ἱερὸν, καὶ τὸ ἔλμα τὸ τοῖς ἔρωτας παθεῖν πεπιστευμένον: est enim albicanti colore petru Leucadi adjacent, projecta in pelagus, et in Cephaleniam, ut inde nomen sumpserit. Habet insuper et Apollinis Leucata fanum, salutumque illum, qui ad sedandos amores valere creditur. Itaque ab historia Poëta meminit tum rupis, tum Apollinis, qui in ea rupe. De Apolline formidato dixi jam in explicatione, quid alii senserint. Addam a me, posse accipi cum respectu ad religionem, quæ horrorem et formidinem incutit. Itaque huc transfer, quæ jam dedi l. i. ad illud, 'horrentique atrum nemus imminet umbra.' *Cerda.*

*275 Et formidatus nautis*] Aut quod locus hostilis: aut propter asperitatem locorum, quia saxosa sunt: aut, ut quidam volunt, quia moris erat aliquem ei de nautis immolari, ac per hoc qui formidaretur. *Servius.*

*Formidatus*] Non fugerant, quia fessis indigebant refectioe: et fuit occasio, ut ludos celebrarent in honorem ejus Dei, cui tantum debebant. Ergo non luxus fuit causa ludorum egentibus et peregrinantibus, sed gratulatio servatæ salutis. *Donatus.*

*Aperitur Apollo*] Nauticum verbum, quotiens cedente eo, quo impeditur aspectus, aliquid patecit; ut, 'Portusque patecit Jam propior.' *Servius.*

*276 Hunc petimus*] Occurrebat, Cur formidatum petitis? Ideo addidit *Fessi.* Vel quia hiemis imminabat adventus: nam ideo et parvæ urbi successit, quia terra erat hostilis; aut ideo hostili terræ, quia erat parva. *Idem.*

*Parvæ urbi*] Ambraciæ scilicet: parvæ autem in adulationem Augusti dictum, nam hanc Augustus diruit primo, quod ei bello Actiaco fuisset inimica. Parva ergo, quam parvam fecerat Cæsar; sed postea restauravit, et appellavit Nicopolin. *Idem.*

*Urbi*] Ambraciæ. Porro hanc Æneæ protectionem descripsit etiam Ovid. Met. xiii. 11. et 12. ubi et hi leguntur versus: 'Sævit hiems, jactatque viros: Strophadumque receptos Portubus infidis exterruit ales Aëлло. Et jam Dulichios portus, Ithacamque Samenque, Neritiasque domos, regnum fallacia Ulyssæi, Præter erant vecti: certatam lite deorum Ambraciam, versique vident sub imagine saxum Judicis, Actiaco quæ nunc ab Apolline nota est,' &c. *Taubmann.*

*278 Insuperata tellure*] An quia saxosa loca, an quia per medios hostes navigaverant, an quia tempestate, an quia com Græca natione? *Servius.*

*Tellure potiti*] Potior et illa re dicimus, et illius rei: sed per septimum casum in usu est, per genitivum figurate ponitur. Salustius, 'Ut prius quam legatos conveniret, Atherballis potiretur.' Legimus et per accusativum: sed uti non possumus. Teren-

tius, 'Patriam potitur commodam.' *Idem.*

279 *Lustramurque Jovi*] Ant *lustramur*, id est, purgamur, ut Jovi sacra faciamus. Ant dubium est utrum faciendū, an solvendis votis: aut certe *lustramur Jovi*, id est, expiamur. Piaculum enim commissum fuerat, tauro in Thracia immolato, ut diximus supra, et licet multa fuissent secuta sacrificia, intelligebatur tamen adhuc numen iratum, non desinentibus malis. Sciendum sane moris fuisse, ut piaculo commisso ludi celebrarentur. Nam cum Romani iracundia Matris deum laborarent, et eam nec sacrificiis nec ludis placare possent: quidam senex statutis ludis Circensibus saltavit: quæ sola causa fuit placationis. Unde et natum proverbium est, 'Omina secunda, saltat senex.' Quamvis hæc ex alio ordine et alia ex causa narretur historia. Aut *lustramur Jovi*, quia supra dixerat: 'Ipsumque vocamus, In partem prædamque Jovem,' et postea pœna Harpyjarum secuta est. Ergo quoniam non ad iustum sacrificium Jovem invocaverint, ideo illi piaculum solvunt: hoc est enim *diis lustrari*, offensa eorum liberari. Sane *lustramur* apto verbo usus est, mentionem ludorum factur: horum enim certaminum sacra celebratio, *lustrum* vocatur: lustrato enim populo, dii placantur. *Idem.*

*Lustramurque Jovi*] *Καθαίρουμεθα, ἁγνίζουμεθα.* Aut, *lustramur*, i. e. purgamur, ut Jovi sacrificemus: aut certe, *lustramur Jovi*, i. e. sacrificando Jovi expiamur. Et hoc factum censet Nascimbænius, contra Servium et omnes, ut Anchisæ vota et promissa curarentur, qui territus Harpyiæ minis, *magnis Numinibus*; i. e. Jovi inprimis, sacra indixerat. Idem negat, Apollini ludos hic celebrari, sed tantum ad istos Agonales ab Augusto, in honorem Apollinis institutos, alludi. Quæ sententia et Servii fuit. *Iliacis* autem *ludis*, i. e. eo ritu, quo apud

Ilium celebrari solebant. Verum enimvero Jos. Scalig. in Eusebium, p. 143. *Iliacos ludos* vocari ait, quod ille Agonem revera ab Ænea institutus fuerit. Et frigidum et frivolum ait esse, quod Servius dicat, *κατὰ πρόληψιν*, in honorem Augusti hoc dictum. Templum igitur antiquitus ibi erat, et ludi trieterici: qui postea ab Augusto pentæterici facti. *Taubmann.*

*Votique incendimus aras*] Id est, vota facientes. Dubitatur vero, utrum Jovis aras, an Veneris dixerit: Varro enim templum Veneri ab Ænea conditum, ubi nunc Leacatem dicit; quamvis Menander et Turpilii comici a Phaone Lesbio id templum conditum dicunt, qui cum esset navicularius, solitus a Lesbo in continentem proximos quosque mercede transvehere, Venerem mutata in anus formam gratis travexit, quapropter ab ea donatus unguenti alabastro, cum se in dies inde tum ungeret, fœminas in sui amorem trahebat, in quibus fuit una quæ de monte Leucate, cum potiri ejus nequiret, abjecisse se dicitur; unde nunc ancturare se quotannis solent, qui de eo monte jaciuntur in pelagus; quidam id fieri propter Leucaten puerum dicunt, quem cum Apollo vellet rapere, in mare se projecit, montemque cognominem sibi fecit. *Servius.*

280 *Actia litora*] Ut supra diximus, propter Augustum hoc dicit, qui illic ludos statuit et agona, devicto Antonio et Cleopatra. *Idem.*

*Iliacis*] Atheniensibus: unde Ilienses didicerunt. Nam et Vestam ideo Trojani colunt, quia eadem Terra est: terrigenas autem Athenienses nemo dubitat. *Idem.*

*Actique Iliacis*] In plerisque veterum exemplarium codicibus, *Accis* duplici cc notatum inveni, et ita nomen proprium *Accius*, quod Victorinus per duo tt *Attium*, ut *Vettium*, et hujusmodi quædam alia scribi debere contendit. Sed enim loco hoc *Actius*

et *Actiacus* per et scribendum. In nummo enim Augusti Divi F. qua parte Apollo cum lyra spectatur, cum literis a lateribus IMP. X. sub pedibus Dei, ACT. hoc est, *Actiacus* legitur. De ludis vero *Actiis* Harpocratio ait: '*Actia* antiquos esse ludos, de quibus Callimachus meminerit in libro de Certaminibus.' *Pierius*.

*Actia Iliacia, &c.*] Cum Servio de ludis *Actiacis* dici, qui celebrabantur in memoriam *Actiacæ* victoriæ Turn. XIV. 17. affirmat. *Emmenes*.

281 *Patrias palæstras*] *Palæstræ* usus primus apud Athenienses repertus est. Trojani autem propter *Dardanum* et *Teucrum*, etiam ab Atheniensibus originem ducunt. Unde et *Minervam* colunt. Hinc est in secundo, 'Neu populum antiqua sub religione tueri.' *Antiqua* scilicet ab Atheniensibus tradita. *Servius*.

*Oleo labente*] Explicat, quales isti ludi fuerint. *Lucanus* l. iv. 'perfudit membra liquore Hospes Olympiacæ servato more palæstræ.' Docet autem *P. Faber J.C. Agonist.* II. 5. solos luctatores atque pancratiastas, qui in palæstra dimicarent, ungi solitos. Solos quippe pelo, (πῆλός) id est, into atque ceromate opus habuisse: atque hinc a *Pelo Palam* et *Palæstram* nomen invenisse auctore *Plutarcho*. *Stattius Theb.* l. vi. 'Ante alios erat uncta Pale,' id est, dea palæstræ, quam et ipsam *Palæstram* *Mercurii* filiam dixerunt. *Ibid.* 'Postquam oleo gavisæ cutis, petijt æquor uterque Pro-cursu medium, atque hausta vestitur arena: Tunc madidos artus alterno pulvere siccant, Collaque demersere humeris, et brachia late Curva tenent,' &c. Per æquor autem (ut hoc obiter notem) *scamnum* intelligit, sive locum in quem descendebant agonistæ, postquam se denudassent, oleoque palæstræ roborassent, atque ceromate perunxissent. Porro ex qua materia hoc unctionis genus confectum fuerit, discamus ex *Plinio* XI. 14. et XV. 4.

et XXVIII. 9. Ideo autem athletas perungi oleo consuevisse docet *Hier. Mercurialis*, artis gymnasticæ diligentissimus restitutor, I. 8. ut membra emollita sine ullius rupturæ periculo labores sustinerent. *Taubmann*.

282 *Nudati socii*] Respicit ad apodyterium; erat locus, ubi se veste spoliabant: ex apodyterio ingrediebantur alipterium, quo loco ungebantur. *Cerda*.

283 *Fugam tenuisse*] Feliciter navigasse. Nam tenere est implere; ut, 'Ni teneant cursus, certum est dare lintea retro:' id est, impleant. Et potest intelligi secundum communem sensum: ob hoc eos lustratos, id est, expiatis, ob hoc sacrificasse, et ludos celebrasse, quia hostiles terras prospera navigatione transierant. *Servius*.

284 *Magnum sol circumvolvitur annum*] *Magnum*, ne putemus lunare esse, propterea dixit. Antiqui enim tempora sideribus computabant, et dixerunt primo lunarem annum triginta dierum. Unde invenitur in aliquibus vita nongentorum annorum, scilicet lunarium. Postea solstitialis annus repertus est: qui XII. continet menses. Mox majore cura *magnum annum* esse voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. Et hoc fit, ut diximus, secundum *Ciceronis Hortensium*, 'post annos XII. (millia) nongentos quinquaginta quatuor,' solstitiales scilicet. Bene ergo nunc *magnum* addidit: ne lunarem intelli-geremus. Bene *Solis* nomen, ne quia dixerat *magnum*, illum VII. planetarum acciperemus: de quo varia et a *Metone*, et ab *Eudoxo*, et a *Ptolomæo*, et ab ipso *Tullio*. Nam in libris de deorum natura tria millia annorum dicit *magnum annum* tenere. Possimus tamen accipere Trojanos ibi annum duodecim mensium fecisse. *Id.*

*Magnum*] Deest per. *Donat.*

*Magnum annum*] Ita passim *Hesiodus* μέγαν ἐνιαυτόν. Intelligit autem annum *Solstitialem* sive *Solarem*; non



*Lunarem*, ideoque dixit, *magnum*. Et addidit; *Sol circumvolvitur*, ἀμφιερτίζε-  
ται: ne illum *Planetarum* et nugatorium  
intelligas, de quo Macrob. iii. 11. in  
somnia Scip. *Taubmann*.

285 *Et glacialis h.*] De temporum  
ratione Poëtæ ineunda, vide Scalig.  
Poët. iii. 6. *Idem*.

*Asperat*] Proprie admodum. Aspe-  
ritas læviori aut lævigationi opponitur:  
illa enim sunt aspera, quæ abeunt a  
lævore. Mare itaque cum æquum est  
et placidum, leve est: cum ventis in-  
tumesceat, ac perinde non æquum est,  
jam tum necesse est esse asperum.  
Valerius v. 2. 'placidum mare ex as-  
pero.' Senec. ep. 14. de Austro:  
'Siculum pelagus exasperet.' Livius  
l. xxxvii. 'Medio in cursu Aquilone  
in Septentrionem verso, exasperato  
fluctibus mari, jactari cœperunt.'  
Iterum: 'Nec ante hostium portus  
in salo stare poterant, aspero mari, et  
nocte imminente.' Eadem phrasi usi  
Græci vocantes θάλασσαν ἀγριου-  
μένην. Nec alia mens Horatii Od. i.  
9. 'aut mare Caspium Vexant inæ-  
quales procellæ.' Ista enim inæqua-  
litas nihil aliud quam asperitas hujus  
libri, atque etiam vi. ubi Palinurus  
jurat *maria aspera*. Eodem pertinent  
verba Sen. de Prov. c. 5. 'Multa  
accident dura et aspera, sed quæ mol-  
liat et complanet ipse:' vides opponi  
*aspera*, et *complanet*. *Cerda*.

286 *Ære cavo clypeum*] *Æris* cavi:  
ut, 'Pulchra prole.' *Clypeum* hic  
masculino, at neutro alibi, 'Clypeum  
superintonat ingens.' *Servius*.

*Magni gestamen Abantis*] Hunc A-  
bantem possumus intelligere cum An-  
drogeo apud Trojam occisum: ut,  
'Mutemus clipeos.' Sed Virgilius  
amans, inventa occasione, recondita  
quæque summatim et antiquam con-  
tingere fabulam, de Abante dixit.  
Abas namque Lyncei et Hypermnæ-  
træ filius, viribus præstans, cum vi-  
cinas civitates subvertisset, magnus-  
que terror universis esset, diem su-

premi obijt: populi autem, quos  
ille devicerat, regno ejus infestis,  
manu facta urbem diruturi muros  
subiere; cumque in eo essent, ut jam  
civitatis potirentur, senex quidam ju-  
venem egregiæ formæ, securum in  
publico excidio, notavit in foro; cum-  
que ex eo quæsisset, cur patriæ non  
succurreret, et respondit, quod arma  
non haberet; tunc senex ei Abantis  
arma consecrata demonstrat, horta-  
tusque ut eis uteretur: quibus tunc  
sumptis juvenis properat in aciem.  
Hostes vero, viso Abantis clipeo, fu-  
gerunt. Quidam sane Abantem in-  
ventorem clipei ferunt, sed hoc nomen  
in penultima syllaba habet accentum.  
*Idem*.

*Ære cavo clypeum, magni gestamen  
Abantis*] Ovidiana illa respexit, 'Cog-  
novi clipeum, lævæ gestamina nostræ,  
Nuper Abanteis templo Junonis in  
Argis.' Ad quem locum Hygini fa-  
bulam de Abante tradit Nob. Hein-  
sius. *Emmen*.

287 *Postibus adversis figo*] Proprie:  
*figi* enim *dona* dicuntur; ut, 'Sacra  
ad fastigia fixit:' et sciendum inter  
sacratas res etiam *dona* esse, sicut in  
libris sacrorum invenitur, quæ tamdiu  
*dona* dici possunt, quamdiu non pro-  
fanentur. Rite ergo dicendo, 'Æneas  
hæc de Danais victoribus arma,'  
ostendit clipeum quem dono obtule-  
rat consecratum. Sciendum tamen  
hunc clipeum ab Ænea apud Samo-  
thraciam in templo consecratum,  
quod poëta per transitum tetigit.  
*Servius*.

*Postibus adversis figo*] De figendis  
armis pauca notata Æn. i. 252. plura  
dabit Thomasinus de Donar. c. 22.  
*Emmeness*.

*Rem carmine signo*] *Rem*, votum, id  
est, voluntatem. *Carminē* autem, epi-  
grammate. Et sciendum *carminē* dici  
quicquid pedibus continetur. Nam  
et hic unum verbum, *carminē* dixit:  
et in Bucolicis duos, ut, 'tumulo su-  
peraddite carmen: Daphnis ego in sil-

vis hinc usque ad sidera notus, Formosi pecoris custos, formosior ipse.' *Servius*.

288 *Æneas hæc de, &c.*] Scil. detracta consecravit: usitata hujusmodi Inscriptionibus ellipsi. Et ut magna brevitatis est hujus tituli: ita intellectus uberrima latitudo. *Æneas* posuit, *Æneas* scripsit: idque in agro hostili, et quidem tutus. Habuit arma victoribus Græcis erepta; et in ipsorum sedibus eadem ostentationis causa affixit: addidit epigramma, quod testaretur scribentis gloriam, et eorum qui superiores recesserant, ludibria demonstraret: superesse item Trojanos, qui Græcos ulcisci possint. *Taub.*

*De Danaïis victoribus*] Inrisio est, ut, 'Victoresque cadunt Danaï.' *Snbaudis* autem arma consecravit, vel posuit. Sane hic arma clipeum solum dicunt, ut, 'Ac Laus socii exanimem super arma ferebant.' *Servius*.

289 *Lingens tum portus*] Id est, post insultationem carminis necessario statim fugit. *Idem*.

290 *Certatim ferient mare*] Scil. remis: ita et Græci *τόρρειν ἄλα*. Infra vs. 668. 'Verrimus et prōni certantibus æquora remis.' *Taubmann*.

291 *Protinus*] Trium temporum significationem capit. Hoc loco præsentis. De præterito et futuro dici *Charis*. Inst. Gramm. c. 2. *Emmeness*.

*Aërias arces*] Id est, altas. *Servius*.

*Phæacum*] *Corcyram* insulam dicit, sitam inter Epirum et Calabriam, ubi regnavit Alcinoüs, quam incoluerunt *Phæaces*. *Idem*.

*Phæacum*] Mediam producit, ut et *Juv.* 'Qualia perpetuum Phæacum autumnus habebat.' *Propertius* tamen l. III. corripuit, 'Nec mea Phæacias æquant pomaria silvas.' Ex *venia* Poëtarum *Prop.* Nam Græci *Φαίηκες*, per vocalem longam. Nisi quis contendat in *Propertio* legendum *Phæacius*. *Cerda*.

*Phæacum*] *Phæacia* primum appellata *Scheria*, saltem, ejus oppidum, ut

Schol. *Homer. Odys. Z. 8. Σχερίη πόλις φαίδων*: posterioribus seculis *Corcyra*, de qua *Livius* l. XXVI. nunc *Corfu* sub imperio Venetorum. *Emm.*

*Abscondimus*] *Nauticus* sermo est, et mira bene usus est celeritate; ut, ante absconditam quam visam insulam diceret. *Servius*.

*Abscondimus*] *Abscondimus* est, præterimus: videntur enim quæ navigando præterimus, abscondi et evanescere. *Lucanus*: 'tectumque cacumen Nubibus, et dubios cernit vanescere montes.' Porro *Phæaces* populi sunt ad sinum Ambracium, in finibus Epiri, contra *Thespotas*, quorum oppidum maritimum est *Buthrotum*. Hinc *Phæacia*, quæ nunc *Corcyra*: nobilitata olim *Alcinoi* Regis hospitio, et *Ulyssis* appulsu. *Epirum* autem ab *Ambratiotis* dividit *Acheron* fluvius, qui e *Pindo* oriens ad *Nicopolin* mare ingreditur. *Taubm.*

292 *Portusque subimus Chaonio*] Ut, 'Subeunt muro.' Nam si *Chaonios* legeris, non *Chaonio*, difficilis est scansio, non excluso s. *Servius*.

*Portusque subimus Chaonio*] *Valerius Probus* legit *portusque subimus Chaonio* per *o* mega genitivo casu, ut *Androgeo*: quum tamen non inficietur esse etiam qui legant, *Portusque subimus Chaonios*, utrumque accusativo casu. Sed enim *Serviana* sententia minime displicet, quæ cum veteribus exemplaribus *Portu Chaonio* lectionem agnoscit, ut 'subeunt muro.' *Pierius*.

293 *Buthroti urbem*] Id est, *Buthrotum*, ut, 'Fontem Timavi.' Hæc autem civitas est in Epiro, cujus pars est *Chaonia*, quæ ante *Molossia* dicta est: posita est autem in saxo, quod mari cingitur, in quo fons hujus naturæ esse perhibetur, ut cum mare quietum fuerit, crescat; cum vero fluctibus attollitur, decrescat. *Servius*.

*Buthroti*] In Epiro positum est oppidum. *Plinius* IV. 1. Coloniam nominat *Strabo* l. VII. *ἐνδολέως ἔχον* 'Populæous'. Qualis fuerit Colonia et a

quo deducta eruit L. Holstenius in Not. ad Steph. Recte scribitur secunda afflata, teste Dausquio; nec tantum adspirationem postulat ratio nominis, sed et Mela 11. 3. *Buthroton* appellat. An *portu* legendum disputat Schott. observ. poet. 11. 2. *Emm.*

*Accedimus*] Vetera pleraque omnia exemplaria, *accedimus* legunt, non *ascendimus*: nondum enim *portu* progressi sunt. Dixerat tamen *celoam urbem*, atque ita, *ascendimus* non improprie. *Pierius.*

294 *Incredibilis rerum fama*] Incredibile rerum fama. Et bene non credit. Unde et postea interrogat, 'Pyrrhin' connubia servas?' *Servius.*

295 *Priamiden Helenum*] Mira res a persona, quod frater Paridis victus regnaret inter victores. A loco, ut Trojanus in Græcia. A numero, ut non per unam urbem, sed per plures. A fortuna, ut regnaret potius Pyrrhi conjugio ac sceptro. Ergo incredibile, uxorem Pyrrhi eversoris Trojæ, hominem ex Priami genere habere: et cum Pyrrhus vita cessisset, Andromachen iterum patrio marito cessisse. Ergo obstupuit Æneas potius, quam miratus sit. *Donatus.*

*Priamiden, &c.*] Euripides fallitur, qui Helenum in expugnatione Trojæ occubuisse cum reliquis fratribus docet, sed hujus errorem corrigit Cuperus observ. 1. 20. Hyginus fab. 128. eum inter augures numerat, quemadmodum infra vs. 369 auguris fungitur munere. De Heleno vate et de urbe Buthroto Ovid. Met. XIII. 720. *Emm.*

297 *Patrio marito*] Atqui Thebana fuit de Thebis Phrygiis: sed aut provinciam pro patria posuit, ut, 'Italiam quero patriam.' Item Salustius, 'Hispaniam sibi patriam esse.' Aut certe secundum jus locutus est: quia uxor, viri domicilium sequitur. Juncta ergo Hectori, facta Trojana est. Nam, et *cessisse*, de Jure est. *Cedi* enim *hereditas* dicitur; ergo merito dicta

est Heleno civi nupsisse. *Servius.*

*Cessisse marito*] Sic ait, ut dicimus, 'ex hereditate paterna illud mihi cessit.' Consuetudinis sane regie fuit, ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen pro legitima haberent: adeo ut liberi, ex ipsa nati, succederent. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit, et ex ea filium Molossam suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai et Helenæ filiam, Orestis jam ante desponsatam, ducere uxorem, Orestis insidiis, in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit, ut Andromache (quæ apud eum conjugis locum tenuerat) Heleno daretur (quæ peperit Molossam prius Pyrrho) propter supra dictum beneficium, quo eum a navigatione, cæteris Græciis navigantibus, quos tanquam vates sciebat tempestate perituros, prohibuerat. Inde factum est, ut teneret Helenus regnum privigni, qui successerat patri: a quo *Molossia* dicta est pars Epiri; quam, sicut dictum est, Heleus postea a fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, *Chaoniam* nominavit: quasi ad solatium fratris extincti: quamvis de hoc nomine etiam aliæ causæ apud diversos alios inveniuntur. *Idem.*

298 *Obstupui; miroque incensum pectus amore*] Ut missum faciam *obstupui*, de quo sæpe dictum, codices nonnulli admodum vetusti legunt, *incensum est pectus*: sed forte illud ex paraphrasi hinc insertum. *Pier.*

300 *Progredior portu, classes et litora linquens*] Hystero proteron in sensu: ante enim linquitur litus, et sic a portu proceditur. Sane securitatem verbo ostendit; dicens, *Classes et litora linquens*, quippe cum regnum civium peteret: aliter in primo, 'Exire locosque Explorare novos.' Notandum sane finitum esse verum participio: quod raro apud Latinos est, apud Græcos vitiosissimum. *Servius.*

*Linquens*] Judicium Servii de veri-

bus participio terminatis refutat Voss. Institut. poet. III. 7. tam Latinis, quam Græcis exemplis. *Emmen.*

301 *Sollemnis*] Non festas, sed legitimas, anniversarias. *Servius.*

*Tristia dona*] Acerba: tale est illud, 'Quem semper acerbum, Semper honoratum (sic dii voluistis) habebo.' *Idem.*

302 *In luo*] *Lucum* (ut supra diximus) nunquam ponit sine religione. Nam in ipsis habitant manes piorum, qui lares viales sunt: unde in sexto, 'Nulli certa domus: lucis habitamus opacis.' Et in v. 'Tumuloque sacerdos, Ac lucus late sacer additur Anchiseo:' et hic lucus, qui ad reddenda solennia Hectori et Astyanacti fuerat dicatus. *Idem.*

*Falsi*] Simulati. *Idem.*

*Falsi Simoentis*] Qui vel sponte in alias terras migrant, vel pulsati patria novas sedes quærent, eadem nomina urbibus, fluminibus, &c. imponunt, quibus ea fuerunt appellata loca, in quibus ante habitaverunt; ut ita amorem patriæ consolentur, vel id dent dignitati et reverentiæ natalis soli: ut hunc ritum exponit P. Victor. var. lect. v. 3. *Emmeness.*

303 *Libabat cineri*] Non dixit cunus, sed exin latius intelligitur. *Servius.*

*Libabat*] Verbum *libo* in re mortuorum sollemne. Apuleius Asin. l. iv. 'Poculis aureis memoriæ defunctorum commilitonum vino mero libant:' et l. viii. 'Ad ego sepulcrum mei Leopolemi tuo luminum cruore libabo.' *Cerda.*

*Manesque vocabat*] Sacrificiis inani sepulture conciliabat manes Heciores: et bene in luo, ut diximus supra. *Servius.*

*Manesque*] Per manes intelligit proprie Salmas. in Plin. exerc. p. 412. defunctorum parentum et eorum animas, qui fortissimi in vita extiterant: unde manes appellantur, Sancti. in Min. 433. *Emmeness.*

304 *Ad tumulum*] Id est, cenotaphion. *Serv.*

*Hecoreum ad tumulum*] De Hectoris cadavere sciendum, non illud perseverasse apud Ilium in sepulcro ibi exstructo, sed translatum ad urbem Thebanam, scribente sic Pausania in Bæotic. 'Est etiam ad eam, quæ Cædipodia appellatur, aquam, Hectoris, Priami filii, apud Thebanos monumentum: ejus enim ossa ex hujusmodi oraculo ab Illo se deportasse tradunt: Excelsa incolitis Cadmi qui nœnia Thebas, Si patriam optatis nunquam non esse beatam, Ex Asia transferte domum magni Hectoris ossa: Hic Jovis imperio Heroi sua justa manebunt.' *Cerda.*

*Inanem*] *Τὸν ἐρῶν κενὸν τάφιον*: cujusmodi solebant erigi iis, quorum corpora haberi non poterant: ne scilicet omni sepulture honore destituti Stygiam paludem tranare non possent. Scipio Gentilis, Parerg. II. 16. contra Martianum J. C. hoc Poëtæ nostri allegantem, eruditissime docet, hoc genus Cenotaphii, quo de Virgilius loquitur *sepulcrum* potius esse appellandum, quam *inanem tumulum*, qui tantum ad memoriam mortui peregre fiat, quemque Snetonius *honorarium* vocet *tumulum*: cum et aræ hic, ut in sepulcris, excitatæ: et *vocati* sint *manes*: de quo Ausonius: 'Voce ciere animas, funeris instar habet.' Quare et sepulcrum nominetur Catullo: 'Alta Polyxenia mædæfient cæde sepulcra,' id est, Cenotaphium Achillis: *sepulcrum* tamen; quod illi, ut sepulcro, sacrificium additum fuit, immo et animæ conditæ: uti supra, 'animamque sepulcro Condimus: et magna supremum voce ciemus.' Cicero Philipp. 9. extrema: 'sepulcrorum, inquit, sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri potest: Cenotaphiorum in ipsa religione et reverentia vivorum: quæ et mutari et deleri potest.' Alciatum etiam

Parerg. x. 12. refutat Nascimbænius. *Trubmann.*

[*Inanem*] Meursius ad Lycophronem p. 189. de Sepulcro et Cenotaphio disputat uberius: ad inanem tumulum respicit Ovid. Met. xi. 429. 'Et sæpe in tumulis sine corpore nomina legi.' Vide Kirchm. de Fun. Rom. iii. 27. Locum Maronis imitatus est Stat. Thebaid. l. xii. 'Nomina, quod superest, vacuis datis orba sepulcris, Absentesque animas ad inania busta vocatis.' *Emmeness.*

[*Viridi cespite*] Herboso. *Servius.*

[*Cespite*] Vix dici potest, quam multis in rebus olim *cespes* in ministerio fuerit, veluti res sacra antiquis. En hic ex cespite sepulcrum: in xi. Metabus de gramineo cespite Triviæ donum vellit. Militibus pro mensa fuit. Lucanus l. iv. 'Pax erat, et castris miles permixtus utrisque Errabat; duro concordēs cespite mensas Instituunt.' Adeo hoc sollemne, ut Tiberio quoque principi hoc det Suetonius in ejus vita c. 18. 'Trans Rhenum eum ordinem vitæ tenuit, ut sedens, in cespite nudo cibum caperet.' Exstructas aras in cespite, vulgare. Horat. 'positusque carbo in cespite vivo.' Et Apulejus l. vii. 'aram cespite virente Marti Deo faciunt.' Idem aggestus ad conciones militares pro tribunali erat, de qua re alibi. Quid, quod mirere, res agrestis adhibita est ad fastum, et luxuriam: Cæsar enim civil. iii. sic loquitur cum exprobratione Pompejanæ luxuriæ: 'in castris Pompeji videre licuit triclinia strata, magnum argenti pondus expositum, recentibus cespitibus tabernacula constrata.' Sed ad rem mortuorum, de qua hic sermo, signatissima sunt verba Taciti Ann. l. i. 'Primum extruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos.' Et Prudentii versus in Peristeph. hymno 4. 'Hoc colunt cives, velut ipsa membra Cespes incladat suus, et paterno

Servet amplectens tumulo beati Martiris ossa.' Et nota illum loqui de honorario tumulo, ut etiam Poëta. *Cerda.*

[305 *Geminas*] Unam marito, alteram filio. Aut certe illud respicit, quia inferi pari gaudent numero: ut, 'Ecce duas tibi Daphni.' Superi vero impari: ut, 'numero Deus impare gaudet;' vel geminas Diti patri et Proserpinæ; aut quia elatæ mortuorum aræ; deorum altaria dicuntur; ut, 'En quatuor aras, Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phæbo.' Quamvis hoc frequenter poëta ipse confundat. *Servius.*

[*Geminas aras*] Unam marito Hecatori, alteram filio Astyanacti: sed Turneb. xxvii. 6. docet, veteres manibus honoratorum virorum aras esse solitos consecrare duas; quæ vide ad Æneid. v. 48. *Trubmann.*

[*Geminas aras*] Vide ad hunc locum Gutherium de jure Manium, ii. 19. ubi inferos pari numero gaudere affirmat. *Emmeness.*

[*Lacrimis sacraverat*] Hoc tantum, ut causam lachrimarum haberet. *Serv.*

[307 *Monstris*] Rebus scilicet insperatis, et hoc ad Andromachen refertur, quæ putat monstrum: aut certe monstris, quod tunc advenerat Æneas, cum illa Manes invocaret, et eum crederet esse defunctum. *Idem.*

[*Monstris*] Monstrum fuit, ut quo tempore manibus parentaret, Æneas appareret, ut et ipse mortuus putari posset. *Donatus.*

[308 *Deriguit visu in medio*] Dum me cernit, obstupuit, aut antequam nos manifestus videret. *Servius.*

[*Calor ossa reliquit*] Id est, extimuit: ut, 'Solvuntur frigore membra.' *Id.*

[*Calor ossa reliquit*] Nam turbata mente recedit calor. Est autem sapiens consilium Poëtæ, tractantis personam mulieris, solventis inferias mortuo, et illius amorem retinens. Ex confusione autem mentis, quia perfecte videre non potuit, incidit in

errorem, ne esset mortuus. Prior vidit mulier, prior loquitur Æneæ, verecundia intemperata reservatur. *Donatus.*

309 *Labitur*] Hoc verbo frequenter Poëta λαμβάνω significat : ut Æn. IV. *deficit, evyaberna. Tambann.*

310 *Verane te facies*] Ordo est : O nate dea, afferne te mihi vera facies, verus nuntius ? Et opportunum principium feminæ, quam incertam timor fecerat. *Servius.*

*Verane te facies*] Et quia armatus, et quia in die, in qua non solent videri mortui, apparuit, existimavit vivum. Ex occasione autem loci et parentationis causa, putabat mortuum. *Don.*

*Verane te facies, &c.*] Illustrat Nannius Miscellan. II. l. hunc locum duplici Terentiano. Omitto ; et addo duo alia, alterum Senecæ Trag. in Fur. alterum Euripid. in Androm. Ergo Amphitryo reverso Hercule ab Inferis, sic ait : ' Utrumne visus vota decipiant meos ? An ille domitor orbis, et Grajæ decus, Tristi silentem núbilo liquit domum ? Estne iste natus ? membra letitia stupent. O nate, certa et vera Thebarum salus, Veramne cerno corpus ? Brevius idem Seneca in Œdip. ' An æger animus vera pro falsis videt ? Orestes vero visa Hermione apud Eur. "Εὐ-ρίχημα; πῶς ἐσφάληθ' ; ἢ σαρπὶς ἐπὶ Ἀδριανὸν ἐκασσὼν τήδε Μενέλαος ἄσπερ ; *Ehem, quid rei est ? fallor ne, an manifeste video Domum Reginam hanc Menelai filiam ? Cerda.*

*Verus mihi nuntius adfers*] Quidam sic exponunt, propt adferri, id est, vivus mihi nuntiaris. *Servius.*

311 *Virime*] Et secundum muliebrem adfectum, sicut supra dictum est, interrogat, et bene suspicatur. Nam et inferis sacrificat, et in luco, in quo habitant manes. *Idem.*

312 *Hector ubi est ? dixit, lacrimasque effudit*] Hoc ad Æneæ pertinet gloriam, ut ab Hectore nunquam discessisse videatur. Sensit autem hoc :

si umbra videntur in sacris, cur non eorum magis quibus sacrificatur ? *Id.*

*Dixit, lacrimasque effudit*] Bene, postquam ad mentionem Hectoris ventum est, tacuit et flevit. *Idem.*

*Lacrimasque effudit*] Hæc omnia proveniunt ex mariti recordatione. Nec debuit de alio quam de mortuo, in tanto dolore querere. *Donatus.*

313 *Implevit*] Nihil omnino mediocre in sexu feminino. Semper enim aut minus quam canem, aut plius quam senionem jactit. Ita hic Andromache implevit clamore locum. Non enim mediocris vox, clamor : nec mediocris clamor, qui locum implet. De quo Scalig. Poët. III. 13. *Tambann.*

*Pausa*] Vel quia plura turbatus non possem : vel quia ipsa ex dolore non fuisset plura auditura. *Donatus.*

*Furanti*] Insolabiliter et impatienter dolenti. *Servius.*

314 *Turbatus*] Lugente scilicet Andromache : Cato ait, ' Verba tertiato et quartato quempiam dicere præmetu. ' *Idem.*

*Hisco*] *Hiacere* est hiare, nec loqui posse. Vel hirc hic, loquor. *Idem.*

*Hisco*] Ita Seneca in Controversa. ' Seneca et tenui atque elisa jejuniio voce ut vix exaudiri posset. ' Seneca enim vox singultantis est, et qui sua ipsius verba fere devorat. Ejusmodi semesam et terrore elisam vocem hic in Virgilio intelligas. Ita Apulejus Metam. I. v. ' Tremensque et exanguis colore lurida, tertiatia verba semi-animi voce substrepsens, ' &c. ubi, *tertatiata verba* sunt ejusmodi lapsantia et cum pavore nutabunda. Singulis autem propositis strictissime respondet Æneas, fortunæque suæ miseries brevissima insinuatione designat. *Tamb.*

315 *Viro equidem*] Hoc cum patho legendum est : ac si diceret, Si tamen vita est infelicitate vivere. *Servius.*

316 *Nam vera vides*] Propter illud, *verane te facies ?* *Idem.*

317 *Hec*] Disjungendum ab inter-

rogatione, ut separatim luctuosa vox audiat. *Idem.*

*Hec]* Et ipse incipit a gemitu propter Hectoris recordationem. *Donatus.*

*Causa]* Hic eventus; ut, 'Tot casibus actus.' Alii *periculum.* Servius.

*Dejectam conjugē tanto]* Dapnas, per comparisonem virorum factum. *Idem.*

§18 *Excipit]* Signate locutus est, quia *dejectam* dixerat: excipiuntur enim quæ cadunt. *Idem.*

*Digna]* Congrua et priori conveniens. *Idem.*

§19 *Hectoris Andromache]* Si *Andromache*, sequentibus junge: si *Andromachen*, superioribus. Sed cum supra Heleno nuptam dixerit, cur hic *Hectoris* dixit? Sed ipse quæstionem solvit, dicendo *incredibilis.* *Idem.*

*Hectoris Andromache]* Cum laude hæc duo nomina extollenda sunt. *Donatus.*

*Connubia servas]* Tenes: ut, 'Et nunc servat honos sedem tuos ossaque nomen.' Aut certe amas: ut, 'servantem ripas.' Aut quia audierat nuptam Heleno. *Servius.*

*Servas]* Pro *servasti.* *Idem.*

*Pyrrih' connubia servas]* In antiquis aliquot codicibus legere est, *Pyrrih' an connubia servas.* Ut sit: *Andromache, servas ne connubia Hectoris, an Pyrrhi?* Sunt qui et *Andromachen* legant, ut uno membro totum id colligatur: *Quæ digna satis Fortuna revisit Hectoris Andromachen?* Sed enim longe magis placet eruditis ingeniiis, quod vulgata habent exemplaria, *Hectoris Andromache Pyrrhi' connubia servas?* Hoc est, fieri ne potest, o *Andromache*, ut quæ Hectoris uxor fueris, *Pyrri* connubia servare possis? Antiqua vero fere omnia exemplaria, *connubia* unico n scribunt. *Pierius.*

§20 *Dejecit vultum]* Decenter, quia de concubitu admonita est. *Servius.*

*Dejecit vultum]* Mota pudore: et quoniam factum negare non poterat,

summissæ vocis purgatione defendit. *Donatus.*

*Dejecit vultum]* Hoc indicium pudoris attribuit Lucretiæ Dionys. l. iv. demisit enim vultum cogitabunda, et præ mœnore. Eadem pudoris notâ Philostratus in Heroicis: *ἐρῶντων δὲ καὶ ἐς τὴν γῆν βλέποντα*: vides ut ad præmissum pudorem sequatur dejectio oculorum. *Dejacere vultum* et *oculos* Græci dicunt, in his Plato *Alcib.* ii. *eis γῆν βλέπων.* Alii, *ἀπὸ τοῦ ἐρῶντος.* Philostratus *Apoll.* vi. 6. *ἐρῶντος ἐπελούς.* Plutarchus in lib. de vitioso pudore vocat *κατάρπειαν* mæstítiam illam, quæ cogit humum intueri. Optime vero Poëta cum hac dejectione vultum conjunxit, qui index effectum. Vide *Isidorum* xi. 1. ubi loquitur de vultu. *Cerda.*

*Demissa]* Humili, tenui; et verecunde, quia de *Pyrrho* dictura est. *Servius.*

§21 *O felix]* Bene, nec ad interrogata respondit et virginitatem laudat, et mortem: ut ostendat se invitam *Pyrri* pertulisse connubium, et esse superstitem suis miseriis. *Idem.*

*O felix]* Ex comparatione ostendit, miserrimam esse felicem, comparatione sui, quæ pudorem amiserit, quando mors in illa exclusit violentiam pudoris: et cum illam solam ostendit in causa turpi. *Donatus.*

*O felix una ante alias]* Pathos est, ut ait *Quintilianus* in vi. quo gravem rem interdum efficitur, si magnis malis gravius id esse, quod perpesi sumus, ostenditur. Quam miser enim casus *Andromache*, si comparata ei felix *Polyxena*, hostilem ad tumulum jussa mori. *Pierius.*

*O felix, &c.]* Quotuplex *videtur* ait in hoc versu exponit *Macrob.* *Saturn.* iv. 6. *Eumeness.*

*Una ante alias]* Ideo felicior, quia virgo extincta est. Et *alias* hic absolute junxit; ut, *filia ante alias.* Jungitur tamen et comparativo; ut, 'Scelere ante alios immanior:' et su-

perlativo; ut, 'ipse ante alios pulcherrimus omnes.' *Servius*.

*Priameia virgo*] Quia notum est nomen, omisit. *Idem*.

*Virgo*] Ergo periiit salva castitate. *Donatus*.

*Priameia virgo*] Discrepat autem hic ab Euripide Maro: cum hic ad bustum Achillis, et in Troade, cæsam Polyxenam scribat: ille in Chersoneso ad honorarium ejusdem Achillis tumulum. Philostratus autem eam ultro ad sepulcrum Achillis sponsi sui gladio incubuisse tradat. Notat Turneb. xi. 19. Quam sive fabulam sive historiam elegantissime etiam descripsit Ovid. Met. l. xiii. *Taubmann*.

323 *Hostilem ad tumulum*] Quia grande est mortis solatium, præmissus hostis interitus. Fabula talis est: Achilles dum circa muros Trojæ bellum gereret, Polyxenam visam adamavit, et conditione pacis in matrimonium postulavit. Alii dicunt, quod cum ad redimendum corpus Hectoris ab Achille, etiam ipsa cum patre venisset, adamata est. Quam cum Trojani fraude promisissent, Paris post Tymbræi Apollinis simulacrum laetit, et venientem Achillem ad fœdus, missa vulneravit sagitta. Tunc Achilles moriens petiit, ut, devicta Troja, ad ejus sepulchrum Polyxena immolaretur: quod Pyrrhus implevit. Et alius ordo fabulæ hujus: Cum Græci victores in patriam vellet reverti, e tumulo Achillis vox dicitur audita, querentis, quod sibi soli de præda nihil impertivissent. De qua re consultus Calchas, cecinit Polyxenam, Priami filiam, quam vivus Achilles dilexerat, ejus debere manibus immolari; quæ cum admota tumulo Achillis occidenda esset, manu Pyrrhi æquanimiter mortem dicitur suscepisse: invenitur enim apud quosdam, quod etiam ipsa Achillem amaverit, et ea nesciente, Achilles fraude et insidiis sit peremptus. *Servius*.

*Ad tumulum*] Et non ad cubile:

unde nulla voluptas potuit pervenire ad mortuum. *Donatus*.

*Trojæ sub manibus aliis*] Solatium dedit mortuæ, quod licet ad hostilem tumulum, sed in ore patriæ perierit; unde duplex felicitas, quod et virgo, et in patria mernerit interire. *Servius*.

323 *Jussa mori*] Bene hoc ex præcepto Achillis, quam ad tumulum suum jussit occidi. *Idem*.

*Sortitus*] Quia captivi et præda inter victores sorte dividebantur; ut est, 'Et prædæ ducere sortem.' *Id.*

*Quæ sortitus*] Quæ victori, more militiæ, per sortem non cessit. Hoc autem pathos a majori et minori, præter Quintil. vi. 3. expendit Macrobi. iv. 6. *Taubmann*.

324 *Nec victoris heri tetigit captiva cubile*] Singula habent emphasim suam. Nam parum erat dominum dicere, nisi et victoris adderet fastum. Merito ergo fœlix, quæ sola morte tot pœnas refugit. *Servius*.

*Heri*] Ut qui inimicus fuerat, esset dominus. *Donatus*.

*Heri*] Ita etiam in re amoris Catullus in Epithal. Juliæ, imo ab eo Virgilius, ut liquidum ex affinitate vocum *heri* et *cubile*. Ait ille: 'O cubile, quod omine Candido pede lectuli, Quæ tuo veniunt hero Quanta gaudia, quæ vaga Nocte, quæ media die Gaudeat.' *Cerda*.

*Tetigit captiva cubile*] Tetigit, non cum fiducia conjugali secure ascendit, sed ut solent captivæ dominorum toros paventes leviter contingere; et *cubile* dixit, non *lectulum geniale*. *Servius*.

*Captiva cubile*] Novissime posuit, quæ maxime premebatur, causam. *Donatus*.

*Cubile*] Non ad honestatem, sed ad ludibrium est invita perducta. *Idem*.

325 *Nos, patria*] Conclusa compactionis parte, quæ se purgavit, redit ad se, et opponit sua his, quæ evenerant Cassandræ. Illa enim incolu-



mem patriam reliquit. *Donatus.*

*Divorsa per æquora vectæ*] Tanquam parum fuerat patriam incensam. *Serv.*

326 *Stirpis Achilleæ*] Cum magno dolore dictum *Achilleæ*; quia ab eo Hector occisus est: et idem bis dixit. *Idem.*

*Fastus*] Superbiam: et est quartæ declinationis. Nam liber, qui diem habet computationem, secundæ declinationis est. Unde erravit Lucanus dicendo, 'Nec mens Eudoxi vincetur fastibus annus.' *Idem.*

*Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum Servitio enixæ tulimus*] In codicibus aliquot antiquis, *fastum* unitatis numero legitur; sed longe calamitosius videtur numero multitudinis *fastus* dicere. Quod vero ait *Servitio enixæ*, ut missa faciam quæ *Servius* tradit; Non. Marcellus, hoc loco teste, *enixam* dici, partu levatam ait. Quamvis etiam *enixam*, labore exercitam exponat alibi, eodem hoc loco teste. Idem alibi: 'Enixæ dicuntur fœminæ dolendi labore perfunctæ, quod vinculis quibusdam periculi, quibus implicarentur, fuerint exsolutæ.' *Nexum* enim dici artum et colligatum ostendit Plautus in Amphitryone dicens: 'Uno labore exsolveret ærumnas duas.' Hæc ad eos dicta volui, quæ *enixæ* participii voce legi contendunt. Sed enim Ti. Donatus *enixe* ait adverbium esse debere, ut ait: *Fastus* ejus intolerabiliter *servitio* tulimus. Ex eo vero quod dixit *tulimus*, ostendit nimium fuisse *servitii* pondus. *Enixe* ergo, et *tulimus* hoc idem significant, ait ille in commentariis integris. Neque prætereundum quod hoc loco Sosipater ait, *servitium* esse multitudinem servorum, *servitutem* vero conditionem serviendi, sed veteres indifferenter *servitium* pro *servitute* posuisse. Ut Virgilius III. 'Servitio enixæ tulimus.' In eandem sententiam Tibullus, 'Sic mihi servitium video dominamque paratam.' *Pierius.*

*Superbum*] Ex victoria. *Servitium* autem nimis ponderosum fuisse ex eo ostendit, quod dixit *tulimus* et *enixe*, *Donatus.*

327 *Servitio enixæ tulimus*] Hoc est, pertulimus, donec in *servitio* positæ eniteremur. Fabula autem est, ut prædiximus. Et bene plurali utitur numero, ad excusandum pudorem. *Servius.*

*Qui deinde*] Ostendit necessitate Pyrrho, necessitate etiam Heleno fuisse conjunctam. *Donatus.*

*Qui deinde secutus*] Narrat, quo pacto e Pyrrhi *servitio* liberata, Heleno nupsit: item, quomodo ad hunc regni potestas pervenerit. Quæ quidem ita fere describuntur ab Euripide initio *Andromaches*. *Tamb.*

328 *Ledaam Hermionen*] Id est, Ledaæ neptem, Tyndarei uxoris, quam Juppiter, in Cygnum mutatus, gravidam fecit, quæ ovum peperisse dicitur, unde nati sunt Helena, Castor et Pollux. *Servius.*

*Ledaam Hermionen*] Id est, Helenæ ex Menelao filiam, Ledaæ neptem. Hanc autem *Hermionem*, aures Veneris speciem referentem, Pyrrhus amare cœperat, post susceptum ex *Andromache* serva Molossum sive *Amphialum*. Sed postquam rescivit eam *Oresti* datam, *Lacedæmonem* profectus a Menelao Virginis patre sibi desponsatam poscit conjugem. Quam ille ab *Oreste* abductam, Pyrrho tradidit. Hac contumelia *Orestes* motus, Pyrrhum Neoptolemum Delphis obtruncat, suamque *Hermionem* repetit. Legatur et Epistola *Hermiones ad Orestem*, apud Ovid. in *Heroid.* VIII. *Taubman.*

*Lacedæmoniosque Hymenæos*] Cum ingenti felle: ac si diceret: infelices maritis semper: ut *Paridi*, ut *Delphobo*. *Servius.*

329 *Me famulo famulanque Heleno transmisit habendam*] In *Mediceo*, et in *Porcio*, et antiquis fere omnibus exemplaribus dictiones in hunc sunt

ordinem collocatas, *Me famulo famulumque Heleno.* Et eodem legit ordine Ti. Donatus: in non nullis *me famulam famuloque, &c.* Pierius.

*Transmisit habendam*] Herili voluntate, non lege conjugii: vel quia inter captivos matrimonio fides non stabat: unde et *habendam* dixit, et *transmisit*: quia alii tradidit, quidam *permisit* accipiunt. *Servius.*

*Habendam*] Amantibus solemne verbum. Ovid. Met. x. 363. 'Qualem optet habere virum.' Petron. 'per quod te habere potui:' ubi in notione minus honesta. Sed plura Ecl. i. 31. *Emmeness.*

330 *Epœta conjugis*] Hanc Hermonen quidam dicant cum Oresti esset desponsata, post a Menelao, apud Trojam admirante virtutem Pyrrhi, eam promissam. Alii dicunt a Menelao quidem apud Ilium Pyrrho desponsatam, sed a Tyndaro Oresti, morante apud Trojam Pyrrho, ut quidam promissam, ut quidam conjunctam tradant: quam cum Pyrrhus confusus voluntate Menelai, armatus multitudine rapuisset, ab Oreste insidiis interfectus est. Si ergo Orestes eam uxorem non duxerat, cur *conjugis* posuit? Sic ergo intelligendum est, quam sperabat conjugem; ut in secundo, 'Et gener auxilium,' cum adhuc sponsus esset. *Servius.*

331 *Scelerum Furiis*] Matricidii scilicet. Orestes enim Agamemnonis filius, cum interfecto patre a Clytemnestra conjugē et adultero Ægisto, ipse substractus periculo esset, apud Strophum, patrem Pyladi, educatus est: qui cum adolevisset cum amico Pylade, tam Ægistum quam matrem peremit; ob quam causam furiis agitatū est, nec ante furore liberatus, quam pervenisset in Tauricam regionem, ubi soror ejus Iphigenia, subducta a Diana, apud Aulidem sacrificio, templo Dianæ præerat, et more gentis, dea hospites immolabat. Ibi cum ad aras pertractus esset, ut tau-

quam hospes occideretur, agnitus a sorore, substractus est morti: post, accepto reponso, sublato Dianæ simulacro, sororem reduxit in Atticam; ubi in honorem conservati naminis, Tauropolin appellavit. *Idem.*

*Agitatus*] Stimulatus. Cicero in Rosciana, 'Agitari et perterreri Furiarum tedis ardentibus.' *Idem.*

*Scelerum Furiis agitatū Orestes*] De Oreste, Furiis agitato, Fab. Hygini 119, 120. Insignis locus apud Ciceroem pro Roscio c. 24. ubi Furiis scelerum horrorem esse, et animum sibi consocium, docet. De Nerone narrat Suetonius c. 34. 'cum exagitatum materna specie verberibus Furiarum ac tedis ardentibus.' 'Tres sunt affectus (inquit Lactant. vi. 19.) qui' &c. 'propterea Poëtæ tres Furiis esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitant,' &c. De tribus Furiis agit Apollod. Biblioth. l. i. Parricidium Neronis et Orestis attingit Juvenal. Sat. viii. 215. Inter altaria Dei insidiis Orestæ interiisse Pyrrhum testatur Justinus xvii. 3. pro quo noster vs. 332. 'patrias obtruncat ad aras.' *Emmeness.*

332 *Encipit*] Dolo interficit, ut Æneid. vi. 'Æmulus exceptum Triton.' *Servius.*

*Patrias aras*] Alii *Achilleas* intelligunt, ubi ille adorabat Apollinem: aut quod ibi Achilles occisus sit: aut, quod historia loquitur, Pyrrhus, occiso patre in templo Apollinis Tymbæi, reversus ad patriam, in nūminis insultationem, in templo ejus Delphico aras patri constituit, et illic ei coepit sacrificare: neque enim aut Pyrrhus, aut Apollo Delphis oriundi sunt. Alii *patrias*, Apollineas volent, a Patris Achajæ civitate, in qua Patrius Apollo colitur. Nec debemus querere cur non *Delphicas* dixerit: quia epitheta in alieno negotio plerumque alia ponuntur: ut in quarta, 'Italiam magnam Grineus Apollo, Italiam Lyciæ jussere capessere

sortes: cum a Delio eum tantum constet accepisse responsum. Sunt qui dicunt ab Æsculapio aras Apollini statutas, *patrias* nominatas. Alii in templo Apollinis aram fuisse inscriptam, ΠΑΤΡΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ: ab hoc, quod Icadins Apollinis, et Nymphæ Lyciæ filius, cum in adultam ætatem venisset, primo regionem, in qua natus erat, a matre Lyciam nominavit; deinde in ea urbem quoque Apollini condidit, sortes et cortinam consecravit, et, ut illum patrem esse testaretur, *Patara* cognominavit. Inde cum Italiani peteret, naufragio vexatus, Delphini tergo exceptus dicitur, ac prope Parnassum montem delatus, patri Apollini templum constituisse, et a Delphino locum *Delphos* appellasse: aras deinde Apollini, tanquam patri, consecrasse, quas ferunt vulgo *patrias* dictas. Hinc ergo et Delphinum ajunt inter sacra Apollinis receptum, cujus rei vestigium est, quod hodieque quindecim virorum cortinis Delphinus in summo honore ponitur, et pridie quam sacrificium faciunt, velut symbolum, Delphinus circumfertur: ob hoc scilicet, quia quindecim viri librorum Sibyllinorum sunt antistites. Sibylla autem Apollinis vates et Delphinus Apollini sacer est. Invenitur tamen apud Cornificium Longum, Iapydem et Icadium profectos a Creta in diversas regiones venisse; Iapydem ad Italiam; Icadium vero, duce Delphino, ad montem Parnassum, et a duce *Delphos* cognominasse, et in memoriam gentis, ex qua profectus erat, subjacentes campos *Criæos* vel *Cretæos* appellasse, aras constituisse. *Idem.*

*Patrias obtruncat ad aras*] Eusebius de temporibus: 'Pyrrhus Delphis in templo Apollinis ab Oreste occiditur prodizione sacerdotis Macarei.' Cur vero *patrias* dixerit Poëta, Servius multas rationes adducit. At Macr. primo Saturnal. Apollinem

*πατρίων* olim cognominatum ait, *notæ* propria gentis unius aut civitatis religione, sed ut Auctorem progenendarum omnium rerum: quod sol, humoribus exsiccat, ad progenerandum omnibus præbuerit causam, de quo Orpheus, Πατὴρ ἔχοντα νόον καὶ ἐπιφρονα βουλήν. Placuerit vero Macrobio hæc Philosophice commentari. Sane Athenienses, ut Harpocration tradit, *πατρίων ἀπολλωνία* coluere auspiciis Ionis, qui quum in Atticam migrasset, Athenienses Iones vocati sunt. Ab eisque *Apollo Patrons* cognominatus. *Pierius.*

*Obtruncat*] Hunc autem morem truncandi plenissime videre est Æn. vi. 494. 'Atque hic Præmidem,' &c. Statius Theb. i. 'abruptis et nunc inhumata procorum Reliquiis truncata rigent.' Quintil. Declam. ii. 'Laceros video manes, et truncas partibus suis umbras,' &c. Atque eo modo mutilati, *Laceri* dicebantur. Asconius Verr. 2. 'Lacer dicitur amputatis a corpore sensuum membris, hoc est, auribus oculisque.' Festus: 'Lacerum, quodcumque in corpore immixtum est.' Id autem ideo faciebant illis, quos e medio sustulissent, ne a manibus eorum infestarentur. Credebant enim species mortuorum vagari, et homines, maxime inimicos, noctu terrificare. Æn. iv. Dido: 'Omnibus umbra locis adero: dabis, improbe, pœnas.' Illud vero *truncare* Græci vocabant *δαχάλισεν*, et *ἀκρωτηριάζειν*. Vide J. Meurs. Comm. in Cassandram Lycoph. *Tamb.*

**333 Reddita**] More veteri pro *data* accipiendum: *re* ergo abundat. Ennius in Annalibus, 'Ut Ilia reddita nuptum.' Et alibi: 'Isque dies post aut Marcus quam regna recepit.' Et pro *accepta*, ut *reddita*: quod Heleno debebatur imperium. *Servius.*

*Cessit pars Heleno*] Per privignum, ut diximus. *Idem.*

**334 Chaonios cognomine campos**] Epirum campos non habere omnibus

matum est, sed constat ibi olim regem nomine *Campum* fuisse, ejusque posteros *Campylidas* dictos, et Epirum *Campaniam* vocatam, sicut *Alexarchus* historicus Græcus et *Aristonicus* referunt. *Varro* filiam *Campi Campaniam* dictam, unde provincie nomen; post vero, sicut dictum est, *Chaoniam* ab *Heleno* appellatam, qui fratrem suum *Chaonem*, vel ut alii dicunt comitem, dum venaretur, occiderat. Alii filiam *Campi Cestriam* ab *Heleno* ductam uxorem, et de nomine socii *Campos*: de nomine *Chaone*, *Chaonas* dixisse. *Idem*.

*Chaonios*] Distinguit *Victor*. var. lect. XXII. 20. inter *Chones* et *Chaones*: hos Epiri esse dicit incolas, illos Italiæ. De *Chaonia* terra *Justinus* XVII. 3. ubi tota hæc historia, quam *Maro* attingit. *Emmeness*.

335 *Trojano a Chaone*] Vel fratre *Heleni*; vel, ut alii volunt, hunc *Chaonem*, licet superius causa hujus nominis dicta videatur, tamen quidam dicunt hunc *Chaonem* pro omnium incoluitate, cum pestilentia laborarent socii *Heleni*, ex responso immolandum se obtulisse: unde in honorem ejus Epirum, quæ *Campania* dicebatur, *Chaoniam* nominavit *Helenus*, et hoc fuit quando navigaverant a *Troja* cum *Pyrrho*. Alii dicunt, quod cum *Pyrrho* ab illo navigaret et tempestate jactarentur, *Dianæ* unum e *Trojanis* amicum *Heleni* vovisse, ut si illi periculum evasissent, se pro eorum incoluitate interimeret, qui se, postquam illi evaserunt, sicut promissit, occidit: unde factum est, ut ejus nomine *Helenus* adeptus regnum, Epirum *Chaoniam* nominaret. *Servius*.

*Dixit*] Nominavit, nt, 'Fluvium cognomine *Tybrim* Diximus;' et, 'Italiæ dixisse dncis de nomine gentem.' *Idem*.

336 *Pergumaque*] *Pergama* legendum, non, ut plerique *Pergamean*; qui per imperitiam etiam contra me-

trum sentiunt. Decipiuntur autem cum utrunque derivativum volunt: cum sit *Pergama* principale. *Idem*.

337 *Qui cursum venti*] Servat hunc ordinem, ut, a sui persona incipiens, mox quærat alienam; ut, 'Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris.' Et hoc totum cum admiratione dictum est. *Qui venti*, id est, tam prosperi. *Idem*.

*Quæ fata*] Tam nobis foelicia. *Idem*.

338 *Quis deus*] Qui præstitit, ut te videre possemus? Tale est et illud *Æneæ* ad *Didonem* adulatorium, 'Hinc me digressum vestris deus appulit oris.' *Idem*.

*Quisnam*] In antiquis aliquot codicibus legere est, aut *quisnam ignarum*. Fuerat vero *te* pronomen forte additum a *Paraphraste*. Nempè, *quisnam* etiam apud *Ti. Donatum* habetur. Et ita scriptum est in codice *Mediceo*: in aliis *quis te*. *Pierius*.

*Ignarum*] Aliud disponentem. *Serv.*

339 *Puer Ascanius*] Filius, quia Græci *παιδας* etiam filios dicunt. *Id.* *Quid puer Ascanius*] Locus expressus ex *Euripid.* *Electra*. *P. Victorius* I. 19. *Taubmann*.

*Superatne*] Vivit. Sane nove dictum est, et caret exemplo, ut pauca in *Virgilio*. Alii dicunt *superat*, superstes est: sed *superstes* præsentem significat: ut *Cicero* in *Muræniana*: 'Suis utrisque superstitibus,' id est, præsentibus. *Servius*.

*Vescitur aura*] In antiquis plerisque codicibus, *auras* accusativo casu legitur: cum elocutione *Tibulli*, 'Sic usque sacras innoxia lauros Vescar.' *Pierius*.

*Vescitur aura*] Ita *Lucret.* I. v. 'Nam quæcunque vides vesci vitalibus anris.' *Idem* 'vesci sermone,' i. e. uti. *Cicero*; 'vesci voluptatibus.' *Taubmann*.

*Vescitur aura*] *Vesci singulas* habet *Phædr.* fab. I. ult. ubi consule *Schæfferum*. *Emmeness*.

340 *Quem tibi jam Troja*] Hemisti-

chium: nec in sensu plenum. Sunt autem duo talia: ut hoc, 'Concessere deum:' quem quidam ita complevit: 'Concessere deum profugis nova mœnia Teucris.' *Servius*.

*Quem tibi jam Troja*] In antiquis aliquot codicibus versus absolutus legitur, sed candore haudquaquam Virgiliano. In nonnullis enim, *Troja obessa est enixa Creusa*. In aliquot aliis, *Quem tibi jam Troja peperit fumante Creusa*. Utrunque ridiculum. Sed plurimum supplementum illud aliena manu additum est, ut cernere est in Mediceo codice, et aliquot aliis. *Pier*.

341 *Amisæ cura parentis*] Si parentis Crensæ accipis, occurrit illud: unde sciebat eam perisse? Et alii dicunt potuisse hoc vel Heleno divinate cognosci; vel Æneæ requirente per Trojam: ut, 'Implevi clamore vias.' Sed utrumque viribus caret. *Parentem* ergo patriam accipiamus: ut Tullius, 'Si tibi patria, quæ communis omnium parens est.' Et est sensus: Doletne perditam patriam? *Servius*.

*Ecqua tamen puero est amisæ cura parentis*] Codices nonnulli veteres legunt, *et quæ*. In nonnullis etiam per vetustis scriptum observavi, *ecqua tamen puero est, &c.* Et ita est etiam in codice Donatiano. In Mediceo, *qua tamen et puero est*. Apud Fl. Sospitrum non solum *ecqua tamen*, sed et *amissi* virili genere, non *amisæ* positum a Virgilio citatur. Propterea quod *heres*, *parens*, et *homo*, etsi in communi sexu intelligantur, tamen masculino genere semper dicuntur. Nemo enim, inquit ille, aut *secundam heredem*, dicit, aut *bonam parentem*, aut *malam hominem*, sed masculine, tametia de femina sermo habeatur. Pacuvius in Medo cum ostenderet a Medeo, Medæ filio, matrem queri, ait: 'Te sol invoco, ut mihi potestatem dui inquirendi mei parentis.' Sed 'Gracchus suos parentes amat,' cum dicit, in significatione Matris

accipitur. Citat et alia exempla: denique apud Virgilium sic asseverat legi, *ecqua tamen puero est amisæ cura parentis*. Sed codices nonnulli, librarii nimirum incuria, *Puero amisæ est*, una lectione transposita legunt. Sed utrumque ea sint, nemo tamen inficari potest apud eundem Virgilium legi, 'alma parens confessa deam.' Et 'salve, sancta parens.' Nisi quis dicere velit his locis *parens* nunc participii quodammodo vicem habere, nunc per appositionem dici, ut 'Sancta tellos, parens frugum' vel figurate, ut 'Lepus foeta.' De nomine autem *heres*, nemo, quod sciam, ambigit. Sed *hominem* quandoque feminino epitheto positum ajunt. Ut apud Servium Sulpitium in epistola ad M. Tullium: 'Quoniam homo nata fuerat.' Sed enim hoc elocutionis modo, quum *nata* suppositum sit, et *homo* appositum, nihil cum genere commune habere videntur. *Nata* enim ad *filiam*, non ad *homo* refertur. Sed enim hæc alii viderint: nos ad institutum opus revertamur. *Pierius*.

*Parentis*] Retuli ad Creüsam, non ad patriam. Hoc idem efficit Germanus ex imitatione Euripidis, percontante Hecuba Polymnestorem, num filius Polydorus meminisset sui: *Εἰ τῆς τεκομένης τῆσδε μέμνηται τί μοι*; Ex eodemque in Electra, *ἢ καὶ τὴν πατέρα μύνηται κακῶν*; idem sentit P. Victor. Var. II. 9. *Cerda*.

342 *Animosque virilis*] Atqui supra dixerat, *puer*: sed *animos* viriles ait parentum consideratione. Inde et in nono de ipso, 'Ante annos animumque gerens curamque virilem.' *Servius*.

343 *Avunculus*] Quidam *avunculus* humiliter in heroico carmine dictum accipiunt. *Idem*.

344 *Talia fundebat*] Ad vestigia Ennii: 'Talia commemorat lacrimans exterrita somno.' Habetur in Tullio Divinat. I. *Cerda*.

345 *Incessum fectus*] Et *longæ*, et

*incassum* bene addidit, ut *fœmineos* monstraret adfectus. *Servius*.

*Incassum*] Quoties hoc? Seneca epist. 22. 'Lacrimæ nihil profuturæ cadunt.' *Cerda*.

346 *Priamides multis Helenus comitantibus adfert*] In codic. aliquot antiquis legere est, *Priamides Hel. mult. comit. adfert*. Simplicior quidem hic sermo, et narranti aliquid accommodatior. Ille autem prout ut in vulgatis habetur exemplaribus, et compitior et aliquanto lascivior, pluribus magis placet. Superius tamen eadem usus est simplicitate Virgilius, quum dixit, 'Priamidem Helenum Grajas regnare per urbis.' Qui si altius insonare voluisset, *Priamidem Grajas Helenum regnare per urbis*, dubio procul scriptum reliquisset. Sed qui stilum narrationis pressiozem, purioremque expeti non ignoraret, *Priamidem Helenum* absque fuco dicere maluit. *Pierius*.

*Adfert*] Fortasse ex Plauto, qui *Amphit.* III. 4. 6. 'ejus jussu nunc huc me affero.' Jussu Jovis. *Cerda*.

348 *Et multum lacrymas*] Ordo est: *Lacrymas multum* fundit inter verba singula. Nam si *lacrimans* dixeris, quid procul fundit? Et bene verba Heleno post *Andromacham* non dedit, ne frigeret; sicut in libro quinto, *Acestæ*. *Servius*.

*Et multum lacrymas*] In Mediceo et codicibus aliquot antiquis, participii voce *lacrumans* legitur. Quæ lectio Servio non satisfacit, qui malit nomen, quam participium. Sunt tamen erudita ingenia, quibus minime displicet ejusmodi elocutio. Interfundit verba singula multum lacrimans. Illud vero minime placet, quod in veteribus plerisque codicibus, *fudit* legitur tempore præterito. *Pierius*.

349 *Parvam Trojam, simulataque magnis Pergama*] Multi putant *Æneam* de ea venisse ad Epirum et ibi hæc loca per licentiam poeticam esse conficta. Varro Epiri se fuisse dicit,

et omnia loca hisdem dici nominibus, quæ poeta commemorat se vidisse: unde apparet hæc non esse fabulosa. Idem etiam Varro *Trojam Epiri* ab *Ænea*, sive a comitibus ejus *Biopatora* nuncupatam docet, ubi Trojana classis *Æneam* expectasse sociosque ejus castra in tumultis habuisse memoratur, quæ ex illo tempore *Trojane* appellantur: unde apparet divinum Poëtam, aliud agentem, verum semper attingere. *Servius*.

*Parvam Trojam*] In omnibus istis versibus, ne minuatur magnitudinem Trojæ patriæ, ostendit hanc non tantam esse, sed similem: nam dixit *parvam Trojam*, et *simulata Pergama*, *arentemque rivum Xanthi*. *Donatus*.

*Simulataque Pergama*] Pro eo Ovid. *Metam.* XIII. 72. 'Epiros ab his, regnataque vati Buthrotos Phrygio, simulataque Troja tenentur.' Inde *Æn.* III. 497. 'Effigiem Xanthi, Trojamque videtis.' Vide ad Maronis locum *Turneb.* xv. 4. *Emmeness*.

350 *Arentem*] Pro *aridum*. Participium vice nominis. *Servius*.

*Arentem Xanthi cognomine rivum*.] *Xanthum* Scamandrumque eundem esse multi tradunt, interque hos *Aristoteles Hist. Animal.* III. 12. *ὅθεν δὲ καὶ ὁ Σκαμανδρὸς ποταμὸς ἑσθὰ πρόβατα ποιεῖν διδὼ καὶ τὸν Ὀμηρὸν φασὶν ἀπὸ Σκαμανδρὸν ἑσθὸν προσαγορεύειν αὐτόν*: *Scamander fluvius dicitur reddere oves flavas: inde est ut Homerus credatur illum fluvium pro Scamandro nominasse Xanthum*. Hoc de rufis ovibus *Xanthi* *Vitruvius* quoque scripsit VIII. 3. Hinc allucet, cur Poëta *Xanthum* cognominet, quia nomen *Scamander*, *Xanthus* a successu ovium cognomen. Quare autem Poëta fluvium hunc *arentem* dixerit, explicat *Germ.* non quod *arens* et *parvus* fuerit, respectu ejus *Xanthi*, qui in Troja, quasi magnus Trojanus fuerit: sed quia vere *Xanthus* Trojanus parvus quoque fluvius fuerit, et delectationi magis, et aquationi accommodatus, quam navi-

gationi. Quod firmat et illo Virg. in r. 'Xanthumque bibissent.' et Horat. in Epod. XIII. 'Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi Findunt Scamandri flumina.' Et Lucan. qui tale quiddam l. IX. 'Inscius in sicco serpentem pulvere rivum Transierat, qui Xanthus erat.' *Cerda*.

*Xanthi*] Scamandrum etiam appellari testatur Scholiast. Homeri Iliad. B. 465. ubi et unde fluat et quo, idem docet accurate. 'Fama majus, quam natura est,' ut Mela r. 18. qui tamen Xanthum ponit in Lycia, et alium a Scamandro videtur facere amnem l. 15. *Emmencs*.

351 *Agnosco*] Aut cognomine agnosco, nam ea cognoscimus quæ jam pridem vidimus: aut certe quia reparatam audierat Trojam: ut, 'Hic incredibilis rerum fama occupat aures.' *Servius*.

*Scæaque amplector limina portæ*] Scæa porta dicta est, non a pugnis ante se factis scævīs, id est, malis: (nam et ante sic dicta est) nec ab itinere ingressis scævo, id est, sinistro, quod ingressi non recto eunt itinere, sed sinistro. Sed a cadavere Laomedontis, hoc est, Scenomate, quod in ejus fuerat superliminio. Tamen hanc portam ex nece Achillis *Scæam* appellatam volunt. *Idem*.

*Amplector*] Pro *teneo*. Quasi ad Trojam venisset: ut, 'Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.' *Id.*

*Scæaque amplector limina portæ*] Et postes domorum et portarum limina amplecti solebant, qui profugi exulatum ibant, aut peregrinatum diu abfuturi domo: iidem etiam reduces osculari et amplecti ea solebant. Flaccus Argon. l. I. 'patriæque amplecti limina portæ.' Quod et faciebant in patriæ imagine et assimulatione; et in coloniis: Turneb. x XII. 28. Nominat autem *Scæam* portam κατ' ἐξοχὴν: quod in ea fuerit sepulcrum Laomedontis, unum ex Trojanorum fati. Eo enim integro, Troja capi

non poterat. Vide Notas ad *Æn.* II. 13. et Plautum Bacchid. IV. 9. *Taub.*

352 *Teucris*] Pro *Teucridæ*. *Serv.*

*Nec non et Teucris*] Æneam, Anchisen et Ascanium duxit in suam domum: reliquos hospitia per civitatem acceperunt. *Donatus*.

353 *Accipiebat*] Pascebat: ut Terentius, 'Accipit hominem melius nemo prorsus neque prolixius.' *Serv.*

*Accipiebat*] Pascebat: aliter enim non in amplis porticibus, sed in amplas porticus dicendum fuerat. *Donatus*.

*Accipiebat*] Id est, pascebat, invitabat: ut intelligas de convivio. Si enim de introductione Trojanorum capias, dicendum erat, in amplas porticus, non porticibus. Quippe *Accipere* hic est, ἐπιτρέφειν, invitare facillime atque ampliter: ut apud Terent. Enn. v. 9. 'Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius,' id est, liberalius ac benignius. Et τὸ melius quidem apparatus indicat; prolixius, copiam. *Taubmann*.

*In amplis*] Quod est regie magnitudinis. *Servius*.

354 *Aulai*] Pro *aulæ*, et est Diæresis de Græca ratione veniens: quorum *ai* diphthongus resoluta, apud nos duas syllabas facit. *Aula* autem proprie dicitur, quæ concluditur porticibus quatuor, unde superius porticibus dixit. *Idem*.

*Aulai in medio*] In veteribus aliquot, *aulai medio* absque in præpositione legitur: quod non ita placet. Quantum vero pertinet ad diæresim, Quintilianus libro Institutionum primo, *æ* syllaba ait, cujus secundam nunc *e* litteram ponimus, varie per *a* et *i* efferebatur. Quidam semper, ut Græci, quidam singulariter tantum, quum in Dativum vel Genitivum casum incidissent. Unde *Pictai vestis*, et *aulai* Virgilius amantissimus vetustatis, inseruit carminibus. Eorum vero scribendi morem, qui, ut Quintilianus ait, Græcos sequebantur, Ti. Claudius Drusi F. præcipue ad-

mauit, cujus inscriptio quædam, de auctis populi Romani finibus, Pomerioque ampliato Romæ inspicitur ad cloacam D. Luciae in hunc modum: TI. CLAVDIVS DRVSI. F. CAISAR AVG. Nam de digammo, quo etiam usus est eodem monumento in dictionibus AMPLIAUIT, TERMINAVITQVE, alibi diximus. *Pierius.*

355 *Inpositis auro dapibus*] Id est, cum impositas auro dapes haberet. *Servius.*

356 *Jamque dies*] Argumentum benignitatis, cum non unius, sed plurimum dierum sit hospitium. *Donatus.*

*Processit*] Exactus est. *Servius.*

*Auræ vela vocant*] Hypallage est pro auras vocant. Idem.

357 *Carbasus*] Utrum aliorum qui navigabant, an ipsorum? et utrum *tumide*, an *tumidus auster*; ut 'pallidus orcus?' *Carbasus* autem genus lini est, quod abusive plerumque pro velo ponitur. Sane in numero singulari hæc *carbasus* dicimus: in plurali hæc *carbasa*. *Servius.*

358 *His*] *Mediceus* et alii quidam codices vetusti, *His vatem aggredior dictis* legunt, sed hic non displicet. *Pierius.*

359 *Trojūgena*] Ac si diceret, *Genetose*: ut alibi, 'Dardanidæ magni genus alto a sanguine divum.' Sciendum tamen, sicut veteres auctores affirmant, peritissimos auguriorum et Æneam, et plurimos fuisse Trojanos. Nonnulli tamen dicunt a Marsya rege missos a Phrygia, regnante Fauna, qui disciplinam auguriorum Italiam ostenderent. Ergo *Trojūgena* sine dubio auguriorum et divinationis peritus est. *Servius.*

*Trojūgena*] Plurimum dat ei generi, ex quo fuit etiam ipse, qui laudabat. *Donatus.*

*Trojūgena*] Lueret. l. i. 'belloque subactas Trojūgenas gentes.' Ibid. 'equus Grajūgenarum.' Ad quod Gifanius notat: *Grajūgena*, id est, *Graji*, sive Græci: quasi a Græcis

geniti: ut 'ventigeni crateres.' Sic et *Pænigena* dixisse Virgil. l. vii. vult *Servius*. Est autem Adjectivum et Substantivum; ut *nuntius*. *Pacuvius*, apud Ciceronem De Nat. deor. ii. 'Grajūgena de isto aperit ipsa oratio:' dicit, '*Grajūgena*, pro *Grajūgena*: *Trojūgena*, pro, *Trojūgena*, ut *primigenus*, *ventigenus*;' antiqua consuetudine mutandi i in u: ut, *dis-supare*, *optumus*, &c. *Taubmann.*

*Interpres*] *Vaticinator*: qui mentem deorum mortalibus publicas. Sed quia *interpres* generale nomen est, currit per species. Nam, ut ait Cicero, 'Omnis divinandi peritia in duas partes dividitur.' Nam aut furor est, ut in vaticinantibus: aut ars, ut in aruspiciibus, fulguritis, sive fulguratoribus, auguribus. Et omnia ista ex se pendent, licet propriis finibus contineantur.' Unde Virgilius omnia ei dat, quem vult perfectum intelligi: ut hoc loco Heleno. Item alibi, *Asylæ* in decimo, 'Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent, Et linguæ volucrum, et præsagi fulminis ignes.' Varro autem quatuor genera divinationum dicit, terram, aërem, aquam, ignem, geomantis, aëromantis, pyromantis, hydromantis. Virgilius tria genera complexus est, per lauros geomantis; per sidera pyromantis; per præpetes aëromantis. *Servius.*

*Interpres*] Quid felicius quam nosse quid velint dii, et dignum esse, per quem loquatur in hominibus? *Donatus.*

*Dirum qui numina*] Potest et *interpres dirum* distinguere. Sane per omnia Zeugma est ab inferioribus sentis. *Servius.*

*Qui numina Phæbi*] Qui suspiciis numen, et futura prædicis. *Idem.*

*Qui numina Phæbi*] Helenum in divinandi peritia perfectum vult intelligi Poëta: licet ipsam Cicero auguriis tantum divinasse dicat; ut *Cassandram* mentis incitatione et furore: quod notat Turneb. v. 22. Talem facit et *Asylum*, Æn. x. 175. 'Tertius



ille hominum divumque interpres Asylas, Cui pecudum fibræ, cæli cai sidera parent; Et linguæ volucrum, et præsagi fulminis ignes.' *Taubmann.*

360 *Qui tripodes sentis]* Tripodes mense fuerant in templo Delphici Apollinis, quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur. Vel quod in eodem templo tripos est, cum ossibus et dentibus Pythii serpentis. *Servius.*

*Tripodas]* Trium pedum sunt. Alio nomine *cortias* appellatur: est autem laus plena: nam cum sunt diversa vatum genera, et vix singula vaticinationis, in singulis reperiantur, ipse erat in omnibus versatus. Est color rhetoricus, repetitio. *Donat.*

*Qui tripodas, Clarii lauros]* Sospiter Caria. ait quosdam *laurus* hoc loco agnoscere quarto declinatus: quod omnia arborum genera quartæ declinationis esse censeant: adversus quos disputat, et Virgiliano præsertim exemplo eo, 'Et vos o lauri carpam, et te proxuma myrte,' rationem suam confirmat: licet illi auctoritate mutari in vocativo dicant. Præterea in Mediceo codice una plus dictione *Clarii* et *lauros* legitur. Erat tamen *ClarI* prius, eo modo, quo Veteres passim ii geminum per unum oblongum scriptitare consueverant, etiam si duo esuntiant, ut exempla indicant alibi recitata. *Pierius.*

*Clarii lauros]* Et hic *qui sentis* subaudis: et Clarium oppidum est in finibus Colophoniorum, ubi Apollo collitur: unde *Apollo Clarius*. Sane queritur, utrum *Clarii* geminata sit i: et sciendum aliter non procedere: nam *Clā* brevis est: ut Statius, 'Nec Clarias hac luce fores Didymæaque quisquam.' Per *lauros* autem, oraculum intelligimus. *Servius.*

*Lauros]* Id est, Oracula. Vates enim *δαφνιφόροι*, et laurivori. Tibullus el. ii. 5, 'Vera cano: sic usque sacras innoxia lauros Vescar.' Eandem et Apollini sacram esse: eandem et divinationis esse symbolum. *Lauri*

item foliis somniorum veritatem conciliari; et alia, docet Cælius Rhod. v. 7. Vide et Plinium xv. 30. *Taubmann.*

*Qui sidera sentis]* Qui ea peritus Astrologie. *Servius.*

*Sentis]* Signat hoc verbum primos illos vaticinantium impetus, quibus jam illi adesse Deum sentiant afflatus propinqui numinis. Pari verbo Propertius eleg. iv. 1. 'Aut si quis motas cornicis senserit alas.' Ovid. Fast. iii. 'Quis tunc aut Hyadas, aut Pleiadas Atlanteas Senserat.' Ante omnes in re etiam divina Cato apud Festum: 'Domi cum aspiciamus, honorem me Deum velim habuisse, servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit.' *Cerda.*

361 *Et volucrum linguas]* Qui ea augur oscinum. *Servius.*

*Et præpetis omnia penna]* *Præpetes* sunt, quæ secundo auspicio ante eum volant, qui auspicatur: *Aves* autem, aut *ascines*, quæ volatu augurium significant, cum sunt prospera. sed *præpetes* aut superiora tenent, et *præpetes* vocantur: aut inferiora, et dicuntur *infera*: *præpetes* autem ideo, quia omnes aves priora petunt volantes. *Idem.*

*Præpetis omnia penna]* Qui ex volatu avium potes augurium captare. Vide Agell. vi. 6. et P. Crinitum xxi. 15. et Interpretes ad illud Horatii Od. iii. 27. 'Oscinem corvæ prece suscitabo.' *Pennam* autem pro ave noster hic posuit: uti Propert. l. iii. 'Tuque o cara mihi felicibus edita pennis,' id est, bonis avibus. *Taubmann.*

362 *Fare age]* Hortantis est *age*, id est, dic celeriter. Et est ordo: *Trojugena fare age quæ prima pericula vito, Quidæ sequens tantos possum superare labores.* Cætera per parenthesis dicta sunt. *Servius.*

*Fare age]* Non jubet, sed hortatur.

*Prodigia* autem dicuntur, quibus nuntiantur adversa. Poscit inde remedium, quo adversa tollat, aut possit fugere. *Donatus.*

*Namque omnem cursum*] Hypallage: nam non omnem cursum prospera dixit religio: sed omnis religio dixit prosperam cursum. *Servius.*

*Omnem cursum*] In veteribus aliquot exemplaribus legere est, 'namque omnis cursum mihi prospera dixit Religio. Sequitur enim, et cuncti Divi, ubi nulla opus erit Hypallage. Eandem hanc lectionem reperi in Donatiano contexta. *Pierius.*

368 *Religio*] Saepe idem, quod *deus*. *Phædr.* Fab. IV. 10. 'repente vocem Sancta misit religio:' ubi plura *Scefferus*. *Emmenem.*

*Cuncti divi*] Quia quicquid audivit a divinis, ad Jovem recurrit, ut diximus supra; ut, 'Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo Prædixit.' *Namine* autem, oraculo significat. *Servius.*

364 *Repositas*] *Idæos*: pro *repositas*, id est, longe positas, remotas. *Idem.*

365 *Notum*] Magnum, more suo. *Idem.*

366 *Prodigium casus*] *Prodigium*, *portentum* et *monstrum*, modico fine discernuntur: sed confuse pro se plerumque ponuntur. Varro sane hæc ita definit; *ostentum*, quod aliquid hominibus ostendit; *portentum*, quod aliquid futurum portendit; *prodigium*, quod porro dirigit; *miraculum*, quod mirum est; *monstrum*, quod monet. *Idem.*

*Prodigium*] *Prodigium* semper dictu pessimum esse, quasi porro adigendum, hoc loco teste, Nonius affirmat, quum *monstra* et *portenta* similiter intelligantur, quod imminetia *monstrent*, et *ostendant*. *Portentum* vero non solum quod *portendat*, sed quod etiam *apporet*: et faciat in iis, quæ significationibus, auspiciis, auguriis, et extispiciis ostenduntur. Sed enim Cornelius Fronto *prodigium* esse dicit,

quod mores faciant, per quod detrimentum expectatur, *prodigiosque* vocari, qui *prodigia* faciunt. Quod Virgilianæ sententiæ pulcherrime quadrat. Celeno enim rem præter mores minabatur, ut scilicet sacrum libum malis audacibus mandere adgrederentur, quod unum maxime reformidabat *Æneæ* pietas. Sunt et prodigiosa crimina etiam memoratu religiosa, de quibus apud auctores sæpe. *Monstrum* vero esse, Cornelius idem ait, in quo rectus ordo naturæ vitiat: ut si Minotaurus, aut aliquid hujusmodi nascatur. *Ostentum*, quod præter consuetudinem offertur, ut puta si videatur terra ardere, vel cælum, vel mare, in quo raritas admirationem facit. *Portentum* vero quod porro et diutius maneat, futurumque porro aliquid significet: ejusque esse eventum differri. Hæc autem vocabulorum differentias et proprietates interim adnotare non gravamur: quum præsertim apud Auctores diversa est eorum interpretatio, unde aliqua suboriantur contraversia, in quo lubricationalis genere docta et elegantia ingenia sese exercere sæpe consueverunt. *Pierius.*

*Tristis ira*] Deorum scilicet, propter injurias suas. *Servius.*

367 *Obocœnamque famem*] Aut quæ homines etiam ad obscœna compellit: ut, 'Malesuada fames.' Aut certe quam obscœna avis prædixerat. *Id.*

*Quæ prima pericula vito?* Quidre sequens tantos possum superare labores] Quid observans. Duo petit: quemadmodum aut periculis careat: aut quibus consiliis par esse laboribus possit. Et totum hoc per interrogationem legendum est. *Idem.*

368 *Tantos*] Quantos Harpyia prædixerat. *Idem.*

369 *De more*] Sacrificantium. *Id.*

*Casus primum de more iuvenis*] Ita etiam *Æn.* VI. antequam edatur oraculum, admonetur *Æneas*, 'Nunc grege de intacto septem mactare ju-

vencos Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.' *Cerda.*

370 *Exorat pacem diuom*] Aut de sacrificantium more requirit utrum tempus consulendi esset. (Nam et hoc vehementer quæritur: ut in sexto, 'Cum virgo poscere fata Tempus ait.') Aut, quod melius est, de sacrificantium more, ante nefas expiat ab Harpyia prædictum: et sic venit ad vaticinationem. Ut autem hic expiatam famem intelligamus, sequens efficit locus: ut, 'Aderitque vocatus Apollo:' cum constat, nisi in hoc intellexeris loco, famis causa nusquam invocatum esse Apollinis numen. Dubitationem autem in hoc loco, *exorat*, facit: nam *orare*, est petere: *exorare*, impetrare. Ergo impetrat pacem, aut ad inquirendum tempus, aut ad mitigandum famis periculum. *Servius.*

*Vittasque resolcit*] In ratione sacram par est et animæ et corporis causa. Nam plerumque quæ non possunt circa animam fieri, fiunt circa corpus, ut solvere, vel ligare: quo possit anima, quod per se non potest, ex cognatione sentire: inde est, 'Unum exuta pedem vinclis in veste recincta.' Bene ergo Helenus cuncta corporis solvit: ne qua parte animo religato ad numen accedat. *Idem.*

*Vittasque resolcit*] Post cæsos juvencos, et impetratam pacem, inducitur habitus sacerdotis locuturi oracula. Vittarum usus apud veteres sollemnis his, qui curarent sacra. De Ilia Vestali Ovid. Amor. III. 6. 'Quo cultus abiere tui? quid sola vagaris? Vitta nec evinctas impedit alba comas?' et de eadem Fast. III. 'Decidit ante sacros lanæa vitta focos.' Hinc sacerdos Lucano lib. I. *vittata* dicitur, 'Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos.' *Cerda.*

371 *Sacrati capitis*] Diis et vaticinationibus dicati. *Servius.*

*Limina*] Proprie cape: de quo

explicatius libro VI. ad illud, 'tua limina adirem.' *Cerda.*

372 *Manu*] Quod est aptum signum benevolentiae. *Donatus.*

*Multo numine*] Multa veneratione numinis. *Servius.*

*Suspensum*] Si *suspensus*, ipse numinis plenus. Si *suspensum me*, sollicitum et attentum. *Idem.*

*Suspensum*] Aut numinis veneratione turbatum: aut inde *suspensum*, ne magis contraria, quam optaret, audiret. *Donatus.*

*Ducit*] In antiquis codicibus, *duxit* præterito tempore scriptum observavi. Sed ipsa narrantis continuatio præsens tempus exigere videtur. *Pierius.*

*Ipsæ manu ducit*] *Χεираγυρει*. Id quod apertum in Heleno benevolentiae, in Ænea animi religiosi indicium erat. *Suspensum* autem, id est, sollicitum et attentum de futuris: sive etiam religione Numinis et loci veneratione motum. *Taubmann.*

373 *Deinde canit*] Post peracta solennia. *Servius.*

*Divino*] Quia divina canit. *Donat.*

374 *Nate dea*] Ordo est: *Nata dea, pauca tibi expediam dictis: prohibent nam cætera Parca Scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno.* Omnia, inquit, vates novit: sed non omnia permittitur dicere, satis prohibentibus: etiam ex his, quæ novit, multa vetat dicere Juno Saturnia. *Servius.*

*Nam*] Cum sit conjunctio rationalis, non debet prima constitui: ergo lege: *Nate dea, majoribus te ire per altum Auspiciis manifesta fides, nam sic fata deum rex Sortitur, &c.* *Donat.*

*Majoribus*] Cælestibus, propter sideris cursum: cujus fuit explanatio per Creusam. Ergo majora sunt, quibus præter tripudium auspicari jus sit, neque precatio adhibetur; sicut hoc loco nullum deum precatur Æneas, ut his versibus: 'Nam te majoribus ire per altum Auspiciis manifesta fides.' *Auspiciis*, quia an-

*aspiciat majora*: aut *auguribus* dicuntur, quibus *augurium* avium aliarumque rerum capitur, ut puta si parva vel *picus* *auspicium*, et deinde contrarium aquila dederit, *augurium* aquitæ prævalet. Ergo quia notum est esse apud augures *auspiciorum* gradus plures, et *angur* loquitur *auguriorum* perita, ideo *majorebus auspiciis* dixit. *Auspicium* autem est volatus avium, qui indicat agendum, vel omittendum esse, quod quis cepit; dictum ab ave inspicienda, quasi *auspicium*. Servius.

*Altum*] Per limitem fortunæ superioris. *Idem*.

376 *Sortitur*] Disponit, ordinat; id est, sorte decernit, vel sortitione distribuit. Bene adhasit quasi Apollinis sacerdos: cujus propriæ sunt sortes, id est, responsa divina. *Idem*.

*Volcitque vices*] Definitio fati, secundum Tullium, qui ait: 'Fatum est connexio rerum per æternitatem, se invicem tenens, quæ suo ordine et lege variatur; ita tamen ut ipsa varietas habeat æternitatem.' Et hic *vices*, vicissitudines, alibi pericula: ut, 'Vitavisse vices Danaum.' *Idem*.

377 *Parca tibi e multis*] Duo dicit esse dicturum: quemadmodum possit tuto navigare: et quibus signis Italix regna cognoscat. *Idem*.

*Parca*] Multa instructionis causa fuerant referenda; sed ne id fiat, dii prohibent me scire, et Juno aliqua referre non patitur: tamen dicam, quæ possunt esse in earum potestate: deinde narrat, quod quamvis Italia proxima sit, tamen longo circumitu ambienda est Sicilia. *Donatus*.

*Hospita æquora*] Vicina, nihil enim nobis hospitio esse vicinius constat. *Servius*.

378 *Ansonio portu*] Ut in Ansonia, quasi in portu et in litore conquiescat. *Idem*.

379 *Prohibent nam cetera scire*] Hoc distinguendum. Et est sensus: 'Ce-

tera te scire non sinit fata.' Helenum vero Juno prohibet dicere etiam quæ audire poterat: et vacat quæ, ut solet frequenter. Male autem sentiant, qui distinguunt, scire *Helenum*: cum legerimus in Lacano: 'Venit ætas omnis in unam Congeriem: miserumque premunt tot secula pectus.' Item alibi: 'nec tantum prodere vati, Quantum scire licet.' Et adeo repletus numine novit omnia sacerdos, ut refrenetur ad certa dicenda: nam dicenda, 'Helenum farique vetat Saturnia Juno;' ostendit præmissum ad Æneam pertinere, aliter num non interponeret nomen. Prohibet autem scire mortem patris ad augendum inopinatum dolorem: tempestatem ab Æolo immissam: amorem Didonis, in quo et gaudium quidem est: quod prævisum, vile creditur. Et si sciret Æneas, se de Africa exiturum, non facile Didonis consentiret amoribus. Novimus autem hoc Junonem agere, ut, si possit fieri, regnum Italix Libycas adverteret oras. Inopinatum vero dolorem etiam Æneas conqueritur: ut, 'Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret, Hos mihi prædixit luctus.' *Servius*.

*Prohibent nam cetera Parca Scire, Helenum farique vetat Saturnia Juno*] In antiquis fere omnibus codicibus invenias punctum firmum adnotatum esse post *scire*: ut sit, *Prohibent nam cetera Parca scire*: mox altera commotum illud complectatur, *Helenum farique vetat Saturnia Juno*. Quam lectionem Servius etiam agnoscit: et ita distinguendum esse, multis rationibus ostendit. Sed enim Ti. Donatus *scire Helenum* legit. 'Multa, inquit, tibi instructionis causa fuerant referenda; sed ne id fiat, dii prohibent me scire, et Juno aliqua referre non patitur.' *Pierius*.

*Prohibent nam cetera Parca Scire, &c.*] Ad hunc locum consule Macrobius in somn. Scip. 1. 7. fere eadem

Lucanus l. v. in Phœbade: 'cœtera suppressit faucesque obstruxit Apollo.' *Emmeness.*

382 *Ignare*] Pro ignarus, casus pro casu: dicit autem ignarum fati. Persius, 'Censoremve tuum vel quod Trabeate salutas.' *Servius.*

383 *Longa procul*] Non situ, quam pene videt, sed necessitate fatali. Significat autem difficilem circuitum. *Idem.*

*Via incita*] *Æneæ* scilicet. *Idem.*

384 *Trinacria*] Quæ Latine *Triquetra* dicitur, quam multi *Trinaciam* dicunt, sub hac differentia, ut quotiescunque *Sicilia* significatur, *Trinacria* totum per *r* dicitur; quotiens *Sicula*, per unam *r*; ut, 'Trinacia cernitur *Ætna*.' *Idem.*

*Lentandus*] Aut lente tibi navigandum: nam totam Siciliam circumdit: aut *lentandus tibi remus*, id est, flectendus: unde *lentum vimen* dicimus, *flectibile*. Et quidam *lentandus* nove verbum fictum putant; sed in *Annalibus* legitur, 'Confricati, oleo lentati, paratique ad arma,' a verbo *lento*. *Idem.*

*Lentandus remus*] Incurvandus, flectendus vi magna, ut remiges solent remis incumbere, cum omnibus viribus navem propellunt. Seneca Trag. in *Agamemnon*. 'properat juvenus omnis abductos simul lentare remos:' ideoque Catull. in nupt. *Pelei* docente Turn. iv. 22. *remos* vocat *lentos*, ut noster *vimen lentum*: et Ge. i. 265. 'lenta vitis:' 'lenta massa' Ge. iv. 170. quæ ductilis est. Vel *lentandus remus* propter moras, amfractus, et difficultates superandas in mari Siculo, de quo Justinus iv. 1. *Lentare* etiam pro 'ducere, trahere, apud Sil. Ital. l. viii. de Fabio, 'Lentando fervida bella.' *Emmeness.*

385 *Lustrandum*] Est hoc quod Strabo l. vi. περιλαβεινον χωριον, locus navigatione circumdandus. Iterum: *Κύματα τῆς θύρας*, circumflectere promontorium. *Cerda.*

386 *Inferniq[ue] lacus*] *Lucrinum* et *Avernum* dicit: inter quos est spelunca, per quam ad inferos descende-  
batur, unde eos dixit *infernos*. *Servius.*

*Ææque insula Circes*] Qui nunc *Circeus mons* a *Circe* dicitur, aliquando, ut Varro dicit, insula fuit nondum siccatis paludibus, quæ eam dividebant a continenti. *Ææ* autem dicta ab aspernantium voce, propter celebratas illic corporum mutationes: unde est, 'Inaccessos ubi Solis filia lncos.' *Ææ* autem tres sunt diphthongi: nam genitivus est ab *Ææ*. Quidam *Ææ* pro *Eois*, id est, orientalis, quæ Solis filia traditur, accipiunt. Alii non *Circe Ææ*, sed insula, quæ et *Ææ*. *Idem.*

*Circes*] In codicibus antiquis modo *Circe* per abjectionem *s* literæ: modo *Circe* cum diphthongo Latino declinata scriptum inveni: quod prorsus rejicitur. *Circes* vero omnium consensu recipitur. *Pierius.*

*Ææ Circes*] Turneb. vii. 14. Maronem, Homeri exemplo, *Circen Ææam* vocasse putat. Erat autem *Ææ* ad Phasin, amnem peninsula, metropolis Colchorum; ut sit *Ææ*, *Colchica*: atque ejusdem nominis etiam erat insula *Circes*. *Ææ* Colchorum et Herodot. l. i. meminit. Vide et Hom. *Odyss.* l. xii. initio. Jam Mas. vett. legunt *Circeæ*, Latino declinatu. *Tausmann.*

387 *Quam tuta possis urbem componere terra*] Ante cuncta lustrabis, quam possis urbem tuta terra componere. *Tuta* autem, propter Thraciæ et *Cretæ* discrimina. *Servius.*

388 *Signa tibi dicam*] Deest ergo. Et notandum quia non eo ordine quo præmiserat, dicit. Ante enim dicit de civitate condenda: sic de tuta navigatione. *Idem.*

*Signa tibi dicam*] Commendat, quod fuerat dicturus, ut ostenderet id magnum esse et verum: deinde dat signa fluminis, dat portæ, dat numerum

festus, dat colorem: quod si est præter naturam porcam edere xxx. multa persæpe, quæ bonum aut malum portenderent, evenerunt præter naturam; ut ignis ex capite Ascanii mitis et innoxius; ut in Polydori sepulchro sanguis ex viminibus; ut vox humana ex pecudibus. *Donatus.*

389 *Secreti ad fluminis undam*] Id est, Tyberini. *Servius.*

*Undam*] In codicibus aliquot antiquis *undas* legitur, sed pluralitas huiusmodi mari potius videtur convenire. *Pierius.*

390 *Litoris*] *Litus* dicitur quicquid juxta aquam est: unde ripam fluminis *litus* vocavit. *Servius.*

*Litoris*] De flumine loquitur et tamen *litus* dicit, quod proprium maris; sicut et ripa fluminum, quod notum vel ex versiculo Ovidii Met. i. 'pre ripis litora pulsant.' Ita tamen hoc verum, ut etiam voces commententur. Nam in hoc loco *litus* dicitur de flumine: et in Horatio ripa de mari: 'Hostium uxores puerique cæcos Sentiant motus Orientis Antri, et Æquoris nigri fremitum, et trementes Verbere ripas.' *Cerda.*

*Sus*] Naturaliter longa est; licet in genitivo corripiatur: ut *bos, pes, res, spes*. De hac autem *sus* alii dicunt, secundum Virgilium, quod in Italia inventa sit: alii, quod secum eam more navigantium Trojani portaverint: et oraculo cognoverint ibi esse condendam civitatem, ubi *sus* illa post fugam fuisset inventa. Dicitur ergo in Campaniam fugisse, et inventam in Lauro Lavinio: a qua Ascanius post Albæ nomen imposuit. *Servius.*

391 *Triginta capitum fetus enixa*] Prodigiale est hoc, quo significatur triginta annis regnaturus Ascanius. *Idem.*

392 *Albi circum ubera nati*] Varro dicit etiam hoc signi fuisse, quod cum etiam alterius coloris porci, in fetu hujus porcæ fuerint, *albi* tan-

tummodo circa ubera sint reperti. *Idem.*

393 *Is locus urbis erat*] Id est, in ipsa regione: nam et Lavinium et Alba longe a litore sunt. *Idem.*

*Is locus urbis erit*] Nimirum Alba hinc dicta: Propert. iv. 'Et stetit Alba potens albæ suis omine dicta.' *Germanus.*

*Requies*] Errorum scilicet: alioquin bello confictatus est. *Servius.*

394 *Nec tu mensarum*] Ostendit futuram famem, sed non nocturam. *Donatus.*

*Horresco*] Pro *horrueris*. *Servius.*

395 *Viam*] Id est, rationem: et non dicit, quam, quia etiam profutura est fames: ut, 'Hæc erat illa fames: hæc nos suprema monebat, Exitiis positura modum.' *Idem.*

*Fata viam invenient*] Locutio nota. Ter. E. ii. 2. 16. 'ego adeo primus hanc inveni viam.' Stat. Silv. l. v. 'invenere viam liventia fata.' *Emmenes.*

*Adoriturque vocatus Apollo*] Nunc vocatus, quia, ut supra diximus, expiatorium fecit sacrificium. *Servius.*

396 *Has autem terras*] Quasi ostendentis est: nec enim Calabria ab Epiro longo distat spatio. *Idem.*

*Has autem terras*] Ostendentis quasi est. Helenus enim in Epiro constitutus proximam habebat Apuliam et Calabriam. Cælius vii. 6. *Tamb.*

397 *Nostri æquoris*] Epirotici, quo Calabriæ litus adluitur. *Servius.*

398 *Effuge*] Similis locus ille: 'Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.' Tale et illud: 'Effugimus Ithacæ scopulos, Lærtia regna.' *Cerda.*

*Malis Grajis*] Aut a persona Æneæ epitheton est, aut ad discretionem malorum, id est, bonorum: a multis sane amphibolia putatur, potest enim aut catholicon esse epitheton Grajis; vel eis habitantibus Graiis, qui mali sunt, ut est Ge. iii. 'Illud sæpe malæ legere novercæ.' *Servius.*

*Malis*] Ut Æneam absterreat, qui

per multas urbes Græcas transierit: et etiam ipse, qui captivus fuisset, hostium personam deformare debebat. *Donatus.*

*Malis Grajiis]* Accipio malos, aut hostes, ut vere erant Trojanorum, aut, ex Græcorum ingenio, dolosos. Inde Græca fides pro mala, et perfida, in proverbium abiit. De unis Lacedæmonis Aristoph. in Irena: δόλια ψυχὰ, δόλια φρένες: *dolose animæ, dolose mentes.* Eosdem ibi comparat ἀλασκάδουσι, *culpibus.* Et Euripides in Andromacha (citatur hunc Scholiastes Aristophanis) Σπαρτῆς ἔθνη, δόλια βουλευτήρια: *Spartæ incolæ, dolosa conciliabula.* Ab hoc ingenio non abeunt reliqui Græci. *Cerda.*

399 *Hic et Narycii posuerunt mœnia Locri]* Socii Ajacis Oilei fuerunt, Epizephyrii et Ozolæ: sed post tempestatem montis Capharei, Epizephyrii tenuerunt Brutios: et hos nunc dicit. Ozolæ vero tenuerunt Pentapolim: inde est, 'Lybicoe habitantes litore Locros.' Quinetiam de Ozolis legitur, quod delati Tinnejam ulterius accesserint, et civitatem condiderint, quæ nunc Ozolis dicitur. *Narycii* autem a loco dicti sunt provincie suæ: *Ozola*, a putore paludis vicinæ. Alii *Narycios Opuntios* eosdem et *Epicnemidas* dicunt; namque prius *Naryx*, *Opuns* postea dicta, eadem autem et *Epicnemidia* vocatur. Est enim *Cnemis* promontorium, in quo Opuntii Locri positi sunt, a quibus originem trahunt, qui in Italia sunt, et appellantur Epizephyrii; quod Zephyrum promontorium vocatur a Græcis, in quo sunt conditi Locri, qui in Græcia sunt. Hi vero qui juxta Delphos colunt, *Ozola* nuncupantur; sive a fœtore draconis, quem Apollo interemit; seu quod uxores eorum Veneris ira, viris suis fuerint fœditate tetri odoris invisæ: qui autem Libyam delati sunt *Nasamones* appellantur, ut Cornelius Tacitus refert, oriundi a Naryciis, quod ibi in-

venies, ubi ait: 'Lybicoe habitantes litore Locros.' *Servius.*

*Narycii posuerunt mœnia Locri]* Plin. iv. 7. Naritii oppidi meminit in ea parte Atticæ, qua est Locrorum ora. De his vero Locris, qui fuerunt in Italia, hunc in modum Strabo loquitur l. vi. 'Post Herculeum Locri agri promontorium offertur, quod Zephyrium appellatur, portum habens venientibus ab octasu ventis commodum, qua ex causa et nomen assequitur. Deinceps Locri Epizephyrii urbs insignis. Quoniam a Locris Crisæum habitantibus sinum, coloni huc profecti sunt, Enanthe ductore.' His vides quem ortum habuerint Locri, qui in Italia; unde venerint, quo ductore. Rursus in l. viii. in Græcia constituit illum Crisæum sinum, Locrosque, ex quibus ortum habuere, qui venerint in Italiam. Solinus c. 8. commemorans quam originem habuerit quodque Italiæ oppidum, ait: 'a Naritiis Locros.' Ergo dicamus Locros Virgilii eosdem esse, quos Epizephyrios nominat Strabo. Naritios vero dici ab eo oppido, quod in Græcia posuit Plinius, quod et consentit cum Solino: ita ut ex uno Naritio, Locrorum oppido, profecti credantur illi, qui Locros urbem in Italia condidere: quod et consentit cum Servio, qui hic scribit: 'Naritii autem a loco dicti sunt provincie suæ.' Lycophron quoque utramque vocem sic conjungit: καὶ Ναρύκειον ἄστυ, καὶ Θρονιτίδες Λοκρῶν ἀγυαί: *Narycium urbs, et Thronitides Locrorum rici.* De orthographia hujus vocis inclinamus debere scribi *Narycium*, nam in Græcis correctissimis invenimus, Ναρύκειον, non Ναρύκειον. Quæ in hunc locum interpretes scripserunt, omnisim omnia, quia illa in promptu; et quia ad explicationem vatis, hæc tantum visa necessaria. *Cerda.*

*Narycii posuerunt mœnia Locri]* *Narycii* et *Opuntii* Locri iidem sunt, qui a promontorio Zephyrio ἐπιζέφυ-

poet, quorum meminit *Ælian. Hist. Misc.* II. 37. et *Mela* II. 4. alii sunt Ἰφύλας apud Corinthium sinum inter Ætolos et Phocidem prope Delphos, de quibus *Mela* II. 3. multi Opuntios, poetice Narycios, et Epicnimidios Locros eosdem faciunt. Eruditissime de hisce Locris et Maronis loco disputat *Salmas. exercit. Plin.* p. 66. quem si adeas, operæ facturus es pretium. An *Narycius* sit scribendum per *y*, expediet tibi *Dausq. in Orthogr. Emmenes.*

400. *Salentinos obsedit milite campos]* *Sallentinum* promontorium Italiæ est inter Calabriam et Brutios. Nam, ut ait *Salustius*, 'Omnia Italia coacta in angustias, funditur inter duo promontoria, Brutium et Sallentinum.' *Servius.*

*Obsedit campos]* Arripuit. *Tibull.* 'Prædator cupit immensos obsidere campos.' *Cerda.*

*Salentinos obsedit milite campos]* A *Salo* appellati juxta *Sext. Pomp. Stephanus* per geminum *II* scribit: Σαλλονία πόλις Μεσσαρίων: quam lectionem probat *Pighius* 6. annal. Sunt tamen qui in Maronis codicibus *Salentinos* exaratum volunt, quos nominat *Dausq. in Orthogr.* De *Salentinis campis*, litoribus, promontoriis agit *Mela* II. 4. A *Lyctiis* oriundos esse *Salentinos* docet *Salmas. exercitat. Plin.* p. 65. non alienus tamen videtur apud *Solinum* legendum *Salentinos* a *Lyctiis* pro *Lyctiis*. *Lyctos* urbs *Cretæ*, cujus *Mela* II. 7. mentionem infert. *Emmenes.*

401. *Lyctius Idomeneus]* A *Lycto* *Cretæ* civitate, unde propter supradictam pulsus est cassam. Ad Italiam venisse, ac post dicitur in Asiam profectus decessisse. Alii hunc regressum conædisse apud *Apollinem Clarium* tradunt. *Servius.*

*Ducis Melibæi Philoctetæ]* A *Meli-bæa* civitate *Thessaliæ*, de qua fuit. *Melibæi* ergo dixit pro *Meliæensis*. Idem.

402. *Subnixæ Petilia muro]* Civitas

clucta muro modico: ut, 'Crinem-que madentem Subnixus raptō potitur.' *Petilia* dicta vel ἀπὸ τοῦ πέτρος-θα, id est, volare: quod captato augurio est condita: vel quod, post relictum Ilium, quo ducebatur a Græcis, eam petivit civitatem. *Petilia* sane numeri est singularis. Multa ita intelligunt non *Philoctetæ* *Petilia*, sed *Philoctetæ* muro; nam ait *Cato*, a *Philoctetæ* condita jampridem civitate, murum tantum factum. Alii *subnixam* ideo accipiunt, quia imposita est excelso muro, ut *Ocellus* historicus ait. *Philoctetes* autem fuit *Pæantis* filius, *Herculis* comes: quem *Hercules* cum ignem sibi in *Cætæ* monte componeret, petitit ne alicui sui corporis reliquias indicaret. De qua re eum jurare compulit: et ei pro munere dedit sagittas, hydres felle tinctas. Postea *Trojano* bello responsum est, sagittis *Herculis* opus esse ad *Trojæ* expugnationem. Inventus itaque *Philoctetes*, qui cum negaret primo se scire, ubi esset *Hercules*; tandem confessus est, mortuum esse. Inde cum acriter ad indicandum sepulchrum ejus cogeretur, et primo negaret, pede locum percussit, ne loqueretur: juraverat enim nolle dicere. Postea pergens ad bellum, cum exerceretur, sagittæ unius casu vulneratus est pedem, quo percusserat tumulum. Ergo cum putorem insanabilis vulneris Græci ferro non possent, diu quidem eum pro oraculi necessitate sustinuerunt: ductum tandem apud *Lemnum* sublatis reliquerunt sagittis. Hic postea horrore sui vulneris, ad patriam redire neglexit: sed sibi parvam *Petiliam* in *Calabriæ* partibus fecit. Alii eum adductum a Græcis ad occidendum sagittis *Paridem* dicunt, quia etiam *Paridis* mors, inter fatalia dicitur fuisse *Trojana*. *Servius.*

*Philoctetæ subnixæ Petilia]* *Petilia* est *Lucanorum* metropolis, quam *Philoctetes*, a *Meli-bæa* profugus, edificavit, *Samnites* muniverunt. *Martial.*



Ep. l. xii. 'Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire, Petilianis delicatus in regnis:' quamvis alii referant ad domum Petilij, quæ in summo Ianiculo erat. *Germanus.*

*Petilia*] Sunt qui scribunt per duplex *ll*. Turnebus derivat a *Petilus*, quod exile et parvum est. Eum vide xxx. 28. De hac urbe in Brutiis posita Mela ii. 4. *Petiliam* vocat Livius xxiii. 20. cum nemo in fide manentibus adesset et opem ferret, ab Himilcone præfecto Annibalis expugnata et Pœnis magno stetit. Idem c. 30. Inde Sil. Ital. l. xii. 'Fumabat versis incensa Petilla tectis Infelix fidei, miseræque secunda Sagunto. At quondam Herculeam servare superba pharetram.' *Emmeness.*

403 *Transmissæ*] Quidam *transmissæ* legunt, ut sit præpositio; *trans* autem adverbium, ut sit *transmissus*. Servius.

404 *In litore*] In Italia scilicet. *Idem.*

405 *Purpureo velare comas*] Subandis cura, aut memento: aut certe, quod est melius, *velare* imperativus sit, non infinitivus. *Idem.*

*Purpureo velare comas*] Quod in sacris operuerint caput discere ex Plutarch. in Numa et Macrob. Saturn. l. 10. Docet Plautus in Amphitr. v. l. 41. Etiam Juvenal. Sat. vi. 388. 'Stetit ante aram, nec turpe putavit, Pro cithara velare caput.' Nec non Ovid. Metam. i. 382. 'et velate caput,' &c. Saturno cum sacra facerent, caput aperiebant, teste Brodæo Misc. v. 8. Plura de hoc ritu observant Briasson. form. l. i. Saubert. de Sacrif. c. 12. Kircher. de Fun. Rom. ii. 16. *Emmeness.*

406 *In honore*] In sacrificio. *Serv.*

407 *Hostilis facies occurrit*] Quidam Ulyxen dicunt, alii Diomedem. *Idem.*

*Occurrit*] Proprie et signate. Ideo enim *occurrat*, quia facies hostilis. Est enim huic verbo vis in rebus adversis: itaque hostilia et mala dicuntur occurrere. Ita Horatius Epod. v.

'Necturnus occurram fusor.' Tibulli eleg. i. 2. 'Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro Valneret.' Non abit illud, 'Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.' *Cerda.*

*Et omina turbet*] Sacrificii ordinem rumpat, quod est piaculum. Significat autem, ut dictum est, Diomedem, qui cum multis casibus affligeretur, Palladium, quod apud ipsum erat, Trojanis oraculo jussus est reddere: quod cum vellet implere, Æneam invenit sacrificantem: qui, ut supra diximus, sacrificii ordinem non rupit: et Palladium Nantes accepit. Unde Nantiorum familia Minervæ sacra servabat. Sane sciendum, sacrificantes diis omnibus, capita velare consuetos, ob hoc, ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne naminis imitatio esse videretur: et Herculi in templo suo: quia et ipse capite operto est: vel quia hæc ante adventum Æneæ, a Junone vel Evandro consecrata sint. Sane quidam dicunt ab Heleno Diomedem suppressum, sed intelligendum est de industria factum, ne terror injiceretur Æneæ. *Servius.*

*Omina turbet*] Omnino, omina ex antiquis codicibus legendum est, non *omnia*. Pierius.

*Omina turbet*] De hac lectione disputat G. Canterus N. i. 8. *Emmen.*

409 *Hac casti*] Pii: ut, 'Nulli fas casto sceleratum insistere limen.' *Servius.*

*Hac casti manentis*] Ἀγρός, quibus opponitur ἀναγρος. Castum Latini non semper relatione ad libidinem aut Venerem facta dicunt: ut Cic. pro leg. Manli. 'Labor meus in privatorum periculis caste integreque versatus:' ἄγρός. Saepè etiam ἀγρὸν λέγον memorat Plato leg. ii. 9. καὶ τοῖς ἱερείοις τε καὶ ἱερεὺς ἐγγυμίζεω τὰ θύματα; οἱς ἀγρὸς τούτων ἐπιμολής; et post: καθαρότητος καὶ ἀγγελίας τὰ περὶ τοὺς θεούς. Videtur autem hic Poëta religionem, ritusque illibatos

immutatosque posteris nepotibusque transmittendos decernere, ex Platonis doctrina leg. E. qui veluti perpetui cautione edicti legislatores, non modo cives, vetat immota hæc movere, his verbis: *δεῖ δὲ αὐτὰ ῥηθῆναι τῶνδ' ἕνεκα κατοικίζοντι πόλιν*, &c. *Germanus.*

*In religione]* In observatione perpetua. *Servius.*

*In religione]* In antiquis exemplaribus observatum plurimum est religione unico *l* scribi. Sed enim Fl. Sosipater, hoc præcipue citato versu, gemino *ll* scribendum ostendit, dum ait in hanc sententiam: 'Parenthesis, quum vel littera vel syllaba interponitur; littera, *Hæc casti maneant in Religione nepotes*; syllaba, *Maecortis in auro*, pro Martis.' *Pierius.*

*Nepotes]* Appellando *nepotes*, gradus futuræ cognationis ostendit. *Servius.*

410 *Ast ubi]* Pro *postquam*. Et est temporis adverbium. *Idem.*

*Digressum]* A litore Calabriae. *Id.*

411 *Angusti rarescunt claustra Pelori]* Quia a continenti, id est, a columna usque ad Pharon, tribus millibus distat. *Rarescent* autem ideo, quia venientibus de Ionio propter curvaturam litorum clausæ videntur angustiae, quæ paulatim propinquantibus aperiri videntur. *Idem.*

*Pelori]* Promontorium Siciliae est secundum Salustium, dictum a gubernatore Hannibalis, illic sepulto, qui fuerat occisus per regis ignorantiam, cum se ejus dolo propter angustias freti crederet esse deceptum, veniens de Petilia: quamquam legimus, etiam ante *Pelorum* dictum. *Idem.*

412 *Læva tibi tellus]* Venientis personam respexit. Nam de Ionio navigantes, si fretum petant, dextrum teneant litus, necesse est: sin alias, sinistrum. *Idem.*

*Læva tibi]* Advertendum est, quod tendentibus ad Italiam dicitur lævum

*Delph. et Var. Clas.*

latus et dextrum: cæterum redeuntibus sinistrum fit, quod fuerat dextrum. *Donatus.*

*Læva tibi tellus]* Nullo pacto placet, quod in antiquis codicibus legitur, *læta tibi tellus*. Primum quod ea alibi *Æneæ* dicitur <sup>1</sup> *Illætabilis ora*. Deinde quia et *Tellus læva* et *aquora læva* inferiori sententiæ per correlativum quodammodo respondent, 'Dextrum fuge litus et undas.' *Pierius.*

413 *Æquora circum]* Totam enim transiturus est Siciliam. *Servius.*

414 *Hæc loca]* Ut etiam Salustius dicit, Italiae Siciliam conjunctam constat fuisse: sed medium spatium, aut per humilitatem obrutum est, aut per angustiam, scissum. Ut autem curvum sit, facit natura mollioris Italiae, in quam asperitas et altitudo Siciliae æstum relidit. *Idem.*

*Hæc loca]* Hujus loci descriptionem cum omni cantela prosequitur. Dicit enim veterum sequi opinionem, facitque verisimile: quia vetustate temporis multi situs locorum mutati sunt. • *Donatus.*

*Quondam]* Tria tenet tempora, sic ut *olim*. Præsentis; ut, 'Quondam etiam victis redit in præcordia virtus:' præteritum; ut, 'Quondam Cretæ fertur Labyrinthus in altæ:' futurum; 'Nec Romula quondam Ullo se tantum tellus jactabit alumnus.' *Servius.*

415 *Tantum ævi longinqua valet]* Parenthesis. Nam ordo est: *Hæc loca vi quondam dissiluisse ferunt.* *Idem.*

*Ævi]* *Ævum* pro tempore posuit: ut, 'Ævoque sequenti.' Alibi pro annis, ut, 'Vos o quibus integer ævi Sanguis, ait.' *Idem.*

*Tantum ævi, &c.]* Pertinent ad hoc versus Sophocli. (Ed. Col. ὦ φίλτατ' Αἰγέως παῖ, μόνος οὐ γίγεται θεοῖς τὸ γῆρας, οὐδὲ καταθνήσκει ποτε. τὰ δ' ἄλλα συγγεῖ πάνθ' ὁ παγκράτης χρόνος: O charissime fili *Ægei* (Theseu) solis non accidit Diis senectus, neque mori ali-

*Virg.*

8 H

quando. *Alia autem omnia confundit demitor omnium tempus.* Et Lucret. l. II. 'Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo, Ex oculisque vetustatem subducere nostris.' Ennii Ann. XVI. 'Postremo longinqua dies confecerit ætas.' Verba quoque oratoris illius, qui ad Cæsarem de ordinanda Rep. 'Ego sic existimo, quoniam orta omnia intereunt,' &c. Et Ansonii in Epig. 'Miremur perillase homines? monumenta fatiscunt, Mors etiam saxis nominibusque venit.' *Cerda.*

416 *Dissiluisse ferunt*] Hinc apparet bene dictum, 'Unctos saluere per utres.' Nam ut *dissilui*, sic *salui* facit. Cicero in Miloniana: 'Cum hic de rheda rejecta penula dissiluisset.' Est enim positio *salio*, *salia*, *salui*. Item in compositione *dissilio*, *dissilui*. *Servius.*

*Dissiluisse ferunt*] Vide Justin. IV. 1. Plinium II. 89. Diod. IV. 87. Mela II. 7. 'Sicilia, ut ferunt, aliquando continens, et agro Brutio annexa: post freto maris Siculi abscissa est: et quidem vi; nam recte Lucan. III. 62.: 'Vis illic ingens pelagi: semperque laborant Æquora, ne rupti repetant confinia montes.' *Emmen.*

*Cum protinus*] Continue: et modo adverbium loci est; alibi temporis est, ut, 'Protinus aërias Phæacum ascendimus arces.' *Servius.*

417 *Foref*] Ab infinitivo est: sed modo præteritum significat tempus, quod raram est: sæpius enim futurum significat. *Idem.*

*Venit medio*] In medium: ut, 'It clamor cælo.' *Idem.*

418 *Hesperium Siculo latus abscidit*] Hypallage est. Nam minora a maioribus segregantur: sed contra dixit. *Idem.*

*Abscidit*] Propter metrum, ei corripit per poeticum morem. *Idem.*

*Abscidit*] Apud Sil. Ital. Modius in novantiq. lect. epist. 44. pro *dijicit* legendum docet *diacidit*, ubi agit de

Siciliæ avulsione ab Italia. *Emmen.*

419 *Interluit*] Interlabitur, pontus scilicet. *Servius.*

*Æstu*] *Æstum* poetæ maris angustias artati ideo appellant, quod ibi commotione reciproci cursus, mare videatur æstare. *Idem.*

*Angusto interluit æstu*] Lucan. l. II. in eandem sententiam: 'Extenditque suas in templa Lacinia rupes, Longior Italia, donec confinia pontus Solveret incumbens, terrasque repelleret æquor. At postquam gemino tellus elisa profundo est, Extremi colles Siculo cessare Peloro.' *Germanus.*

420 *Dextrum Scylla latus, lævum inplacata Charybdis*] De Ionio venientibus. Scylla enim in Italia est: Charybdis in Sicilia. Scylla autem ipsa Phorci et Crætidis Nymphæ filia fuit. Hanc amabat Glaucus, quem Circe diligebat: is quoniam pronior in Scyllam fuerat, irata Circe, fontem in quo illa consueverat se ablueri, corruptit veneis: in quem illa cum descendisset, pube tenns in varias mutata est formas. Horrens itaque suam deformitatem, se præcipitavit in maria. Alii a Glaucum cum sperneretur a Scylla rogatam Circen, et jam ita ut legitur mutatam dicunt. Alii a Neptuno amatam, cum illa Glaucum amaret, rivalitatis dolore in hoc monstrum mutatam. Homerus hanc dicit immortale monstrum fuisse. Salustius saxum esse dicit, simile formæ celebratæ procul visentibus. Canes vero et lupi ob hoc ex ea nati esse finguntur, quia ipsa loca plena sunt monstis marinis, et saxorum asperitas illic imitatur latratus. Sane alia Scylla fuit, de qua in Bucolicis plenius dictum est. Legimus etiam, 'Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.' Si ergo *plangunt* dicimus, et *latrant* non incongrue posuit. *Charybdis* autem in Siciliæ parte posita, femina fuit voracissima, ex Neptuno et Terra genita, quæ quia boves Herculis rapuit, fulminata

a Jove est, et in mare præcipitata. Unde naturam pristinam servat. Nam sorbet universa quæ apprehendit: et secundum Salustium, ea circa Tauromenitanum egerit litas. De hac Cicero in Philippicis, ait: 'Quæ Charybdis tam vorax? quæ si fuit animal, fuit unum.' *Servius*.

*Lævum inplacata Charybdis*] In vestustis aliquot exemplaribus, *inplacata* legitur: sed plus feritatis habere videtur *inplacata*. *Pierius*.

*Dextrum Scylla*] De Ionio venientibus. Scylla enim in Italia est, Charybdis in Sicilia. Ita Ovid. Met. XIII. 'Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Charybdis,' &c. Hunc situm Apollon. l. iv. *μυθοδία* vocat. *Taubmann*.

*Dextrum, &c.*] Locum sumtum ex Homero notavit Macrob. Saturn. v. 6. de utroque scopulo dicam vs. 559. *Emmeness*.

421 *Obsidet*] Ad transeuntium insidias. *Servius*.

*Barathri*] *Barathrum* est immensæ altitudinis nomen. Unde sequitur, 'Sorbet in abruptum:' quod Græce *βάραθρον* dicitur. *Idem*.

*Ter gurgite vasto*] Aut *ter* pro *sepe* posuit, finitum pro infinito; aut *ter* uno die. *Idem*.

*Ter gurgite vasto Sorbet*] Utrumque perniciosum navigantibus, aut cum sorbet navigium, aut cum eructat et excutit. *Donatus*.

422 *In abruptum*] In codicibus aliquot antiquis, in *abruptu*. Eam enim in antro maxime cavernoso habitare Homerus fingit. Magis tamen placet in *abruptum*, ut vulgata habent exemplaria. *Pierius*.

*Rursusque sub auras Erigit alternos*] Fuere ætate nostra non illiterati viri, qui *egerit*, hoc est, eructat, ex Homeri sententia legendum autumarent. Quique locum illum inspicere Carybdim, ajunt profundissima voragine undas absorbere, quas vicissim mox eructat. Sed enim quia

sequitur hyperbole ea, et sidera verberat unda; longe magis placet *erigit*, prout etiam in veteribus codicibus, quos præ manibus habuimus, scriptum invenitur. *Pierius*.

423 *Erigit*] Quod Poëta, *erigit*, Ov. *revomit*. Hom. *ἐρεψάει, ἐραψάει*: *ejectaret, evomeret*: iterum, *ἀναίρει, remittit*. Sallust. apud Serv. *egerit*. Et posset aliquis dubitare, an sic legendum in Virg. ex oppositione cum verbo *sorbet*? *Cerda*.

*Alternos*] Singulos, non omnes simul, ut Æneid. XI. 'Vix hostem alterni si congregiamur habemus:' aut *alternos* vicissim, quia accipit ut vomat; rursus vomit, ut accipiat. *Serv.*

424 *Scyllam*] Hanc ut monstrum more Poëtarum describit; scilicet pube tenuis, id est, usque ad inguina, facie humana est: pro pedibus autem habere sævorum animalium genus, luporum scilicet feritate armatum. Eligit autem animalium naturam, quæ insatiabilia sunt. Cæterum locus est in mari, saxa habens latentia; ejus natura sit, ut de longinquis partibus navigia trahat, et contineat asperitate saxorum; et retenta comminuat. *Donatus*.

*Cohibet speluncæ*] Hypallage in sensu: nam ipsa se tenet intra speluncam, secundum fabulam. *Servius*.

425 *Trahentem*] Salustius, 'Quod forte inlata naufragia sorbens gurgitibus occultis milia sexaginta Tauromenitana ad litora trahit' Ergo et sorbet, et trahit, et detrahit, Salustio. *Idem*.

426 *Prima*] Nominativus est pluralis a neutro; et est Græca figura, τὰ πρῶτα ἀνθρώπων. *Idem*.

*Prima hominis facies*] Græca est figura: τὰ πρῶτα ἀνθρώπων: primæ corporis partes. Sic, *postrema*, τὰ ἔσχατα. *Taubmann*.

427 *Pube tenuis*] *Tenus* præpositio ablativa quidem est, sed figurate etiam genitivo cohæret: ut, 'Et crurum tenuis a mento palearia pen-

dent.' Sane gaudet postpositione. *Servius*.

*Pistrix*] Si navem intelligas, *hæc pristis*, hujus *pristis* facit: si de bellua, *hæc pistrix*, hujus *pistricis* facit. *Idem*.

*Pistrix*] In codicibus aliquot antiquis, *pristis* scribitur. Sed plura de hoc, libro x. eo versu dicemus, 'In *Pristin* desinit alvus.' *Pierius*.

*Pristis*] *Pristes*, belluæ sunt marinæ, quæ pilis vestiuntur; ea corporis magnitudine, ut ducentorum cubitorum in mari Indico reperiantur: ita appellata, quia mirum in modum corporis tenuitate fluctus secant: Græci autem *ῥῥῶν sectionem*, *ῥῥῶν sectorem* nominant. Dicitur et *pistrix* a Cicerone in *Aratum*: 'Et sparsam subter caudam *pistricis* adhæsit.' Hoc signum cæleste *Cetum* Græci, et vulgus *Astrologorum*, nominat. Atque ab hujus belluæ similitudine *pristin* quoque appellavit navim *Virgilius*. Denique sunt, qui *pistricem* velint eam esse belluam, quam vulgo *Capidolium*, de olei copia, quod caput ejus exprimentibus uberime reddit, nominant. De quibus omnibus accurate *Erythræus*. Et potest fieri, ut ad historiam alluserit, quæ traditur *Scylla* classis piratica fuisse, quæ sit insidiata navibus hospitum. *Taubmann*.

*Pistrix*] *Gronov.* in *Observ.* i. 17. *pistria*, *pristis*, et *pistrix* eadem esse asserit: ubi plura quæ ad hujus monstri faciunt descriptionem. *Emmen*.

428 *Commissa luporum*] *Conjuncta* et *coagmentata*: ipsa scilicet, ut, 'Portam quæ ducis imperio *commissa* recludunt.' Et figurate locutus est: ut, 'Oculos suffusa.' Est autem hæc elocutio, *postrema*, id est, τὰ ἄσπερα, *commissa* erat luporum utero *caudas delphinum*, id est, *commissas* habebat. Et quidam volunt *commissa* dici, quæ diu exesa junguntur. *Servius*.

*Commissa*] Ordo est: *Commissa*

est *caudas utero delphinum luporum*, id est, *conjunctas* et *coagmentatas* habet *caudas utero*: sive, *infra uterum pristim* referebat *candis luporum*. Porro *Moralem* expositionem hujus figmenti *Cælius* xiv. 3. ita tradidit: *Homo*, inquit, *Scylla* est. *Prima pars*, *rationalis* est *Anima*: huic committitur *inutilis caro* et *fluida*, et *receptandis tantum cibis habilis*. *Virtus illa divina* in *lubricum* desinit: et *superioribus partibus venerandis* atque *cælestibus animal iners* et *marcidum* attextitur: quodque *horribilius* est, *captivam* ducit *Rationem*. *Plurimis Corpus* voluptati est, *Anima oneri*: quamvis illud *Natura*, ut *quandam vestem* ac *velamentum* *circumdedit* animo. Ex hac *voluptuaria officina mirum* est *quanta se promant* *fœditatum agmina*, quæ *libidinum torpido*, &c. *Taubmann*.

429 *Præstat*] Melius est. *Servius*.

*Præstat metas*] *Propositis utriusque lateris malis*, indicat eundem *qua Charybdis* est, *malum levius*, et *labores* subire *longioris cursus*, quam *compendio* *navigare* per *Scyllam*. *Donatus*.

*Metas lustrare*] Quis non videt sermonem ductum a *Circo*; ubi *metæ*, ubi *circumflexio*, ubi *cursus*? *Cerda*.

*Pachyni*] *Trinacii Prisciannus*, vel potius *Rheminius Fannius* in *Dionysium*, media correpta enunciat, 'Eminet ad *Zephyrum Lilybe*, *Pachynusque* sub ortum.' Item *primam* *Ovid. Met. xii.* produxit: ut, 'Et quibus *imbriferos* versus *Pachynus* ad *austos*.' quam *rursus* contraxit in v. 'Læva *Pachyne* tibi, *Lilybæo crura* premuntur.' Vulgo *Capo Passaro. Erythr*.

430 *Cessantem*] *Morantem*: quod sequentia indicant, 'Longos et circumflectere cursus.' *Terentius*, 'Si abis usquam, aut ubi si cesses.' Sed alibi, 'Quid illic natus cessat cum

Syro.' *Servius*.

431 *Semel*] Quia iterum videre, cum perieris non potes. *Donatus*.

*Informem*] Hic, quæ confusæ sit formæ. Alibi deformem: 'nec sum adeo informis.' Alibi monstrum: ut, 'Monstrum informe ingens,' quod humanam excedat formam. *Servius*.

432 *Cæruleis canibus*] Variavit nunc canes dicendo, cum supra dixit *lupos*. *Idem*.

433 *Præterea*] Hinc ostenditur cuncta scire Helenum, et jam infensam Junonem: sed prohiberi dicere, ut diximus supra. *Idem*.

*Præterea*] Dicturus rem magnam, et ad Æneæ salutem imprimis pertinentem, commendat altis sensibus tenaciter retinendam. *Donatus*.

*Heleno prudentia, vati*] In homine prudentia est: in vatibus fides. *Serv.*

*Prudentia*] Quod ad eum pertinet, cum nondum numine percitus sit. *Donatus*.

*Heleno prudentia, v.]* Ita Donatus distinxit: et probat Fabricius: ut *prudentia* ad Heleni experientiam, *fides* ad divinandi scientiam referatur. Non dissimile illud Sophocli. *ei* *ἔσθ' ἐνι* *ἑὸς*, *χ' ὁ* *δὲ* *δὶ* *δοὺς* *φοῖβος* *σαφής*. *Taubmann*.

434 *Fides*] Hoc pertinet ad personam vatis. *Donatus*.

*Si veris implet Apollo*] Id est, si veris implet oraculis: ut Lucanus, 'Atque hominem toto sibi cedere jussit Pectore.' *Servius*.

435 *Proque omnibus*] Pro commodo omnium desideriorum. *Donatus*.

*Proque omnibus unum*] Mas. lectio est, *proque omnibus*: non *præque omnibus*: eandem approbantibus Diomede et Donato: quorum ille, *pro omnibus*, idem esse ait, quod *ἐνὲρ πάντων*: hic, *pro omnibus*, exponit, pro commodo omnium desideriorum. Nec displicet Fabricio. *Taubm.*

437 *Junonis magnæ*] Id est, supernæ: nam legimus, 'Junoni infernæ dictus sacer.' *Servius*.

*Junonis magnæ*] Ostendit Poëta majoris potentiae inimicos obsequendo potius, quam resistendo posse superari. Quapropter precibus et donis placandam admonet Junonem, ut possit in Italiam venire. *Donatus*.

*Junonis magnæ*] Docet Macrobius Poëtam expressisse supra, vs. 12. *θεοὺς μεγάλους*: hic etiam *Junonem Magnam*, *τὴν διωκτὴν*: uti Æn. I. *τὴν χρηστὴν*: 'et bona Juno,' quibus nominibus Romanorum Penates proprie dici, Cassius tradidisse. Sed et Sophocles in Elect. *dominam Junonem* vocat *δέσποιναν Ἀρτεμιν*. *Taubm.*

438 *Junoni cane vota libens*] *Cane* autem de historia est: nam et bello Punico matrimi et patrimi cantaverunt Junoni: et bene tria posuit, quæ ad religionem pertinent, *prece, votis, donis*. *Servius*.

*Cane vota*] Hymnis enim et prece Juno præcipue delectatur. Et Scalig. iv. 16. istud, *Junoni cane vota*, notat, ut non vulgatum. *Taubmann*.

*Dominam*] Hic abusive *dominam* Junonem appellavit, cum proprium hoc nomen Mâtris deum sit. *Servius*.

*Dominam*] Ita Sophocles in Electra, *δέσποιναν Ἀρτεμιν*. Vide in l. vi. ad illud: 'dominam Ditia.' *Cerda*.

439 *Supera donis*] In codicibus antiquis, *votis* non *donis* legitur. Et ita apud Ti. Donatum habetur: quem locum etiam repetit in duodecimi libri commentariis eo loco, 'Et tu Saturnia Juno:' quorum nihil est in impressis codicibus. *Pierius*.

*Supera donis*] Id est, votis et hostiis expugna ejus animum, ut tibi sit propitia. Videtur respicere illud Græcorum a Platone De Repub. l. III. adductam: *δῶρα θεοῦς πείθει, δῶρ' αἰδολοὺς βασιλῆας*. Et Euripid. in Medea: *πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος*. *Taubmann*.

*Victor*] Propositi tui effector: ut, 'Illi victor ego, et Tyrio conspectus in auro.' *Servius*.

440 *Mittere*] In codicibus aliquot

antiquis *metire* legitur: ut in hanc sententiam, 'Iter emensi,' et 'pela-  
goque remenso.' Sed *mittere* loco  
hoc magis omnino congruit, ubi de  
fatis agitur, quorum auspiciis Æneas  
sit omnia peracturus. Huic simile  
est illud, 'Missus in imperium mag-  
num.' *Pierius*.

441 *Cumæam urbem*] Eubœa insula  
est: de cujus civitate Calchide, in-  
colæ profecti sunt ad novas sedes  
quærendas: et haud longe a Bajas  
(qui locus a socio Ulyssis Bajo illic  
sepulto nomen accepit) invenerunt  
vacuum litus, ubi, visa muliere gra-  
vida, civitatem condiderunt; quæ res  
fœcundam ostendebat fore rempub.  
et eam *Cumas* vocaverunt: sive ab  
*ἐγκύβιον*, id est, prægnante: sive ἀπὸ  
τῶν κομμάτων, id est, ab undis: v autem  
Latini in u vertunt: ut *byrria*, *burria*.  
*Cumæam* autem *urbem*, sicut *Bathrōli*  
*arcem*, *fontem Timaci*. *Servius*.

*Cumæam urbem*] Hanc ponit in  
sinu Puteolano Mela II. 4. de ea  
etiam agit Salmas. Exercit. Plin. p.  
75. *Emmeness*.

442 *Divinosque lacus*] Consecratos,  
Avernum et Lucrinum. *Aternus* au-  
tem, in plurali numero *Aterna* facit:  
ut *tartarus*, *tartara*: unde, *Aterna*  
*sonantia silvis*. Sane hic lacus ante  
silvarum densitate sic ambiebatur, ut  
exhalans inde per angustias, aquæ  
sulphureæ odor gravissimus supervo-  
lantes aves necaret. Unde et *Aternus*  
dictus est, quasi ἀρνός: quam rem  
Augustus Cæsar intelligens, dejectis  
silvis, ex pestilentibus, amœna reddi-  
dit loca. *Servius*.

*Silvis*] Quibus ambiebatur Aver-  
nus: quam tamen silvarum densita-  
tem Augustus postea dejecit, et ex  
pestilentibus amœna loca reddidit.  
Quod postmodum quibusdam *opus*  
*Julium*, vel, *unda Julia* appellata est.  
*Taubmann*.

443 *Insanam catem*] Alii *magnam*  
dicunt: quia duo genera vaticinandi  
sunt, aut simplex, ut *Helcni*; aut per

furorem, ut *Sibyllæ*: quia *catēs* a  
*vi mentis* appellatos, Varro auctor  
est: sed melius deo plenam, et vati-  
cinatricem intelligimus. A Græcorum  
tractum etymologia, qui *μάρτες*,  
ἀπὸ τῆς μάρτας appellaverunt: nam  
supra sensus humanos intelligentia;  
furor et insania dicitur, teste Cice-  
rone de Divinatione: 'Huic præstan-  
tissimæ rei nomen, nostri a divīs;  
Græci, ut Plato interpretatur, a fu-  
rore dixerunt; prorsus furoris divi-  
nationem Sibyllinis maxime veribus  
contineri arbitrati.' 'Unde adhuc qui  
inspirari solent, *fatuari* dicuntur.  
Virgilius: 'Magnam cui mentem ani-  
mumque Delius inspirat vates.' *Serv.*

*Insanam*] Plenam numinis. Mo-  
rem dixit Sibyllæ, et in quo loco sit,  
et quo ordine singulorum desideriis  
respondeat. Scribit in foliis, ordi-  
nat, et dimittit; homines in illis fu-  
tura legunt. Sed si vento perturba-  
tur ordo foliorum, pereunt consulta,  
et dubii remanent, qui venerant con-  
sulturi. *Donatus*.

*Sub ima*] In ima: ut, 'Namque  
sub ingenti lustrat dum singula tem-  
plo:' et, 'Exercet sub sole labor.'  
*Servius*.

444 *Futa canit, folisque notas et  
nomina mandat*] Tribus modis ait fu-  
tura prædicta: aut voce, aut scrip-  
tura, aut signis, id est, quibusdam  
notis, ut in obeliscis Romæ videmus:  
vel, ut alii dicunt, notis literarum:  
ut per unam literam significet ali-  
quid. In foliis autem palmarum Si-  
byllam scribere solere, testatur Var-  
ro. *Idem*.

*Folius*] Palmæ. *Notas*] Literas.  
*Nomina*] Verba. *Idem*.

445 *Carmina virgo*] Quævis re-  
sponsa versibus scribebantur. Virgo  
vero *Phemonoe* dicta est: nam *Sibylla*  
appellativum est nomen: adeo ut  
Varro quot Sibyllæ fuerint, scripse-  
rit. *Sibylla* autem dicitur omnis  
puella, cujus pectus numen recipit:  
nam Æoli *σλοὺς* dicunt deæ: Βουλῆ

autem *sententia*: ergo *σβήλλας* quasi *σπουδαίους* dixerunt. Inde est, 'Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates.' Sane sciendum omnia responsa Sibyllæ plus minusve centum contineri sermonibus. Unde Virgilius ait, 'Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum: Unde ruunt totidem voces responsa Sibyllæ.' *Idem.*

446 *Digeris*] Ordinatur, disponitur. *Idem.*

*In numerum*] In ordinem, ut continuatio carminum fiat; unde est, 'Numeros memini si verba tenerem.' *Idem.*

*Seclusa*] Pro *inclusa*: præpositio pro præpositione. *Idem.*

448 *Vero cardine*] Aperta janua, per Periphrasim. *Idem.*

449 *Turbavit janua frondis*] Non janua: sed ventus qui per januam ingreditur. *Idem.*

451 *Situs*] Positiones et ordines: alibi *situ*, vetustate: ut, 'En ego victa situ.' alibi squalore, 'Per loca senta situ.' *Idem.*

452 *Inconsulti*] Inscii rerum, ignari, sine consilio. Sine responso, quibus consultum non esset; ut *inconsultos*, incantos dicimus, qui sine consilio aliquid adgrediuntur. *Idem.*

453 *Ne qua moræ*] *Ne qua* pro *non*, aut *nulla*: id est, nullum damnum te ex mora fecisse credideris. *Idem.*

*Dispendia*] Dispendium viæ, et compendium opponuntur. Ov. Met. III. 'per compendia montis Præcipitata via est.' Manil. in IV. 'Et vitia, et clades; damna et compendia rerum: quem versum sic legit Ludov. Carr. *Cerda*.

455 *Vela vocet*] Valde nove. *Serv.*

456 *Oracula*] Fata, responsa. *Idem.*

457 *Ipsa canal*] Ne te mittat ad ea quæ in foliis notat. *Idem.*

*Volens*] Quæ velle habet. Nam *volitura*, propter asperitatem sermonis voluit dicere. Aut *volens*, quia

cogi non potest si nolit, ut in sacrificiis: 'Uti volens propitiusque.' *Idem.*

*Volens*] Hoc non pertractate dictum, sed ex religione prisca et solemnium sacrificantium formula petitum. Cicero: 'Mars pater, te precor quæsoque, uti sies VOLENS PROPITIUSQUE mihi, domo familiæque nostræ,' &c. Quod notavit Servius, et J. Douza Succidaneis ad Horat. *Taubmann.*

458 *Illa tibi Italia populos*] Bene hæc ad Sibyllam distulit, quia ipse de cursu tantum interrogatus est: et quia *bella* terribile nomen intulerat, statim evadendi spem adjecit, 'Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem.' *Servius.*

*Illa tibi*] Edicet illa, quæ ego prohibeor aperire, quæ bella sint ventura, et quomodo singulos labores vel tolerando transeas, vel superando compescas. *Donatus.*

459 *Quo quemque modo fugiasque*] In antiquis aliquot codicibus *effugias* legitur: sed *fugias* magis placet: *quemque* vero per *m* in iisdem fere omnibus codicibus. *Pierius.*

460 *Venerata*] Quam tu veneratus sis: vel venerata pro te deos, id est, rogatis pro te diis. *Servius.*

*Venerata secundos*] Sic et passive Horat. 'Et venerata Ceres ut culmo surgeret alto.' Nimirum veteres *tenero* et *advenero* active dicebant, quasi *veniam oro*, ut in Apulejum observavit Memmius. *Germanus.*

*Venerata secundos*] Medicus codex, et vetusti plerique alii *venerata sacerdos* habent. Et eodem modo legi in antiquo Prisciani codice, hoc citato versu: quanquam et *secundos* in aliquibus legi non negarim, præsertimque in Donatiano. *Pierius.*

*Venerata*] Quæ de hac voce et similibus Agellius admonet xv. 13. capienda sunt de participiis tantum, juxta mentem Budæi, et Jul. Scal. Quin adhuc participia ipsa, si significato passivo reperiuntur, id certe est,



quod veteribus in usu fuerunt activa quoque: itaque in hunc locum docte ait Germ. 'Nimirum veteres, venero et advenero active dicebant, quasi veniam oro, ut in Apulejum observavit Memmius.' Testimonium, quo Germanus caret, advoco ex Plauto, qui in Trucul. 'Date mihi huc stactam, atque ignem in aram, ut venerem Lincinam meam.' *Cerda.*

461 *Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri*] Bene cum præscriptione, ne falsidicus vel minus peritus postea putaretur. *Servius.*

462 *Vade age, et ingentem*] Quædam prædicit ut vates, quædam admonuit ut amicus, cessantibus partibus vatis. *Donatus.*

463 *Amico est*] Poëta divinus peritiam suam, inventa occasione, semper ostendit; *effatus* ergo verbo augurali usus est, quia scit loca sacra, id est, ab auguribus inaugurata, *effata* dici: ergo religioso verbo voluit uti, qui potuit dicere, 'Quæ postquam vates sic ore est fatus amico.' *Effatio* dicta ex prolocutione, quod ubique loquimur, famur. *Servius.*

464 *Dona dehinc*] Mos veterum representatur, qui abeuntes donis prosequerantur; qui alibi illustratur a nobis, ubi de viatico scripsimus. Nunc addam Homeri locum ex *Odyss.* XIII. cui omnino Virgilius institit, ubi a Phæacibus Ulysses discedit: sic enim Alcinous, 'Ἄλλ' ἔγε οἱ δῶμεν τρίποδα μέγαν, ἧδ' ἐλθέμεν' *Andræus*: *Sed age ei demus tripodem magnum, et lebetem Viriſium.* *Cerda.*

'*Gravia*] Utrum aurea, an quibus non totis aureis addito auro pondus accesserit? et *gracia*, a, finalitatis ratione producitur: sed satis asper. Nam in nullam desinit consonantem: ut, 'Omnia vincit amor, et nos cedamus amori:' et, 'At tibi Thymbre caput Enandrius abstulit ensis.' *Servius.*

*Elephanto*] Pro ebore posuit: Græce dixit. *Idem.*

*Sectoque elephanto*] *Hom. Odyss.* XVIII. et XIX. *πρὸς ἐλέφαντος.* *Plinius* lege VIII. 10. et XVI. 43. *Hæst.*

465 *Stipat*] *Densa*t. Unde *stipatores* dicuntur, qui in navibus component, a *stipa.* *Servius.*

*Stipat*] Largitorem præcipuum indicat, qui tantum donasset argenti, quantum naves nisi stipatæ capere non possent. *Donatus.*

466 *Dodonæos*] Id est, Epiroticos. A civitate Epiri Dodona: laudavit a regione, ut *vasa Corinthia*: quidam dicunt ita, ubi æs optime fusum, sicut et apud Corinthum: vel *Dodonæos*, quales sunt in templo Dodonæi Jovis. Hæc autem regid in finibus Ætolorum est, ubi Jovi et Veneri templum a veteribus fuerat consecratum. Circa hoc templum quercus immanis fuisse dicitur, ex cujus radicibus fons manabat, qui suo murmure instincta deorum diversis oracula reddebant: quæ murmur, anus, Pelias nomine, interpretata hominibus disserebat. Sed cum hic ordo oraculorum per multa tempora stetisset, ab Arce, latrone Illyrio, excidi quercus præcepta est: unde factum est, ut postea fatidica murmura cessaverint. Narratur et aliter fabula. Juppiter quondam Thebæ filiæ tribuit duas columbas, humanam vocem edentes, quarum altera provolavit in Dodonæ glandiferam silvam Epiri, ibique consedit in arbore altissima, præcepitque ei, qui tum eam succidebat, ut ab sacrata quercu ferrum sacrilegum submoveret: ibi oraculum Jovis constitutum est, in quo sunt vasa ænea, quæ uno tactu universa solebant sonare. Altera autem columba pervenit in Libyam, et ibi consedit super caput arietis, præcepitque, ut Jovis Ammonis oraculum constitueretur. *Servius.*

*Lebetas*] Ollas æreas. Græce dixit: *Zemas* enim vulgare est, non Latinnm. *Idem.*

*Lebetas*] In antiquis codicibus le-

*betas* legimus. Et Servius hoc a Virgilio Græce dictum ait. Illud addam, lebetem poculorum genus esse Ti. Donato. Non nulli legere amant *lebetes*. Pierius.

*Dodon. leb.*] *Lebes*, hic pollubrum, seu malluvium, item olla ærea exponitur a Servio. Alii *Lebetes Dodon.* interpretantur vasa rebus variis apta, ex ære Dodonæo et præstantissimo conflata: vel, quales sunt in templo Dodonæi Jovis. Adagium est, *Dodonæus lebes*, in garrulos: de quo J. Parrhasius, et Cælius XIX. 11. *Taubmann.*

467 *Loricam*] Et dona quæ augeant suas opes dat, et ea quibus se ab hoste tutetur, et omnia cum decore: et dicit arma fuisse illius, qui Trojam vicerat, ut sit insultatio, arma victum ferre victoris. *Donatus.*

*Loricam consertam hamis*] Hæc fuscæ alibi scribuntur, explicantur, illustrantur: Græci *θώρακα δλυσιδωτον, κρικωτον, πολυδγκωτρον*. Hic *ἐκ παπύρου* te moneo legas Leop. emendat. IX. 22. ubi enodat illud Iuvenalis sat. XIV. 'Dispositis prædives hamis,' Grammaticis ante illum non intellectum, sequæ torquentibus in expedienda quantitate Syllabica. *Cerda.*

*Hamis auroque*] Hamis aureis, per Hendiadyn. *Hamis* autem catenis, vel circulis significat. *Servius.*

*Trilicem*] Trino nexu intextam. *Id.*

468 *Conum*] A parte totum: nam *conus* est curvatura, quæ in galea conprominet: super quam cristæ sunt. *Coni* tamen appellationem sciendum a Græco tractum. *Idem.*

*Et conum insignis galeæ, cristasque comantis*] Proprie, sicut dictum est, Græcorum erant, ut, 'Deinde comantem Androgei galeam,' et est participium *comantes* notum: non enim est verbum *como*. *Idem.*

469 *Sua dona parenti*] Id est, Anchisæ: *sua* autem, congrua meritis, apta ætati. *Idem.*

*Sua*] Ætati convenientia. *Donatus.*

470 *Duces*] Itineris scilicet equorum, vel quos vulgo *agasones* vocamus, ut, 'Effunditque ducem:' alii duces itinerum accipiunt. *Servius.*

471 *Remigium supplet*] Bene verbo militiæ usus est, ut supplementum diceret: nam multos in Creta perdiderrat. *Idem.*

*Supplet*] In codicibus aliquot antiquis, *suplet* unico *p* scriptum legas. Circumfertur vero epitaphium a Pontano in Pelignis inventum: ubi *suplet* unico *p* notatum est. Quod nulla non ratione factum a maioribus, nomen *supellex*, ab eo verbo, ut Pontanus idem affirmat, derivatum, ostendit. *Pierius.*

*Socios*] Nullum indonatum reliquit, dans quæ competeabant viris fortibus. *Donatus.*

472 *Velis aptare jubebat*] Subaudis *socios*, a superioribus: et bene servat τὸ πτόρον, ut ubique Anchisen inducat in navigationem; ut, 'Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.' *Servius.*

473 *Ferenti*] Pro secundo flanti, vel cum flare cœpisset. *Idem.*

475 *Anchisæ*] Bene, cum Veneri libidinem non objicit, dicendo *conjugium*, majorem honorem Anchisæ tribuit. *Anchisæ* autem vocativus hic non est Latinus, nam brevis esset *a*, ut *Catiliæna*. Græcus est ergo, de quo valde apud eos quæritur, quemadmodum exeat ab his nominibus, quæ in ea mittunt nominativum. Nam *Tydidēs Tydide* facit: ut, 'Danaum fortissime gentis Tydide.' *Atrides* cum sit simile, *Atrida* facit: ut Horatius, 'Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?' Tale est ergo *Anchisæ*. Sane apud Latinos horum nominum causa manifesta est: nam nominativus ipse in *a* mutatur, et recipit Latinam declinationem: ut, *Atrides Atrida*; *Scythes Scytha*. *Idem.*

*Dignate*] Digne habite, digne judicate. Nam modo non agentis habet, sed patientis imaginem: unde est in

primo, 'Haud equidem tali me dignor honore.' *Idem.*

*Dignate]* Quasi, qui dignus sit inventus qui filiae Iovis jungeretur. *Donatus.*

*Conjugio dign.]* Sic et Peleus suum cum Thetide conjugium γαμία συγκοιμήματα vocat apud Eurip. in Androm. Ut autem hic *dignate* passive extulit, ita et Manil. l. i. 'An fortes animæ dignataque nomina cælo.' Ut autem *felix nati pietate*: Aristoph. in Vesp. δ μαιῶν οὐρανίας. *Germanus.*

476 *Cura deum]* Id est, amor: ut alibi, 'Veneris justissima cura.' *Serv.*

*Cura deum]* Georg. iv. 'Cyrene soror, ipse tibi tua maxima cura.' Æn. x. 'Ipse inter medios Veneris justissima cura.' Tibull. l. iii. 'salve cura Deum.' Auson. Epigr. 'superam cura secunda Valens.' Sic et Græci μέλματα, et μέλαι μοι amatoria verba usurpant. Reges enim et principes Deus tuetur. Pindarus Pyth. Od. v. Διὸς τοι νόος μέγας κυβερνῶν Δαίμον' ἀνδρῶν φίλον: Jovis mens magna gubernat sortem virorum, qui sibi in precio. Hinc Agamemnoni apud Homer. spes maxima exsurgit, nam cum minitatus Achilles fuisset, abiturum se Phthiam, et exercitum relicturum, prudenter respondit Agamemnon: πάρ' ἐμοῦ καὶ ἄλλοι, Ὅς κέ με τιμήσουσι: μέλιστα δὲ μητέρα Ζεὺς: *Apud me et alii erunt, Qui me honorabunt, maxime autem prudens Juppiter.* *Cerda.*

*Bis Pergameis erepte ruinis]* Probavit curam deorum. Et sciendum rhetorica esse argumenta, quæ a contrariis laudant. Quod enim Anchises infelicitatis putavit; ut, 'satis una superque Vidimus excidia;' hoc iste argumento convertit in laudem. *Bis* autem, propter Herculem et Græcos, qui expugnare Trojanos. *Servius.*

*Bis Pergameis]* Ostendit, quod sit contra Deum, qui cum debilis esset, liberatus tamen sit periculis patriæ, in qua perierunt viri fortes. *Donatus.*

477 *Ecce tibi]* Aut vacat tibi: ut in

Tullio, 'Qui mihi accubantes in convivis.' Aut certe altius dictum est tibi: ac si diceret, Qui Italiam tantum visurus es partem, non etiam eam, quam Æneæ fata promittant. Aut certe tibi, id est, quod ad te attinet; nam ita veteres ponebant, ut Terentius in Adelphis, 'En tibi autem: quid est? lupus in fabula.' Et cur et Æneam non dicit? aut sufficere putat, quæ illi vaticinatus est, ut retineat illa: aut ambobus dicit ad unum loquendo. *Servius.*

*Arripe]* Invasit. Illic enim est sacrificaturus. *Et tamen ἀναπείθων* est: non enim præmisit, *quantum vicina sit.* *Idem.*

478 *Præterlabare necesse est]* Præternaviges: et bene positum, *necesse est*, ne fatigato longæ navigationis denunciatio dura videretur. *Idem.*

479 *Ausoniam]* Italiæ, a Rege Ausone. *Idem.*

*Quam pendit Apollo]* Laurolaviam agrum significat, ad quem venturus est. *Idem.*

480 *Vade, ait]* Bis hæc est in Virgilio iteratio; ut in hoc loco. Nam cum supra *compellat* dixerit, intulit modo *ait.* Item in quinto cum præmiserit, 'Fidam sic satur ad aurem:' subjecit rursus: 'et sese ostendat in armis, Dic, ait.' *Idem.*

*O felix nati pietate]* Latenter ostendit mortem futuram. Non enim ait felicem vitæ longinquitate, vel adventu ad Italiam: sed tantum nati pietate: quasi qui poterit exequiarum munus implere. *Idem.*

481 *Provehor]* Sermone progredior: ut ostendunt sequentia. *Idem.*

*Demoror austros]* Id est, vos demoror, quo minus ventis utamini. *Idem.*

482 *Supremo]* Ultimo: postquam eorum desperabat aspectum. *Idem.*

*Digressu supremo]* Sic apud Flaccum Arg. ii. Hypsipile abeuntem Iasonem chlamyde exornat: 'dixit lacrymans hæsuræque charo Dona duci promitt chlamydem, textosque labores.' *Cerda.*

488 *Picturatas*] Participium sine verbi origine; vel a fœminino genere derivatum, pro *pictas*, id est, pictura decoratas. *Servius*.

*Fert picturatas*] Γραφὰς ὅλων, et ἑσθήτων sæpe Græci Poëtæ usurpant. Textilia autem dona videtur dixisse, ut Hom. Od. N. χρυσὸν τε ἄλλας ἑσθήτας ὁ ἱφάντην. Sed et Catullus 'linum catagraphon' dixit, quasi picturatum: et Lucret. 'Textilibus picturis ostroque rubente.' Tales et *variegatas vestes ὀρώνα* Græci Poëtæ: ut Hom. Il. X. δίπλακα μαρμαρέην, ἐν δὲ ὀρώνα ποικίλ' ἔπασσε. *Germanus*.

*Auri subtemine*] Id est filo, quod intra stamen currit: quod Persius *tramen* dixit, 'Mihi trama figuræ Est reliqua: ast illi tremat omento popa venter.' Nam male quidam *subtegmen* stamen accipiunt, quum stamen de auro esse non possit. *Servius*.

*Auri subtemine vestis*] Sunt antiqui codices, in quibus *subtegmine* una dictione legatur. Sunt ubi præpositio *sub* divisa est a *tegmine*: sed Grammatici *subtemine* absque *g* littera legendum contendunt. Dicit vero *subtemen* *subteminis*, ut *stamen staminis*, ait Carisius. *Pierius*.

*Auri subtemine*] *Subtegmine* alii, item alii *subtemine* legunt, quod posterius mihi probatur, quia *stamen* et *subtemen* sapere Græcam derivationem videntur, ἀπὸ τῶν στήμονος καὶ υποστήμονος: nam *στήμων* et *στάμων* dicitur, in *subtemine* η in *e* longum verso: quod *substemen ἐφυή* Plat. leg. E et ὄρασμα, κρόκη, *trama* Servio. Catullus autem eo loco, 'Currite ducentes substemina, currite fusi;' fusos respicit, quibus involvitur *subtemen*, qui *πνίλα* dicuntur. *Germanus*.

*Fert picturatas auri subtemine vestis*] De vestibus *διαχύσιος*, de *subtemine* et *stamine* dissertationes habet eruditus Salmas. ad Script. Hist. Aug. p. 646. 979. et vol. II. p. 551. *Emmenes*.

484 *Et Phrygiam Ascanio chlami-*

*dem*] Aut acu pictam. Hujus enim artis peritos *Phrygiones* dicimus secundum Plautum. In Phrygia enim inventa est hæc ars. Aut ob hoc addidit *Phrygiam*, quasi per quam patriæ memoria retineretur. *Servius*.

*Chlamydem*] Notat in Sueton. Lævinus, chlamydem non solum militare esse vestimentum, sed inter puerilia quoque ab Ulpiano apponi; nam hæc donabatur pueris ad faustum quoddam omen futuræ militiæ. Suet. Tiber. loquens de pueritia Tiberii, c. 6. 'Munera, quibus a Pompeja Sexti Pompeii sorore in Sicilia donatus est, chlamis, et fibula,' &c. *Cerda*.

*Nec cedit honori*] Id est, tanta dat munera, quanta merebatur Ascanius: hoc enim honoris est, non cedere, parum esse meritis accipientis. Scaurus *honore* legit: et intelligit, honore non cedit Heleno, qui patri ejus vel avo donaverit multa. *Servius*.

*Nec cedit honori*] Duo notat in chlamide: et quod esset sibi solatio, quia esset de originalibus terris: et quod conveniret honori Ascanii: nam digna fuit qua uteretur. Tali etiam dignus Ascanius, qui tantam rem applicaret usibus suis. Sunt enim quidam abjecti, qui utuntur vestibus sibi non convenientibus: sunt rursus adeo excellentes, ut cum suis vestibus pari honore contendant. Laudavit autem solam chlamidem, cætera generaliter dixit. *Donatus*.

485 *Textilibus*] Sibi congruis. Quid enim magis conveniebat donare mulierem? *Servius*.

*Onerat*] Ut in Heleno dixit, 'stipatque carinis.' Ille vir fortis donat aurum, argentum, arma viro forti. Hæc mulier donat puero textilia. Ergo habuit rationem personarum. Hæc etiam duo genera munerum ponit: chlamidem auri *subtegmine* variatam, quæ esset ex antiquis. Item alia munera, quæ non essent tanti precii, sed suis manibus. Unde cum

hæc offerret, dicit: *accipe et hæc*, præter chlamidem et prædicta: ut alterum haberet precium, alterum amoris religionem et dantis affinis affectum. Ergo si non valent dona, valeat persona Andromaches, tui avunculi uxoris. *Donatus.*

486 *Accipe et hæc*] Aut intelligimus ante a se aliqua fuisse donata: aut certe secundum jus locutus est. Omnia enim quæ vel avus, vel pater acceperat, ad Ascanium hereditatis jure deveniunt. An *et hæc*, præter illa quæ Helenus tibi dedit? *Servius.*

*Monumenta*] Memoria. *Monumenta* autem a mentis admonitione sunt dicta. *Idem.*

487 *Longum amorem*] Et de præterito et de futuro, ut agnoscas quantum te vel amaverim, vel amatura sim. Potest et pro *diu* accipi. *Idem.*

488 *Conjugis Hectoreæ*] Dictum est hoc, habita ratione personæ, cum qua loquebatur: ac si diceret, uxoris avunculi tui. *Idem.*

*Extrema tuorum*] Ut quæ Ilio extulit: vel sicut supra, 'Digressu mæsta supremo.' *Idem.*

489 *O mihi sola mei super Astyanactis imago*] *Super*, id est, valde, vehementer, expresse: hoc est, valde mihi es imago Astyanactis: quo sermone etiam Homerus in simili utitur significatione; vel deest est, sitque *superest*, id est, *restet*, ut in octavo: 'Neque enim fuga jam super ulla periculi est.' Fabula autem de Astyanacte ista est. Superato Ilio, cum Græci ad patriam redituri contrariis flatibus prohiberentur, Calchas cecinit deijciendum ex muris Astyanacta, Hectoris et Andromachæ filium, eo quod si adolevisset, fortior patre facturus, vindicaturus esset patris interitum. Hunc Ulyxes occultatum a matre, cum luvénisset, præcipitavit e muro, et ita Græci Troja profecti sunt. *Idem.*

*O mihi sola mei super*] Etiam hæc contendit Scalig. v. 3. cum Homeri-

cis. 'Et divina,' inquit, 'illa sunt. Statius Silvarum v. 10. *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.* Et quanquam Græcus ibi, ὀφθαλμοῖν βολὰς, mirifice dicit: non potuit Latine noster: at alio verbo compensavit: gestum enim apposuit, cum dixit, *ferebat.* Et mirum quod addit, *Et nunc æquali tecum pubesceret ævo*, ut augeat affectum memoriam, ex representatione rei, quæ non est, et esset.' Hæc Scaliger. Videatur et Macrob. Saturn. iv. 5. item Cælius xxix. 24. Porro illud, *super*, exponit Servius, item Nonius; *valde, vehementer, expresse*: q. d. valde mihi es imago Astyanactis. Turnebus tamen xxiii. 5. ut et Pimpontius, *super* hic pro Participio *superans*, περιγινώσκων, id est, *reliqua*, seu *ὑπεριστάμενη*, id est, *superstes*, accipiunt: quo pacto Græci Præverbia pro Verbis eleganter ponere soleant: ut *μέγα*, pro *μέγεσσι*: πάρα, pro *πάρεσσι*. Ita Valerius l. viii. 'Nec spes ulla super:' pro, *superest.* Taubmann.

490 *Sic oculos, sic ille manus*] Hom. de Telemacho: κείνου γὰρ τοιοῦτε ἴδες, τοιοῦτε τε χεῖρας, ὀφθαλμῶν τε βολὰς, κεφαλὴ τ' ἐφύπερθε τε χεῖραι. *German.*

491 *Pubesceret ævo*] Ut etiam in secundo diximus, proœconomia est; ut verisimile sit, Ascanium in octavo potuisse jam bella tractare. *Servius.*

*Et nunc æquali*] Hic versus videtur esse ex Eurip. in Ione sub persona Creusæ ad filium: σοὶ ταῦτόν ἦδ' ἐστ' ἐπερ ἦν, εἶχ' ἂν μέτρον. *Germanus.*

492 *Digrediens*] Pro cum *digredierer*, participium pro verbo modi conjunctivi. *Servius.*

*Hos ego digrediens adfabar*] Sic Cyzicus apud Valer. Flacc. l. iii. cum ab eo Iason discedit, 'Ipse agit Æsonidæ junctos ad litora gressus Cyzicus abscessu lacrymans.' Apud eundem l. ii. cum Argonautæ discedunt ab Hypsipyle, similis tristitia et lacrymæ inducuntur: 'Nec minus Orphea tristis (Hypsipyle) cervicæ,

tuaque Æacide, et gemino conjux a Castore pendet: Has inter lacrymas legitur piger uncus arenis.' Opportune autem monet Rittershus. in Opp. Cynege. discrimen inter *digredi*, et *degre*: ut prins sit discedere ex loco aliquo, posterius descendere de superiore loco, cui contrarium sit, ascendere. Sic Sallust. Hist. iv. 'ut primum Albus degressus est.' In Iugurth. 'monte degrediens.' et, 'colle degredi.' Florus l. iiii. 'ab arce degressus.' itaque male confunditur horum verborum usus. *Cerda*.

*Lacrimis adfabar*] Non poterat ab iis, qui et cives, et in se liberales essent, sine lacrimis discedere. *Donat.*

*Abortis*] In antiquis plerisque codicibus, *abortis* legitur per *ab*. Sed doctorum consensus mavult pro *ob*, *abortis* scribi. *Pierius*.

498 *Vivite felices*] *Vivite* modo, bene optantis est: non ut in Bucolicis, male dicentis: 'Vivite silvæ,' id est, perite. Simile est et *valete*: ut Terentius, 'Valeant, qui inter nos dissidium volunt.' Sunt autem hæc per contrarium inventa maledicta, ut sit quasi amara veneratio. Illud queritur utrum *vive*, an *vivas*, id est, utrum per imperativum dicere debeamus; et constat dici melius per optativum. Optari enim possunt, non imperari, vel bonæ, vel adversæ: quod autem invenimus per imperativum, usurpatum est. *Servius*.

*Vivite felices*] *Feliciter vivere* dicit, manere ociosum in eodem loco, et adversa fortunæ ulterius non timere. Sibi autem omnia contraria esse ostendit. *Donatus*.

*Fortuna peracta jam sua*] Id est, dura, propria Trojanorum: ut, 'Hæc Trojana tenus fuerit fortuna secuta.' *Servius*.

*Peracta*] Prostrata. *Idem*.

*Peracta*] Achilles Statius legit *parata*. Firmat Tibullianis versiculis: non satis ad gustum: omitto. Ego in integra sententia Propertianam

imitationem invenio: ut enim Æneas ait: Nos imus semper in nova fata, vos hic vivite, qui jam felices. Ita Propertius eleg. i. l. non dissimili sententia: 'Ferte per extremas gentes, et ferte per undas, Qua non ulla meum fœmina norit iter. Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure, Sitis et in tuto semper amore pares.' *Cerda*.

494 *Sua*] Id est, dura, et propria Trojanorum: ut Æn. vi. 'Hæc Trojana tenus fuerit fortuna sequuta.' *Taubmann*.

*Nos alia ex aliis in fata vocamur*] Hesiod. in Theog. ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται χαλεπώτατος ἄλλος. et Homer. Il. T. ἔς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεὶ. Eurip. in Hecub. παρακαλεῖ δ' ἐκείθεν ἀδ' Ἀθήναις ἡ ἄλλη διδδοχος κακῶν κακοῖς. et post paulo, πόντοι γὰρ ἐκ πόντων, ἀνάγκαι κρείσσορες κυκλοῦνται. et ἑτέρα δ' ἀπ' ἑτέρον κακὰ κακῶν κυρεῖ. *Germ.*

495 *Vobis parata quies*] Locus hic cognationem habet cum eo, Æn. i. 'O fortunati quorum jam mœnia surgunt, Æneas ait.' Ut vero hic *cedentia retro*, sic in v. 'dum per mare magnum Italiam sequimur fugientem, et volvitur undis.' Poëta enim, ut aliis, sic sibi interdum insistit, seque ipse æmulatur. *Cerda*.

*Arandum*] Findendum, ut, 'Longæ sulcant vada salsa carinæ'; *sulcus* enim proprie aratri est. *Serv.*

*Arandum*] Pari venustate Ovidius Trist. i. 'æquor aro:' et Pont. i. 'sulcavimus æquor.' Fluxit hoc a Græcis. Aristides orat. 4. sacror. serm. ὁπεναντία τοῖς ἀνέμοις πλέοντι, καὶ ὅλον ἀρούρι τὸ πέλαγος: *naviganti adverso vento, et quasi aranti pelagus*. Quæ verba præeunt ad explicationem Virgilii. Hoc certe verbum inferendum, cum adversa est navigatio, ut in vate, et in adductis testimoniis Ovidii. Ut enim arare terram, laboriosum est, sic pelagus: neque enim in navigatione prospera commode uteris his vocibus. An alii utantur in

cursu prospero, nihil moror. Nonnus quidem l. i. usurpat in navigatione τέμνω, σχίζω, *seco, fido*, quæ sunt terræ. Et pro nauta ἀγρονόμον dixit, id est, *agricolam*; et pro navigatione ἀβλακα, id est, *sulcum*. Et l. ii. pari venustate, κύμα χαρδόνων. Mœcenas apud Senecam ep. 104. 'alveum lintribus arent.' *Cerda*.

496 *Semper cedentia retro*] Ut, 'Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.' *Servius*.

*Cedentia retro*] Impossibilia dicit, sed per illa suum tædium exprimit, qui tot annos laboriose periculoseque navigans, nondum veniebat quo pervenire cupiebat. *Donatus*.

498 *Quam vestræ fecere manus*] Quod est dulcius. *Servius*.

499 *Et quæ fuerit minus obvia Graji*] Id est, quæ nullum patiatur exidium. Alii *fuerint* legunt: et volunt esse maledictum in Græcos, ut ad auspicia referas: quod non procedit. Nec enim de hoc agebatur. *Obvia* autem obnoxia, inimica, contraria. *Id*.

500 *Si quando Tybrim*] Fluvium: pro quo regem ipsum posuit Tybrin, qui in hunc cecidit fluvium, et nomen dedit. Nam antea *Albula* dicebatur: ut ostendit in septimo Virgilius. Alii volunt non Tybrim cecidisse, sed Tyberinum, regem Albanorum; a quo Tyberis dictus est. Ut autem Tybris dicatur, hæc ratio est: Quodam tempore Syracusani victores Atheniensium, ceperunt Syracensis ingentem hostium multitudinem, et eam cæsis montibus fecerunt addere munimenta civitati. Tunc auctis muris etiam fossa intrinsecus facta est: quæ flumine admissa repleta munitiorem redderet civitatem. Hanc igitur fossam per hostium pœnam, et injuriam factam, *Ybria* vocaverunt, ἀπὸ τῆς ὕβριος. Postea profecti Siculi ad Italiam, eam tenuerunt partem, ubi nunc Roma est, usque Rutulos et Ardeam. Unde est, 'Fines super usque Sicanos.' Albulam fluvium ad imagi-

nem fossæ Syracusanæ *Tybris* vocaverunt, quasi ὕβρις: ut, 'Effigiem Xanthi Trojamque videtis.' Circa Syracusas autem esse *Ybria* fossam nomine, Thucritus meminit. *Idem*.

501 *Gentique mee*] Bene *genti suæ* dicit, non *sibi*: scit enim Ascanio regna deberi victa fatisque incensa. *Idem*.

*Data mania cernam, Cognatasque urbis olim*] Quandoque, et per omnia cernam subaudis. Sensus autem talis est: Si potuero ad Italiam pervenire, et regna constituere, et dividere urbes, et populos tibi cognatos. Nam et Æneas et Helenus a Dardano originem ducunt. Ergo hoc dicit: Quoniam et ab uno originem ducimus; et iisdem casibus subjacimus. *Idem*.

502 *Cognatas urbes*] Quidam in honorem Augusti dictum accipiunt. Is enim cum in Epiro Nicopolim conderet, cavet in fœdere civitatis ipsius, ut cognati observarentur a Romanis. *Id*.

*Cognatas*] In quibusdam *cognatasque*. In antiquis exemplaribus non est *que*, ut ab eo verbo pendeat: *unam faciemus utranque Trojam animis, cognatas urbis olim*. *Pierius*.

503 *Hesperia*] Id est, quibus populi auctor est Dardanus. *Hesperia* autem ἡσπερίς, (nam Græce dixit) et est de loco adverbium, 'Dardanus Hesperiam tenuit.' Figura enim nonnunquam pulchra est, si elocutio imperfecta sit: ut, Cicero in Verrinis, 'Quintum Verrem Romulia:' non addit, *tribu*. *Servius*.

504 *Utramque Trojam*] Id est, quam et tu fecisti et ego facturam sum, jungamus, et faciamus unam: sed *animis*, hoc est, fœdere et affectione: quoniam revera eas natura non sinit jungi. Quamvis quidam dubitant utrum genere an loci proximitate *propinques* dixerit. Sane quoniam occurrebat humanæ brevitatis vitæ, bene subiunxit, 'Maneat nostros ea cura nepotes.' Distinguendum autem *populosque propinques Epiro*: et sequentibus os-

tendit quomodo. *Idem.*

*Unam f. utramque*] Eam, quam tu fecisti Trojam, egoque facturus sum, jungamus: sed *αἰνίς*, hoc est, fœdere et affectione. Alludit autem Poëta ad cognationem et amicitiam, quæ inter Molossos et Romanos postea coivit: de qua l. i. Halicarnassæus: ut princeps observavit Nannius Miscell. l. vii. Atque ex hoc Poëtæ etiam ingenium et singularis Œconomia apparet, qui res jam actas, tanquam futuras describit: quo divinationi sit locus. Vide et Scalig. Poëtices. iii. 11. *Taubmann.*

506 *Procehimur pelago*] Id est, Buthroto derelicto. *Servius.*

*Vicina Ceraunia iuxta*] *Ceraunia* montes Epiri a crebris fulminibus propter altitudinem nominati. Unde Horatius expressius dixit, 'Acrocerania,' propter altitudinem et fulminum jactus. *Idem.*

507 *Cursusque brevissimus*] Adeo ut medio noctis spatio transfretaverit: *Idem.*

*Cursusque brevissimus*] Trajectus hujus brevitatem Hortensius ait contineri 700. stadiorum latitudine, videlicet 21. miliarium Germanicorum spatio: si demensio fiat ab Acroceraniis usque ad Hydruntem maritimum Italiæ oppidum. *Cerda.*

508 *Umbrantur*] Illustret hunc locum Guliel. Stuchins Antiquit. Convivial. l. 11. Græci ad notandas horas, et tempus quod cunque, ad σκιῶν, id est, umbram, confugiebant, et ad τὸ στοιχείον τῆς σκιᾶς, lineam umbræ. Inde non otiose Virgilius, et hic 'umbrantur montes,' et in Ecl. i. 'Majoraque cadunt altis de montibus umbræ.' Interpres Aristophan. ἐν 'Ἐκκλησιαζ.' ad verba illa, ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχείον, ita ait, ἡ τοῦ 'Ἥλιου σκιὰ, ὅταν ᾖ δέκα πηχῶν θέλει οὖν εἰπεῖν ὅτε γίνεταί οὐρά: quando Solis umbra fuerit decem cubitorum, hoc est, quando erit sero. Lucianus in Gallo: συνεχὲς ἐπισκοπῶν ὀπιοσποῶν τὸ στοιχείον εἶη:

*avidue observans, quot pedes haberet linea.* Et in Saturnalibus inter leges convivales, *λοβεσθαι μὲν ὁράων τὸ στοιχείον ἐξάπουν εἶη: lavari cum linea jam sex est pedum.* Enbati versus apud Athen. l. i. omitto, ut multos. *Idem.*

509 *Optata telluris*] Quæ a navigantibus semper optatur. *Servius.*

510 *Sortiti remos*] Quia remigum supplementum erat. Et *sortiti*, per sortem divisi ad officia remigandi, quis esset prœroga, quis pedem teneret. *Idem.*

*Sortiti remos*] Ita Æn. viii. 'pariterque laborem Sortiti.' Ita milites Æn. ix. 'Omnis per muros legio sortita periculum Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.' *Taubmann.*

*Passim*] Prout quis voluit. *Servius.*

*Lilore sicco*] Ad discretionem illius quod aqua alluitur. *Idem.*

511 *Corpora curamus*] Cibo ac potu reficimus. Vide N. ad G. iv. 187. Ex Ennio Annal. l. xii. desumptus hic locus. Simile utitur locutione Plin. Epist. vi. 20. 'Curatis utcunque corporibus.' Petron. 'Cibique naufragiis corruptis utcunque curati:' et alio in loco: 'Curavi diligentius noxiosissimum corpus.' Serum diei hic describi notavit. Scal. poët. iii. 6. *Emmeness.*

512 *Orbem medium*] Cælum intelligit Salmas. exerc. Plin. p. 814. *Idem.*

*Horis acta*] Per horas decurrens. *Servius.*

*Subibat*] Bene subibat, post sextam enim horam descendit. *Idem.*

514 *Auribus aëra captat*] Naturale enim est, ut a qua parte flaturus est ventus, ad eam auris admota frigidior fiat. *Idem.*

*Auribus aëra captat*] Supra Ge. ii. 'patulus captavit naribus auras.' Græci ἀτακουστῶν, et ἀτακουστής. Germanus.

*Auribus aëra captat*] Virgilius hic Homero superior, teste Macrobi. Saturn. v. 11. *Emmeness.*



515 *Sidera cuncta notat*] Ideo *cuncta*, quia in prognosticis legitur non sufficere unum signum ad explorandam futuram serenitatem. *Servius*.

*Notat*] Ut Tullius, 'Notat et designat oculis;' id est, diligenter intuetur. *Idem*.

*Tacito celo*] Aut nocturno, per quod tacetur: aut ipse tacitus: aut certe ad homines retulit. Nam licet æternus sit axium sonus, tamen a nobis non auditur. Ergo quantum ad nos, *tacitum* dixit. *Idem*.

*Labentia*] Cursu scilicet mundi, neque enim ventis feruntur, sicut de planetis dicitur. Ergo *labentia*, tanquam labentia, nunquam enim loco moventur. *Idem*.

*Labentia sidera*] Imitatione illius Lucret. l. i. 'vivant labentes ætheris ignes.' *Germanus*.

516 *Arcturum*] Stella est post Ursam in Boöte signo. *Servius*.

*Arcturum pluviasque Hyadas*] Quamvis in veteribus codicibus *Plíadas* legatur, placet tamen, quod ejus loco positum est a recentioribus, *pluviasque Hyadas*. Nam *Plías* primam producit: quia diphthongus est *ei*, *πλεῖς*: nisi quis vocalem alteram, quod sæpe ex commodo suo Græci faciunt, detritam velit. *Pierius*.

*Pluviasque Hyadas*] Id est, pluviosas. Salustius, 'Consedit in valle virgulta nemorosaque;' *virgulta* pro *virgultosa*. Quidam autem Arcturum, vel *pluvias Hyadas* accipiunt, quia non utraque uno tempore oriuntur; quod si ita est, erit *que* pro *ve*. *Servius*.

*Triones*] Id est, Septentriones: geminos, duos, id est, Cynosuram et Helicen. Varro autem ait, boves *triones* dici, et hæc signa etiam *plaustra* dicuntur, quæ bobus necessario trahi solent, ut Græci *ἄρτρον*, *βουζαν*. *Idem*.

517 *Armatumque auro circumspicit Oriona*.] Bene *armatum auro*, quia et bakteus ejus et gladius, clarissimis fingitur stellis. Sic Lucanus, 'Ensi ferri nimium fulget latus Orionis.' Et

sciendum non hoc eum intueri, ut cernat signa, quæ omnibus patent: sed explorare stellarum vigorem, quo futura indicatur serenitas: ut in Ge. i. 'Nam neque tunc stellis acies obtusa videtur.' Ipsum autem Orionem etiam tempestates significare si fuerit obscurus, alibi ostendit: 'Cum subito adsurgens flectu nimbosus Orion.' Si autem quærebat quasi non orta, nequaquam procedit: cum etiam Septentriones dixerit, qui semper videntur. *Idem*.

*Circumspicit Oriona*] Aut quærit cernere, aut diu contemplatur. *Id.*

*Oriona*] Euripides in Ione *Ὠρίωνα* vocat *ξίφην*: vocem produxit Virgilius, ut Græci sæpe. Euripidem jam vidisti. Homerus quoque Odyss. v. καὶ τ' *Ὠρίωνα δούκει*. Ita et Lucanus: 'Ensi ferri nimium fulget latus Orionis.' Alii corripiunt. Ovidius: 'accinctumque Oriona ferro.' *Cerda*.

518 *Celo constare sereno*] Id est, omnia videt habere cælum quæ significant serenitatem. *Constare* autem, suppetere: ut Juvenalis: 'Quis ferat uxorem, cui constant omnia?' *Serv.*

519 *Clarum signum*] Faculam eleavit: ut, 'Flammas cum regia puppis Extulerat.' *Idem*.

*Dot clarum e puppi signum*] Phrasis Ennii est, et in re etiam nautica, Ann. viii. 'Tonsas ante tenentes signum Cum dare cæpisset.' Sed translata a militia. Ideo postea, 'nos castra movemus.' *Cerda*.

*Castra movemus*] *Castra* sunt ubi miles steterit. Modo tamen classem significat, quia et *castra nautica* dicuntur. Dicta autem *castra*, quasi *casta*: vel quod illic castraretur libido: nam nunquam his intererat mulier. *Serv.*

*Castra*] Commutatio metaphorarum pulchra est: hic *castra* de re nautica: in ii. classem de terrestri exercitu, 'classibus hic locus,' adi. Sed firmo locum Virgilio: ut hic *castra* in re nautica, ita l. iv. 'faces in castra tulisses,' id est, in naves: et in v.

'sic acerequo turbata petivit Castra: ubi intelligit navalia. Attius Antenoridis: 'Aut naves urens castra mac-tabo in mare.' Propert. eleg. II. 8. 'Fervere et Hectora Dorica castra face:' ubi loquitur de ignibus, quibus Hector incendebat naves Græcorum. Ut vero Poëta *movere castra*, ita Propert. eleg. IV. 8. 'Mutato voluit castra movere toro.' Juvenal. Sat. VI. 'Castra moveri.' et VIII. 'Signa duces, et castra movebant.' Xenophon ad idem explicandum, ἀναφέρωντες dixit. Ita I. VIII. Πᾶσι οὖτος δὲ ἀναφέρωντες: et I. IV. Ἀναβ. καὶ ἀναφέρωντες ἐκ τοῦ ποταμοῦ: *motis castris pergebant.* C.

520 *Tentamusque viam*] Id est, naves producimus. *Pandimus alas: contos intendimus.* Servius.

521 *Rubescerat*] Vix narres, quos colores Poëtæ dent Auroræ. Virgili-anos accipe. Hic rubrum dat; *roseum* in VI. *croceum* non semel: *pallidum*, Ge. I. in XII. *punicum*: in VII. *luteum*. Horum primum habes etiam in Ovidio Met. II. et III. et Fast. IV. In Silio I. X. XII. XVI. Lucan. I. II. Lucr. I. IV. Alterum I. V. Silio I. II. et IX. Ovidio Fast. V. Claudiano in Honorio, Boëtio I. II. et III. Tertium in Ausonio, Ovidio Met. III. et Fast. III. Quartum in Statio Theb. VI. Boëtio I. II. Quintum in Claudiano Rapt. I. Sextum in Ovidio Met. VII. Dedi et firmavi Virgilianos colores. His ad-jice, *purpureum* ex Ovidio Met. II. et VI. et Statio Theb. III. *aureum* ex Catullo et Lucretio I. II. *rosidum* ex Ausonio: seu potius *rosidum* ex Silio I. II. et XV. Seneca in Thyeste. *Nitidum* ex Ovidio Met. II. et Silio I. V. *Fulgidum* ex Ovid. Met. II. *Rutilum* ex Silio I. XVI. *Cæruleum* ex Seneca in Furente. *Igneum* ex Stat. Theb. VIII. *Cerda*.

522 *Obscuros colles*] Est hoc, quod dixit Lucaus: 'et dubios cernit vane-scere montes.' Idem.

*Humilemque videmus Italiam*] Aut naturam provincie ostendit: quod

Delph. et Var. Clas.

verum est in illo transitu: ut Salu-tius, 'Italia plana ac mollis:' aut rem physicam exprimit: quia omne, quod continetur, altius est ab eo, quod continet. Aut quia procul visentibus, terra humilis semper videtur: ut La-caeus, 'Et dubios cernit vane-scere montes.' Servius.

*Humilem Italiam*] Non est Italia humilis, sed quia etiam alta navigan-tibus, cum longe apparent, videntur humilia. Donatus.

523 *Conclamat*] Valde, aut sæpius clamat. Servius.

524 *Italiam*] Tautologia usus est ad exprimendum affectum navigan-tum. Idem.

*Salutant*] Quidam pro adorant tra-dunt, ut 'deos salutare.' Idem.

*Italiam socii læto clam. s.*] Lætum ac faustum clarem una voce Græce ὠρμυδι dicunt, et φωνήν μετὰ τοῦ ἐκ-βοηθήσαι, καὶ χειροποvelas. German.

525 *Corona induit*] Aut usque ad summum implevit: aut revera coro-navit. Servius.

*Crateru corona Induit*] Id est, crate-ri coronam floream imposuit: ut Tur-nebus et Lipsius explicant: quod ubertim notamus ad illud, Æn. I. 728. 'vina coronant.' Vel etiam, ut aliis placet; ad summam usque coronam seu marginem implevit: ut illud, 'Implevitque mero,' sit ἐμπύρελα præcedentium. Taubmann.

526 *Mero*] Hic vino: alias *merum*, quod nihil admixtum habet. Servius.

528 *Di, maris*] Per quod navigo. Idem.

*Terræ*] Ad quam iturus sum. Idem.

*Tempestatum*] Ventorum, aurarum, temporum, serenitatis: ut, 'Unde hæc tam clara repente Tempestas?' Nam multa significat. Idem.

*Di tempestatum potentes*] Sic Æn. I. 84. pro domino 'Nimborumque facis tempestatumque potentem.' Vide illic notas. Sed egregie hanc locu-tionem illustrat Bochart. bist. animal. II. 6. *Emmeness*.

Virg.

8 I.

529 *Vento*] *Septimus casus. Idem.*  
*Ferte viam facilem*] Præbete facilem viam. *Donatus.*

*Spirate*] Et ad ventum pertinet, et ad favorem: ut, 'adspirat primo fortuna labori.' *Servius.*

530 *Crebrescent optata auræ*] Sonant. Magnum hic Anchisæ ostenditur meritum. *Idem.*

*Crebrescent*] Apparet petitionis fructus. *Donatus.*

*Crebrescent optata auræ*] Sic et Cæsar bel. civ. l. iii. 'Anster increbuit.' *Germanus.*

*Crebrescent*] Papin. l. iv. 'patriosque dolet crebrescere ventos.' Seneca ep. 77. 'quoties ventus increbuit.' *Cerda.*

*Patescit*] Propinquantibus; ut, 'Et angusti rarescunt claustra. Pelori.' *Servius.*

531 *Apparet in arce Minervæ*] Hic dubium est, utrum Minervæ templum, an arcem Minervæ debeamus accipere. Sane Calabria ante *Messapia* vocata est; hoc autem templum Idomeneus condidisse dicitur, quod etiam *Castrum* vocatur. *Idem.*

*In arce*] In altitudine. *Donatus.*

532 *Legunt*] Verbum nautis familiare: nam funes et vela cum colligunt, vel aliqua loca cum transeunt, *legere* appellant. *Idem.*

533 *Euroo*] *Eoo.* Ab eo quod est *Eurus*, *fluctus*, ablativum *Euro* per derivationem debemus accipere. *Servius.*

*Ab Eoo*] In omnibus pene codicibus antiquis, quos versare contigit, *Euroo* scriptum observavi: et in ple-risque lectionem hanc abrasam esse, et *Eoo* repositum. Quia tamen huiusmodi ab *Euro* derivativi nominis formam, neque apud Græcos, neque apud Latinos meminisse legere, *Eoo* libentius, ut cum Mediceo vulgata habent exemplaria, legerim. *Pierius.*

*Curvatus in arcum*] In arcus similitudinem: ut, 'Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,' id est, in an-

tri similitudinem. Sic de Ponto *Syllustius*, 'Unde hic tulit colorem, nam speciem efficit Scythici arcus.' *Serv.*

*Curvatus in arcum*] Pro eo *Ovid.* *Metam.* xiv. 55. 'parvus erat gurgis curvos sinuatus in arcus.' Maris ætium designat, in portu ab oriente facientem sinum. Eodem utitur verbo *Horat.* Od. i. 33. 'fretis acrior Adriæ Curvantis Calabros sinus.' Sic 'litus curvum' hoc lib. vs. 223. et apud *Melam* 'curva Asia.' *Emmen.*

534 *Spumant adspergine cautes*] *Vellius Longus* poni differentiam tradit inter *aspergo* per *e* syllaba media, et *aspargo* per *a*: esseque illud per *e* verbum, hoc vero per *a* nomen: dictamque a *Virgilio*, 'spumant adspergine cautes.' Antiqua tamen pleraque omnia exemplaria *adspergine* legunt. *Pierius.*

*Aspurgine*] *Ἀσπυρ* Homero dicitur Il. Δ. ἀσπυρθεὶς δ' ἄλδς ἄσπυρ. *Sophocles* pro *rore* usurpavit: pro *lamine pomi* *Epigr.* *Germanus.*

*Cautes*] Sunt in formam brachiorum. *Donatus.*

535 *Ipse latet*] *Revera* procul intuentibus. 'Unde est, 'Portusque patescit.' Nam secundum *Donatum*, *late patet*, non stat versus. *Servius.*

*Gem. dem. brachia muro*] *Propert.* iii. 'Inde ubi Piræi capient me litora portus, Scandam ego Thesææ brachia longa visæ.' *Germanus.*

*Demittunt brachia muro Turriti scopuli*] In codicibus aliquot antiquis, *dimittunt* legitur. Quippe hac et illac mittunt, porrigunt, extendunt. Atque pro *turriti* sunt codices qui *erecti* legant: sed *turriti* omnino magis placet. *Pierius.*

536 *Turriti scopuli*] In modum, in similitudinem turrium; ut, 'Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur In cælum scopuli.' *Servius.*

*Refugitque a litore templum*] *Ædificia* vicina litoribus longe intuenti videntur in mari, quæ accedentibus quasi recedere et retro se agere pu-

tantur: vel quia situm est in colle, qui sensim crescit a litore. Ideo dixit *Refugit*. Tale est, 'Terræque urbesque recedunt.' *Idem*.

*Refugit*] Constitutis in portu non apparet templum, quia obstant scopuli. *Donatus*.

*Refugitque a litore templum*] Templum, quod intuentibus a longinquo in portu esse videbatur, cum jam propius accedunt, longinquum est: hæc est enim natura, aut longius aut propius intuentium. Tale illud, 'terræque urbesque recedunt.' Et Prop. l. iv. observatore Germ. 'Est Phæbi fugiens Athamana ad littora portus, Qua sinus Ionæ murmura condit aquæ.' *Cerda*.

*A litore*] In antiquis exemplaribus, *ab litore* est. *Picrius*.

537 *Primum*] Aut quale nunquam antea viderat: aut antequam aliud videret: aut certe quia sequitur portæ albæ omen. Alii vero *tondentes primum campum* volunt, id est, primam partem campi. Sane figurate *equos omen*; diversa enim significatione id omen dixit. Sed multi de libris augurum tractum tradunt: *Juge* id enim dicitur *augurium*, quod ex junctis jumentis fiat. Observatur enim ne prodituro magistratui disjunctis bobos plaustrum obviam veniat: quod Virgilius oblique ad equos transtulit, quos cum solutos vidisset Anchises, quem auguriorum peritum fuisse non dubium est, ait, 'bellum, o terra hospita, portas, Bello arman- tur.' Dicendo *armata*, oblique intelligit boves, quos vitaverat dicere, et ne *plaustrum* nominaret ait *currus*; cum autem dicit *Juge*, veram significationem *Jugetis* facit. Sed quia in libris Etruscis invenitur etiam equos bona auspicia dare, subjunxit: *Spes est pacis*, ait. *Servius*.

*Hic primum*] Honesta elocutio pascentes campum, et non pascentes herbam in campo: et cum dicit quibus herbis pascerentur, ostendit sola gramina illic fuisse. *Donatus*.

*Quatuor hic primum omen equos in gramine vidi, &c.*] Sine vinculis libere carpentes gramina: animalia enim, Diis consecrata, sine custode per prata vagari patiebantur, ut Suet. in Cæsare c. 81. quæ Græcis dicebantur *ῥῶα ἔσπερα*, teste Turnebo ii. 27. et P. Victorio xxviii. 24. Si autem *primum* velis referre ad *campum*, sunt qui probant. Noster *Æn.* ix. 324. 'Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem.' Apulejus Metam. l. ii. 'cum primam plateam vadimus:' et l. iii. 'primum angiportum insistamus.' *Emmenes*.

538 *Tondentis campum late*] Hom. II. Δ. κελσεῖ τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον. Supra: 'nocte arida prata Tondentur.' Lucr. l. ii. 'Sæpe itaque ex uno tondentes gramina campo.' Ut autem hic, 'Bello arman- tur equi,' idem Lucret. 'equorum duellica proles:' et Plutarch. & ρομ. in eandem sententiam, cur equus idib. Decemb. Marti immolaretur: οἱ θυμοειδὲς, καὶ πολεμικὸν, καὶ ἀρήϊον ὁ ἵππος ἐστίν. τὰ δὲ προσφιλέη μάλιστα καὶ πρόσφορα θύουσι τοῖς θεοῖς. *Germanus*.

*Candore nivali*] Pro candoris *nivalis*, ablativum pro genitivo: et hoc ad victoriæ omen pertinet. Simul notandum, Anchisen omnem habere divi- nandi peritiam. Hinc est illud, 'Divinique ossa parentis.' *Serrius*.

*Candore nivali*] Ostendit et equos, et niveos, et constitutos in magna ubertate. *Donatus*.

*Candore nivali*] Vide ea, quæ dicta sunt ad Ge. iii. 82. Nivei coloris equos habuit Pilumnus *Æn.* xii. 84. 'Qui candore nives anteirent, curâ- bus auras.' Primus equorum color, qui commendatur, est *πύρρος* rufus, secundus est albus, quemadmodum Maronem refutat Bochartus in historia anim. ii. 7. quem legere juvabit. *Emmenes*.

539 *Terra hospita*] Usurpative *hospita* dixit: quæ enim in *es* exeunt, communia esse possunt. Nam fœmininum in *a* non mittunt. Lucanus, 'Hospes in externis audivit curia tec-

tis.' Nec mirum abusum esse Virgilium: quum et Plautus *paupera* dixerit ab eo quod est *hic* et *hæc pauper*, ut, 'Pauperque senatus.' Item, 'Pauperque domus, nec nota potentum Munera.' *Servius*.

540 *Bello armantur equi*] Hic bello dativus est, et ratiocinationis est. *Idem*.

*Bello armantur equi*] Non quia equo Troja perierit, ut quidam ridicule dicunt, sed doctrina sua equos ostendere bella dixit. *Donatus*.

*Armenta*] *Armenta* dicta sunt quasi apta armis. Nam et equi intersunt præliis: boves armant ex coriis. *Servius*.

541 *Sed tamen*] *Anacoluthon*: nam *quamquam* non præmisit. *Idem*.

*Olim*] Infiniti temporis. *Idem*.

*Curru*] Pro *curru*, dativus vetus. *Idem*.

*Curru*] *Currum* habet vetustus codex Leydensis. Vide Nobiliss. Heins. ad Ovid. Met. XIII. 611. *Emmeness*.

542 *Quadrupedes*] In antiquis codicibus, *quadrupes* per *i*, ut *bipes*, *tripes*. Sed *quadrupes* per *u* in consuetudine mansit: ut ex *periculo periculum*: et alia quædam hujusmodi, quæ per *i* enuntiat, scribique solita Velius Longus ait. *Pierius*.

543 *Spes est pacis, ait*] Ostendit latenter vincere posse Trojanos, dicendo supra, 'Curru succedere sueti.' Et, 'Jugo sueti.' et cum præmisisset de bello, post ait de pace, ut id magis remaneret in mentibus. *Servius*.

544 *Palladis armisonæ*] Bene post belli omen, armorum deam precatur: quamquam hoc quoque templum visum ad omen pertineat. *Idem*.

*Palladis armisonæ*] Ad alia signa belli, accedit templum armatæ Palladis, quam merito orat, ut prosperum faceret, si quid adversi immineret, et ovantes dimitteret, quos ovantes acceperat. *Donatus*.

*Palladis armisonæ*] Cicero ad Equit. 'Tritonia armipotens.' *Cerda*.

545 *Ante aras*] Ut ostendat præter

preces etiam munera fuisse, dicit aras fuisse in navi, quæ non erant, ut demonstret aram dici posse, ubicunque sacrificatur. *Donatus*.

*Phrygio velamur amictu*] Sicut dictum est propter visum vel Diomedem, vel Ulyxen, quando ei Palladium reditum est. *Servius*.

*Phrygio velamur amictu*] Turnebus ex Fulgentio docet, *tutulum* significari: quod pallium erat, quo sacerdotes ad sacra accessuri caput tegebant, tutabanturque: unde et vocabulum. Adversar. XXVI. 10. *Taub*.

*Velamur*] *Velare* idem quod *vestire*: inde Festus 'velati appellabantur vestiti.' Ovid. Metam. I. XIII. 'nisi colla jubæ flaventia velent.' *Emm*.

546 *Dederat quæ maximâ*] Vel propter caput velandum, vel ad illud pertinet, quod ait, 'Præque omnibus unum Prædicam,' hoc est, ut supplicet Junoni. *Servius*.

*Rite*] Recte, secundum ritum: unde sequitur, 'Perfectis ordine votis.' *Idem*.

*Junoni Argivæ*] Id est, magnæ: ut, 'Junonis magnæ:' aut inimicæ Trojanis. *Idem*.

*Junoni Argivæ*] Junonem Argis coli solitam præcipuo honore, notius est quam ut egeat explicatione: dictum aliquid Æn. I. ad illud, 'pro charis gesserat Argis.' Et Pindarus quoque Nem. vocat. "Ἀργος Ἥρας δῶμα θεογονέης: Argos Junonis dignam ædem. Antiqua inscriptio in Tibure: JUNONI. ARGEJÆ. C. BLONDUS. PRO-COS. Vide etiam Oden 7. I. I. Horatil, et ibi interpretes. *Cerda*.

*Jussos adolemus honores*] Sic Ovid. Metam. VIII. 740. 'et nullos aris adoleret honores.' *Emmeness*.

548 *Haud mora; continuo*] Unum de his sermonibus vacat. *Servius*.

549 *Velatarum*] Quia antennæ involutæ sunt velo, id est, velatæ: et est versus Spondazon. *Idem*.

*Cornua*] Hic cornua antennarum videntur responderi Græco ἀρκυόεσσα, quæ antennarum sunt extremi-

tates. Græci item *τέφρον* antennæ summum extremumque iugum vocant: unde *τέφροι* qui extremos veli fines tendunt rudentes: Horat. 'Non huc Sidonii torserunt cornua nautæ.' *Germanus.*

*Cornua antenn.*] Quæ Græci *ἀγκυραία*, Lucanus l. viii. 'summos ceruchios' vocat. Hoc est, *Cornua* sunt extremitates *antennæ*, quæ lignum est transversum in *malo*, quod velum sustinet: unde *velatæ* hic dicuntur *antennæ*, id est, velo involutæ. De dispositione autem hujus versus consulatur Pontanus in Actio, et Scalig. Poët. iv. 48. *Taubmann.*

*Obvertimus*] Regressuri ex Calabria et parte illa Italiæ, alterumque latus petitori. *Idem.*

560 *Grajugenumque domos*] Sic est dictum, quemadmodum *Trejugena*. Et sciendum sacrificii tantum causa eos tetigisse Calabriam: ubi dicuntur accepisse Palladium, sicut dictum est, a Diomede, vel Ulyxe, nec immerito dubitatur. Ut enim in secundo legimus, ambo rapuerant. *Domos* autem ideo quod Helenus, 'Cuncta malis habitantur mœnia Grajæ.' *Servius.*

561 *Herculei, si vera est fama, Tarenti*] Fabula talis est: Lacones et Athenienses diu inter se bella tractarunt: cum utraque pars affligeretur, Lacones, quibus juvenus deerat, præceperunt, ut virgines cum quibuscunque concumberent. Quo factum est, ut, cum post sedata bella, juvenus incertis parentibus nata, et patriam erubesceret, et sibi esset opprobrio (nam Partheniæ dicebantur) accepto duce Phalanto, octavo ab Hercule, profecti sunt: delatique ad breve oppidum Calabriæ, quod Taras Neptuni filius fabricaverat, id auxerunt; et prisco nomine appellarunt *Tarentum*. Bene ergo nunc *Herculei Tarenti*. Est et alius fabulæ ordo: Lacedæmonii cum adversus Messenios bellum haberent, solis senibus relictis, omnem juventutem eduxerunt, juraverunt-

que, se non ante reversuros quam Messeniam expugnassent. Sed cum victores reversi essent, vidissentque multitudinem juvenum, qui ex servorum et dominarum virginum concubitu, ut quidam volunt, sine ullo discrimine nuptiarum nati erant, servos patibulis suffixerunt, filios strangulaverunt, nepotes fugaverunt: sed, ut alii dicunt, timentes, ne qua ex illis discordia nasceretur, pueros, qui ex virginibus nati erant, *Parthenias* vocaverunt, et Phalantum eis ducem constituerunt. Sed hi, cum venissent in Italiam, a quodam sepulchro, cui inscriptum erat *Taræ* nomen, urbem conditam *Tarentum* dixerunt. Hoc autem oppidum, post multos annos excidii Iliensis, conditum quidam dicunt. Alii dicunt, quod sicut supra memoratum, nepotibus Lacedæmoniorum fugatis, a nomine ducis *Taræ*, Herculis filii, *Tarentum* dictum. Quidam *Tarentum* ante *Satyrion* dictum tradunt, et ab Herculis filio *Tarento* post *Tarentum* dictum. Alii *Herculeum* appellatum volunt, quia *Heraclidæ* Lacedæmoniorum reges. Bene ergo, *si vera est fama*, aut quia *Taras* condiderat, auxerat *Phalantus*, aut ab Herculis filio conditum sit *Tarentum*, in quo molles et luxuriosi nascuntur: et hæc consuetudo Poëtæ est, ut ubi de incertis dubitat, famam faciat auctorem. *Idem.*

*Tarenti*] Historiam, notatu dignissimam, conditæ hujus urbis *Pausanias* in *Phocicis*, *Strabo* l. vi. *Claver. ant. Ital.* iv. 13. et plures alii tradunt. *Emmeness.*

562 *Attollit se*] Quia adpropinquantibus, aut recedere montes videntur, aut surgere. *Servius.*

*Diva Lacinia contra*] Junonis Lacinia templum, secundum quosdam, a rege conditore dictum: secundum alios a latrone *Lacino*, quem illic *Hercules* occidit: et loco expiato Junoni templum constituit. Alii a promontorio *Lacinio*, quod Junoni *Thetis*

dono dederat, quod ante Troicnm bellum collatitia pecunia reges populique fecerunt. Quidam dicunt templum hoc Junonis, a Lacinio rege appellatum, cui dabat superbiam mater Cyrene et Hercules fugatus: namque eum, post Geryonem extinctum, de Hispanis revertentem, hospitio dicitur recipere noluisse, et in titulum repulsionis ejus, templum Junoni, tanquam novercæ, cujus odio Hercules laborabat, condidisse. In hoc templo illud miraculi fuisse dicitur, ut, si quis ferro in tegula templi, ipsius nomen incidere, tamdiu illa scriptura maneret, quamdiu is homo viveret qui illud scripsisset. *Servius.*

*Dica Lacinia*] Id est, templum Junonis Lacinia, hoc est, quæ in oppido Lacinio, quod hodie *Caput columnarum* appellant, colebatur: quo in loco et urbis et templi vestigia adhuc apparere, tradit Nascimbænius. Etiam Ptolemæo III. 1. *Lacinium* promontorium Brutiorum, a *Lacino* latrone, ibidem ab Hercule interfecto, oppidum fuit Junonis templo nobile. *Taubmann.*

*Dica Lacinia*] De promontorio Lacinio, quod hodie *capo dello colonne*. Cluv. ant. Ital. IV. 615. *Emmeness.*

553 *Caul. arces*] *Aulon* mons est Calabria: Horatius, 'Et amicus Aulon:' in quo oppidum fuit a Locris conditum, quod secundum Hyginum, qui scripsit de situ urbium Italicarum, *Aulon* est. Alii a *Caulo* Clitæ Amazonis filio conditum tradunt. *Serv.*

*Navifragum Scylacæum*] Periculoso navibus. Dictum *Scylacæum*, aut a tactu, vel a periculi similitudine. Nam inde *Scylla* longe est. Alii dicunt Ulyxen post naufragium in Italia de navium fragmentis civitatem sibi fecisse, quam *Navifragum Scylacæum* nominavit. Alii ab Atheniensibus, qui cum Mnestheo duce venerant, et a Libya redierant, conditum tradunt. *Idem.*

*Caulonisque arces et navifragum Scyl-*

*lacæum*] Sunt qui *naufragu* dactylum esse velint, Enniano more, *m detrita*. Sunt qui *Anphimacrum* defendant, quum *Scyllacæum* scribant, et *versum* spondaicum antument. Sunt qui *navifragum* scribant: sed *Scylacæum* Pæonicum esse tertium velint, ut ita dactylus in quintam cadat. Varie vero pronuntiari solitum nomen *Scylacæi*, Strabo etiam confitetur. Sunt etiam antiqui codices aliquot, in quibus et *navifragum* choriambici dimensione et *Scyllacæum* Epitriti quarti syllabis legatur: ut dicas *versum* hunc ex iis esse, qui alios quoque pedes admittant, præter dactylum et spondeum; esseque choriambicum quarta sede, sed *versum* alioqui spondaicum. Quæ quidem comminisci cogimur, ne tot veterum codicum auctoritati detrahatur: quorum bona pars *navifragum* quadrisyllabum scriptum ostendunt. Sed enim donec melius aliquid inveniat, acquieverim interim libenter et Porcio, et antiquis aliquot aliis codicibus, in quibus et *navifragum*, et *Scylacæum* unico *l* notatum habetur. Nam vocales *y* et *a* dichronæ omnino sunt, ut corripere licenter possint: in nomine præsertim Græcanicæ figuræ. Missum vero facio, quod *naufragium* in codicibus aliquot habetur, quum in hujusmodi lectione nihil memoratu dignum occurrat. *Pierius.*

*Caulonisque arces*] *Caulon* oppidum est, quod primæ regioni Italiæ tribuit Plinius. *Cauloniam* etiam Strabo I. VI. memorat, et Mela. Stephanus auctor est, *Cauloniam* oppidum *Aulonem* quondam esse dictum: nec aliter Horat. Od. II. 6. et Martialis. epigr. XIII. 126. *Taubmann.*

*Navifragum Scylacæum*] Alii aliter hic legunt: ut et Scaliger, quem vide Poët. II. 31. Hanc tamen lectionem plerique docti, ut et Turnebus (XIX. 21. et XXVI. 30.) defendunt: inprimis Erythræus, in Indice Virgiliano, et Is. Casaubonus ad Strabonem p. 102. Hoc autem *Scylacæum* oppidum est in

ora Calabria: de quo itidem Strabo l. vi. Aliud est *Scyllæum*: de quo Plinius III. 5. Jam, *navisfragus* proprie locus est, in quo navem fregimus: navigium vero ipsum *navisfragum*: ut Ge. III. 'ceu naufraga corpora fluctus,' &c. *Idem*.

*Navisfragum Scyllacæum*] Sine *α* scribendum docet Dausquius. Hodie *Squillacci*. Plura Cluv. ant. Ital. iv. 15. *Emmeness*.

555 *Et gemitum ingentem pelagi*] Videtur delatus primo ad fretum: postea ad Ætnam reversus. *Servius*.

556 *Fractus*] Nimias: ut, 'Fractus sonitus imitata tubarum.' Vel *fractus*, cum fragore venientes. *Servius*.

557 *Æstu miscentur arena*] Descripsit loca, Charybdi vicina: quam esse credidit ex periculi magnitudine. *Idem*.

558 *Nimirum*] Nisi fallor. *Idem*.

*Ille*] Hoc pronomine et in venerativa, et in vituperativa significatione, veteres utebantur, ut hic, *illa*, id est, periculosa, detestabilis. Venerative autem: ut, 'Sic pater ille deum faciat.' *Idem*.

*Hæc illa*] In antiquis aliquot codicibus, *hic illa* legitur. Sed *hæc* pronomem magis placet: quia consequitur, 'Hos scopulos, hæc saxa.' *Pier.*

*Charybdis*] Mulier voracissima fuit, ut *Servius* ad vs. 420. quæ, fulmine præcipitata in mare, antiquum obtinet, sorbens omnia quæ prehendit. Inde *inplacata* vs. citato. Ovid. Met. VII. 63. 'ratibusque inimica Charybdis:' et XIII. 730. 'Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Charybdis infestant. Vorat hæc raptas, revo mitque carinas.' De Scylla et Charybdi Mela II. 7. 'Pelagus et Scyllæ Charybdisque sævis nominibus inclytum. Scylla saxum est, Charybdis mare, utrumque noxium appulsis.' His adde, quæ Cluv. ant. Sic. I. 4. *Emmeness*.

559 *Hæc saxa horrenda cænebat*] Retulit se ad historiam. Nam pro

*Scylla, saxa dixit horrenda. Servius.*

560 *Eripite*] De periculis, et deeat. *nos. Idem.*

*Eripite, o socii*] 'Ex *δλς*: pro, insurgentes remis periculo nos eripite. Gestum remigantium ita expressit Ennius: 'Pone recumbite, vestraque pectora pellite tonsis.' Item: 'Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas.' Quem actum Xenophôn per *δρανισσεν* representavit: ut docet Turnebus. *Taubm.*

*O socii*] Nam commune ubi periculum est, omnibus laborandum est. *Donatus.*

*O socii*] In plerisque codicibus antiquis absque *o* legitur, *eripite socii*. Sed enim locus ipse adverbium id omnino exposcere videtur: quo sine frigidiuscula esset adhortatio. *Pier.*

561 *Haud minus ac jussi faciunt*] Ita supra in hoc lib. 'Haud secus ac jussi faciunt:' hæc enim conjunctio, *secus ac, minus ac*, veteribus fuit elegantissima. *Cerda.*

*Rudentem*] Si *rudentem proram*, id est, stridentem et sonantem in tempestate: ut est, 'Et sera sub nocte rudentum.' *Servius.*

*Rudentem*] In antiquis aliquot exemplaribus, *rudente* legitur, casu septimo: ut adminiculo fuerit ad controuendendum. *Pierius.*

562 *Lævas ad undas*] De Ionio venientibus, aliter non procedit. *Serv.*

563 *Cuncta cohors*] Quia superius dixit, 'Nos castra movemus.' *Idem.*

*Cohors*] Nomini huic adspirationem accessisse ex consuetudine, veluti etiam *horto*, Velius Longus arbitratur: quum tamen alii *cohortem* a *cohortando* dictam velint, inesseque illi adspirationem naturæ. *Pierius.*

*Remis ventisque petivisti*] Proverbii vim obtinet, de quo plura Modius novantique lect. epist. 41. *Emmeness.*

564 *Gurgite*] Pro fluctu. *Servius.*

565 *Ad manis imas*] Poëtica hyperbole. *Idem.*

*Desedimus*] In Mediceo, in Porcio,



et aliquot aliis codicibus antiquis, *desedimus* habetur: quod est aquæ, et terræ in imum se contrahentis, descendentisve, solo subducto. Tullius lib. primo de Divin. 'Multis locis labes facta sit, terræque desederint.' Et infra eodem libro, 'Delata etiam ad senatum labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desedisset.' Neque tamen displicet *descendimus*, ut sit antitheton ejus, quod dixit, 'Tollimur in cælum:' quod in Mediceo codice, *tollimur ad cælum* scribitur. *Pierius*.

566 *Scopuli clamorem*] De historia, ut supra diximus, hoc traxit. Undæ etenim illis concavis saxis imitantur latratus. *Servius*.

*Ter scopuli, &c.*] Multo decoro hæc oculis Poëta subjecit, atque aurium nostrarum quasi dominus factus est: ut ait Scalig. v. 3. Vide et Macrob. v. 6. quem tamen sua ad Latii cloacas hausisse, J. C. Scaliger censuit. *Taubmann*.

567 *Elisam*] Exclusam, expressam: nt, 'Elisos oculos et siccum sanguine guttur.' *Servius*.

*Rorantia astra*] Eum scilicet locum in quo astra sunt, per diem non videbant. *Rorantia* autem pro *inrorata*, id est, quæ inrorabantur: a qua significatione, non est apud Latinos participium. Sane hyperbole est. *Idem*.

568 *Ventus cum sole*] Ventorum enim mutationem necesse est fieri vel oriente Sole, vel occidente. *Idem*.

*Ventus cum Sole reliquit*] Ventus cecidit cum occasu solis. Vide Aristot. Meteor. l. 11. ubi docet, solem et compescere ventum et excitare. *Taubm.*

569 *Ignarique viæ Cyclopus allabimur oris*] Ut, 'Servatum ex undis, Strophadum me litora primum Accipiunt,' similis enim est sensus. *Serv.*

*Cyclopus*] *Clo* habet accentum, quia Latina declinatio est in accusativo: quia Græce posuit *Cyclopus*, *Cy*

habet accentum: si *Cyclopes*, *Clo* habet accentum. *Idem*.

570 *Ab accessu*] Id est, in accessu. *Idem*.

*Portus ab accessu*] Hunc locum Favonius, apud Agell. xvii. 10. (quæ videas) aliique Virgilio carpi suggillarunt, quem contra (præter Turnebum xx. 18.) confidentissime defendit J. Jov. Pontanus in Antonio, docetque artificiosissimi Poëtæ consilium et judicium in re admirabili enarranda prudentissimum fuisse; et aures atque oculos atque animum miraculis ubique implevisse: quæ ordine legere operæ pretium fuerit. Porro de *Ætna*, *solemni omnibus Poëtis*, ut ait Seneca, *loco*, videatur etiam Lucret. l. vi. Ovidius, Silius, Claudianus; inprimis P. Cornelii Severi Poema, quo quidem (ut Jos. Scaliger censet) cultus post tempora Tiberii Cæsaris ad nos non pervenit: item Strabo l. vi. Plinius ii. 106. Sed et Aristoteles Meteor. lib. ii. *Taubm.*

571 *Ipsæ; sed horrificis*] In codicibus aliquot antiquis, legere est, *ipsæ sub horrificis*. Ruinæ enim illæ a summo vertice montis flammæ vi in altum eructantur: et quod ipse Poëta subjungit, *saxa liquefacta sub auras cum gemitu glomerantur*: quare forte non displiceat *tonare Ætnam sub horrificis ruinis*. Magis tamen placet *sed*. Quia portus ipsius bona malaque enumerare voluit, ut occasionem arriperet *Ætnæ* quoque flammæ, ruinas, motus horrendos, eructationesque illas describendi. *Pierius*.

*Tonat Ætna ruinis*] Sensus est: portus quidam securos nos faciebat: deest enim, *quidem*: sed *Ætna* terrebatur, et causa hujus incendii secundum *Ætnam* Virgilii hæc est: Sunt terræ desudantes sulphur, ut pene totus tractus Campaniæ, ubi est Vesuvius et Gaurus montes: quod indicat odor aquarum calentium. Item novimus ex aquæ motu ventum creari. *Esse*

etiam concavas terras constat: et ab ea parte, qua Eurus vel Africus flant, habere speluncas et plenas sulphuris, et usque ad mare deductas. Hæ speluncæ, recipientes in se fluctus, ventum creant: qui agitatns ignem gignit ex sulphure. Unde est, quod videtur, incendium. Hoc autem verum esse, illa comprobatur ratio: quia, et aliis flantibus ventis, nihil ex se emittit, et pro modo flatuum Euri, vel Africi, interdum fumum, interdum favillas, nonnunquam vomit incendia: quod et hoc loco ostendit: nam effectum indicat, supprimit causas. *Servius*.

*Tonat*] Montem confragosum innuit: nam conflictus illi et fragores, nisi in concavo et cavernoso fieri nequeunt, &c. Deinde dicit, *interdum*: ne discernat diem a nocte. Et, ne a se discedat, post *tonat*, dicit *nubem*. Tonare enim et nubescere, in aëre contingit. Cernimus etiam, ut rem efferat: cum non *fumum*, sed *nubem*, et quidem *atram*; et *prorumpit*, quod violentum verbum est: et *athera* potius, quam *aërem*, ut nimium impetum absolveret. *Fumantem*; non ita quidem veritatem velat, ut non suis aliquando nominibus rem exprimat. *Fumi* enim ex aspergine ignea, non *nubes*, exsurgunt. *Turbine piceo*, et impetum et colorem non sine quadam animi commotione designat. Ad hæc piceus color in nubibus terrificus est. Duo hæc simul conjunxit, ut rei miraculum auget. Nec non *flamas, fumos, lucem, tenebras, favillas* simul miscet, et *turbine piceum*, et *favillam candentem*. Quid amplius? *globos* etiam *flamarum attollit*: et quod satis hoc non videretur, *lambit etiam sidera*: ut quo ultra progrediretur, non haberet. *J. C. Scaliger*. Taubmann.

572 *Prorumpit ad athera nubem*] Id est, evomit et fundit; et est nova locutio, nec enim possumus dicere, *prorumpo illam rem*: potuit enim recte

dici, *nubes prorumpit*. Sane tota hæc descriptio poetica est. *Servius*.

573 *Candente favilla*] *Pd* est, scintillis: et bona periphrasi. Nam *favilla* deserta igni scintilla. Quamvis sæpe viderimus de Ætna sicut nigrum fumum, ita et candidum et pinguem manare. *Idem*.

574 *Sidera lambit*] Flammæ motus persimilis est vibrationi linguæ. Claudian. Rapt. I. 'Lambit continuas innoxia flamma pruinas.' Et Albinovanus ad Liviam, loquens de flamma: 'Æthera subjectis lambit, et astra comis.' Ad hæc, si hyperbolen reprehendunt, eadem opera reprehendant et Pindarum, qui Ætnam columnam cæli dixit; itaque necesse est, flammam inde erumpentem non solum lambere, sed penetrare sidera. Reprehendat Lucretium, qui l. I. de Ætnæis ignibus: 'Ad cælumque ferant flammæ fulgura rursus.' *Cerda*.

*Sidera lambit*] Elegans metaphora. Linguæ enim vibrationi flammæ motus persimilis: *Scalig.* Tanhmann.

575 *Avolsaque*] In antiquis aliquot codicibus, *convolsa* legitur: sed quia disseparratio est, magis placet *avolsa*, ut etiam in Mediceo est: in aliis *avulsa*. Pierius.

*Viscera montis*] Id est, partes. Sic autem dixit *viscera*, quemadmodum 'terræ ossa' dicuntur. *Servius*.

576 *Eructans*] *Ructo, ructas* tantum facit: sicut Cicero, 'Eructant sermonibus suis cædem bonorum.' Virgilius, 'Atque omnem Cocytum eructat arenam.' Horatius usurpavit: 'Hic dum sublimes versus ructatur.' *Idem*.

*Eructans*] Apud Ovid. Metam. v. 553. Ætna dicitur *ejectare arenas*, sed Nob. Heins. *eructat* legendum opt. Cod. fide censet. Sic de Ætna etiam Silius Ital. l. xiv. 'Ast Ætna eructat tremefactis cautibus, ignis Inclusi gemitus, pelagique imitata furorem, Murmure per cæcos tonat irrequieta fragores Nocte dieque si-

mal: fonte e Phlegetonis ut atro Flammarnum exundat torrens, picea que procella Semiambusta rotat liquefactis saxa cavernis.' Utitur et Justin. iv. 1. eodem verbo: 'eructet fumum.' *Emmeness.*

*Liquefactaque saxa*] Patria, decocta in modum calcis. *Servius.*

577 *Fundo imo*] Ab imo, et reddit causam latenter. Inde enim ventus ex aqua natus erumpit. *Servius.*

578 *Fama est*] Bene fabulosam rem dicturus excusat. Nam re vera, nisi quæ de gigantibus legimus fabulosa acceperimus, ratio non procedit. Nam cum in Phlægra, Thessaliæ loco, pugnasse dicuntur, quemadmodum est in Sicilia Enceladus? Othus in Creta secundum Salustium? unde *Othii campi*: Typhæus in Campania? ut, 'Inarime Jovis imperiis imposta Typhæo.' Sed Varro dicit in diluvio aliquos ad montes confugisse cum utensilibus: qui lacessiti postea bello ab his qui de aliis veniebant montibus, facile ex locis superioribus vicerunt: unde fictum est, ut dii superiores dicerentur; inferiores vero, terribiles. Et quia de humilibus ad summa reptabant, dicti sunt pro pedibus habuisse serpentes. *Idem.*

*Fama est*] Recte inducit Æneam his quæ fabulosa erant dicentem, 'fama est,' ne se auctorem rerum impossibilem faciat. *Donatus.*

*Enceladi*] Filius secundum Hyginum in præf. Terræ et Tartari. Ejus meminit Claud. de rapt. l. i. 'Ætna giganteos,' &c. *Emmeness.*

*Semustum*] Pro *seminatum*. Et sciendum sic poni, quasi semianimis sit Enceladus: unde est, 'Motat latus.' Simul ponitur secundum fabulam canassa, quasi ex fulmine sit illic natum incendium. *Servius.*

*Semustum*] Veriti sunt plerique *seminatum* scribere, qui scirent primam hujus nominis syllabam produci: quare *semustum* trisyllabum, i vocali subtracta, publicarant. Sed

enim quæ in veteribus exemplaribus, quotquot legi, fere passim *seminatum* quadrisyllabum observaverim scriptum, Synizesin potius esse dixerim: neque quicquam deteri debere, quum duæ illæ syllabæ pro una reputentur, ut in Catulliano carmine, 'Flos Veronensium depereunt juvenum.' quod veteres habent codices, non *Veronensum*: ut in nomine *alvearia*: quamvis aliqui *alvaria* legere malint. Fit vero Synizesis vel ex duabus brevibus vocalibus, nulla interjecta consonante, vel altera duarum vocalium existente brevi: nam ex duabus longis non condonatur. Sed enim quia codices manu scripti, frequenti transcriptione semper aliquid immutaverunt, fitque ut in similibus plerumque vix fidem faciant, quantumlibet antiqui, operæ precium videtur, inscriptionum, quæ fuerint in marmoribus notatæ, testimoniis uti: illæ enim, quæ semel modo scriptæ fuerint, suam indelebiles retinent antiquitatem. Habemus itaque inscriptionem tumuli non invenustam, neque inelegantem Romæ in palatio montis Jordani, in qua manifesta Synizesis inspicitur, hoc pentametro, LVC-TVOSVMQ. MIHI QVI SCIO QVID FVERIS. *Lactus*, per Synizesin esse videtur: atque etiam in altero heroico hexametro: UNANIMI, CALPURNIANO, SOCIATA MARITO. Neque desunt hujusmodi exempla plurima: tametsi nonnulli quantum in *Calpurniano* est, pene ultimam Græcorum more corripere posse contendunt: atque ita tertius pes *purnia*, dactylus fit: ut in *Hadriano*, *Claudiano*, et similibus factum passim apud Græcos observamus. Sed enim nobis non licet eas tam disertis: quare figuram potius admittamus; quæ, ut missos faciam Homerum, Hesiodum, Theocritum, et universam Græciam, Virgilius ipse sæpe usus est: ut ex locis, passim a nobis toto opere citatis, manifestum

esse potest. *Pierius.*

580 *Caminia*] Fornacibus: Græce dixit. *Servius.*

581 *Mutat*] Si *mutat* legeris, dat refectionem labori. *Mutat*, frequenter movet: quamvis alii *mutat* accipiunt, ut est: 'Et terruit auster euntes.' *Idem.*

*Mutat*] In antiquis aliquot codicibus, *mutat* legitur. Quod *Servius* admittere noluit: ne refectio, ut ait, labori detur. *Ti. Donatus* *mutat* agnoscit: dum *Enceladum* ait converti in aliud latus, dum alterius voluerit vice effœtas vires reparare. Cum *Servio* tamen sunt plerique codices vetusti: neque tamen *motat* in omnibus, sed *motet* subunctivo modo in nonnullis scriptum est: pro quo alii legant *mutet*. *Pierius.*

*Mutat latus*] Agnoscit mutare latus *Ovid. Met. XIII. 937.* ubi videndus *Nob. Heinsius*, qui ex *Statio* de hoc *Encelado* citat versum: 'tentat *Enceladus* mutare latus.' *Emmeness.*

582 *Cælum subtexere fumo*] Imitatione *Lucretii* l. v. 'Corpore concreto subtexunt nabilia cælum.' *Idem* vi. 'Et quasi densando subtextit cœrula nimbia:' et *Tibull. de arcu*: 'prætens picta ferrugine cælum.' Tale quid etiam *Od. E. νεφέωνι περιτέθειν ὀμπρὸν εὐρύν Ζεὺς.* *Germanus.*

583 *Noctem illam*] Melius per accusativum dixit. *Servius.*

*Noctem illam tecti silvis*] In codicibus aliquot antiquis, *nocte illa* ablativo casu legitur. *Servius* incusativum mavult: et ita plus omnino significat ob continuationem incommodi. Omnia præterea exemplaria, quæ versavimus, *tecti silvis* absque in, legunt: ut naves vel silvis cæsis, vel litus obumbrantibus, occultatas intellegas: non autem homines in silvas egressos; quod minime verisimile est in tanta rerum trepidatione, quum præsertim, quæ sonitus daret causa, non viderent. Nam et superius in *Carthaginiensi* portu, 'classem in

convexo nemorum arboribus clausam circum occuluerat:' loco tamē ibi ita natura comparato, ut et facile, et commode possent delitescere. *Pier.*

584 *Videmus*] *Mente* vel oculis. *Servius.*

585 *Nam neque erant astrorum ignes*] Bene *ignes*, quia de *Ætna* loquebatur, ut magis flammæ ejus manifestæ fierent cælo lucente. *Idem.*

*Æthra Siderea potus*] Per *æthram sideream*, hoc est, per splendorem ætheris. Sane *æther* est ipsum elementum, *æthra* vero splendor ætheris. Sciendum est *Homerum* et *ætherem* et *ærem* communis generis dicere: quod de aëre nos non possumus dicere. De æthere, *æthra* factum est. Et secundum rationem istam potest et *æther* et *æthra* unum esse; ut nunc sit pro *æthere sidereo*. *Idem.*

*Æthra*] Apud *Stat. Thebaid. l. v.* 'Ipse etiam et summa jam tela'poposcerat *æthra* *Jupiter*.' *Emmeness.*

587 *In nimbo*] Proprie *nimbus* est, qui deorum vel imperantium capita quasi clara nebula ambire fingitur. *Servius.*

*Nox intempesta*] *Media*. Hoc est nimium obscura. *Intempesta*, dicta est nox media. *Intempestiva*, inactuosa, carens actibus, per quos tempora dignoscimus. Ait enim *Lucretius*, quia per se tempus non intelligitur, nisi per actus humanos. Medium autem noctis tempus actu caret. Ergo *intempesta*, inactuosa, quasi sine tempore; hoc est, sine actu, per quem dignoscitur tempus. Unde est, *intempestive venisti*, id est, *acalpus*. Ergo *intempesta* dicitur, quia caret tempore. Sane noctis septem tempora ponuntur: *Crepusculum*, quod et *Vesper*: *Fax*, quo lumina incenduntur: *Concubium*, quo nos quieti damus: *Intempesta*, id est, media: *Gallicinium*, quo galli cantant: *Conticinium*, post cantum gallorum silentium: *Aurora* vel *crepusculum matutinum*, tempus quod ante Solem est. *Id.*

*Tenebat*] Quasi cursum ejus densitate sui nimbi inliheret. *Idem.*

588 *Primo Eoo*] Pro eo Silius Ital. l. xvi. 'Jamque novum terris pariebat lumine primo Egrediens aurora diem.' Sic apud Ter. 'cum primo luce:' et Cic. 'prima luce.' Statius imitatus Maronem est Silv. lib. iv. 'Clarins ipse nitens, et primo major Eoo.' *Emmeness.*

589 *Humentemque*] Hic participium positum est verbo carens: ergo *humentem* pro *humidam*, quoniam noctu ros cadit. *Servius.*

*Aurora polo dimovenat umbram*] Hysteroptereron in sensu. Ante enim aurora est, quam sit dies. *Umbram* vero, quia nox *umbra terræ* dicitur. *Idem.*

590 *Cum subito e silvis*] Arguitur in hac Achæmenidis descriptione Virgilius, negligentia Homericæ narrationis: Ulyxes enim inter initia erroris sui ad Cyclopes venit; quemadmodum ergo Æneas post septimum annum, quam a Troja profectus est, socium Ulyxis invenit? præsertim cum enim tribus mensibus in regione Cycloperum dicat moratum, et mox Æneas de Sicilia ad Africam venisse dicatur. *Idem.*

*Suprema*] Pro plurima. *Idem.*

591 *Nova forma viri*] Bene *formam* dixit, non *hominem*, et est periphrasis pro *ignotus vir*. *Nova* autem fugienda, aliter alibi: 'Quis novus hic nostris,' id est, insperatus. Item: 'Subitoque novum consurgere bellum,' id est, detestandum. Item, 'Vere novo,' id est, incipiente. Item, 'duo lacte novo,' id est, recenti. Item, 'Comitum adfluxisse novorum,' hoc est, ignotorum. *Idem.*

*Ignoti nova forma viri*] Non idem, *ignoti* et *nova forma*. Nam *nova forma* pertinet ad id, quod infra de cultu et ejus sordibus dicitur: *ignoti* autem, quem revera nescissent. *Donatus.*

*Nova forma viri*] Quasi ab homine fere in belluam deformato, quemque

hominem fuisse neget, sed tantum hominis speciem, larvam, et imitationem: ut infra: 'formæ magnorum ululare luporum:' quod ficti similitudine lupi essent. *Germanus.*

*Cultu*] Pro habitu. *Servius.*

593 *Respiciamus*] Quia non audiebatur vox rogantis. *Donatus.*

*Respiciamus*] In antiquis aliquot codicibus, *prospiciamus* legitur; quod *procul aspiciamus* significat. Sed *Donatus respiciamus* agnoscit. *Pierius.*

*Dira illucies*] Sordes tetra. *Serv.*

*Immissaque barba*] Quidam barbam majorem, luctus indicium, a Virgilio positum, reprehendunt, cum Heroës non fuerint soliti tondere barbam. An *immissam*, neglectam et impexam accepiamus? *Idem.*

*Immissaque barba*] Ultra modum grandis et promissa. Ita Jul. Capitolinus, 'missa barba, reflexo capillo,' &c. vel potius, neglecta et impexa barba, &c. *Taubmann.*

594 *Consertum tegumen spinis*] Inligatum spinis. Hinc est in Terentio, 'Video quendam sentum, squalidum, pannis annisque obsitum.' *Servius.*

*Consertum*] Concinnatum spinis; non enim textum erat spinis, sed spinis frustra pannorum continentibus, consertum illius fuerat tegmen. *Donatus.*

*Tegumen*] In antiquis plerisque codicibus, *tegimen* integra dictione legitur. In Longobardico et Mediceo, *tegumen*; quod antiquitatem sapit: et eo modo scribitur apud Ti. Donatum. Neque tamen inficior *tegmen* etiam dici per syncopen: ut, 'recubans sub tegmine fagi,' proceleumaticum enim primo statim versu ponere nimis absurdum fuisset. Est et alibi, 'Tegmen habent capitum.' *Pierius.*

*Consertum tegumen spinis*] In fabula Achæmenidis, qui jam spinis exutus erat, Ovid. xiv. 166. 'Jam suus, et spinis conserto tegmine nullis, Fatur Achæmenides.' An in Servio legen-

dum *sentum* an *serium* disputat Turneb. xxii. 12. *Emmeness.*

*At cetera Grajus]* Habet enim unaquæque gens incessum et vocem propriam. Sane *cetera Grajus*, Græca locutio est; ut Salust. 'Sanctus alia.' *Servius.*

*At cetera Grajus]* Quantum ad cætera attinet. Græce, *ἄλλα ἄχαιός*: id est, incessu et voce Græcum præferebat. Martial. de pisce scaro: 'Visceribus bonus est: cetera vile sapit.' Apul. l. x. 'Possumus quidem omnia cætera fratres manere ab isto tamen nexu communionis discedere.' *Taubmann.*

*At cetera Grajus]* Pro quantum ad cetera, vestitu, lingua, aliisque omnibus indiciis Græci nominis hominem præ se ferebat. Hanc Græcam structuram multis exemplis, ex optimis auctoribus desumptis, probat Vechner. Hellenol. i. 4. quam et vetustam et venustam vocat Scioppinus Suspect. lect. epist. v. 20. *Emmeness.*

595 *Ad Trojam missus]* Aut ex sequenti ejus confessione hoc didicit: aut Græcum esse, colligitur ex trepidatione: ut Terentius, 'Nescio quid peccati portat hæc purgatio.' *Serv.*

*Ad Trojam]* Gratum Trojanis, quod talem viderent inimicum. *Donatus.*

597 *Conterritus]* Decoris observatio: nam ad conspectum hostis, qui non horresceret? licet mortem vitæ isti suæ præferat. *Taubmann.*

*Hæsit]* Dubitavit. *Servius.*

598 *Mox]* Ubi metum vicit necessitas. *Donatus.*

*Sese]* Pronomen compositum, nam *sese* duo pronomina sunt. *Servius.*

*Præceps]* Sine respectu salutis, scilicet postquam Cyclopum graviora cogitavit pericula. Sane brevis ei, quasi timentis, prima datur oratio. *Idem.*

599 *Testor]* Quæso, obtestor. *Id.*

*Per sidera testor]* Cum proclis esset, se gestu supplicem exhibuit, mox propinquus factus, preces adhibuit

et lacrimas: confitetur originem, ut misericordiam captet. *Donatus.*

*Per sidera testor]* Obsecratio per sidera frequens Virgilio: *Æn. vi.* 'per sidera juro:' lib. iv. 'Testatur moritura Deos, et conscia fati Sidera.' In ix. 'cælum hoc, et sidera conscia testor.' et xii. 'terram, mare, sidera juro.' *Cerda.*

600 *Spirabile]* Vitale, quo spiramus; et est sermo Ciceronis, quamquam ille *spirabile* dixerit in libris de deorum natura. *Servius.*

601 *Quascunque]* Quo eat non cogitat, eorum comparatione quæ fugit. *Idem.*

*Quascunque]* In codicibus aliquot antiquis legere est, in *quascunque*, addita præpositione, sine qua tamen figuratior est elocutio. Ridere vero mecum, ut verum fatear, solebam, quum in nonnullis codicibus scriptum offendissem *quescunque* pro *quascunque*. Inveni postmodum apud Fl. Sospitrum, *quescunque* apud veteres analogicam esse declinationem: unde dativus *quibus* deducatur, uti a nominativo *qui*, dativus *quis*: Catonemque ait Originum secundo dixisse, 'quescunque Romæ regnavisset.' Et Plautum, 'ques ignobiles.' Quas voces quamvis novitas abdicarit, declinationem tamen ejus manere: *quibus* enim crebro dicimus. *Pierius.*

*Quascunque abducite terras]* Similis est fere Terentii locus Hec. iii. 1. 4. qui, Donato interpretante, magnam loci detestationem indicat: 'cui quanto præstabilius fuerat ubivis gentium agere ætatem, quam,' &c. *Emmeness.*

602 *Hoc sat erit]* Vitasse Cyclopas. *Servius.*

*Hoc sat erit]* Scilicet Cyclopas vitasse, et cum hominibus esse: vs. 653. 'satis est gentem effugisse nefandam.' Ovidius tradit, eum cum Ænea in Italiam provectum esse: sed contra historiam est. *Taubmann.*

*Scio]* Modo confiteor. *Servius.*

*Scio me Danais e classibus unum, &c. fatcor, &c.]* Figuram *agoniorum* agnoscit hic Donatus ad Ter. Ad. II. 2. 4. per quam ostendit, se fideliter promittere, quod promittit. *Emmentes.*

*E classibus]* Ex equitibus modo; ut est, 'Et *Ortinæ* classes,' id est, equites. *Servius.*

603 *Petiisse]* Causa metri addidit syllabam: ut, 'Nos abiisse rati.' *Idem.*

604 *Tanta est]* Ut non possit fortunæ præsentis qualitate molliri. *Id.*

605 *Spargite]* Hoc est, dilacerate: et quia nec sævius nec celerius aliud fieri potest, nova brevitate usus est. *Idem.*

*Spargite]* In partes scilicet divisim, quod ne fieret, crudelitas facti descripta est. *Donatus.*

606 *Si pereō]* Ostendit male vivere: nam *si pereō*, dixit, et non, *cum periero*. *Idem.*

*Manibus hominum periisse jurabit]* Oblique loquitur. Nam vult ostendere hominum hanc non esse crudelitatem. *Servius.*

*Si pereō, manibus hominum periisse jurabit]* In codicibus nonnullis manu scriptis, *si pereum* legitur: quod minime placet. In Longobardico vero, in Mediceo, in Porcio, et aliquot aliis ex antiquioribus, legere est, *si pereō hominum manibus pe. jur.* Vel adspiratione hic vim consonantis habente, vel ea ratione factum, qua etiam *Neptuno Ægæo*, vel *Actæo Aracyntho*. Quam lectionem, præter Ti. Donatum, Pontanus quoque agnoscit in Actio: ubi ex ipsa earundem vocalium complosione magnam fieri vocalitati accessionem asserit. *Pierius.*

607 *Genua amplexus]* Physici dicunt esse consecratas numinibus singulas corporis partes: ut aurem *Memoriæ*. Hinc est, 'Cynthia aurem Vellit; et admonuit.' Frontem, *Genio*. Unde 'venerantes deum, tangimus frontem.' Dextram, *Fidei*. Unde paulo post, 'atque animum

præsentī pignore firmat.' *Genua*, *Misericordiæ*: unde *hæc tangunt rogantes*. Sane, sicut frequenter dictum est, etiam hic ostenditur subtiliter *Anchisem* et *Ænean*, tam Pontificatus, quam *Flamini* iuris et peritos, et præsules fuisse. Jure autem Pontificali, si quis *Flamini* pedes, vel *genua* fuisset amplexus, verberari non licebat: hoc eo præcipiebatur, ne esset ullum præpedimentum religionis, quominus secundis numinibus inserviretur; aut esset importunitas in profanis locis aliquantis per morandi. Quod hic diligenter exsequi videtur de *Achæmenide*, qui post preces habitas *genua* amplexus, genibus volutans hærebat: in quo more, vel præpedimenti\* verbum procul dubio est, tum quod et ipse genibus volutabat, vel quod *genua* amplexus etiam religione habebatur, quo in loco satis non fuit nulla verbera adhibita, nisi etiam fides data esset, qua securitas confirmaretur veniæ concessæ illis versibus: 'Ipse pater dextram *Anchis* haud multa moratus, Dat juveni, atque animum præsentī pignore firmat.' Neque enim oportebat tardius immorari profanis cognitionibus, cum precatio cælestium deorum interposita, daret curam observandæ religionis: dixerat enim, 'Per sidera testor, Per superos atque hoc cæli spirabile nomen,' eaque propter, addidit, 'Haud multa moratus,' ut celeritas concessionis piaculum nullum posset admittere. Ipsum *Achæmenidem* hinc possumus æstimare, magis verbera timuisse, quam mortem, propter confessionem: ut diceret, 'Spargite me in fluctus vastoque immergite ponto. Si pereō, manibus hominum periisse juvabit.' Denique post hæc addidit, 'Ille hæc deposita tandem formidine satur.' *Servius.*

*Genua amplexus]* Singulas corporis partes singulis Numinibus consecratas putabant. Videatur *Plinius* XI.

46. et Alexander II. 19. *Taubmann.*

*Et genus amplexus]* Ad preces adhibet obsequium corporis. *Donatus.*

*Volatus]* Ut eorum imperitia retundatur, qui *volatus* hic legi volunt: 'In passivis (ait Fl. Sosipater) participia præsentis temporis non sunt. Abutuntur autem veteres activo pro passivo, ut apud Virgilium, *Genibusque volutans*. Nam si activa significatione acciperetur, se deesset, ut diceret, *Volutans se.*' *Pierius.*

608 *Qui sit, fari]* Per omnia subaudi, *hortamur*. *Qui sit* autem, hoc est: quis Græcorum sit, id est, cujus filius sit, ut etiam respondet. Nam jam se dixerat Græcum. *Servius.*

*Fari]* *Fari* et *fateri* differunt: nam *fari* est simpliciter aliquid referre: *fateri* autem est, ex necessitate, quæ secreto contingunt, publicare. *Donatus.*

*Qui sit, fari]* In antiquo codice Longobardico, *quis sit* legitur. Quam lectionem agnoscit Servius, tametsi veteres Grammatici eo modo *qui* etiam poni scriptorum veterum aliquot exemplis tradunt. *Pierius.*

609 *Agitet fortuna, fateri]* Hortamur *fateri*, quæ eum fortuna vexet: ut, 'Agitataque numina Trojæ.' *Servius.*

610 *Haud multa moratus]* Nimis benignitatis est, non exspectare plurimas preces. *Idem.*

*Dextram]* Quam Justinus XI. 15. *pignus fidei* nominat: ad quem locum consule Berneggerum. *Emmeness.*

611 *Præsenti pignore firmat]* Quod ad hoc tempus poterat dari, id est, manuum conjunctione, qua firmabantur amicitiae: ut, 'Cur dextræ jungere dextram Non datur?' Et, 'Jungimus hospitio dextras.' *Servius.*

612 *Sum patria ex Ithaca]* Circumstantias omnes exsequitur: loci, personæ, temporum: et licet rhetorice agat hic Achæmenides, quæ dicit, ut tollatur, pauca sunt, neque enim quicquam illi nocet, nisi quod Græcus.

Cætera, quæ dicit, ut fugiant, tantum narrationem rei gestæ habent. Plane cum aucta, ut sit major causa misericordiae: nisi forte hoc etiam putamus ad recipiendum valere, quod aliquod beneficium prædicendo de Cyclope significat dari; nam infra ait, 'Recepto Supplici sic merito.' *Idem.*

*Infelicitis Ulyxi]* Quoniam apud hostes loquitur, quærit favorem ejus vituperatione, quem scit odio esse Trojanis. *Idem.*

*Ulyssis]* In antiquis plerisque codicibus, *Ulyssi* absque *s* legitur. Probos locum hunc citans, Antiquæ, ait, est ratio declinationis dativo uti pro genitivo, *Ulyssi* pro *Ulyssis*, *Achilli* pro *Achillis*. Qua forma Oratores etiam usi sint. Sallustius, 'Ad bellum Persi Macedonicum,' pro *Persis*. Ubi ea forma uti nulla coëgit homœoteleutos, sed antiquæ declinationis ratio. Ita et M. Tullius, 'Filium Verri,' pro *Verris*. Refert præterea Sosipater Carisius observatum a Plinio dubii sermonis l. vi. *Herculi* pro *Herculis*, ut *Ulyxi* pro *Ulyxis* olim dici ceptum. *Pierius.*

614 *Nomen Achemenides]* In veteribus fere omnibus exemplaribus, legere est, *nomen*, quod scilicet quæritis, *Achemenides*: et sicnbi *nomine* scriptum est, id in his exemplaribus, quæ versamus, subditicium est, priore abrasa lectione. *Idem.*

*Adamasto]* In Mediceo, in Porcio, et aliis antiquis plerisque codicibus. *Adamasto* scriptum est: quod *invictum*, vel *indomitum* significat: est ita proprium id viri nomen habetur etiam in codice Donatiano. Alii *Adamasco* legunt. *Idem.*

615 *Paupere]* Nam, ut etiam de Sinone diximus, apud majores hæc fuerat causa militiæ; et bene utitur statu veniali, per excusationem paupertatis; ut conciliet hostium animos, quasi necessitate adversus eos dimicaverit. *Servius.*

*Fortuna]* Priatina, paupertatis sci-



licet, et perseverat, ut invitus fecisse videatur. *Idem.*

616 *Trepidij Festini. Idem.*

617 *Inmemores socij Immemores,* dum trepidi: ut per timorem, non per odium relictus fuisse videatur. Nam et causam subjungit timoris, Cyclopi descriptione. Ergo *inmemores*, timentes. *Idem.*

618 *Domus sanie] Deest horrida. Idem.*

*Domus sanie dapibusque cruentis, Intus opaca, ingens]* Ad hunc versum vide Gell. v. 8. *Emmeness.*

619 *Ataque pulsat Sidera]* Similis superior hyperbole, 'et sidera verberat unda. De Cyclopi magnitudine sic Homer. Odyss. l. ix. Ἐφεῖ κε βίῃ δάμνητι ὑψηλῶν ὄρεων: *Similis erat cacumini sylcoso excelsoque montium.* Lege Junium cent. ii. adag. ubi magna copia similis ὑπερβολῆς. Ego non pauca in Eclogis duplici in loco. Galenus de usu partium iii. 14. Cyclopi etiam dat ingentem inusitamque magnitudinem: πολλαπλασίῳ τὸ μέγεθος ὄντι τῷ Κύκλωπι. *Cerda.*

621 *Nec visus facilis]* Cujus possit etiam aspectus inferre formidinem. *Servius.*

*Nec dictu affabilis]* Sermone non explicabilis: bene rem exaggeravit post descriptionem. *Idem.*

*Affabilis]* In antiquis aliquot codicibus, *adfabilis* legitur: quanquam codices etiam nonnulli manu scripti *effabilis* legunt. Sed enim Macrobius libentius legit *adfabilis*, ut in Mediceo eat: sumptumque ait ex Attio in Philoctete, ubi est, 'Quem neque tueri contra, neque adfari queas.' Alterum vero illud Servius agnoscit: exponitque *sermone non explicabilis*, quod æque placet. *Pierius.*

*Affabilis]* Servius, H. Steph. et alii, leg. *effabilis*, id est, sermone non explicabilis: sed alterum videtur rectius etiam Fabricio: nam et faciem Cyclopi tyrannicam, et morum vastitatem tribuit talem, ut nemo illum

posset et sine consternatione intueri, et absque periculo alloqui. Sophocli. in Tyr. ἐς θεῶν οὐδ' ἀκούοντες, οὐδ' ἐπρόσμενος: *Nec dictu affabilis*, id est, ἀπρόσμενος. *Taubmann.*

622 *Visceribus]* Viscera proprie carnes sunt. *Servius.*

*Sanguine atro]* Hoc est, sanie. *Id.*

623 *Vidi egomet, duo]* Homerus quatuor dicit: ergo aut dissentit ab eo, ut etiam in temporibus. Nam ante ad Siciliam Æneas, quam Ulyxes venisse dicitur. Aut certe hoc dicit, duo vidisse: quot autem occiderit, ignorare, per timorem. Alii duo simul dicunt, non enim duo sola addidit. *Idem.*

*Vidi egomet, duo]* Homerus δδ. i. sex enumerat, quos Cyclops devoraverit, nam binos tribus vicibus ponit assumptos. Sed enim vel Achæmenides, ob trepidationem et festinantiam, non potest hic historiam omnem enarrare; satisque putat, si memoret Cyclopa esse adeo efferum et immanem, ut una vice duo humana corpora possit absorbere: vel *duo* pro *bina* positum, ut alibi vice versa, 'bina crispans hastilia,' pro *duo*: quæ licentia late concessa est a Poëtis. *Pierius.*

*Vidi egomet]* Ἐμφασιν hanc notat Scaliger, Poët. iv. 34. Atque idem totum hunc locum accurate cum Homeric Odyss. ix. contendit, v. 3. *Taubmann.*

624 *Prensa manu]* Peccare eos ait Terentius Scaurus, qui *prehensus* cum adspiratione scribunt, quum eam prima persona non habeat. Quum vero ex hujus sententia *preensus* per *duo* ee, scribi debeat; ut ibi, 'Dextraque preensum;' hoc loco vel Synizesin esse dicemus: vel, quod magis placet, *prensa* per crasin legemus, ut habetur in codicibus antiquis. Quid vero super hoc sentiat Velius Longus, alibi diximus. *Pierius.*

*Resupinus]* Magnitudo virtutis ostenditur. Quod una manu, quod

frangeret, et velut exprimeret elidentem non in terram, sed ad saxum sublimitus quantientem. *Servius*.

625 *Exaspera*] Hæc fuit vera lectio, id est, madefacta. Nam si *aspera* dixeris, id est, inrorata, Tapinosis et Hyperbole junguntur. *Idem*.

*Exaspera*] *Servius* *exaspera* veram esse lectionem asseverat. In antiquis tamen codicibus quotquot habui, *aspera*, et *adaspera* legi: sententia, et elocutio sumpta ex M. Tullio in Philipp. 'Vino pavimenta natarent.' *Pierius*.

626 *Fluentia tabo*] Pro *fluenti tabo*. *Servius*.

627 *Manderet*] Unde et Euripidi *ἀμβροστοροπέδῳ* Cyclops dicitur. Est autem hic versus arte singulari laboratus. *Taubmann*.

*Trepid*] Melius *tepidi*, quasi adhuc vivi, quam *trepidi*, id est, tremantes: nesit iteratio. *Servius*.

628 *Ulixes*] A solo nomine emphasis fecit. Unde est quod sequitur, 'oblitusve sui est.' Aliquantum tamen juxta veteres *oblitus*, id est, negligens, dictum tradunt. Et est laus quod et in adversis constans: vel quem nemo impune læsisset: vel qui dolo etiam fortiores sæpe vicisset. *Idem*.

629 *Oblitusve sui*] Omnes nos vehementer turbati sumus: solus Ulysses natura callidus et usui et ingenio instructus, tantæ crudelitatis viem deterritus non est: nec est *oblitus sui*, id est, non perdit suam industriam. *Donatus*.

*Ithacus*] Ithacensis. *Servius*.

630 *Nam simul expletus*] Omnia signa ponit bellæ occasionem ad cædem præbentis. Dederat autem consilium Ulysses, ut unicum illi oculum excæcarent: sed hoc periculosum fuit, quamvis dormiret sepultus: ergo precati sunt numina. Et quoniam non idem periculum erat omnibus, varias corporis partes tenentibus, eas inter se sortiti sunt. *Donatus*.

*Sepultus*] Stratus jacens. *Servius*.

631 *Jacuitque per antrum*] Hoc ver-  
*Delph. et Var. Clas.*

bum de Varrone mutuatus est, qui ait, 'In lecto temulentos jacere, sobrios cubare consuescere.' *Idem*.

632 *Immensus*] Etiam *immensus* ad Polyphemi magnitudinem pertinet: quasi in tanto antro jacuerit. *Idem*.

*Immensus*] *Servius* quidem *immesum*, quippe *antrum* agnoscit. Ad quam lectionem respexisse etiam Quintilianus videtur, ubi ait de Virg. 'Cum Cyclopa jacuisse dicit per antrum, prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est.' In veteribus aliquot codicibus *imensus* legitur: ut Homericum illud exprimat, *ἔνθα δ' ἀνὴρ ἐν λαῶν πελάριος*. Quodque tantus erat, ut memoroso cuiquam promontorio altorum montium similis videretur. Sunt etiam codices manu scripti, ubi legas *imensam sanienem*, quod minime placet: etsi Homerus eructationem illius vespertinæ crapulæ late describit. *Pierius*.

*Immensus*] Corpus prodigiosum spacio loci mensus est: quasi in toto antro jacuerit. Quæ figura *ὑπερβολή* est Fabio VIII. 3. Lucillius Poëtarum vanitatem irridens, hunc Polyphemum ducentorum pedum fuisse ait. Vide P. Crinin. XVII. 3. *Taubmann*.

*Eructans*] Cicero, 'Eructant sermonibus suis cædem bonorum.' *Serv.*

*Frustra*] Cicero in Philippicis, 'Frustris esculentis vinum redolentibus.' *Idem*.

634 *Sortitique vices*] Vel partes membrorum, vel qui quo loco staret. *Idem*.

*Undique*] Pro *indiviso*. *Idem*.

*Circum Fundimur*] Secundum Homerum, qui dicit alios eum tenuisse, alios obcæcasse oculum. *Idem*.

635 *Terebramus*] Ti. Donatus *tenebramus* legit: hoc est, occæcamus. Cujus hæc sunt verba: 'Quod ait *acuto telo tenebramus*, celeritatem facti voluit demonstrare. In hoc enim consilium consistebat effectus, ne mora facientiam, et dolor vulneris quamvis graviter dormientem excita-

*Virg.*

8 K

ret. Hoc loco nonnulli *terebramus* tradunt: sed quum terebratio habeat moram, quæ fuit inimica facientibus, melius est, ut telo acuto, uno ictu videatur esse cæcatus. Sed enim pace tam docti viri, quum locus sit ex Homero sumptus, apud quem lata est de terebratione descriptio, vero similis est Virgilium scriptum reliquiasse *terebramus*. Versus Homeri sunt, ἔγῳ δ' ἐφ' ὀφθαλμῶν ἀεθελὶς Διὸς ὅς δ' ὄρε τίς τρυφή δόρυ ρήϊον ἀνὴρ Τρωάδην, οἱ δέ τ' ἐπείθεν ἄνθρωποι σὺν ἱμάτιι Ἀψάμενοι ἰκτερεῖοι. In quibus non tantum terebratum ait lumen conto acuto, ustulatoque ex igne, statim in oculum adacto, Ulysse superne calcante, loro inferne advoluto, ejus capita socii alternantes utrinque traherent, quod sine longa mora fieri non potuit; verum etiam artificia, qui navale aliquod lignum terebra perforet, similitudine utitur. Legendum itaque *terebramus* ex Homero. Quod vero in inferiori versu Servius Donatum reprehendit, quod *latebat*, late patebat, exposuerit: aut quia capillis tegebatur, aut latebat corporis reliqui comparatione: si verba Donati consideremus, nil adeo reprehensioni obnoxium inveniemus: immo longe diversam Donati sententiam ab ea, quam ei Servius adscribit. Quærit siquidem Donatus, quæ ratione oculus, qui tantæ esset amplitudinis et vastitatis, ut Lunæ, Solisve orbi posset æquari, latere potuerit? Considerataque Cyclopi deformitate, rugas comminiscitur, et ingentem capillorum silvam. Nam intonsum caput ipse Polyphemus apud Theocr. et Ovid. jactat. Sed melius fuerit ipsa Donati verba subjicere. Quod autem ait, *sub fronte latebat*: quod ingens fuisse dicebatur usque adeo, ut orbi Lunæ, vel Solis æquari potuisset, faciebant rugæ torvæ frontis, et ingentes capitis comæ. Quid vero si dixerimus Virgilium et ad oculi situm, et etymologiam respex-

isse, quam eo verbo exprimere voluerit? quum Varro dicat *oculos* ideo dictos, quod *sub fronte occultantur*. Pierius.

*Acuto*] Fuste obusto. Nam secundum istum sensum multi *terebramus* legunt: alii *tenebramus*. Telo autem *acuto* potest et simpliciter accipi. Servius.

636 *Solum sub fr. la.*] Pro *in fronte latebat*. Multi Polyphemum dicant unum habuisse oculum, alii duos, alii tres: sed totum fabulosum est. Nam hic vir prudentissimus fuit: et ob hoc oculum in capite habuisse dicitur: id est, juxta cerebrum, quia prudentia plus videbat. Verum Ulyxes eum prudentia superavit: ob quod enim cæcasse fingitur. *Idem*.

*Latebat*] Dormienti scilicet. Nam male sentit Donatus dicens, *late patebat*, contra metrum. Item dicit, capillis tegebatur: aut latebat corporis comparatione. Alii *latebat*, subjectum erat fronti, et intra frontem recesserat tradunt. Absolutus tamen est prior sensus. *Idem*.

*Torva solum sub fronte latebat*] Vel sequemur Servii sententiam: vel oculum latuisse accipiemus, ut physiognomones oculos fronti infossos, immersosque, et abditos, maleficos noxiosque suspicantur: quæ commentatio possit fortasse Polyphemo convenire, qui immanitate, et feritate a Poëta infamatur. *Germanus*.

637 *Argolici clipei aut Phæbeæ lampadis instar*] Unum magnitudinis est, quia Græcorum clipei rotundi, ut Cato Originum libro ait: aliud splendoris. *Phæbea* autem derivatio est vel a Luna, vel a Sole. *Servius*.

*Argolici clipei*] De magnis et rotundis clipeis Argivorum accipiendum, qui totum corpus tegebant: unde ὀπίσθιος ἀμφιβόρτης ab Hom. Il. II. dicitur. Et exanimis in clipeo, propter magnitudinem, veluti ferebro, ex acie referebantur. Videatur Turnebus XI. 27. et XXIV. 10. *Taubm*.

*Phœbea lampadis instar*] *Phœbea*, φοιβήτης: ut, 'Phœbeia virgo:' et, Phœbeius oscen,' est φοιβήλος: ut notat Scalig. ad Manilium. *Idem*.

639 *Sed fugite*] Occurrebat: Si cæcus est, cur timetur? Subjungitur non unum esse, sed plures: et bene suam gratiam facit, admonendo, quod illos ultro facere, necesse erat: repetitio autem *fugite* necessaria, ut alibi: 'Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.' *Servius*.

*O miseri*] Aut blandientis particula est, ut in Terentio, 'O misera.' Aut re vera *miseri*: qui delati sunt ad Cyclopas. *Idem*.

640 *Rumpite*] Ut festinantes, non solvite, sed rumpite: ut, 'Festinate fugam, tortosque incidite funes.' *Id.*

*Funem Rumpite*] Palum illum, cui navis illigata, Prymnesium dici, et *tensillam*, Festus notavit. Ipsam illigationem dixere *supationem*. Est enim *supo* navem prymnesio illigare. Attius Phœniass. apud Non. 'Abtorque proram, ac *supa* tortas copulas.' Contrarium erit *dissipo*, nam hoc verbum a *sipo* ortum, ut facile apparet ex fragmentis Festi. Itaque proprie *dissipo* de nave dicitur, et inde vox ad alia traducitur. Ut enim *ligo* et *solvo* opponuntur in re nautica, ita *supo* et *dissipo*. Habent affinitatem cum *supo* *suppara*, vela nautica. *Cerda*.

641 *Qualis quantusque*] Unum morum est, aliud corporis. *Servius*.

*Nam qualis quantusque*] Unum morum est, alterum corporis. Tibullus III. 6. 'Quales his pœnas, qualis quantusque minetur.' Quod Græci feliciter uno verbo ἅλκος dicunt, hoc Latini sermonis egestas dicit, *qualis quantusque*, duobus verbis. *Scalig.*

*Polyphemus*] Fabulam Polyphemi enarrat accurate Hyginus fabul. 125. Ovid. Metam. XIV. Theocr. Idyll. XI. pluresque alii. *Emmeness.*

643 *Centum alii*] Id est, tales et tanti. *Servius*.

*Centum alii*] Ἀνὰ τὰν δόξαν: tales

tantique centum alii passim habitant, &c. *Taubmann.*

*Curva hæc habitant ad litora vulgo*] Ne tantum in montibus esse putarentur. *Vulgo*: passim. *Servius*.

644 *Infandi Cyclopes*] Ineffabiles, ut supra, 'Nec visn facilis, nec dictu adfabilis ulli.' *Idem*.

645 *Tertia jam lunæ*] Bene in desertis locis ex Lunæ ratione colligit tempora. *Idem*.

*Se complent*] Ideo autem, quia suum non habet lumen, sed accipit a Sole. Et bene auxit misericordiam a tempore. *Idem*.

*Tertia jam lunæ se cornua complent*] Sic et Eurip. in Alcest. σελήνης δάδακα ἐκπληρουμένης eadem redditione Prop. 'Septima jam plenæ deducitur orbita lunæ, Cum de me, et de te compita nulla tacent.' *Germanus*.

646 *Vitam in silvis*] Misericordia captatur a loco. *Servius*.

*Deserta ferarum*] Propter feras deserta. *Idem*.

647 *Lustra*] Cubilia. Unde etiam lupanaria *lustra* dicimus: ubi habitant lupæ, id est, meretrices: dictæ ab obscenitatis et odoris similitudine. Cicero, 'Vino lustrisque confectus.' *Idem*.

*Traho*] Imitatur et hoc loco Maronem nostrum Phædrus fab. III. 8. 'in silvis asperam vitam trahens.' Pathos misericordiæ a loco sumptum, ut observat Macrob. Saturn. IV. 3. *Emmeness.*

648 *Sonitumque pedum*] Ordo figuratus, cum traho, cum prospicio. *Servius*.

*Tremisco*] Antiqua exemplaria pleraque *tremesco* per *e* in pene ultima scribere, quaque id ratione, dictum alibi. *Pierius*.

649 *Baccas*] Generale est, id est, fructus arborum agrestium. *Servius*.

*Lapidea corna*] *Lapidea*, dura; an quod in saxis nascantur? Ipsa arbor *cornus* dicitur: pomum vero *cornum*; inde *cornu*: ut *templum*, *templa*. *Idem*.

*Victum infelicem, baccas, &c.*] Ita D. Joannem victitasse *ἄκρους δρυῶν* Nicephorus est auctor, ut Diogenem *Ἀελιανὸς ἄκρους φύλλων*. Et Nicephoro assentitur Pantaleon Diaconus, his verbis a Cnjacio doctiss. nostra ætate jurisconsulto suis Paratitlis ascriptis: *ὁ τοῖς τῶν μελισσῶν κατὰ τὴν ἔρμην πένους, καὶ τοῖς τῶν βοτάνων συντρεφόμενος ἐκ βρέφους ἀκρίσματος: ἀκρόδρυα* autem, quamvis proprie appellentur, quæ in ambitu lignosum putamen habent, quod genus appellatione *νικαῖα* apud Latinos continetur, tamen arborum *baccas*, omnesque arboreos fructus significant, ut *glandis* appellatio apud Jurisconsultos omnem fructum complectitur, et apud Græcos *βάλανος*. *Germanus.*

*Victum*] Recte *infelicem*: Donatus Ter. A. 1. 1. 4. 'lana ac tela victum quæritans' distinguit inter *cibum* et *victim*: 'cibus enim est,' inquit, 'qui etiam delicatis præbetur: victus in parvis aridisque alimoniis est constitutus.' *Emmenes.*

663 *Addixi*] Signato verbo exprimit desperationem. *Servius.*

*Addixi*] Hoc consilio ad vos veni, melius esse manibus hominum perire, quam Cyclopum. *Donatus.*

*Addixi*] Signato verbo desperationem exprimit, ut inquit *Servius*: nimirum ad vocabulum juris, et unum ex tribus prætoris, alludens, quod rem licitatione adjudicare sonat, *ἀποκηρύττειν, καταδικάζειν* a qua forensi significatione translatitæ etiam de aliis dicitur, ut in disciplina augurandi aves dicuntur *addicere*, quando firmant et ratum augurium faciunt. *Livius*: 'Fabio auspicienti aves semel atque iterum non addixere:' et 'addicere opus aliquod,' hoc est, redemptori locare faciendum: et 'addicta sententia,' apud *Cicer.* vendita; unde et *addicte* adverbium, et *addictio*, *ἀποκλήσις*. *Germanus.*

*Addixi*] Auctionis vocabulum, cuius usus est, quando majus pretium

offerenti res vendita emptoris fit. Vide *Budæum* tit. *de in diem additione*. *Suet. Calig. cap. 38.* 'nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores xs. nonagies ignorantibus addicerentur.' Alludit *Cic. pro Milone c. 32.* 'incidebantur jam domileges, quæ nos nostris servis addicerent.' *Emmenes.*

664 *Vos animam hanc potius*] Obligne loquitur, ut supra: reprehensio enim crudelitatis est, qui rogat salutem, si ipse condemnat. *Servius.*

665 *Vix ea fatus erat*] Ad probationis gratiam pertinet, quod ea quæ *Achæmenides* adfirmaverat, statim approbavere *Trojani*. *Idem.*

666 *Mole*] Molitione, agitatione. *Idem.*

667 *Litora nota petentem*] *Nota* ante oculorum amissionem potest accipi. Sic *Stattius* in nono, 'Sequitur tamen improbus hostem, Qua meminit.' *Idem.*

*Nota*] Exponendum fuit, quomodo cæcus venire potuerit? quia noverat, antequam obcæcicaretur. *Donatus.*

668 *Monstrum horrendum, &c.*] *Lucian.* sic describit: *ἄγριος, λείσιος, καὶ τὸ πάντων ἀμορφότατον, μονόφθαλμος: ἀγροῦς, hispidus, quodque est omnium deformissimum, monocusus.* Ab *Philostrato* in *Iconibus ἀγριότατος* dicitur, et *ἑρπῆς τε, καὶ δεινός, et λείσιος πάντα*. Quibus signantur rusticitas, diritas, hirsuties. *Ovid.* 'nempe ille immitis, et ipsis *Horrendus* silvis, et visus ab hospite nullo *Impune*, et magni cum *Diis* contemptor *Olympi.*' Apparet hæc deformitas ex versibus his ejusdem vatis: 'Jam rigidos pectus rastris, *Polypheme*, capillos; Jam libet hirsutam tibi falce recidere barbam.' *Homerica*, ut quæ in promptu, et jam partim a me adducta, præterito. *Frigent* omnia præ *Virgilio. Cerda.*

*Monstrum horrendum, &c.*] *Carmen* plenum ac sonorum. Hanc autem orationem *ἀσύνθετον*, i. e. *inconjectam*,

ad amplificationem parari, docet Scallig. iv. 29. Vide et N. Æn. iv. 594. *Taubmann.*

*Informe]* Ultra formam. *Servius.*

*Ingens]* Potest et superioribus et sequentibus jungi; ut sit *ingens lumen*. Idem.

*Cui lumen ademptum]* Ad hunc versum vide Robert. Tit. contr. vii. 8. De Polyphemo dial. Lucian. lege. *Emmeness.*

659 *Trunca manum pinus regit]* Cujus cæcitatem manu pinus regit. *Servius.*

*Trunca manum pinus]* Tota arbor erat pro baculo. *Donatus.*

*Trunca manum]* In Mediceo, et codicibus aliquot aliis antiquis, *manu* septimo casu legitur. Et ubi *manum* est quarto casu, in codicibus manu scriptis, fere passim ultimam contactam observes. Eset vero sententiæ ordo: *Pinus trunca manu, vel gestata manu, regit ademptum lumen, et vestigia firmat.* *Manum* tamen agnoscit Fab. Quintilianus, ubi de amplificatione ita dicit: 'Nam quod illud corpus mente concipiam, cuius trunca manum pinus regit.' *Pierius.*

*Manum pinus regit]* Pinus ramis truncata, qua cæcus manum et pedes regit, corporis vastitatem indicat. Vide Quintil. viii. 4. *Taubmann.*

660 *Ea sola voluptas]* Voluptatem ex animalibus habuit, cum videbat: cæcus autem, solamen capiebat. *Donatus.*

661 *Solamenque mali]* Solatium. hinc Quintilianus dixit, 'Magnum solatium cæcitatæ est, habere rem videns.' *Servius.*

*Solamenque mali]* In non nullis est versus integer *Solamenque mali de collo fistula pendet.* Sunt, qui carmen hoc, ut nothum, expungant. Id tamen in plerisque codicibus antiquis habetur: præterquam in uno, ubi versus hac Pentemeri clauditor, *solamenque mali.* Quam lectionem Ti. Donatus agnoscit, nulla de fistula mentione

facta. Cujus verba, quia in vulgatis codicibus corrupta sunt, ex integro exemplari adscribere non pigeat: '*Lanigera comitantur oves, ea sola voluptas, Solamenque mali.* Voluptatem ex animalibus habuit, quum videret, cæcatus vero pecorum suorum commodo orbitatem proprii luminis solabatur.' Quæ vero Quintiliani verba Servius citat, de cæcitatæ solatio, sumpta sunt ex declamatione de *pariete cruentato*: ne alio quis ea quæsitum eat. *Pierius.*

662 *Postquam altos tetigit fluctus, et ad æquora venit]* Hyperbaton in sensu: ut, 'Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.' Ant Hystero-proteron: primum enim debuerat dicere, *venit ad æquora*, deinde, *tetigit fluctus*. *Servius.*

*Postquam altos tetigit fluctus]* Habet locus hic similitudinem cum altero l. x. 'quam magnus Orion Cum pedes incedit medii per maxima Nerei Stagna viam sciendens, humero supereminet undas.' Sed et Polyphemum per undas maris peditem incedentem Eurip. infert, sic enim Cyclops ipse apud illum: *Δι' ἀμφιπέτρης τῆσδε προσβαλὼν ποδὶ: Per mare hoc ascendens pede.* *Cerda.*

663 *Luminis effossi]* Sic Terent. E. iv. 6. 2. 'oculi effodiuntur.' Just. vii. 6. 'Sagitta jacta dextrum oculum regis effodit.' *Emmeness.*

*Fluidum]* Propter *ῥοιότηλον*, *fluentem* noluit dicere. Quod autem dicant physici de effosso oculo sanguinem nunquam fluere, verum quidem est: sed supra non effossum hujus oculum, sed tercibratum legimus. Unde enim constat necdum fuisse curatum. *Servius.*

*Fluidum]* In antiquis codicibus *fluidum* fere passim scribitur geminato *oo*: quod Grammatici non admittunt, nisi prima producta syllaba, quum tamen *fluvius* eodem modo enuntietur, corripiat tamen primam. *Pierius.*

*Lavit cruorem]* Adhuc enim inflicta

cæcitas nova putabatur, cum adhuc funderet sanguinem. *Donatus.*

*Inde]* Aut de fluctibus, aut de spatium oculi. *Serrius.*

664 *Gemitu]* Cum gemitu. *Idem.*

*Graditurque per æquor]* Immensæ proceritatis expressio, gradiabatur in medio mari, ut in terra: neque profundi maris latus ejus unda tangebatur. *Donatus.*

665 *Iam medium]* Altum quam litus, vel plus quam litus, id est, unde altum incipit; vel sic altum, ut medium putares. Nam et in quinto sic dixit, 'Interea medium Æneas jam classe tenebat, Certus iter:' cum adhuc mœnia respiceret. *Serrius.*

*Medium]* Ut hic vox ista ad signandam profunditatem, ita Propertius eleg. 1. 9. 'Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu Insanus medio flumine quæris aquam.' Est vero gigantis magnitudo notata verbo, 'Necdum fluctus latera ardua tinxit.' Cui sententiæ par omnino illa Nonni Dionys. 1. 11. *ἄλλωτο γυμνοθεῖρα δι' ὄδατος ἄβροχος ὄσφες:* Apparebant nudi ab aqua non madefacti lumbi. Et rursum de gigante Typhone: *Βέβηλ ῥαπὸν πένηκτο, καὶ ἥρι μύγνυτο γαστήρ:* In profundo maris plantam figebat, et ceter ærî miscebatur. *Cerda.*

*Fluctu]* Legitur et *fluctus*. *Serv.*

*Necdum fluctus latera ardua tinxit]* Vetera aliquot exemplaria *strinxit* habent, quod minime placet, tam propter asperitatem, quam etiam ob improprietatem. Quod vero *Serius* et *fluctu* et *fluctus* legi docet: in antiquis iis codicibus, quos habui, *fluctus* habetur indicativo casu: et in *Donatiana* paraphrasi eadem agnoscitur lectio. Neque ad ejus latera profundi maris unda pervenerat. In *Porcio* etiam *fluctus* prius scriptum fuit, sed nunc s littera abrasa vix discerni potest. *Serrius.*

666 *Trepidum]* Festini: ut, 'Ne trepiditate mea, Teucri, defendere naves.' Item, 'Accepti trepidos, ac Nisum

dicere jussit.' *Serius.*

*Celerare]* Infinitivum, pro pronuntiativo. *Idem.*

*Recepto]* Aut in societatem accepto, aut de periculo liberato: ut, 'Frugesque receptas,' et 'Medioque ex hoste recepi.' *Idem.*

667 *Sic merito]* Quia omnia ejus probaverant dicta, ac si diceret, Non fallacem, ut *Sinonem*. Sane quibusdam videtur incongruum *Achæmenidis* nusquam alibi factam mentionem, cum eum hic et salutem merito impetrasse, et ut reciperetur a fugientibus, dicat. *Idem.*

*Taciti]* Cessante remorum strepitu, et cantilena nautarum: sine qua remi operari non possunt. *Donatus.*

668 *Verrimus]* In *Mediceo*, in *Porcio*, et antiquis aliquot aliis codicibus *vertimus* legere est, quod agnoscit *Ti. Donatus. Pierius.*

669 *Sensit]* Quod non videbat, auribus percepit. Nam quamvis silentium adhiberetur, non potuit penitus vacua strepitu esse navigatio. *Don.*

*Ad sonitum vocis]* Remorum sonitum, vocem dixit. Vox enim est omne quod sonat: sic alibi, 'Fractasque ad litora voces.' Nam de hominibus non dixit: quia supra est, 'Tacitique incidere funem.' *Serrius.*

*Vestigia torsit]* Bene uno sermone ostendit eum revertentem jam audisse sonum remigii. *Idem.*

670 *Dextram affectare]* Dextram intendere, et injicere scilicet, sic ut possit navem tenere. *Terentius*, 'Ad dominam qui adfectant viam,' id est, intendunt. Nam si *dextra* legeris, ut sit *dextra contingere*, caret exemplo. *Adfectare* autem quidam dicunt, hoc esse primum animum habere ad faciendum quid occupandumque: alii *adfectare*, si *dextra* legas, pro *adfectandi* accipiunt, ut sit verbi infinitivi modo pro participio. *Serrius.*

*Dextram affectare]* Id est, intendere, et auxilia quadam aviditate manuum navibus injicere. *Ter. Phorm.*

'Gladiatorio animo ad me affectant viam.' *Adfectare*, luctatorum et gladiatorum verbum, et in arena natum est: cui respondere Græcum *ἀφύσσθαι* et *μάρτυρην*, Pimponius notat. *Taubmann*.

*Verum ubi nulla datur dextram affectare potestas*] *Adfectare* Servio negotium facessit: quia etiam *dextra* casu septimo scriptum invenerat. In codicibus tamen nonnullis antiquioribus, *dextra attricare* legitur: quod nullam præ se ferret difficultatem. Nam qui penates et deos magnos secum habebant, tanquam sacri, non temere erant a profano, et deorum contemptore contingendi. Non frustra tamen in codicibus multis, *dextram adfectare* scriptum, hoc est anxia quadam aviditate manum ad navem injicere. *Pierius*.

671 *Nec potis*] Id est, nec potis est. *Potis* autem nomen est, et declinatur *potis, potis, poti, potem, potis, a pote*, et nomen esse docet ratio comparationis: nam in superlativo *potissimus* facit, cui si detraxeris *simus*, invenies nominis positionem, ut *acerrimus, acer; fortissimus, fortis*. Sic autem ut diximus declinari, compositio ostendit. Nam *hujus impotis, compotis, impotem, compotem* facit, quod in simplici difficile invenis: per compositionem agnoscis facilius, *Servius*.

*Potis*] Vide Sanct. in respons. ad quædam objecta, p. 454. ubi negat esse archaismum, *potis* et *pote* dici, ut *fortis* et *forte*. Videndus et Donatus ad Ter. And. II. 6. 6. *Emmeneso*.

*Ionios*] Mare Ionium sic dictum, ex quo illud transmisit Io, scribit Æschyl. in Prom. ubi Prometheus ipse sic loquitur ad Ionem: *Χρόνον δὲ τὸν μέλλοντα πάντιος μυχῶς, Σαφῶς ἐπίστασ', Ἴόνιος κληθήσεται, τῆς οἷης ποπέλας μῆμα τοῖς πᾶσιν βοροῖς*: Qui deinde secessus maritimus Pro certo hoc scias, vocabitur Ionius, In monumentum tui itineris omnibus hominibus. *Cerda*.

672 *Immensum*] Magnum, et dictum, quod mensura comprehendi non possit. *Servius*.

*Tollit*] In antiquis aliquot codicibus, *ponit* habetur: quod non æque placet. *Pierius*.

673 *Exterrita telus*] Poëtica hyperbole. *Servius*.

674 *Italia*] In codicibus antiquis *Trinacria* legitur: quod magis decorum servat, præsertim quum subsequatur, 'Crebrisque immugit Ætna cavernis: sed *Italia* Donatus agnoscit: et hyperbole ita major est. *Pierius*.

*Curvis cavernis*] Echo enim in concavis locis est. *Servius*.

*Immugit*] Antiqui plerique codices, *immugit κατὰ κρητὸν* legunt. Quam lectionem doctissimi plerique viri receperunt. *Pierius*.

675 *At genus*] Figurate, 'genus complent;' ut, 'Hic manus ob patriam pugnando.' *Servius*.

676 *Excitum*] A verbo *cio, cis, cit. Ruit*: festinanter venit: ut, 'Ruuntque effusi carcere currus.' *Idem*.

*Excitum ruit ad p.*] Græci *βρονθομεῖν*, ad clamorem et conclamationem accurrere, nimirum *αὐτοβοῶν*. *Germ*.

677 *Nequicquam lumine torreo*] Quia nocere non poterant. *Servius*.

678 *Ætnæos fratres*] Aut similes, aut feritate germanos, aut ejusdem patriæ, vel terræ, tanquam matris. Nam non sunt Polyphemi fratres, quem Neptuni filium Homerus dicit: unde, eo occærato, Ulyxes pertulit tempestatem, qui ad eum venit derelicta Salypso, cum qua decem annis fuerat. Unde, ut supra diximus, Virgillii dictis dissentit temporum ratio. *Idem*.

*Ætnæos fratres*] Alludit ad vocem Græcam *αἰτναῖος*, id est, magnus et immanis. Sophocli. in Colon. *πῶλος αἰτναῖος*, id est, equus magnus; et *κύνθαπος αἰτναῖος*, id est, *acarabæus magnus*. Vide Cælium XXI. 23. item Dan. Heinsium ad Silium l. XII. ubi docet,



Græcis *Parnassium* etiam fuisse magnum: ut *ἄσθρακες παρνασσίου*, id est, *carbones magni*: a montibus enim vocabala magnitudinis eos deduxiase. Docet autem Turnebus xxiv. 10. contra Poëtas, Cyclopes eam Siciliæ partem, ubi *Ætna*, non incoluisse: sed continentis habitatores fuisse. Vide Notas ad illud *Æn.* i. 'vos et Cyclopea saxa Accestia.' *Taubmann.*

*Ætneæ fratres*] Mela illustrat hunc locum ii. 5. 'Ætna quæ Cyclopas olim tulit.' Strabo l. i. *περὶ τὴν Ἀφρὴν Κυκλωπας δυναστεύσας*. Plura Cluver. antiq. Sicil. i. 2. *Emmeness.*

*Cælo*] Pro in *cælum*. *Servius.*

679 *Concilium*] Id est, conventus, congregatio. Horat. od. iv. 5. 'patrum Sancto concilio;' vide illic Lambinum. *Emmeness.*

680 *Coniferæ*] Conum substinentes, et *Conus* dicitur fructus cupressi, et ipsa *κωνοειδής* est. Nam a rotunditate in acumen levatur. *Servius.*

*Cyparissii*] Cyparissus Telephi filius fuit, amatus ab Apolline: vel, ut alii, a Sylvano: qui cum lassatus æstu sub quadam arbore somnum caperet, subito strepitu excitatus, cervum, quem in delitiis habebat, feram credens, per ignorantiam, misso telo occidisset, et fletu nimio et abstinencia cibi ac potionis tabesceret, a misericordia deorum in arborem cupressum conversus est, aptam et consecratam lachrymis et luctibus. Alii hunc Cyparissum Cretensem puerum pulcherrimum et castissimum fuisse, quem quidam ab Apolline, nonnulli a Zephyro amatum volunt; qui cum castitatem suam iucorruptam tenere cuperet, relicta Creta ad Orontem fluvium, et montem Casium, dicitur pervenisse: atque ibi in Cypressum arborem commutatus, quæ arbor ideo mortuis consecratur, quod cæsa semel nescit renasci. *Idem.*

*Coniferæ cyparissii*] Ideo Ovid. Metam. x. 106. 'metas imitata cypressus.' *Emmeness.*

681 *Constiterunt*] Metri causa pro *consistunt*. *Servius.*

*Constiterunt*] In antiquis plerisque codicibus *constiterunt* legitur: ut *steterunt*, *tulerunt* pene ultima brevi sæpe reperiuntur. Non tamen improbo *constiterant* exacta specie. *Pierius.*

*Silva alta Jovis, lucusæ Dianæ*] *Jovis*, propter quercum: *Dianæ*, propter cupressum: ipsa enim est etiam Proserpina. Ergo cupressi quasi infernæ, vel quia succisse non renascuntur; vel quia apud Atticos funestæ domus hujus fronde velantur. *Alta* autem quod manet vertice cælo; et *lucus*, qui propter religionem intactis arboribus et magis crescit, et diu permanet. *Servius.*

683 *Excutere*] Num expedire? *Servius.*

*Ventis secundis*] Id est, sequi quocunque venti ferrent. Nam omnes venti secundi sunt, si, quo impellant, eamus. Est ergo sensus: Modo Cyclopas fugeremus, non curabamus, quocunque navigaremus. Quod erat contra jussa Heleni, qui vetabat illos temere navigare; sed diligenter vitare Charybdim et Scyllam: sed istorum malorum metu turbati, decrevimus ut velocissime transiremus. *Donatus.*

684 *Monent*] Vetera quedam exemplaria cum Mediceo, *movent* legunt: hoc est, persuadent. Sed enim Helenus moverat, et monuerat, et monitus in hoc dictionis genere dicuntur. *Pierius.*

*Scyllam atque Charybdim, &c.*] In codicibus nonnullis manu scriptis, *Scyllæque Charybdis* scriptum est: ut ordo sit: Inter utranque viam Scyllæ et Charybdis. Sed imperfecta esset oratio, et alterum *que* post *Charybdis* desideraretur. Longe vero melius in Donatiano codice, *Scyllam atque Charybdim* appositively positum. Est et *ne teneant* in aliquot exemplaribus antiquis. Sed *ne* Donatus agnoscit, et

pro ne positum more veterum ait: quod et Priscianus admittit: quamquam alibi dicat, *Ni teneant cursus*, ita habere, ut Terentianum illud, 'Ni metuam patrem:' et locus alius apud Virgilium, 'Ni faciat, maria, ac terras, cœlumque profundum Quippe ferant.' Plura vero Servius. *Idem.*

686 *Ni teneant cursus*] Antiqui *ni* pro *ne* ponebant, qua particula plena est Plautus, 'Ni mala, ni stulta sis.' *Servius.*

*Ni teneant cursus*] *Ni*, pro *ne*, auctore Servio et Turneb. xvii. 11. antiqua litteras affines inter se commutandi licentia: de qua Aus. Popma, in aureolo, de usu antiquæ locutionis, libello, c. 1. Sensus est: Timor cogebat, ut ventum, non iudicium, secuti, quocumque navigaremus: sed occurrebat præceptum Heleni vitare iubentis Scyllam atque Charybdim. Quare placuit, *ne cursus teneant*, hoc est, agantur et impellantur inter utramque viam modico mortis interstitio, id est, Scyllæ et Charybdis, *retrosum vela dare, atque iterare cursus*, ut loquitur Flaccus. Sed hoc dum cogitamus, ecce prosperior nobis flare cepit Boreas. Vide etiam, quæ ad Plaut. Menæch. act. 1. 2. notavimus: quem locum Servius hic laudat. *Taubmann.*

*Ni teneant*] *Ni* hic pro *ne* positum monet Donat. ad Ter. E. iii. 3. 2. *Emmeness.*

*Dare lintea retro*] Quod dum cogitamus prosperior nobis flare cœpit Boreas. Nonnulli *Scyllam et Charybdim* inter distinguunt, ut sit ordo: *Inter Scyllam et Charybdim utramque viam leti discrimine parvo Ni teneant cursus certum est dare lintea retro.* Alius ordo est: *Contra jussa monent Heleni ne inter Scyllam et Charybdim cursum teneant.* *Servius.*

*Retro*] Horat. 'Nunc retrosum Vela dare, atque iterare cursus.' *Germanus.*

687 *Pelori*] Sicilia Græcis ideo *Trinacria* dicitur, quod tres extremitates, quas Græci *ἄκρας* vocant, in mare videtur extendere, Pachynum, quod in Aryciam vertit, Lilybæum, quod Africam spectat, Pelorum, quod in Tyrrhenum mare procedit. Sed angusta ab sede ideo agitur, quia eminns videntibus eum locum, Italia et Sicilia terra continens putatur, nec nisi ad vicinum accedentibus videtur. *Idem.*

688 *Missus adest*] Favore scilicet numinum: quia Anchises optaverat dicens, 'Ferte viam vento facilem, et spirare secundi;' vel *missus* juxta qualitatem locorum, ita enim in illis angustiis et faucibus maris artari et conglobate spiritus fieri dicitur, ut ad illum locum tantummodo *missus* videatur. *Idem.*

*Vivo prætervehor ost. a.*] Pro *viri saxi*, ablativum pro genitivo, vel viva saxa habentia: *ostia* vero aut litora sunt, aut exitus fluminis in mare, aut introitus portus. *Idem.*

*Vivo prætervehor ostia saxo*] Supra: 'vivoque sedilia saxo.' Cæsar: 'prætervectos Dyrrhachium magna vis tempestatis sequebatur.' *Germanus.*

689 *Pantagia*] Hic fluvius Siciliæ cum plenus flueret, implebat sonitu pene totam Siciliam. Unde et *Pantagias* dictus est, quasi *ubique sonans*. Hic postea cum Cereri, quærenti filiam, obstreperet, tacere jussus est numinis voluntate. *Servius.*

*Pantagias*] De hoc flumine Cluver. Antiq. Sicil. i. 11. *Emmeness.*

*Megarosque sinus*] Megara oppidum est juxta Syracusas. *Servius.*

*Thapsumque jacentem*] Thapsus insula non longe a Syracusis, plana, pene fluctibus par. *Idem.*

*Thapsumque jacentem*] Hodie vulgo *L' Isola delli Manchisi*. Salustius et Silius, teste Dausquio, sine aspiratione scribunt. Thucydides l. vi. Stephanus et alii *ῥάψος* malunt, si a *ῥάψω* sepolio, quia quasi sepulta et

fluctibus obruta est, a quibus standum sit, apparet facile. De hac peninsula Strabo l. xvii. Isidor. orig. xiv. 6. et accurate satis Cluver. in antiq. Sicil. i. 11. *Emmeness.*

690 *Talia monstrabat*] Quia occurrebat, Unde hæc loca scire potuisti? *Servius.*

*Relegens*] Renavigans. Ut, 'Et primi lege litoris oram.' *Idem.*

*Errata*] Participium aine verbi origine. Non enim facit error. *Idem.*

*Relegens errata retrorsum*] *Errata litora*, ut Græci passive efferunt: Xenoph. Ἀπομ. A. ἀ πολλὰ ἐλάττονας βλαβὰς ἀμαρτανόμενα ποιεῖ, τῶν περὶ τὴν πόλιν ἀμαρτανόμενων et Plato leg. θ. ἐπειδὴ τῶν ἀμαρτανόμενων τρία εἶδη δεδήλωται: pro ἀμαρτημάτων. *Germ.*

*Retrorsum*] Quasi a fine ad caput retexens. *Servius.*

*Retrorsum*] In antiquis aliquot exemplaribus, *retrorsum*. *Pierius.*

691 *Achemenides*] De hoc infelici homine Ovid. in Ibide vs. 415. 'Qualis Achemenides Sicala desertus in Ætna, Troica cum vidit vela venire fuit.' *Emmeness.*

*Infelicitis Ulixi*] Epitheton ad implendum versum positum, more Græco, sine respectu negotii. Nam Æneas incongrue infelicem Ulyxen dicit, nisi forte quasi pius etiam hostis miseretur, cum similes errores et ipse patiatur: et notandum conclusam de Achemenide mentionem. *Servius.*

692 *Prætentia*] Anteposita. *Idem.*

*Jacet*] Sita est: ut, 'Medio jacet insula ponto.' *Idem.*

*Contra Plemmyrium undosum*] Quidam insulam, quidam fluvium putant dici. Sane verbum de verbo expressit. Hoc est enim *undosum*, quod *Plemmyrium*. Sinus Syracusanus, in quo Ortygia, cujus hic necessarie meminit, nondum enim erant conditæ Syracusæ. *undosum* vero, quod usque illuc vestigium æstuantis Charybdis dicitur pervenire. *Idem.*

*Plemmyrium*] Quidam insulam esse

statuunt, quidam fluvium, quidam promontorium. Extremum hoc tam in Virgilio, quam in Thucydide (hujus locus habetur l. vii.) agnoscit Ortelius: quo (ut ait Serv.) perveniant undæ Charybdis æstuantis. Ergo Ortygia hunc habet situm, ut posita sit contra Plemmyrium, et obtenta prætentaque sinui Siciliæ. *Cerda.*

693 *Plemmyrium*] De hoc promontorio Cluverius ant. Siciliæ i. 13. *Emm.*

694 *Ortygium*] Hæc tantum *Ortygia* dicitur, Apollinis vero etiam *Delos*. Et bene addidit *priora*, ut hæc quæ nunc est semper appellata sit *Ortygia*, hæc verò prioribus tantum. *Servius.*

*Ortygium*] De hac insula Strabo vi. Cluver. ant. Sicil. i. 12. *Emm.*

*Alpheum*] Quia Græce ἀλφειός facit: ut *alveas*, *Æneas*; *μήδεα*, *Medea*. *Servius.*

*Fama est huc Elidis amnem*] Elis et Pisæ civitates sunt Arcadiæ, in qua est fons ingens, qui ex se duos alveos creat, Alpheum et Arethusam. Unde fit, ut fingantur conjungi in exitu, quos origo conjungit. Arethusam autem etiam in Elide esse testatur Virgilius, dicens, 'Sic tibi cum fluctus subterlabere Sicanos.' Hæc secundum fabulas venatrix fuit, quæ dum se in Alpheo post laborem ablueret, ab eo adamata est. Quam cum in speciem avis mutatam Alpheus cognosset latere, etiam sic eam persequi cœpit; quæ cum diu fugiens deorum miseratione in fontem sui nominis versa ad Siciliam per secretos meatus venit. Quam Alpheus illuc usque persequutus, fonti ejus se miscet: quod tali argumento probatur: nam cum equi, diebus festis, Olympii Jovis, certantes in eo amne diluuntur, sterces eorum ex eo amne etiam in Arethusa recognoscitur. Patra etiam, quam in Alpheum quidam Olympionices miserat, in Arethusa inventa dicitur. Hanc autem venatricem fuisse, quod

etiam Virgilius ostendit, 'Et tandem positus velox Arethusa sagittis.' Quidam autem Arethusam non de Elide ad Siciliam venire, sed in Sicilia nasci volunt, et venienti fluvio occurrere. *Idem.*

*Elidis]* Strabo, l. iv. omnem illam regionem, quæ inter Messeniam et Achajam proprie dictam interjacet usque ad mare, *Eleam* vel *Elidem* nominari ait, per quam fundatur *Alpheus*. *Taubmann.*

*Alpheum fama est, &c.]* *Alpheum* Arethusamque emergere in insula *Ortygia* Strabo his verbis narrat *Geog.* l. vi. ἡ δ' Ὀρτυγίαν συνάπτει γέφυρα πρὸς τὴν ἡπειρὸν οἰσα. Κρήνη δ' ἔχει τὴν Ἀρέθουσαν, ἐξείσταν ποταμὸν εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν. μυθεύουσι δὲ τὸν Ἀλφειὸν εἶναι τοῦτον, ἀρχόμενον μὲν ἐκ τῆς Πελοποννήσου, διὰ δὲ τοῦ πελάγους ὑπὸ γῆς τὸ βέθρον ἔχοντα μέχρι πρὸς τὴν Ἀρέθουσαν, ἐκ' ἐκδιότα πάλιν εἰς τὴν θάλατταν : *Ortygiam pons terræ conjungit : ea fontem habet Arethusam, quæ fluvium statim emittit in pelagus. Hunc ipsum Alpheum esse traditum est in fabulis, qui cum in Peloponneso sumat originem, per mare sub terram usque ad Arethusam fluente perducatur : deinde rursus hic emergens excurrit in pelagus.* *Cerda.*

*Alpheum]* *Mela* hujus fluminis et *Arethuse* fontis mentionem infert, *ll.* 3. et 7. 'Fons est in quo visantur jacta in *Alpheum* amnem *Peloponnesiaco* litori infusum : unde ille creditur non se conorciare pelago, sed subter maria terrasque depressus, huc agere alveum, atque hic se rursus extollere.' Notabis *agere alveum*, ut infra *egisse vias* ; sed de hac lectione *Pierius*. utriusque amores narrat *Ovid. Metam.* v. 574. et seqq. et amor. *iii.* 6. 'Quid? non *Alpheon* diversis currere terris *Virginis Arcadiæ* certus adegit amor.' Vide *N. Ecl.* x. 1. *Emmeness.*

695 *Egisse]* In codice perveteri, qui apud me est, *habuisse* *vias* legi-

tur : sed *egisse* magis placet, ut in vulgatis. *Pierius.*

696 *Ore]* Fonte vivo : bene de fluvio, ut *Æneid.* i. 'Unde per ora novem.' *Servius.*

*Confunditur]* In antiquis aliquot codicibus, *perfunditur*. Sed *confunditur* magis placet : hoc est, commisceatur. *Pierius.*

697 *Jussi numina magna loci]* Vel ab *Achemenide* admoniti, vel *Anchise*, vel ab oraculis : et queritur, quæ numina, vel quare non dixerit : et utrum *Alpheum*, an *Arethusam* intelligi voluerit. *Jussi* ergo, admoniti. *Servius.*

*Jussi numina magna loci veneramur]* In omnibus antiquis codicibus, quotquot legi, numerus est hujusmodi, *jussi numina magna loci veneramur* : ut illa, 'Addam cerea pruna.' et, 'Curru jungit *Alæsus* equos.' In non nullis : *numina magna loci jussi veneramur.* *Pierius.*

698 *Excupero præpingue solum stagnantis Helori]* In codicibus antiquis, *Helori* cum adspiratione, quam et *Pontanus* recipit : in aliquibus tamen sine aspiratione *Elori*. Est etiam eodem versu *excupero* per *x* et *s*. *Id.*

*Stagnantis Helori]* Fluvii qui ad imitationem *Nili* effunditur campis. Sed *Græci stagna Elide* dicunt, unde ait, 'Stagnantis *Helori*.' *Servius.*

*Helori]* Per adspirationem maluit scribi fide optimorum codicum : non desunt tamen, qui demunt teste *Dausquio*. Fluvius est proximus *Pachynum* promontorium τοῦ ποταμοῦ τοῦ κατὰ Πάχυνον, ut *Stephanus*. Mirum cur hic *stagnantis*, cum *Sillio* dicatur 'undas clamosus *Helorus*.' nodum solvit idem *Cluv.* *ibid.* Sed satius est consulere *Cluverium* i. 13. *Servii* locum emendantem, apud quem *Elide male*, pro quo legendum censet *ἐλῆ*, id est, paludes. *Emmeness.*

699 *Projecta]* Porrecta et tenta, ut, 'Projecto dum pede lævo.' *Servius.*

*Pachyni]* Promontorium est ana-

trum spectans. Unde et *Pachynum* dictum ab aëris crassitudine: nam *παχύς* est pinguis et crassus. *Idem.*

*Projectaque saxa Pachyni* *Projecta*, id est, prominentia; quasi porro jactata. *Æn.* v. 304. 'procurrentia saxa' dixit. Etiam J.C. *projecta* vocant podia, meuiana. *Lucret.* l. iii. de grandi et vasto homine: 'Quamlibet immani projectu corporis extat.' *Taubmann.*

*Projectaque saxa Pachyni* *Macrobi* explicationem, si quis amplecti malit, addo *Saturn.* vi. 4. 'si *projecta* secundam consuetudinem dicatur, intelligitur *abjecta*: si secundum veteres *projecta*, porro jacta: ut alibi ait: 'projecto dum pede lævo Aptat se pugna.' Plura illic. Sed *extensa saxa* interpretor ut *Ecl.* i. 67. 'projectus in antro.' Bene *saxa*; nam ex tribus promontoriis, de quibus *Mela* ii. 7. unde *Sicilia* fuit appellata *Trinacria*, unum nempe *Pelorus* est humo arenaea, *Pachynus* et *Lilybæum* saxea, teste *Cluverio* antiq. Sic. i. 6. Hodie appellant accolæ *Pachynum* promontorium *Capo Passaro* vel *Passar*. De hoc *ἀκρογῆλον Πυκλίας* *Cluver.* ant. Sic. i. 14. *Emmeness.*

700 *Radimus*] Propter saxa latentia. *Radimus* autem, nimium adjuncti præterimus, ut *Æneid.* v. 'Radit iter lævum interior.' *Servius.*

701 *Camarina procu*] Palus est juxta ejusdem nominis oppidum: de qua, quodam tempore cum siccata pestilentiam creasset, consultus *Apollo*, an eam penitus exhaurire deberent, respondit: *μη κίρει Καμαρίναν, ἀλυστρος γὰρ ἀμείνων*: quo contempto exaiccaverunt palndem: et sedata pestilentia, per eam partem ingressis hostibus pœnas dederunt. Sed hoc responsum *Æneæ* temporibus ignotum fuit. Ergo non observavit Poëta, sed ad præsens tempus locutus est. *Idem.*

*Camerina*] In antiquis aliquot codicibus, *Camarina* ut Græci scribunt,

*μη κίρει καμαρίναν, ἀλυστρος γὰρ ἀμείνων.* *Pierius.*

*Camerina*] Sunt qui pro utraque lectione stant, legentes non nulli *Camarinam*, alii *Camerinam*. Vide *Dausq.* Orthogr. De Palude ipsa, congestit ea, quæ usui sunt, *Cluver.* ant. Sicil. i. 14. *Robert.* Tit. Controvers. viii. 9. vindicat negligentiam crimine *Virgilium* contra *Servium*, criminantem *Maronem*, quod, *Ænea* navigante, *Camerina* nondum siccata fuerit. *Emmeness.*

702 *Immanisque Gela*] Civitas a fluvio nominata: sicut etiam campi *Geloi*. *Servius.*

*Immanisque Gela*] Dicitur *immanis* propter magnitudinem urbis, ut *Cluver.* antiq. Sicil. i. 15. ubi accuratam et fluvii et urbis, nec non *Geloorum* camporum descriptionem invenies. *Emmeness.*

703 *Acragas*] Mons est muro cinctus, in cujus summa parte oppidum est. Unde et *Cicero* ait, 'Ad mare intra mœnia ante oppidum expectabat.' De Verre. *Servius.*

*Arduus inde Acragas*] In antiquis arduos. In Romano, *Acragas*, ut Græce scribitur, *ἀκράγης*, *Polybio*. Sed affinitas literarum facit, ut Latini multa per *g* scribant, quæ Græci per *κ*, ut *gubernator*, *κυβερνήτης*: atque etiam vice versa nonnunquam pro *γ*, *c* substituant: ut ex *Gongro* *Congrus*. *Pierius.*

*Arduus inde Acragas*] Græcum est nomen, Latinis *Agrigentum*: quod ex *Plinio* iii. 8. 'oppidum Agragas, quod Agrigentum nostri dixere.' Urbs celebritate et opulentia ingens. De *Gela* et *Agrigento*, a quibus, et quando condita hæc sint oppida, mentionem infert *Thucydides* in initio l. vi. Sed quæ dici possunt, habet *Cluver.* Antiq. Sicil. i. 15. Fuit et fluvius hujus nominis, qui incolis *Fiume di Gerenti*. *Emmeness.*

*Longe*] Quia excelsus est mons. *Donatus.*

704 *Magnanimum quondam generator equorum*] Secundum Pindarum quondam Agrigentini equos ad agones Græciæ mittebant, qui inde victores revertebantur. Legimus etiam aliud: cum in Cappadocia greges equorum perissent, Delphici Apollinis responso adduxerunt equos de Agrigento, et reparavere meliores. Quidam autem dicunt Heronem Agrigentinum, vel, ut alii ferunt, Dionysium tyrannum Siciliæ, equos ad agonem Elidis olympicum duxisse, et omnes viciisse. *Servius*.

*Generator equorum*] *Altor equorum*, Silio Ital. dicitur l. xiv: ubi ille pleaque urbium et fluviorum nomina recenset, quæ hic Maro noster habet: ut *et cui non licitum fatis Camerina moveri*: et paulo post, *palmis quoque onusta Selinus*: et sic totus contextus. De studio alendorum equorum, quod ingens fuit in Agrigentinis, Plinius viii. 42. qui narrat ab iis in honorem equorum extractos fuisse tumulos et in tamulis pyramides. Idem ferme Solinus c. 4. 'Agrigentina regio frequens est equorum sepulcris, quod supremorum munus meritis datum creditur.' Firmit hoc exemplis pluribus Cluverius supra citato loco. *Emmeness*.

706 *Palmosa Selinus*] Civitas est juxta Lilybæum, abundans palinis, quibus vescuntur, et apio: an *palmosa* ab equis nobilibus? *Servius*.

*Selinus*] In codicibus aliquot antiquis, *Seliny* per *y* in fine scriptum est. In aliquot *Selinis*, in aliis *Selinus*: quod quidem cum Græca scriptione facit. Nam *Σελίνος*, per *ος* finale, civitas Siciliæ est: eaque, ut Græci tradunt, et masculino et feminino genere dicitur. Quod vero *palmosam* dicit Maro ex M. Tullio est, in actione ultima contra Verrem: 'Nautæ coacti radices palmarum agrestium, quarum erat in illis locis, sicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebant.' *Pierius*.

*Palmosa Selinus*] Civitas juxta Lilybæum promontorium: in quo tractu, ut fere tota Sicilia, copia palmarum erat: ut e Cic. Verr. vii. docet Turneb. xxx. 39. Servius Dan. dubitat, num *palmosa* ab equis nobilibus et palmaris dicatur. *Taubmann*.

706 *Saxis Lilybeia cæcis*] Vere dixit: nam litus Lilybetanum naturaliter cum saxis, quasi de industria constructum est. Sane notandum omnium trium promontiorum Siciliæ factam mentionem: ut, 'Ecce autem Boreas angusta a sede Pelori,' et, 'Projectaque saxa Pachyni,' et hic modo, 'Saxis Lilybeia cæcis.' *Serv.*

*Saxis cæcis*] Quæ nautæ *subaqueas* appellant. *Donatus*.

707 *Drepani portus*] *Drepanum*, civitas est ante pedem montis Erycis trans Lilybæum: dicta vel propter curvaturam litoris, in quo sita est; vel quod Saturnus post amputata virilia Cælo patri, illuc falcem projecit, quæ *δρεπῶνος* dicitur Græce: quod verisimile putatur propter vicinitatem Erycis consecrati Veneri, quæ dicitur nata ex Cæli cruore, et spuma maris. Quidam *Drepana* dictum volunt a falce Cereris, quam ibi, cum filiam suam Proserpinam quæreret, amisit. Cato pluraliter hæc *Drepana* dicit. *Servius*.

*Drepani portus*] *Drepanum*, civitas ante pedem montis Erycis, trans Lilybæum; quam *oram illatabilem*, id est, tristem vocat, ob patris amissionem, quanquam auctores de morte Anchisæ valde discrepant. De quo Muretus Var. xiiii. 3. et Cælius xvii. 10. *Taubmann*.

*Drepani portus*] De promontorio Lilybæo, de urbe Drepano et portu videndus Cluver. ant. Sic. ii. 1. *Emmeness*.

*Illatabilis*] Propter patris amissionem. *Servius*.

*Illatabilis*] Expressit plenam mortalitatem; nam si quando aliqua infortunia accidunt, nos in dolore po-

siti locis attribuimus, quasi nobis aliquid inflixerint. Ergo hic Drepanitano loco applicat, quod fato acciderit. *Donatus.*

708 *Actis*] Transactis, vel quomodo mensibus actis. *Servius.*

*Actus*] In antiquis pene omnibus exemplaribus legere est, *actis*. Neque *actus* est in iis, quos legi, nisi contacto codice. *Pierius.*

709 *Hæu genitorem*] Diversum hoc ab historia, si Straboni credimus, qui *Æneam* una cum Anchise patre et filio Ascanio Laurentum applicuisse tradit. *Idem.*

*Casusque levamen*] Simile Propertius eleg. iv. 12. 'Te, Lepide, et te, Paule, meum post fata levamen.' et Martialis l. vi. 'Hic tibi curarum socius, blandumque levamen.' *Cerda.*

710 *Amitto Anchisen*] Dolet perisse in portu, qui tot maris pericula evasisset: nec dixit mortuum, sed deseruisse filium. Veteres enim egregios viros non mortuos, sed per commutationem locorum translatos putabant. *Donatus.*

*Fessum deseris*] Ut supra diximus secundum Virgilium. Nam Cato enim in Originibus ad Italiam venisse docet: unde etiam in sexto illud amphibolon est, 'Quo magis Italia mecum lætere reperta.' Nam et post Latinum Turnumque et Amatam dicitur excessisse. Sed bene hic subtrahitur, ne parum decoro amori intersit. Queritur sane, cur sine ulla descriptione funeris patris præterierit? Aut quia in v. dicturus est, et his eadem dicere vitaverit; aut quia, sicut dictum est, Anchisen ad Italiam cum filio pervenit. *Servius.*

711 *Hæu tantis*] Tantus fuit dolor, ut etiam apud Didonem positus, quasi cum eo præsentem loqueretur. *Donat.*

*Tantis*] Ad generalitatem transit, ne si specialiter enumeraret, longior fieret: dolebat autem vehementer, quod infinitis casibus liberatus, ad Italiam pervenire non potuisset. De-

finit ergo Poëta, quam vim habeat apud filium incolumitas patris, cum dicit: 'Omni curæ casusque levamen.' *Idem.*

712 *Nec vates Helenus*] Quia dixerat, 'Prohibent nam cætera Parcæ Scire Helenum.' *Servius.*

*Nec Helenus*] Cum multa horrenda prædiceret: nec Celæno, cum multa optaret maledicta: ergo nec amicus prædixit, nec inimica. Tacuit autem de tempestate Siciliensi, ne bis repeteret, quod dictum fuerat ab Ilioneo. *Donatus.*

713 *Non dira Celæno*] Quæ vel irata debuit adversa nuntiare. Et bona pietate mortem patris graviolem dicit esse, quam famem. *Servius.*

714 *Hic labor extremus*] Aut apud Drepanum: aut *extremus*, sævissimus, quia statim tempestati sacratus est. Et bene de ipsa tempestate tacuit, quia Ilioneus supra dixerat: 'Cum subito adsurgens fluctu nimbo-sus Orion In vada cæca tulit.' *Idem.*

715 *Deus appulit oris*] Tulit voluntate sua; bene se commendat Didoni, dicens se ad eam deorum voluntate venisse. Sane non dixit *quis deus*: ut alibi, 'Dabit deus his quoque finem.' *Idem.*

*Vestris Deus adpulit oris*] Didonis animum confirmat, illiusque benevolentiam et gratiam sibi conciliat ex eventu rei, cum se ad eam deorum voluntate accessisse significat. Et addit uno versu quod jam copiose descripserat. Macrob. Saturn. v. 2. *Nascimb.*

*Appulit*] Proprie, teste Donato ad prol. A. *appellere* dicitur, cum ex pelago aut freto quis ad litus accesserit; et recte Deum auctorem dicit, eodem monente, E. iii. 2. 36. *Emm.*

716 *Intentis omnibus*] Adhuc intentis: ut ostenderet *Æneam* libenter auditum. Intenti fuerant, cum incœpit: intenti, cum finiret. *Donat.*

*Unus*] Non interpellante regina interrogationibus. *Servius.*

717 *Fata diuom*] Quæ dii hominibus tribuunt. *Idem*.

*Renarrabat*] Aut vacat *re*, ut, 'Conferri possit.' Aut apparet Æneam ante de suis casibus cum Didone confuse locutum, et ideo hic addidit *renarrabat*, quasi quæ dixerat antea, nunc ex ordine referebat; quod notat in primo: 'Immo age et a prima dic, hospes, origine nobis.' Sane in secundi principio duo sunt versus ex persona poëtæ, sicut hic tres, et similis est finis initio. *Idem*.

*Fata renarrabat diuom*] In antiquis aliquot codicibus legere est, *fataque narrabat diuom*. Sed enim quia bonam horum partem Didoni prius enarraverat, et in hac dictionis continuatione multa fuere repetita, longe magis placet *renarrabat*, ut in Mediceo, et vulgatis habetur exemplaribus. *Pierius*.

*Fata renarrabat*] Quid si contra Servium accipiamus plures factas de excidio Trojano narrationes ab Ænea interpellato ab amante Didone sæpius; sed magis concisas, et minus elaboratas hac, quæ hoc toto tertio lib. continetur, ut ex præcedentibus liquere videtur: 'Nec non et vario noctem sermone trahebat Infelix Dido, longumque bibeat amorem, Multa super Priamo rogitans, super Hec-

tore multa: Nunc quibus Anroræ venisset filius armis:' et ex sequentibus: 'Iliacosque iterum demens audire labores Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.' Servius tamen *renarrabat* pro simplici accipit. Videri tamen potest hic Maro imitatus Homerum, qui sub finem lib. Od. M. renarrantem Ulyssem inducit his versibus: *τί τοι τάδε μυθολογέω; ἤδη γάρ τοι χθιζὺς ἐμυθεόμην ἐνὶ οἴκῳ Σόλῃ καὶ ἰφθίμῃ ἀλόχῳ· ἐχθρὸν δὲ μοί ἐστιν, Ἀδτὶς ἀρίστῃ λῶς εἰρημένα μυθολογέειν.* *Germanus*.

718 *Conticuit tandem*] Ut, 'Conticnere omnes.' *Servius*.

*Tandem*] Diuturnitatem narrantis expressit. Notandum sane, quia controversiarum more epilogos dedit sex istis prioribus libris: quos et esse bioticos voluit. Nam singulis res singulas dedit: ut primo omina, secundo pathos, tertio errores, quarto ethos, quinto festivitatem, sexto scientiam. Epilogos autem sic variavit, ut in primo miseratio esset Didonis, in secundo mors Creusæ, in tertio Anchisæ, in quarto Didonis, in quinto Miseni, in sexto Marcelli citum deflet interitum. *Idem*.

*Tandem*] Ad ipsum pertinet, qui casus suos enarrabat invitus: nam auditores adhuc intenti erant. *Donat*.



9

11-9.









BDJUL 13 1914

